ALETHEUS
DE
POLYGAMIA

Editio parvula in 8° cui titulus "<u>Discursus politicus de Polygamia</u>" impressa est sine commentariis ullis Friburgi apud Henricum Cunrath A° 1676: quapropter autor Johannes Lyserus (qui sub nomine Theophili Alethæi scripserat) per decretum Christiani V Danorum regis in exilium pellebatur. Refutato postea opere a Johanne Brunsman, theologo Danico, tractatu quodam quem intitulabat "<u>Monogamia victrix</u>", impresso Francofurti 1679 in 8°, — Lyserus, tunc degens Amstelodami in miseriis extremis (ut ait Bayle Dict: histor: p. 1726), hancce editionem discursus sui cum notis amplis tituloque "<u>Polygamia Triumphatrix</u>" in lucem edidit, pro qua verò viginti ducatos solùm a librario obtinuit.

34434/B/2

Lyser

12135

34434/B/2

Lyser, J.
c

14/12/05
446

Polygamia Triumphatrix,

ID EST

Diſcurſus Politicus

DE

POLYGAMIA

Auctore

THEOPHILO ALETHEO,

cum Notis

ATHANASII VINCENTII,

Omnibus Anti-Polygamis ubique locorum, terrarum, inſularum, pagorum, urbium, modeſtè & piè oppoſita.

LONDINI SCANORUM.

Sumtibus Authoris poſt. Annum MD. C. LXXXII.

12135

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

CUm rara ſint in rerum naturâ, quæ omnium applauſum atque deſiderium non mereantur duntaxat, ſed & inveniant; à verò alienum nil dixerit, qui aſſeret, quod inter illa utramque impleat paginam *aurea libertas.* Videmus enim omnis generis animantia ingenio ſuo libertatem amare & concupiſcere, nec ullis illecebris, aut eſcis exquiſitiſſimis, non ſericeis vinculis, aut carcere aureo adduci poſſe, ut illi, quamvis miſeræ, ac omnium rerum egenæ, præferant ſplendidam, cunctiſque copiis refertam ſervitutem. Homines etiam, uti beſtias ingenii bonitate multis paraſangis poſt ſe relinquunt; ita impenſius inſtinctu ejuſdem libertatem maximopere appetunt, ſervitutem verò cane pejus & angue fugiunt, eaque propter libertatem ſummopere commendant, rem quidem minimè indigam commendationis alienæ, cum ſeſe ipſam commendet omnibus, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Eſt enim libertas res omnium quæ in mundo reperiri poſſunt, illuſtriſſima, omniumque conſenſu approbata, ut, quicunque rationem aliquam vitæ inſtituit, eamque promiſerit, quaſi cum eâ omnia promiſiſſe dicendus ſit. Neque etiam ullum genus ſcriptorum inveniri poteſt, qui eam non eam maximè ad cœlum, quamvis aliam alii, omnes tamen ad cœlum ferant. Hanc Jure conſultus *rem inæſtimabilem* pronuntiavit; Philoſophus ille, qui regna Alexandri & omnia mundana contempſit, *optimum in vita, nihil ſine hac,* dixit *bonum* eſſe. Hanc Princeps Orator etiam *vita putat emendam*, quando ſervitutem ait malorum omnium poſtremum non modò bello, ſed etiam morte repellendum. Hanc negat hiſtoricus bonum quenquam niſi cum anima amittere. Sicuti & boni ac egregii cives hinc & inde ſæpè factis eam ſibi aſſeruerunt non copiam, non opes, non regnum Perſarum, quod ille ait, ei æquantes. Quin etiam pueri & fœminæ liberaliter & honeſte educatæ, libertatis ceu Numinis alicujus pleni vitam ſæpè ſervitutis odio poſthabuerunt. Unde Rex Ageſi-

 laus

laus non immerito aſſerit; *nil quicquam ſine libertate bonum eſſe aut vocari debere.* Ipſe quoque Primus Romanorum Imperator Julius Cæſar omnes homines natura libertati ſtudere, & conditionem ſervitutis odiſſe fatetur. Quin etiam Deus Optimus Maximus Rex Regum & Imperatorum Imperator, ut doceret populum ſuum quàm ſingulare, quàm incomparabile, quàm dignum Deo beneficium *Libertas*, inter tot plenâ in eum manu congeſta beneficia nullum frequentius commendat, nullum ſæpius exprobrat, ac nullo nomine ſe ſæpius coli, celebrari, ac inanibus Gentium diis antehaberi poſtulat, quàm eò, quòd dejecto jugo ſervili populum illum ſelectiſſimum ſibi aſſeruerit. Solent Reges & Principes titulos ſuos maxime nobiles & inſignes præſcribere legibus; quo Auguſti nominis Majeſtate majorem ſibi & legibus ſuis ſanctitatem circumdent, & reverentiam concilient. Nota ſunt in Romanis monumentis nomina ſplendida, *Auguſti*, *Pii*, *Felicis*, *Germanici*, *Britannici*, *Parthici.* &c. Vanus & inflatus Oriens habuit, qui *Regum Reges*, *Gigantum Gigantes*, *Divinos*, *participes ſiderum*, *Patres ſolis & lunæ* ſeſe appellare non erubuerunt. At Deus Optimus Maximus, quo quicquid eſt titulorum & laudum, inferius eſt, cujus numen nulla verba exæquare poſſunt, in lege duarum tabularum, non conditor, non ſtator, non ſtabilitor rerum, ſed Dominus liberorum, ſed *libertatis vindex* voluit appellari, nullo ſe magis nomine commendans, quàm quod ſervitutem à cervicibus oppreſſorum removiſſet. *Ille ego Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto domicilio ſervitutis. Non habebis Deos alienos.* &c. Unde ipſa Dei inſtrumenta, quibus in aſſerenda populi ſui libertate utebatur, ipſe ſcilicet Moſes, Joſua, Simſon, Jair, aliique Liberatores & Meſſiæ uti vocantur, mundani, in oculis ferebantur à Judæis. Ipſe Gideon in tantâ gratiâ erat apud iſtum populum, ut ei propter vindicatam libertatem, & ingentes virtutes, hæreditarium deferretur à populo imperium, Quod ille tamen ſingulari pietate ac magnitudine animi abnuit, & neque ſibi neque liberis ſuis recipere voluit; *Non ego*, inquiens, *dominabor vobis, neque mei filii, ſed dominabitur vobis Dominus.*

Atque eà propter poſteà conſtituti Reges Saul, David, Salomon, &c. maximè à populo celebrabantur, quando illos ab invaſione vicinorum populorum & oppreſſione Tyrannorum proximorum intentatâ liberarunt, & in libertate conſervarunt, ut ſub vite ſuâ quilibet ſecurè & ſub ficu liberrime umbram capere potuerit. Sicuti & nihil gravius unquam Judæis fuit, quàm ſi ſervitutem Ægyptiacam vel poſteà Babylonicam memoriâ recolerent; Unde in gratiam illius liberationis feſta gratiarum actaria celebrarunt, & ne in ejuſmodi captivitatem iterum inciderent, ſeriò cavere voluerunt. Ut nil jam dicam de Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, qui

qui cùm in veteri, ſub umbris recenſitis, tum in Novo fœdere illam ob cauſam maximopere nobis commendatur, quod à ſervitute peccati, tyrannide Diaboli & jugo legis atque dominio mortis nos liberarit. Sane inter Chriſtianæ religionis munera haut poſtrema eſt libertas illa ſacra, quam magnus ille gentium Apoſtolus inculcat cum nos libertate uti debere atque frui jubet, ſiquidem illa obtigit, & vetat ſervos hominum fieri, quoniam pretio acquiſiti, & ſanguine Chriſti ab omnibus hoſtibus vindicati in pleniſſimam libertatem traducti ſumus. Ipſi etiam Gentiles lumine naturæ edocti in magno libertatem habuerunt pretio uti conſtat de Athenienſibus & Romanis, quod omnem moverint lapidem, ut Tyrannos expellerent, & ſe in libertatem priſtinam aſſererent. Hinc quoque eſt, quod feræ & barbaræ gentes tot bella geſſerint, & tàm acriter reſtiterint, ne jugum ſubirent vel mitiſſimi ac optimè morati populi, à quo frangi & domari ipſis profuiſſet. Tantum ſcilicet libertatis amorem natura barbarorum etiam animis ingeneravit, ut malint mortem oppetere, aut inopem & rationis expertem modò liberam vitam degere, quàm opibus inſtructi & ad humanitatem formati ſervire. Imò verò nemo unquam mortalium naturam optimam ducem ſecutus, quicquam in vitâ melius libertate, quicquam pejus ſervitute exiſtimavit. Cum verò multa ſint ſervitutum quaſi genera, neſcio an ullum pejus ac deteſtabilius dici poſſit, quàm illa ſervitus domeſtica, quâ Pater familias ſuæ ſe ſubmittit uxori, ad nutum & placitum ipſius omnibus ejus deſideriis velificaturus. Sane ſi Gentiles Tyrannorum imperium intolerabile & omnibus modis excutiendum judicarunt, multò intolerabilius & illaudabilius eſt mulierum imperium, quod vel vi vel clàm, vel precariò hodiè ferè ubique in maritos exercent. Quod præſtantiori & ſapientiori, meliorive, aut fortiori, ſe aliquis ſubmittat, eique obedientiam quaſi præſtet, id vel natura nos docet, ſed quod maſculus ſexui imbecilliori, rationis ferè experti, affectibus mancipatoo & rationis regimen præ nimio perturbationum animi dominio non admittenti, nullâ conſtantia ac animi firmitate prædito ſe ſubjiciat, id contra omnem naturam & rationem etiam eſt. Et tamen hoc hodiè communiter videmus fieri, etiam in illis provinciis, quæ multo ſanguine & diuturnis per ſeculum fere durantibus bellis à jugo ſpinoſo & inquiſitione Tyrannicâ ſe vindicarunt, & libertatem religionis ſeu ſpiritualem pariter atque civilem ſibi aſſeruerunt. Verum enim verò non facile adduci poſſum ut credam, ullibi terrarum plura uxorum mancipia, eaque infimi generis reperiri quam in illa liberrimâ, uti putatur, liberrimè per aquas & terras vagante Republicâ, cui nullum regnum etiam remotiſſimum clauſum eſt. Quo ipſo non poſſum non in memoriam mihi revocare, quæ

Romanorum celeberrimus Orator in ſuis Paradoxis nobis reliquit; quando inquit: *An ille mihi liber eſt, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat, quod videtur, qui nil imperanti negare poteſt, nil recuſare audet; poſcit, dandum eſt, vocat, veniendum, ejicit, abeundum, minatur, extimeſcendum, ego vero iſtum non tantum ſervum, ſed iniquiſſimum ſervum etiamſi in familia ampliſsima natus ſit, appellandum puto.* Negari quidem non poteſt, non minimam eſſe artem regere imperio i. e. bene regere fœminam, animal contumax, rebelle & ſuopte ingenio tàm ambitioſum, quàm alieni imperii impatientiſſimum, cui ſemper ob oculos illud Julii Cæſaris axioma: *Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.* Sed vigilantia hic opus eſt, & ſtrenue laborandum ne in principio imperium uxori tradatur, aut more ſolito occupanti relinquatur. Uti enim ſe habent principia ita ſe habent cœtera, uti in proverbio eſt, & nota eſt regula Medicorum: Vitium primæ concoctionis non corrigitur neque in ſecunda, neque in tertia. Ergo

Principiis obſta, ſero medicina probatur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Quando verò ab initio fundamenta bene fuerunt poſita, ut bene & cum ſolicitudine continuetur, opus eſt. Vult enim anxiè conſervari, & poſcit ſui curam, ac quandam ſed nobilem & generoſam ſervitutem libertas hæc maritorum domeſtica. Neque enim fieri poteſt ut illud divinum bonum, cui tantæ ſunt ab uxoribus inſidiæ, contemtim ac negligenter habendo, conſervari poſſit; neque ut dignetur ingratos & injuſtos ſui æſtimatores. Si negligenter tueare, tranſibit ad uxores, & ſic ſerò docebit, quantum bonum fuerit omiſſum. Sicuti verò ſemper & utique inveniuntur fœminæ, quæ ambitione præcipites actæ maritorum libertatem everſum iverunt, ita nunquam etiam ejuſmodi ſervilia ingenia, qui deſidiâ ac luxu effæminati quaſi jugum illud uxorium pronis humeris accipiunt, ac perferunt. Quamvis hi ignavi pœna, quam ſibi propriis vitiis acceſſiverunt, non indigni videantur, atro tamen etiam carbone notandæ omnes fœminæ, quæ improba regnandi face concitatæ miſeros maritos circumveniunt ac opprimunt. Hujuſmodi monſtra in ultimas terras deportanda & ad Garamantas releganda exiſtimo, ne inter Chriſtianos amplius reperiantur, quia naturam, rationem & ſcripturam ipſam divinam & verbis & factis impugnant. Literæ ſacræ maritis dominium aſſignarunt, & abhorrent ab illis conjugiis, uti ordine inverſo uxor faſces imperii tenet. Si verò in cauſam hujus perverſi moris exacte inquirere ſatagimus, præcipua certe eſſe videtur illa communis opinio in animis hominum radicata, quòd mulier æquale jus habeat cum marito, & ſicu-

cuti uxori non liceat pluribus nubere, ita nec marito liceat plures ducere uxores, adeo ut ſi maritus hoc faciat, uxori integrum ſit violati fœderis & capitis maritum accuſare. Sapienter olim in Republ. Romana pariter ac Judaica ſtatutum, ne uxori liceat maritum ſuum accuſare, marito verò liberum erat uxorem propria autoritate condemnare, repudiare, apud Hebræos etiam propter edulium aduſtum, debitum conjugale nimis clare, audientibus videlicet vicinis deſideratum, & alia minima, ut ſcilicet uxores ſemper in timore & reverentia erga maritum continerentur. Hodie vero tot prærogativæ & tanta privilegia conceſſa ſunt mulieribus à Juſtiniano, aliisque Regibus & Imperatoribus uxoriis, ut maritus vix hiſcere aut caput erigere queat, & ad adulteria uxoris tacere, connivere teneatur, quià eadem jura utrique ſunt conceſſa & marito qui ſæpè etiam extravagatur, eadem ſunt metuenda. Olim marito permiſſum erat in virginitatem ſponſæ, integritatem uxoris inquirere, ſacrificium Zelotypicum inſtituere, quod uxori non licebat, ſiquidem ille plures ducere uxores, primâ inſcia, & invitâ quoque poterat; uxor verò non. Hodiè verò ea omnia alto ſilentio quaſi ſunt ſepulta, & æqualitas illa contractus maritalis Chriſtianiſmo perſuaſa & veluti obtruſa. Sane in Novo Teſtamento majori libertate gaudendum eſſet, ſed major ſervitus introducta: dum æquale jus ex malè intellectis verbis Paulinis utrique conjugum adjudicatum eſt, & maritus uni tantum uxori mancipatus quaſi vivere ſæpè miſerè tenetur. Polygamiâ vero permiſſa verus honor maritis, vera libertas, vera prærogativa redditur. Certabunt enim plures uxores circa benevolentiam mariti acquirendam, & conſervandam, & nil intermittent eorum, quæ ad continuationem illius ullo modo facere videbuntur; cum hodiè uxor poſt matrimonium per benedictionem ſacerdotalem conſummatum palàm manifeſtat, atque delicias quærendo, otio indulgendo, obloquendo. imperando, debacchando maritum ſæpè adeo cruciet, ut non libenter domi maneat, ſed extravagando in popinis, & diverſoriis ſolatium quærat, & cum maximo Oeconomiæ damno, vitam ſuam conſumat. Quia enim mulier optimè novit maritum, quicquid etiam agat, nullum ferè repudium inſtituere, aut aliam uxorem ducere poſſe, ſed ſibi ſoli eſſe adhærendum, & tandem poſt multas fruſtraneas extravagantias, ut ita dicam, & excurſiones, aut itinera inſtituta marito redeundum eſſe domum; nullo benevolentiæ ſigno ipſi occurrit, ſed potius à marito adorari & velut idolum auſterum & fulminibus minax coli deſiderat. Si vero merito Polygamia concederetur, hujus vel illius uxoris fulmina bruta floccipenderet, & alterius uxoris ſecundæ ſcilicet, uſque dum prima ad frugem redeat, deliciis frueretur. Cum itaque nulla major ſit ſervitus, quàm ſervire uni uxori, nul-

la major etiam erit libertas, quàm gaudere pro libitu pluribus. Quæ incomparabilis, & omnibus maritis merito exoſculando aurea libertas cum naturæ, ſanæ rationi, & ſcripturæ ſacræ ſit conſentanea, & à Theophilo Aletheo in diſcurſu Politico in gratiam maritorum aſſerta, neſcio annon ſumma ingratitudo & deteſtanda malitia ſit, quum Theophilum prælaudatum, in cujus tractatum, cum illi per alia negotia tempus non ſit, notas præſentes confeci, illius ceu amici oculiſſimi famam vindicaturus, convitiis proſcindere, contumeliis onerare, verbis & factis directe perſequi, condemnare, omnibus dehonoſtare modis, vitaque indignum judicare, atque ea propter Magiſtratui, cum verbis & ſcriptura ſacra convincere non poſſint, committere hoc ſatagunt. Certe ſi quicquam Chriſtiani non dicam, ſed virilis tantum ſanguinis ineſſet viris, omnes ſane maſculi manibus portare Theophilum obligati eſſent, quod ex ſervitute Monogamica in libertatem Polygamicam illos aſſeruiſſet. Sed ſic mos eſt ſeculi, hæc conſuetudo eſt mundi, ut pro maximis beneficiis maleficia peſſima reddat. Sane non poſſunt ſatis decantari aut verbis ſaltem etiam exquiſitiſſimis exprimi beneficia, quæ miniſterio Theophili in omnes non dicam Chriſtianos ſed maſculos tantum fuerint collata. Salarium vero idem eſt ac primorum Chriſtianorum, ut Thedoretus memorat, nempe cruces, perſecutiones, vivicomburia, atque plura, ſi poſſent. Dei vero providentia factum eſt, ut Theophilus contra omnes inſultus Diaboli illæſus evaſerit, & ubique, contra machinationes & verſutias, quas veritatis hoſtes & Diaboli mancipia ubique ſtruxerunt, triumpharit. Surrexerunt quidem nonnulli, qui ſcriptis laceſſere & futilitate atque inanitate verborum Theophili diſcurſum arrodere laborarunt. Inter quos tres præcipui ſunt, qui viri quidem in materna linguâ audiunt, ſed viri nomine non digni ſunt dum virilem ſexum omnibus prærogativis, privilegiis, præeminentiis ſpoliant, in ſervitutem Monogamicam detruſum alligant, & relinquunt, & ſibi ipſis maxima exinde mala conciliant. Peſſimus vero eſt ille homo, inquit Salomon, qui ſibi damna creat. Theophraſtus Paracelſus, ut Giſbertus Voëtius in Diſp. Sel. T. 1. narrat. quatuor genera hominum eſſe exiſtimat, quorum quidam ex terra ut nos, alii ex aëre, alii ex aqua, alii ex igne etiam nati eſſent. Sane illi tres viri non viri ad reliquas tres ſortes hominum pertinere videntur. Primus enim in campo, unde nomen ſortitus, ſeu libero aëre in liberrima Republica ſi non natus ſaltem ſuſtentatus & ſalario præter ſolitum honoratus fuit. Alter viri nomine cum rivo aut ſtagno potius compoſito gaudet, & prope notiſſimi fluvii Germaniæ ejuſque candidiſſimi nomine & re habitat, & in priſtino ſcholari deſudat. Tertius Vir, qui ab igne ejusque ardore nomen ſortitus, inter filicernia decrepita in frigidiſſimis

mis fere regionibus vitam degit, & Hoſpitali vetularum docendo præeſſe dicitur. Omnes hi tres viri, aut potius non viri in hoc convenire videntur, quod virilem ſexum de gradu deturbare, in piſtrino Monogamico relinquere, mulierum malitiam & imperandi pruritum promovere, & omnia mala Chriſtianitati aliàs multis calamitatibus obnoxiæ accerſere ſatagant. Et ſane nil peſtilentius hoc hominum genere Diabolus excitare potuiſſet. Quod ipſe dum mecum perpendo altius, non poſſum non in memoriam mihi revocare Epitaphium illud in ejuſmodi monſtrum Anti-Polygamicum ab amico Magni Viri intimæ admiſſionis confectum, & mihi tranſmiſſum, quod ita ſe habet:

Sub hoc lapide jacet ſepultus homo non homo, vir non vir, mulier non mulier, liber non liber, Ἀνδρόγυνος *an* γύνανδρος certatur, ſanè γυναικοκρατέμενος *Semideus an Semi homo*, aut *Semidiabolus* diſceptatur, certe *Diabolus incarnatus, hominum multiplicationi invidens, hominis naturam evertens, ejuſque generationem impediens, hominis nomine indignus, virorum vires deſtruens, mulierum naturam contra naturam evehens, hoſtis Dei & hominum adeo ut nec virilis nec muliebris ſexus, nec diabolus ipſe ſub cenſu habere deſideret, metuens, ne inferno ipſi leges imponat ſicuti Chriſto, Salvatori noſtro, novas affinxit leges, Spiritus S. verba reformavit, Apoſtolorum mentem malitioſè dementavit. Mancipium* Diaboli. *Adjutorium* Satanæ *cui Pater* Abaddon, *mater* Alecto, *nomen* Legio, *nutrix* Megæra. Scilicet horrendum monſtrum ac ingens, cui lumen ademptum, *aſini ſepulturâ digniſſimum, & ſi viveret, in Aſinariam aut Utopiam relegandum.* Quæ quia ingenio non carent, equidem hæc inſerere volui, optimâ ſpe fretus, fore, ut moderni ſimul atque priſtini Anti-Polygami lectis theſibus non tantum Theophili ſed & meis annotationibus ſententiam mutent, & conſiderent, quàm infinita mala ex Polygamiæ prohibitione propullulent, ut cum inaudita damna ex Monogamiæ abuſu oriantur, in contrarium eatur, & Polygamia promiſcuè permittatur. Atque hoc pacto fiet, ut imperium muliebre, quo nil gravius, ut ex pœnâ Judæis infligendâ Eſ. 3. 12. conſtat, minuatur, & à cervicibus maritorum maximam partem removeatur. Quod uti optimâ ſpe præcipio, ita nil magis in votis habeo, quàm ut Benevolus lector, ſi quæ irrepſerint παρέργματα etſi non omnia tam clare & dextre uti quidem debebatur, explicata ſint, humanitati condonet, & ab homine non eſſe alienum errare exiſtimet, atque non tam mihi, quàm negotiorum multitudini, atque febri quartanæ, quâ hactenus laboravi per ſex menſes & quod excurrit, aſſcribant.

Diffitendum enim mihi non eſt, me eapropter verborum elegantiam aut accuratam periodorum connexionem non attendiſſe, ſed res ipſas modò ob oculos habuiſſe. Quæ non permittebant, ut Ciceroniana facundia

adhiberetur; præſertim cum à Benevolo Lectore eadem etiam non quæratur in hâc materiâ Theologico-Politicâ. Momis & ſciolis, qui ſortean in has chartas incident, nil aliud repono, quam illud πολυθρύλλητον: ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι Antipolygamis verò placidis ſimul atque protervis aliam, eamque defecatam, moroſam, omniaque benè conſiderantem mentem apprecor ne veritatem ulterius contra propriam ſcientiam & conſcientiam impugnent, memores illius dicterii.

Si quid noviſti rectius iſtis

Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

DISCURSUS
DE
POLYGAMIA.

THESIS I.

POlygamia ſimultanea virilis, quæ nil aliud eſt quam conſenſus (non ſcortatorius, non adulterinus, ſed) connubialis unius Mariti cum pluribus uxoribus, *Tantum abeſt ut juri naturæ & gentium, juri divino ut & juri civili contrarietur, ut potius cum omnibus exactiſſime concordet, adeò ut non tantum omnes homines inſigniter delinquant ſed præcipue Magiſtratus cùm Politicus tùm Eccleſiaſticus enormiter, & hodiè poſt tantam lucem ex hoc diſcurſu omnibus legentibus ortam, inexcuſabiliter in omnia jura peccet, qui illam improbare, impugnare, impedire capitaliter prohibere, vel non omnibus modis promovere velit*, ut è ſequentibus patebit.

1. *Conſenſus* in principio ἄνευ προοιμίων ϗ παθῶν Theophilus Aletheus παχυλῶς & rudi, quòd dicitur, Minervâ lineolis pauciſſimis hunc ſuum diſcurſum Politicum in chartam conjecerat, non eo ſane animo, ut in publicam ſalivam emanaret, ſed ut hoc deſiderantibus Patronis & amicis, apud quos per occaſionem non raro hujus rei fiebat mentio, legendum communicaret, & cum nunquam redderetur, ac ſæpe numero ex memoriâ iterum iterumque deſcribere pro aliis neceſſe haberet, ſub manu inopinatò crevit, donec tandem in folia aliquot extenderetur, & inſtinctu prædictorum, nihil immutando, ſed ut Deus ſuggeſſerat, ut tempori parceretur, & ſumtuum compendium fieret, prælo fuerit commiſſus. Ideoque ſtatim abſque ullis ambagibus, & evolutionibus Etymologias, Homonymias, & Synonymias, erudito orbi ſatis notis, incipit, quod *Polygamia ſimultanea virilis* (ad diſtinctionem *ſucceſſivæ*, hodiè non amplius controverſæ, & *muliebris* Deo, naturæ, ſanæ rationi, omnibus gentibus, legibuſque divinis & humanis exoſæ & damnatæ,) ſit conſenſus (non ſpurius nothus & laſcivus, ſed purus, genuinus, caſtus & matrimonialis) prout ICTI etiam dicunt, quod plenus & liber conſenſus contrahentium utriuſque partis (verbis vel literis, vel aliis quibuſcumque mediis & factis extrinſecus expreſſus) cum alias non conſenſum ſed ſimul ſenſum ſit, *Hahn ad VVeſenbec. tit. de rit. nupt. n.* 1.) in unionem animorum primario & conſecutivè etiam corporum faciat matrimonium, quale etiam eſt Polygamia, Unde & contractum vocant, (qui ſecundum *Morphium de Contr. p.* 4. eſt ultrò citroque mutua obligatio ex voluntate & pacto partium ſurgens) non obſtante quod non ea omnia quæ in aliis contractibus, reciproco diſſenſu iterum reſcindi poſſunt, hic inveniantur. Habet enim

hic contractus hoc peculiare, ut non mutuâ voluntate, ſed nonniſi per adulterium, ubi actu ipſo diſſolvitur, deſertionem malitioſam aut alias prægnantiſſimas cauſas annihiletur. Eſt tamen & manet verus propriè, non analogicè & largè ſic dictus contractus & quidem *Politicus*, uti in omnibus Compendiis Politicis, cum de Societatibus agitur, ſtatim ab initio anſpicium ſumitur ante omnia de ſocietate conjugali, ceu fundamento omnis Politiæ, unde & poſtea in Politicâ ſpeciali ſeu jure noſtro de hac conventione iterum incipitur, ita ut verum ſit: Ubi deſinit Politicus, ibi incipit ICTus) quando conjuges matrimonialem contractum: (*Do tibi amorem, corpus meum, ut des mihi iterum animum & corpus tuum:* ineunt, conjugalique copulatione una caro efficiuntur Gen. 11. 24. *Agathoſa Can.* 27. *q.* 2. *Canone admonere* 33. *q.* 2. *Can. Porro* 35. *q.* 5. Nec malè aliquis fecerit, ſi quis matrimonium ad contractus innominatos, *Do ut des*, ſalvo tamen aliorum judicio referat. Quinimò, utut permagna nuptiis cum aliis contractibus intercedat ſimilitudo, perſonarum tamen, quæ matrimonium ineunt, libertas, & ipſum inſuper ſtipulationis nuptialis objectum, quatenus non de corporum tantùm, ſed animorum etiam copulatione agitur id omnino efficiunt, ut matrimonium reliquos contractus omnes quaſi tranſcendat & ſupergrediatur. Unde illis non malè contradicit Chryſoſt. hom. 74. in Matth. qui nuptias ſimpliciter συνάλλαγμα dicunt, ac curioſè nimis tabulas & cautiones dotales, non aliter ac ſi de emendo & vendendo ageretur adhibent, Vid. *Habn. ad VVeſenb. tit. de rit nupt. n.* 3.

2. Eſt autem matrimonium & conſequenter Polygamia *contractus pure Politicus* ad ſolam Politiam ſpectans, omnibus Politiis Gentilium, Judæorum, Mahumedanorum, ac Chriſtianorum, quoad eſſentialia communis, uti in dedicatione & th. 90. aſſertum à *Theophilo*, quod nonnulli *Anti-Polygami* maximopere, taxarunt, præſertim *Autor Monogamiæ victricis* in ſuâ ante triumphum decantatâ victoriâ, non in cerebro Jovis, ut Minerva ſed Plutonis, ut Proſerpinâ, natâ, qui mirum in modum paratragædiatur, quod Theophilus vocet matrimonium *contractum purè Politicum*, & putat illum velle exinde ſtabilire ſuam Polygamiam. Quanquam enim verum ſit, quod conventio poſſit fieri inter virum & uxorem, ut præter ipſam aliæ quoque mulieres viri ſint maritæ, & nihil iniquè fieri, promiſſione, quæ interceſſit ſervatâ, nunquam tamen in mentem venit Theophilo, nec probari poteſt ab *Autore victoriæ cantatæ ante triumphum*: quod Theophilus ex eo, quod matrimonium ſit *contractus purè Politicus* voluerit Polygamiam (neque etiam potuit, ſunt alia principia, ex quibus demonſtrat) probare, multò minus ex hoc ipſo, quod ſit contractus Politicus, voluit deducere, *ut autor victoriæ famoſæ* (qui ſenſa animi, quod ſolius Dei eſt, ſcrutatur) autumat, quod hit contractus mutuo diſſenſu ſit diſſolubilis. Siquidem Theophilus expreſſè fatetur, atque πὺξ καὶ λὰξ defendit; quod hic contractus habeat hoc ſingulare, ut reciprocâ voluntate non poſſit dirimi, Sicut enim omnes contractus in genere quidem conveniunt, ut ex definitione patet, in ſpecie vero differunt; & quilibet ſibi aliquid particulare ſervat, quod alter non habet, ita & contractus matrimonialis habet hoc eximium, ut nullo modo, niſi ob adulterium & malitioſam deſertionem ſit diſſolubilis, adeoque non opus ut ab *autore captatæ ante triumphum victoriæ* adducantur dicta Matth. 5. & 19. Marc. 10. 1 Cor. 7. quod vir non debeat dimittere uxorem, ſiquidem Theophilus non negat, ſed omnibus modis aſtruit indiſſolubilitatem, utpotè ex jure naturæ reſultantem, neque etiam negat, *conjugium eſſe ordinationem & copulationem divinam, ac prudentem uxorem eſſe à Deo, Prov.* 19. Rex Prudens etiam eſt à Deo, & nexus inter Regem & ſubditos eſt etiam ordinatio & copulatio divina, nihilominus tamen etiam eſt conventio inter Regem & ſubditos purè Politica, non Eccleſiaſtica (invenitur enim quoque inter Gentiles, ubi nulla Eccleſia, uti matrimonium) Opponitur hic *tò purè Politicum* non divinæ providentiæ, ordinationi & directioni, quæ in omnibus rebus conſpicua admittenda eſt, ſed dependentiæ ab Eccleſiaſtico jure & Eccleſiâ, quæ quidem inter Chriſtianos in coronationibus Regum & copulationibus deſponſatorum

ſuas

ſuas adhibet ceremonias, non tamen ſummè & abſolutè neceſſarias, ſed in ſe & ſuâ naturâ adiaphoras, libere uſurpatas & introductas. Adeò ut *autor ementitæ Victoriæ* peſſimè contractum purè Politicum putet eſſe ex mente Theophili idem ac purè humanum inventum, de quo tamen cum Politiæ etiam ſint à Deo, Theophilus nunquam ſomniavit; Pejus adhuc facit *autor emendicatæ Victoriæ*, quando *conditionem de admittendis pluribus fœminis eſſe additionem* dicit *eſſentiam conjugii, quale in primævo ſtatu fuit, & in N. T. adhuc conſpicitur, perimentem.* Ratio quippe adducta eſt nullius ponderis, quia ſcilicet matrimonium eſt *indiſſolubilis divinâ inſtitutione conjunctio in unam carnem.* In Polygamia enim cum qualibet uxore manet indiſſolubiliter conjunctus in unam carnem Polygamus, & ſemper animo unitur cum qualibet, corpore verò quando vult. Hæc namque unitio corporis in actu carnali, nec poteſt nec debet, uti quidem animi, unitas eſſe perpetua. Nec hæc indiſſolubilis conjunctio in unam carnem, cum pluribus repugnat divinæ inſtitutioni; ceu Theophilus in toto diſcurſu ſufficienter probavit. Deinde non opus eſt, ut conditio de non admittendis pluribus uxoribus in contractu cum primâ conjuge addatur. Habet enim maritus hoc jus à Deo & naturâ ipſi conceſſum, ut non teneatur primam uxorem rogare an velit admittere plures uxores; Sive enim aſſentiat ſive non, perinde eſt, utpote quæ juxta Dei effatum, Gen. 3. *voluntas tua ſit ſubjecta tuo marito & erit tuus Dominus*, non habet poſt matrimonium contractum *integram & propriam voluntatem, ſed limitatam, reſtrictam, à voluntate viri dependentem, & cum hujus voluntate ſemper in omnibus conformandam*, adeò ut mulier ὕπανδρος 1 Cor. 7. *Cæcam* quaſi, ut ita dicam, *obedientiam* ſuo marito teneatur præſtare in omnibus, 1 Petr. 3. Sicuti enim comparatum eſt cum reliquis ſocietatibus Politicis herili & Paternâ, ubi herus, alliciens ſibi ſervum, non tenetur contractui inſerere, quod non plures velit quærere ſervos; nec primogenitus poteſt conqueri de injuriâ, quod Pater plures generaverit Filios, multò minus, cum adultus fuerit, Patrem impedire, quò minus plures ducat uxores & plures generet liberos. (Hoc enim eſt *natura omnium ſuperiorum*, ſeu ut Auguſtinus loquitur, *quæ principantur, ut plura habeant inferiora*) ita etiam ſe res habet cum tertiâ aut potius primâ ſocietatum Politicarum, conjugali, ubi maritus, ceu ſuperior uxore, poteſt citra conſenſum primæ uxoris plures ſibi aſciſcere conjuges. Præterea falſum eſt, admiſſionem plurium fœminarum eſſentiam conjugii, quale in N. T. & primævo ſtatu erat, perimere. Neque enim alia eſt eſſentia conjugii in primævo ſtatu, alia tempore Patriarcharum & populi Judaici, alia ſub N. T. Certè vera erant conjugia, quæ Abrahamus, Jacob, Elkana, David, Salomon aliique cum pluribus inierunt, nec eſſentiam conjugii interverterunt. Deinde in N. T. Polygamia nullibi eſt prohibita, ceu Theophilus in ſuo diſcurſu Latino & Germanico ſatis probavit; Inſuper primævo ſtatui & Monogamiæ Adamicæ non repugnat Polygamia. Exemplum enim Adami nil probat, & huic exemplo Monogamico opponi poſſunt alia Exempla Polygamica, *Abrahami* ſcilicet Patris omnium credentium, *Jacobi* tanti Patriarchæ, familiaris Dei amici *Elkanæ* tanti Prophetæ, ex Polygamiâ nati Samuelis puta, Patri, *Davidis* viri ſecundum cor Dei viventis, Salomonis Regis ſapientiſſimi, & Deo alias, uſque ad Idololatriam gratiſſimi. Ulterius etiam falſum eſt, quod *autor fabuloſæ victoriæ* dicit, conditionem adjectam contractui de admittendis pluribus uxoribus repugnare formæ contractus, etſi adjiciatur haberi pro non adjectâ. Satis enim probavi, conditionem illam non eſſe adjiciendam, & *haberi quidem, ſi adjiciatur, pro non adjecta*, concedere poſſem, ſed non ex mente adverſarii, & propter ipſius rationem adductam, quod ſcilicet repugnet formæ contractus; Sufficienter quippe demonſtratum, maritum poſſe cum pluribus contrahere citra conſenſum prioris, etſi vel maximè in contractu primo promiſerit, non tenetur in malè promiſſis, ſcripturæ ſacræ & naturæ contrariis ſervare fidem, adeoque hoc contractus connubialis formæ non præjudicat. Altera ratio ab *autore fictæ Victoriæ* etiam eſt nullius momenti, cum dicit, non

non magis eſſe in poteſtate uxoris Polygamiam viro permittere, quàm permittere ut ipſam interficiat, aut membratim dilaniet. Seipſum enim defendere & vitam ſuam conſervare juris naturæ, quod omnia animalia norunt, & ab homine ſalvâ ἑαυτοφιλίᾳ à Deo ipſo commendatâ négligi poteſt; Nullam verò poteſtatem, uxor quoad admiſſionem plurium uxorum habet in virum, adeoque non opus eſt, ut uxor hoc jus quod ipſa non habet, conferat in virum, ſiquidem clariſſimè evictum, maritum propriâ autoritate, in ſuâ priore uxore poſſe cum pluribus, ut exempla Polygamica docent, contrahere, & jus hoc ſibi ſoli, non uxori competens, & à Deo, qui nullâ lege prohibuit, conceſſum uſurpare, ita ut hac ex parte non ſecundum ſuum ſolum agat arbitrium, ſed ſecundum voluntatem Dei in ſcripturâ revelatam. Denique quod *autor Ovidianæ victoriæ* inſinuat, quod jus, uti fingit, Monogamicum, uxori competens datum ſit à Deo ad munditiem pudicitiamque conſervandam, non ad ſtuprum lenociniumque, quibus Polygamiam tectè notat; Ibi ſciendum, quod in Polygamiâ major mundities pudicitiaque ſervari poſſit, quia pro fine habetur procreatio ſobolis, & cum unicâ uxore ob perpetuum concubitum plus impudicitiæ & immunditiei ſæpè committitur, quàm cum pluribus, ſi non vivitur caſtè & exceditur modus εὐνῆς γαμικῆς. Poteſt enim vir cum propriâ uxore ſcortari & adulterium committere, ut Moraliſtæ docent, inferius adducendi. Nec video, quomodo Polygamia ſtupri & lenocinii nomine cum ſit matrimonium veniat: Itane Patriarchæ Abraham, Jacob, inter ſtupratores & lenones numerandi? Quod quàm abſurdum ſit nemo non videt. Atque ſic affaniæ, quas *autor victæ victoriæ* affert, ſatis ſunt repulſæ.

3. Deinde ſunt & alii Antipolygami, qui nullâ indictâ causâ acerrimè invehunt in contractum *purè Politicum* à Theophilo aſſertum. Illi fortean in cerebro, ut ſolent, concepêre Antichriſtum, qui matrimoniorum, an licita illicita, cognitionem, vel quæ erat olim Principum & populi, ſuam fecit, & omnes caſus connubiales, eorumque *computationem tempore Gregorii M. & Zachariæ Pontificum receptam* ſecundum jus ſuum Canonicum decidi voluit, & ſub ac obreptitiè conniventibus Principibus obtinuit: ut obſervat *Cujac. ad rubr. tit. 10. de conſangu. & affin.* Poſſunt quidem tres Hierarchiæ ex quibus Eccleſia conflatur, pro lubitu vel Politicis tantùm matrimonialia committere, vel Politicis & Eccleſiaſticis ſimul, ut in pleriſque Conſiſtoriis Germanicis Orthodoxis fieri ſolet, vel clericis tantùm, ut in regno Septentrionali conſuetum eſt. Sed ſi aliqua Hierarchia, præſertim cui non niſi ex permiſſione competit, cæteris invitis velit ad ſe ſolam rapere, neſcio an non aliquam Tyrannidem Anti-Chriſtianam ſaperet. Tutiſſimum eſt *Politicis ſimul & Eccleſiaſticis* hanc poteſtatem decidendi controverſias matrimoniales concedere, præſertim cum multæ leges connubiales in ſcripturis reperiantur, quæ fundamenti inſtar omnium caſuum ejuſmodi habentur. *Scriptura ſacra* enim eſt talis *liber*, ex quo ſua præcipuè haurit *Theologus*, ſua etiam *Politicus*, ſua *Medicus*, ſua *Philoſophus*, ſua *Geographus*, ſua *Chronologus*, ſua *Mathematicus*, ita ut nullus horum, ſi Chriſtianus audire avet, aliquid ſtatuat, quod ſacris literis contrariari queat. Neque igitur vitio vertendum erit, ſi Chriſtianus Magiſtratus in re conjugali illuc recurrat, atque ſubſidium à θεοδιδάκτοις petat. Tantum verò abeſt, ut proinde articulus de conjugio pro articulo fidei æſtimetur, & qui peculiarum aliquam de conjugio ſententiam foveat, protinus pro hæretico, aut hæreſiarchâ aut peſſimo hæreticorum diffametur, (quibus nominibus *Theophilum* callutularunt. Nonnulli Antipolygami, qui vel neſciunt, quid ſit hæreſis, aut nolunt ex malitiâ ſcire, aut putant Theophilum neſcire, & ſecundum Cacoëthes in Eccleſiâ ſemper fere uſitatum, ut ex Auguſtino & Epiphanio conſtat, omnes alios qui non ſunt communis opinionis, illico pro hæreticis habent.) Ut nihilominus ſit *contractus verè & purè Politicus*, quantumvis in Compendiis Theologicis peculiariter articulus de conjugio pertractetur & in templo à ſacerdote copulatione ſacrâ deſponſali conjungantur, qui tamen non incongruè in libera Rep. Inferioris Germaniæ in curiâ à Secretario, (& hoc conjugium eſt ratum ſimul, atque legitimum) per inſcriptionem

com-

combinantur, non tantùm ad demonſtrandum eſſe actum Politicum, ſed & ad abolendum jugum Anti-Chriſti, qui ex conjugio ſacramentum ad exercendam eò melius in toto Chriſtianiſmo Tyrannidem fecit, & quia ſacramenta non niſi à ſacerdotibus adminiſtrari ſolita, ſacerdotalem copulationem ſub *Sotere* Papâ introduxit, & mundo Chriſtiano, ceu rem ſummè neceſſariam, invitis Magiſtratibus, ad quos tamen omnis circa matrimonium directio pertinet, obtruſit. Sicut autem articulus de Magiſtratu, qui etiam in Syſtemate Theologico ventilatur, non illicò in articulum Fidei migrat, etiamſi ſæpè in inaugurationibus, coronationibus & inunctionibus Regum Epiſcopi & Archi-epiſcopi adhibeantur, nihilominus eſt Politica conventio, quà Rex, ſeu Magiſtratus mutuâ obligatione interveniente cum ſuis ſubditis quaſi contrahit: ità etiam ſe res habet cum conjugio, quod inter contractus purè Politicos meritò numeratur, non obſtante, quod in Locis Communibus Theologicis explicetur, & ſacris ritibus à miniſtro Eccleſiæ conſummetur. Quod etiam confirmat D. Lutherus in puerili ſuo Catechiſmo, quem Antipolygami ſi legiſſent, aliter ſenſiſſent. Ita autem in fit: So manches Land / ſo manche ſitten ſagt das gemeine Sprichwort / darumb dieweil die Hochzeit und Ehſtand ein Weltlich geſchäft / oder ding iſt / gebůhrt uns Geiſtlichen und Kirchen-Dienern nichts darin zu ordnen und zu regiren / ſondern laſſen ein jeglichen Statt und Land ihr gewohnheit / es gehet uns nichts an. Ettliche führen die Braut zweymahl zur Kirche / beyde des Abends und des Morgens. Etliche nur einmahl / etliche verkůndigen / und bieten ſie auff zwo oder drey wochen zu vor. Solches alles und dergleichen laß ich Herrn und Rah†t ſchaffen und machen wie ſie wollen / es geht mich nichts an. Aber ſo man von uns begehrt / ſie vor der Kirchen / oder in der Kirchen zu ſegnen / oder vor ſie zu bitten / oder ſie zuſammen zu geben / ſind wir ſchuldig ſolches zu thun / darumb hab ich dieſe Wort und Weiſe wollen ſetzen / denjenigen / die es nicht beſſer wiſſen / ob ihnen gelůſte einträchtiger weiſe mit uns hierin zu halten. Die andern / die es beſſer wiſſen / und beſſer kőnnen / i. e. die allerdings nichts wiſſen / und ſich doch důncken laſſen / das ſie es alles kőnnen / bedůrfen dieſes meines dienſtes nicht / ohne allein / das ſie darůber Klůgeln / und es meiſt an mőgen / die ſollen ſich ja fleißig hůten / das ſie mit niemand was gemein haben / man mőchte ſonſt dencken / ſie můſten von andern Leuten etwas lernen / das wehre ihnen ein ſchand / dieweil man nun mit den Můnchen und Nonnen ſo ein groß geprång mit ihren einkleiden getrieben / da doch ihr ſtand und weſen ein Ungőttlich und lauter Menſchen gedicht iſt / das keinen grund in der Schrifft hat / wie viel mehr ſollen wir dieſen Gőttlichen ſtand ehren / und ſegnen / auch darůber bitten / wiewoll er ein Weltlicher ſtand iſt / ſo hab er doch Gotts Wort vor ſich / und iſt nicht von Menſchen geſtifft / wie der Nonnen ſtand. Quod in Latino ſermone ita ſonat: *Qualibet provincia habet ſuas conſuetudines. Quia itaque conjugium eſt res Politica, non convenit nobis miniſtris Eccleſiæ aliquid hic ordinare, ſed relinquimus cuilibet urbi & nationi ſuas conſuetudines, quia ad nos non pertinet. Aliqui ſponſam binis vicibus deducunt ad templum, manè & veſperi; alii ſemel tantùm. Alii denuntiant bis aut ter plublicè è ſuggeſtu. Hæc & ſimilia*

committo Politicis & curiæ pro lubitu. Ad nos non ſpectat. Verum ſi quis à nobis deſiderat, ut illis ante vel in templo benedicamus, pro illis oremus, aut copulemus, ſumus obligati ut faciamus, Quapropter hæc verba aut hunc modum apponere volui, pro illis, qui non melius ſciunt, ſi forte placeat concorditer hac in re nobiſcum conſentire. Reliqui, qui melius ſciunt, aut norunt, i. e. qui prorſus nil norunt, ſibi tamen imaginantur, quaſi omnia norint, non egent meo officio, niſi quod ſapientiores, momi inſtar, carpere ſolent, illis cavendum ſedulò, ne cum quoquam aliquid commune habeant, ne ab aliis aliquid diſcere videantur, quod ipſis contumelioſum eſſet. Quod ſi igitur ſtatus ille impius, & ab hominibus inventus, ſcripturæ teſtimonio deſtitutus Monachalis puta tantis ceremoniis quoad inveſtituram aliaque fuit peractus, magis honorandum eſt à Deo inſtitutum conjugium, etſi ſit res Politica, &c. Hactenus Lutherus, qui expreſſe fatetur, conjugium eſſe rem Politicam, à Politicis pro arbitrio ordinandam, & adminiſtrandam. Cum Luthero etiam conſentit *Hunnius* in *Colleg. Juris Canonici d.* 1. *th.* 23. Et *Johannes Paponius* admittit cognitionem Judicis Laici, in matrimonialibus l. 1. tit. 4. areſt. 2. Potiſſima autem ratio, quòd cauſæ matrimoniales juriſdictione Magiſtratus civilis de Jure Canonico eximantur, videtur eſſe iſta, quod inter Canoniſtas matrimonium habeatur pro Sacramento, quod quàm ἀθεολογον ſit, oſtendemus ad th. 37. n. 2. In terris Proteſtantium cauſæ Matrimoniales habentur pro mixtis i. e. talibus, quæ aliquando, ad forum Eccleſiaſticum, aliquando ad forum ſeculare pertinent. *Carpz. Juriſpr. Conſiſt. l.* 2. *def.* 1. *Kitzelius de matr. c.* 10. *th.* 7. & 8. Non malè igitur *Petr. de Ferrariis in Prax. tit.* 4. *n.* 14. his verbis Principes alloquitur: *Heu miſeri Imperatores & Principes ſeculares, qui hæc & alia ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis, & mundum per clericos infinitis modis uſurpare videtis, nec de remedio cogitatis, quia prudentiæ & ſcientiæ non intenditis. Ideò attendite & memoriæ commendate, quid dicat Hieronymus veteres ſcrutans hiſtorias; Invenire non poſſum ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Domini populos ſeduxiſſe, præter eos, qui ſacerdotes Deo poſiti fuerant. Iſti verò vertuntur in laqueum tortuoſum in omnibus locis ponentes ſcandalum, &c.*

4. Hic contractus purè Politicus nanſciſcitur naturam pacti ſeu fœderis inæqualis, quâ ſponſus contrahens præcipua agit, annuente ſaltem, & quidem illico ſine ullâ tergiverſatione ſponſa Gen. 11. & voluntatem ſuam voluntati ſponſi conformante, adeò ut ſponſus incipiat contrahere, fœmina autem hanc confidentiam non habeat, ut ipſa auſpicetur, ſed tenetur exſpectare, uſque dum aliquis veniat, qui ipſius deſiderio flagrans cum ipſâ convenire cupiat, quo honore mactata nil aliud habet, quod agat quàm ut aſſenſum præbeat. Quemadmodum enim ille Pater familias exeundo in forum videns multos otioſos ſtantes compellavit, dicens: *abite in meam vineam, dabo vobis, quod juſtum eſt;* & illi ſtatim ſine ullâ dilatione & exceptione occaſionem oblatam acceptabant; ita etiam juvenis contemplans otioſam & innubam mulierem, (cujus negotium eſt liberos generare, uti Apoſtolus inquit, quod fœminæ per generationem liberorum ad quod officium creat ſalventur, quod Moniales adultæque ſuperbæ virgines, ac uxores contumaces notent, ne officium negligendo damnentur, juxta illud Jeremiæ: maledictus qui opus Domini, qualis eſt procreatio, ad quam mulieres deſtinatæ, facit negligenter,) recipit in uxorem & commendat illi labores domeſticos adjectâ ſponſione, quod velit omnia uxori convenientia ſuppeditare. Primus noſter Parens Adam cum contemplaretur vacantem & innubam Evam, protinus in adjutorium accepit, nec illa officio ſuo deerat, ſed illico deſideriis illius velificando in contractum ab illo ſolo conceptum & confectum ſine ullâ procraſtinatione condeſcendebat. Ita cum Pater fidelium Abraham loco Filii ſui Iſaac per ſervum cum Rebeccâ contraheret matrimonium, illa ſine ullâ mora annuebat, & cum ſervo ſe ad ſponſum nondum viſum conferebat. Ita David ad otioſam viduam Abigail mittebat & in uxorem recipiebat, quæ etiam ſpartæ à Deo ſibi concreditæ memor procul ab omni cuncta-

cunctatione applaudebat. Noſtræ verò virgines & mulieres ita ſunt ſuperbæ & faſtuoſæ, ut ſæpè per aliquot menſes cum tota familiâ, parentibus, fratribus, ſororibus omnibuſque conſanguineis & affinibus, imò ſæpè per integrum annum velint adorari, antequam aſſenſum præbeant, & poſtea ſæpe per annum dilatis nuptiis continuatur illa idoli adoratio, ut ita ſenſim & quaſi aliud agendo dominium in ſponſos acquirant, multis interea cum ſponſo peccatis mutis & Onaniticis quandoque perpetratis. Conſummato deinde matrimonio in poſſeſſione vel quaſi per unum vel alterum annum obtentâ vel vi vel clam, vel precariò, invitis quanquam & ob Gynæcocratiam, peſſimum in Republicâ malum, miſerrimam vitam ducentibus maritis, perſiſtunt. In nonnullis etiam locis præſertim apud Nobiles in ſeptentrionalibus hic mos obtinuit, ut per dimidium annum & quod excurrit, apud parentes muſteæ uxores poſt nuptias relinquantur, ante quam in feudum mariti multis ſumtibus & ceremoniis etiam concione & benedictione novâ adhibitis deducantur: Interim ſingulis menſibus ad minimum novellus maritus tenetur ſuam uxorem inviſere, non ſine magnis ſumtibus, & diſpendio rei Domeſticæ, & maximopere cavere, ne ullâ in re illi contrarietur, adque iram vel triſtitiam ob embryonem ſæpè putatitium commoveat, ſed potius in omnibus ceu Deam adoret, ut eo magis in Dominio hactenus, jamdum exercito confirmetur & inæquale pactum confirmatum divinâ inſtitutione evertatur. Tantum vero abeſt, ut ejuſmodi uxores ſint adjutoria ut potius ad perditionem maritorum utramque impleant paginam. Quare rectiſſimè fecit Reſp. Libera Argentinenſis quòd ſine ullis ſumtibus & ambagibus matrimonia conſummari voluerint, & uti ſupra dictum de aliâ Rep. ubi citra ceremonias in Senatoriâ curiâ per Secretarii inſcriptionem conjugia confirmantur. Ex quibus ſatis ſuperque inæqualitas contractus apparet, quæ ex hoc quoque luce meridianâ clarius conſpicitur, quod maritus ita deſponſet ſuum amorem & corpus ſuæ uxori, ut poſſit etiam aliis communicare, ut exempla Abrahami, Jacobi ſufficienter monſtrant, uxor verò in ſolidum ſuo marito ac Domino, à cujus voluntate dependet, totum ſuum amorem ac corpus debet, ita ut nullus juvenis ſive alius maritus de hac uxore alienâ ullo modo participare poſſit, ceu non tantum Exempla Saræ, Rebeccæ, uxoris Potipharis, Bathſebæ & alia teſtantur, ſed & 6 & 10 præceptum, eorumque interpretatio, hinc & inde in Moſe, Prophetis, & Apoſtolis occurrens manifeſtum hoc faciunt, ac præterea jus marito proprium reſciendendi omnia vota uxoris, jus indagandi uxoris fidelitatem per ſacrificium Zelotypicum horribiliſſimum pariter atque ignominioſiſſimum, jus inquirendi ſponſo conceſſum in integritatem ſponſæ.

Quæ omnia etiam ipſa jura inſinuant humana. vid. infrà th. 19. not. 12.

5. Præterea hæc inæqualitas contractus patet ex ſingulari poteſtate & Dominio, quod in uxorem ejuſque bona merito ex ipſâ naturâ jure divino, civili, Canonico & conſuetudinario competit, ceu prolixè oſtendetur in th. 31. adv. Dominium Swave. Ita Hugo Grot. tom. 9. c. 5. §. 8. teſtatur, quod *ob ſexus differentiam imperium non ſit commune, ſed maritus uxoris caput, nempe in rebus conjugii & in rebus familiæ, & cum uxor pars ſit familiæ maritalis, ideo de domicilio conſtituere jus eſt marito.* Huc etiam facit, quod uxor nihil de bonis ſuis exceptis utenſilibus donare vel alienare inter vivos queat. *Schult. Synopſ. Inſtit. de Patr. pot. ſub lit. a.* quod maritus conſtante matrimonio ſit Dominus dotis habeatque ejus vindicandæ poteſtatem, *Bernh. Schotan. Ex. Jurid. p.* 67. *Struv. Ex.* 11. *th.* 5. & competat ei de re dotali ſubtractâ actio furti & de damno dato, actio damni injuriæ. *Struv. Ex.* 30. *th.* 12. quod ſit princeps familiæ *l.* 169. *ff de V. S.* Apud Hetruſios ut Zwinger. Th. 172. in conjunctione nuptiali dona & munuſcula virum ab uxore vel contra accipere, legibus & ſcripto jure erat vetitum, nefas exiſtimantes, quos legitimus amor conjunxiſſet, donis videri potius allici quam conjugali amore conciliari. Sic Solon Athenienſium conjugiis dotes detraxit, ſponſamque præter tres ſtolas & ſupellectilem parvi pretii afferre quicquam vetuit. Neque enim meritorium aut venale, vole-

bat

bat fœdus eſſe nuptiarum, ſed liberorum cauſâ, gratiæ & amicitiæ conciliari quod poſſit occidere adulterum, *l. Gracchus* 4. *C. ad L. Jul. de adult.* domi ſuæ *l.* 24. *ff. eodem.* Adeoque in ipſa turpitudine vel rebus Venereis. Ulpian. in l. 23. *ff. Eodem.* Sive ut dicitur in ſcriptura ſacrâ, ἐν αὐτῷ φωρῷ deprehenſum. Joh. 8. 4. inque accuſatione uxoris adulteræ privilegia habeat. *l.* 30. *C. ad L. Jul. de adult.* ubi idcirco à Conſtantino *Genialis tori vindex* dicitur. Cum itaque nunc maritus tantam poteſtatem Dominiumque in uxorem ejuſque bona, dotem & facta jure omni poſſideat, ſolet etiam illam ut Pater Filios, herus ſervos congruis modis alimentare. *Struv. Ev.* 29. *th.* 56. *Hahn. ad VVeſenb. de rit. nupt. n.* 6. *Eckolt. ad ff. de nupt.* §. 6. cum in hunc finem dotis fructus, eosque tàm naturales quàm civiles percipiat, ut matrimonii onera ſuſtineat *l.* 20. *C. de Jur. Dot. ibique Brunnem. Strab. Ex.* 30. *th.* 12. Onera verò matrimonii tunc demum maritus ſufferre dicitur, cum non tantum uxorem ſuam amabiliter ſuſcipit, quæ ipſa onus eſſe videtur, per *l.* 56. §. 2. *ff. de Jur. Dot.* ſed ei etiam ſufficientia pro ratione alimenta ſuppeditat. *l.* 21. §. 1. *ff.* de donat. inter vir. & Ux. *l.* 29. *C. de Jur. Dot. l.* 23. §. 1. *ff. Eodem.* Non verò tantum, ſi dotem acceperit maritus, *l.* 22. §. 8. *ff. ſolut. matr. l.* 29. *circa fin. C. de Jur. Dot.* ſed etiam hâc non conſtitutâ ex amore maritali uxorem ſuſtentat, *l.* 13. *C. de neg. geſt. l.* 11. *in fin. princ. C. de rep. l.* 28. *ff. de relig. Dom. Struv.* 30. *th.* 5. Nec propter promiſſam at non ſolutam dotem ei alimenta denegare, aut eam prorſus domo expellere poteſt, aut ſolet. *l. penult.* §. 1. *C. de rep. Novell.* 22. *c.* 18. *verſ. ſi quis. Struv. diſſ. de Vind. priv. th.* 42. *in fin. & Ex.* 30. *th.* 7. *Henr. Brouwer. de Jur. Conn. l.* 2. *c. ult. n.* 23. multò minus maritus ex hâc causâ divortium petere poterit. *Carpz. Juriſpr. Conſ. l.* 2. *def.* 205. cum matrimonium eſſe etiam ſine dote queat. *l.* 20. *Princ. C. de donat. ante nupt. Novell.* 74. *c.* 4. *Princ. Novell.* 117. *c.* 4. quia dos non eſt de ſubſtantia nuptiarum, ejuſque datio non juris naturalis, ſed tantum poſitivi civilis eſt, cum honeſtus amor ſolis animis æſtimandus. *Hahn ad VVeſenb. de jur. dot. n.* 1. & tantum intervenit, ut tanquam pediſſequâ uxor comitata ornatior, ira & matrimonium eò melius procedat *Ritterſhuſ. ad Nov. p.* 7. *c.* 17. *n.* 3. Interim tamen eum, qui dotem dare promiſit, ad ſolutionem compellere non prohibetur. *tot. tit. C. de dot. prom. & Chriſtoph. Gaſtell. in Spec. Jur. Univerſ. c.* 25. *n.* 199. Dedek. vol. 3. p. 246. Gerh. de Conjug. §. 161. p. 713. Mengor. Seral. Conſc. c. 10. p. 909. cum maritum decipere promiſſis inconveniens ſit, *l.* 9. §. 1. *ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* Porrò etiam maritus uxorem quoad totum & menſam ſeparatam alere ſolet, ſiquidem licet ſeparatim conjuges habitent, nihilominus tamen inter ipſos cauſa alimentorum nempe vinculum matrimoniale durat. *Carpz. Juriſp. Conſiſt. l.* 2. *defin.* 213. *n.* 4. & maritus factâ hâc ſeparatione uſum fructum bonorum illatorum retinet. *Id. def.* 214. modo tamen illa receſſio ex culpâ mariti facta ſit, ut veluti propter ipſius rigorem uxor ſeparatim ab eo degat. *Alex. Trent acinquis Var. Reſol. lib.* 1. *Reſol.* 1. *de alim. n.* 31. Cæterum ſi ipſa uxor in culpâ fuerit tùm alimenta hæc à marito petere nequit. *Beuſt. de Jur. Connub. p.* 2. *c.* 9. *ſub fin.* veluti etiam uxori non decernentur, ſi maritus bona illata reſtituerit. *Struv. Ex.* 30. *th.* 43. quia alimenta ſuccedunt in locum uſurarum & fructuum dotis. *Carpz. l.* 4. *Reſp.* 2. *n.* 16. *vid. Ordinar. Proceſſ. Jud. Elect. Sax. lib.* 50. §. **denn wenn einer verb. wie nicht weniger die zinſen / welche einen Eheweibe wegen ihres eingebrachten Ehgeldes** loco alimentorum **gebühren /** ubi tamen requiritur, ut reſtituta bona ad alimentalionem ſufficiant. Secus enim maritus ſupplemento ſe ſubtrahere nequit, cum tanquam familiæ Princeps alat uxorem, etiamſi illa nullam dotem attulerit per ſuperius dicta. *vid. Jo. Petr. Surd. de alim. tit. q.* 12. *n.* 11. *Benincaſ. de paupert. q.* 8. *ſpec.* 2. *n.* 20. *& Chriſtoph. Gaſtel. Specim. Jur. Univerſ. c.* 25. *n.* 189. *p.* 418. Sub nomine autem victus omnia omnino, quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent, ſeu quæ vitæ uſus poſtulat, per *l.* 5. §. 12. *ff. de alim. Amadeus Eckolt ff. Eodem* §. 2. *veluti medicamenta*

l. 44. ibique *Gothofr. ff. de Verb. ſign. l.* 22. §. 8. *ſolut. matr.* aqua in illis regionibus ubi aqua vendi ſolet, *l.* 1. *t.* 14. §. 3. *ff. de alim. & cib.* Veſtes *l.* 13. *ff. de V. S.* ibique *Goeddeum.* Stramenta l. 234. ff. 2. ff. Eodem. & habitatio *l.* 6. *t. ult. ff. de alim. & cib. Struv. Ex.* 30. *th.* 77. quia ſine his ali corpus nequit, d. l. 6. de alim. & cib. nemoque ſine his vivere poteſt. *d. l.* 234. *ff. de V. S.* §. 2. Hæc omnia ex I C Tis eò latius deducere voluimus, ut exinde appareat præeminentia, ſuperioritas & dominium in uxorem ejuſque bona, commiſſa & omiſſa, totumque curriculum vitæ ejus. Quod ulterius apparet ex ſingulari curâ, tutela & defenſione ſub quâ uxor ejuſque bona deliteſcunt, uti prolixè inferius in §. 38. *ad verba: Pulchra facie,* pateſcet. Maximè vero omnium hanc prærogativam mariti & inæqualitatem pacti demonſtrat *Summa Subjectio* uxoris, quæ in obſequio quaſi cœco propter voluntatem reſtrictam, limitatam & in omnibus dependentem, ac reverentiâ erga maritum ceu Excellentiorem prudentioremque conſiſtit, uti non tantùm ex ſcripturâ *Gen.* 11. 26. *Col.* 3. 18. *Eph.* 5. 22. 1 *Tim.* 2. 11. 12. 1 *Petr.* 3. 6. ubi Sara propter hoc obſequium ab Apoſtolo prædicatur, ſed & hæc ſubjectio naturali nititur æquitate, propter imbecillitatem mulierum *Cell. in Polit. t.* 1. §. 28. 29. Neque enim animus illis datus eſt ſatis catus ad proſpiciendum, & deliberatus ſivè ſatis cordatus ad exequendum, nec corpus ſatis firmum ad labores foris domique imperii cauſâ ſubeundos. Quod quoties reſpiciunt mulieres, &, quàm parum conſilio & auxilio polleant, ad animum ſibi revocant, toties ſe ſubjectionis ſuæ à naturâ monſtratæ tacitè admoneri credunt. *Henning. Arniſ. de Jur. Conn. c.* 7. *ſ.* 1. *n.* 3. quam ſubjectionem & ipſas natura in actu conjugali docere voluit, uti eadem quoque natura ipſas in ſignum & memoriam hujus ſubjectionis comam alere docuit promiſſiorem, *Baldw. Caſ. Conſc. l.* 4. *c.* 1. *caſ.* 4. etiamſi laxiores crines ipſis quoque ad velandam capitis nuditatem dati ſint, ſiquidem turpiſſimum eſt, ſi mulier capillo nudetur, adeò ut talis, licet ipſiſſima Venus à cœlo dejecta ſit, aut omni gratiarum choro ſtipata placere tamen ne Vulcano ſuo poſſit, ſecundum *Apulejum* referente *Baldw. d. l.* Unde etiam mulier crines ſibi amputans pro anathemate declaratur, *Can. quæcunque diſt.* 30. ad quem duo non infimæ caveæ I C Ti feſtivè annotarunt, mulieribus propterea relinqui crines, ut habeant quò mariti trahere poſſint & ligare, Vid. *Arniſ. Polit. l.* 1. *c.* 3. *& tr. de Jur. Connub. c.* 7. *ſ.* 1. *n.* 4. De *Jure civili* non minus obſequentiam & reverentiam ſimili pacto debent uxores. *l. Unic.* §. 7. *C. de Reillixor. act. l.* 14. §. 1. *ff. ſolut. matr. l.* 2. 3. *ff. de act. rer. amot. Struv. Ex.* 29. *th.* 56. Unde facile conſequitur execrandum oppidò eſſe morem *Sacarum*, apud quos uxorem ducens à pugnâ imperium auſpicabatur, & mulier non aliâ lege ad obſequium viro tenebatur quàm ſi virtute ejus victa in certamine ſuccubuiſſet. Cæterum ſi triumphaſſet, imperium ad ſe à viro cum honore auferebat. Ælian. l. 12. Hiſt. ridiculum enim eſt, penè dixerim ſtultum, jus ſuum in diſcrimen deducere, & fortunæ lubricum arbitrium velle experiri, cum ex lege poſſis agere, & Dei juſſu, naturæ ſententia, hominumque conſenſu adjudicatum poſſis habere imperium. Quanquam vero jam luce meridianâ clarior appareat *pacti inæqualitas*, & quod in *amicitiâ hac inæquali*, & ſecundum excellentiam neceſſario imperium excellentiori competat in deteriorem, neque aliter fœmina virque pares fieri poſſunt, niſi mulier inferior ſit ſuo marito. *Mart. l.* 8. *Epigr.* 12. nihilominus tamen temeraria lis de imperio inter conjuges oriri pluries ſolet, maxime ſi lota improbiſſimæ Carſaniæ ſororem *in l.* 1. §. 1. *ff. de poſtul.* delineatæ adjunxerunt, quæ non tantum aſſiduè obſtrepit, illudque *Oweno*:

Conjugis ingentes animos linguamque domare
Herculis eſt decimus tertius iſte labor.

l. 1. *Epigr. ad illuſtr. Domin. Neville ep.* 117. verificat, ſed etiam, imò ſi muliebres nimiùm irritati fuerint crabrones, non parvas ipſi injurias, penè dixerim audaces manus inferre conatur. Quô caſu utique à marito, qui non planè peponem pro corde gerit, requiritur etiam jure retorſionis quodam exceſſu uti, adeoque ſi gra-

gravioris alicujus offenſionis concitatione permotus, manuum injectione peplum, ſummo artificio capiti ejus aptatum, implicet, involvatque. & imperioſam nimis Dominam capillis paululum traxerit ad obedientiam, non ſtatim reus erit ſupplicii capitalis. Si quidem meminiſſe debent mulieres, tùm verbera à maritis fore aliena, cum ipſarum ora à verbis malis aliena fuerint. Quod ſi illæ malorum verborum neque modum neque finem adhibuerint, mirum videri non poterit, ſi mariti earum ora manibus obruerint, atque obſtruxerint, in quâ tamen re mariti moderationem adhibere debent, ut dentes uxorum maneant ſalvi atque integri, ne deinceps edentulas majori ſumtu in comparandis cibis delicatioribus alere & ſuſtentare cogatur, ut feſtivè docet *Valent. Vaſe: ad L. Corn. de ſicar. c. 7. n. 68.* Interim marito maximè cavendum, ne infeſtè & infauſtè à ſceptro ad Ferulam devolvatur, & γυναικοκρατούμενος non ſine largiore riſu declaretur & decantetur; quanquam forte nihilominus plures virunculi ſeu maritelli ceu eos vocat *Baldw. ad L. 5. C. de Interd. matr.* reperiantur, qui poſtquam uxores imperium vel vi vel clàm, vel precario obtinuerint, odioſum illud, *ſi uxori meæ placet l. 14. ff. de Fideicom.* quotidiè practicare coguntur. Alii verò vecordes, vileſque ſunt & hominis nomine indigni, qui ejusmodi injuriam ab uxore ſibi illatam verberibus non repellunt. *Carpz. Pract. Crim. q. 12. n. 19. & Iuriſpr. Conſiſt. l. 2. def. 212. n. 3.* neque hanc dominandi licentiam uxoribus ſine labe conſcientiæ poſſunt concedere. **Ein ſolcher Frauen Knecht / Weiber Mann und D. Bieman iſt mit verlaſſung und übergab ſeines von Gott verliehenen Mann und Fauſt-Recht in ſeinem gewiſſen vor Gott ſtraffbar / und keines weges zu entſchuldigen.** *Arn. Meng. Scrut. Conſc. c. 10. q. 62 & 67. p. 809. conf. & M. Joh. Ellingers* Alamodiſchen Kleiderleute *c. 5. 6. 7.* & *Lutheri* eximiam Epiſtolam IV. *Jen. f. 355.* inferius in th. 3. adductam. Huc etiam referri poteſt, quod *Chryſoſt. in 1 Cor. 11. 7.* εἰκότως ὑποτέτακται τῷ ἀνδρὶ ἡ γυνὴ, ἡ γὰρ ἰσοτιμία μάχην ποιεῖ. meritò viro fœmina ſubjicitur, æqnalitas enim honoris pugnam parit. & in Eph. IV. ἀρχὴ δευτέρα ἡ γυνή· μήτε οὖν τὴν ἰσοτιμίαν αὐτὴ ἀπαιτείτω (ὑπὸ γὰρ τὴν κεφαλήν ἐστι) μήτε ἐκεῖνος ὡς ὑποτεταγμένης καταφρονείτω. Secundus principatus eſt mulier, neque ergo ipſa æquum jus ſibi vendicet. (Sub capite enim eſt) neque eam ceu ſubditam Maritus contemnat: σῶμα γάρ ἐστι. corpus enim eſt. Deinde δευτέρα ἐστὶν ἀρχὴ αὕτη ἀρχὴν ἔχει καὶ πολλὴν, τὴν ὁμοτιμίαν, ἀλλ' ὅμως ἔχει τι πλέον ὁ ἀνήρ. Altera poteſtas illa eſt, imperium & ipſa habens multumque in honore conſortii, ſed tamen plus habet vir. conf. & *Andr. Muſal. in* Eglentel *Theat. Diab. 1. f. 247. Cram. in 1 Reg. 11. v. 8. Rung. in Ex. p. 192. Guevar. Horol. Princ. p. 2. Gualter. in 1 Cor. 11. p. 161. Luth. Dipnoſ. p. 452. Meng. Serut. p. 117. 797. 813.*

7. Ex quibus ſatis clare, ut arbitror videre licet, quam turpes & deteſtabiles mores gentium ſint, apud quos hic ordo à naturâ ipsâ dictatus monſtroſè invertitur, virique mulierum arbitrio comiter ſe ſubmittere, verrere, culinas curare, penſa trahere, lavare, grabatum ſternere (hæc mulierum ſunt operæ, quas requirat maritus ab illis. v. infr. th. 30. v. Socia) imo poſtquam mulieres pepererunt, puerperarum loco in lecto decumbere, (ceu, in Inſulâ Corſicâ apud Tiburinos, Hiſpanos, ut & apud quoſdam Indianos in uſu dicit eſſe *Diod. Sic Bibl. l. 6. Apollon. Rhod. Argon. l. 2. Cæl. Rhodig. l. 18. Lect. p. 221.*) liberoſque educare jubentur, mulieribus verò ipſis in amœnos hortos & ambulacra aut porticus expatiandi, & in theatris florales ſpectandi, viriliaque officia ſubeundi copia datur. De quibus *Henn. Arniſ. de Jur. Connub. c. ult. ſect. 1. n. 6. & 7.* cum tamen gravior & penſior cura ad virum remittenda, cujus propria ſunt virtus vireſque *Chriſt. Becm. de Orig. L. L. v. virtus.* Ipsèque generoſior, & ſecundum naturam melior quàm fœmina. *Ariſtot. 1. Polit. c. 5.* ſiquidem mulierum genus imbecille eſt, *l. 2. §. 2. ff. ad Sext. Vellej.* Fragile *l. 20. C. de don. ante-nupt.* infirmum *l. 9. ff. de Jur. & Sanct. ign.* deceptionibus obnoxium, *Novel. 61. c. 1. §. 2. Nov. 97. c. 3. in fin.* multis captio-

captionibus ſuppoſitum *Can. Adam.* 33. *q.* 5. ideoque *mulieres* quaſi *mollieres* à mollitie & ſexus ſui imbecillitate dictæ ſunt. *Jo. Nevizani Sylv. Nupt. l.* 1. *n.* 111. *Chr. Becm. Orig. L. L. v. virtus* quò pertinet illud *Oweni:*

Dicta fuit mulier, quaſi mollier, eſt tamen Eva
Non de carne ſui ſumta ſed oſſe viri. *lib.* 1. *ad Her. Nov. ep.* 70. *Vid. & Can. quod propoſuiſti.* 37. *q.* 7.

8. Deinde ipſa quoque honeſtas non patitur, ut mulieres ultro citroque curſitent, viriliaque ſubeant munia, ſi quidem adeò ipſas pudicitiæ ſuæ memores & operum, quæ eis natura permiſit, & à quibus juſſit eas abſtinere, omni judiciorum agmine exeſſe jubet, *Imper. in l. ult. C. de recept. arbitr.* Hinc multò minus ad gubernacula Reip. admovendæ erunt mulieres, ſiquidem

Sceptra tenere nequit populoſi fœmina regni,
Nec rectè ingeniis imperitare viris.
Nam leviora gerit volitanti pectora plumâ,
Et raró, quod vult, juſque piumque facit.

Juſtus Trangoparius in mantiſſ. Carm. v. 52. imò pœna populi ſi fœmina ad gubernacula ſedeat. *Eſ.* 3. 12. & certè vulgatum eſt veriverbium Germanicum:

**Wo Weiber führen das Regiment.
Da nimbt es ſelben ein gutes end.**

Unde apud *Avent. l.* 1. **ſo bald die Weiber regiren / bedeut es nichts guts / man ſchaue nur der auff / es gehet an ein verderben / denn es war ſchon von Gott beſchloſſen / das Ægypten ſoll zerbrochen werden / darumb muſte es auff ein Weibs Bild fallen.** Vid. Bernecc. Q Q. in Tac. q. 97. Verum proinde manet; quòd muliebris cura non ultra domeſtica ſe extendere debeat, & egregias uxores deceat teſtudinis inſtar domi reſidere, ſubque tecto operas, apium inſtar, tractare Oeconomicas, quod ingenioſiſſimus Apelles Vener. in conchâ teſtudinis domunculam ſuam ſecum portantis ſtantem fingens congruè admodum ſignificaſſe videtur. Gerh. de Conjug. §. 452. veluti etiam laudes apud veteres merebantur raró pedem domo efferentes matronæ, quas Græci οἰκουροὺς & οἰκουρικὰς, Latini *Caſarias* vocabant. *Dion. l.* 56. *Hiſt. R.* Ex adverſo verò per compita fora ſpectacula, per omnes vicos & angulos circumrepere & turpiter vagari, ſemper habitum eſt proprium meretricularum, *Prov.* 7. 11. 12. *c.* 9. 3. Cæterùm ut de operis muliebribus hoc denique adjiciatur, juris eſt apertiſſimi, lucra hiſce operis, conſtante matrimonio acquiſita ad ſolum maritum cui debentur, ejuſque hæredes pertinere. Siquidem nil magis æquitati conſentaneum, quàm ut maritus onera matrimonii ſuſtinens commoda etiam in eo acquiſita lucretur, *A.* 10. *ff. de Reg. J.* junctum *l.* 20. *C. de Jur. Dot. Peregrin. de Fidei Com. a.* 42. *n.* 85. ubi docet emta à viro conſtante matrimonio ex viri non uxoris pecuniâ comparato præſumi. v. *Menoch. l.* 3 *de præſ.* 57. *n.* 1. *ſeq. Gail. l.* 2. *obſ.* 29. *n.* 9. ac honeſta & legalis proinde præſumtio eſt, bona conſtante matrimonio acquiſita ex bonis mariti & induſtriâ proveniſſe, cujus vigore etiam omnia bona, quæ in domo mariti ejuſque habitatione reperiuntur, propter præeminentiam mariti ejuſdem tamdiu eſſe præſumuntur, donec mulier liquido doceat, ea ſui juris & dominii eſſe, *arg. l.* 16. *C. de prob. Salicet. in l.* 2. *C. ne uxor pro marit. Alciat. de præſumt. Reg.* 3. *Præſ.* 26. *Menoch. l.* 3. *de præſ.* 51. *n.* 22. & 45. *Heig. l.* 1. *q.* 30. *n.* 14.

9. Olim ferè unicè proprium uxori, quod illa particeps fieret ſacrorum mariti gentilitiorum, *Hahn. ad VVeſenb. de rit. Nupt. n.* 6. *Kitzelius Synopſ. c.* 2. *th.* 10. quò facit *l.* 1. *ff. de Rit. Nupt. & l.* 4. *C. de crim. expil. hæred.* per quas ad nil aliud reſpicitur quàm ad ſacra illa domeſtica, quæ privata cujuſque familiæ apud Romanos erant, *Struv. Ex.* 29. *th.* 19. *Duaren. & Hottom. ad tit. ff de rit. nupt.* quibuſque penales ſive fatales genios venerabantur, *Eric. Putean. Lex. Jur. verb. ſacr. priv.* Hodie etiam gaudet nobilitate & dignitate mariti, *l.* 13. *C. de dign.* 12. *l.* 8. *ff. de Senat. l.* 10. *C. de nupt. l. ult. C. de Incol.* 10. *Struv. Ex.* 29. *th.* 56. *Henr. Hahn. ad VVeſenb. de rit. nupt. n.* 6. *Amad.*

Eckolt de nupt. §. 6. uxor enim nobilitate fulget mariti l. 28. in med. 161. & ſentit ejus fulgorem, C. de nupt. radiiſque ipſius coruſcat &c. Novel. 107. c. 2. Ita & Trangoparius Epigr. 187.

LunaPanomphæi ceu ſolis ab igne coruſcat:
Sic fulget radiis fœmina quæque viri.

Sed præter honorem & dignitatem viri, forum etiam & domicilium ejus ſortitur l. 65. ff. de Judic. d. l. ult. C. de Incol. l. 19. ff. de Juriſd. Struv. c. l. Jo. Brunnem. ad C. de dign. n. 3. Chriſt. Phil. Richt. p. 3. deciſ. 133. n. 26. Hahn ad VVeſenb. d. l. Eckolt d. l. Vultejus Juriſpr. R. l. 1. c. 16. in fin. iiſdemque ſtatutis, quibus maritus obligatur. Jo. Kitz. Syn. matr. c. 7 & 10. l. d. 10. l. 38. §. 3. ad munic. Struv. Ex. 9. th. 18. Cæterùm non putandum, ac ſi duntaxat nobilis in ſpecie, ſi uxorem duxerit plebejam, eam omnium jurium & privilegiorum, quibus mulieres naturâ nobiles gaudent, participem reddat. Carpz. Juriſpr. For. p. 3. Conſt. 37. def. 2. Brunn. d. l. n. 9. Chriſtinæus deciſ. 103. vol. 5. n. 7. Sed profectò etiam Doctor ducens plebejam mulierem, nobilem illam privilegiiſque coruſcantem reddit l. 6. C. de perſ. & Med. cum Doctoribus utique nobilitatis nomen competat, licet non ſpecifice. Marqu. Freherus l. 3. de infam. c. 25. n. 13. Neque enim nobilitas ſolum ex nativitate datur, ſed etiam maximè ex virtute, eaque vel militari vel togatâ, Beſold. diſc. de Jur. Civ. c. 11. n. 29. ſiquidem minimè penis tantum (ut ſatis impudicè nobilis illa fœmina Genuenſis uxori cujuſdam Doctoris objecit) ſed & penna nobilem facit, teſte Alberico Gentil. l. 4. de nupt. c. 13. Imò in receſſ. Imp. equitibus auratis annumerantur Doctores, paribuſque privilegiis cum illis expreſſè donantur: Die von Adel ſo nicht Ritter noch Doctores ſollen kein Gold noch Perlen tragen/ Receſſ. Imp. zu Augsburg Anno 1500. tit. von überflüſſigkeit der Kleider. Porro dignitatis maritalis juriumque uxor non ſolum capax vivente marito, verum ipſo etiam mortuo, d. l. C. de Dign. d. l. ult. C. de Incol. d. l. 10. C. de nupt. Nov. 22. c. 36. Struv. Ex. 4. th. 6. Jo. Zanger. tr. d. Exc. c. 1. p. 2. n. 56. & ſeq. p. 59. Tiraqu. de Nobil. c. 18. n. 17. quoniam hac ratione vidua adhuc in primo matrimonio vivere putatur l. fin. C. de bon. matr. l. 22. §. ff. de munic. Carpz. Jur. For. p. 4. Conſt. 27. defin. 7. n. 7. & Pract. Crim. q. 65. n. 46. Henr. Neuenhahn de Jur. & privil. vid. membr. 3. ſ. 15. ut hinc etiam in omnibus mariti domiciliis conveniri poſſit vidua, niſi unum eligat, ibique cum familiâ habitet, tenendo focum & ignem, velut in eo loco, quo dotalitium ihr Leibgeding conſtitutum habet, quo caſu in eo ſolo loco ſortitur domicilium, Struv. Ex. 9. th. 28. in fin. Jo. Brunn. l. c. n. 5. Jo. Zanger tr. de Exc. c. 1. p. 2. n. 98. 99. Carpz. l. 2. Reſp. 24. n. 18. 19. vid. Ern. Frid. Schrader. diſp. de priv. vid. th. 14. At verò non per totum viduæ curriculum vidua hæc maritalia jura retinet, ſed tamdiu ſaltem, donec (α) ad ſecundas tranſierit nuptias, Nov. 82. c. 36. d. l. 22. §. 1. ff. ad munic. l. 8. ff. de Senat. Ludolph. Schrader. de Feud. c. 2. n. 5. Matth. Coler. p. 1. deciſ. 65. Bened. Carpz. p. 2. Conſt. 5. defin. 11. n. 6. Chriſt. Phil. Richter p. 1. deciſ. 9. n. 3. Jo. Brunn. ad C. de dign. n. 4. Donell. Enucl. l. 13. c. 21. Jo. Zang. d. tr. n. 58. quia tum ceſſat illa fictio, quâ matrimonium in viduitate perdurare cenſebatur, Perez ad C. de 2. nupt. (β) quamdiu caſtam & honeſtam duxerit vitam, Vultej. Jur. R. d. c. 16. in fin. Georg. Chriſt. VValth. de ſtat. Jur. & privil. DD. omnium ordd. c. 15. §. 105. quia luxurioſè conſueſcens cum maribus, ſeque furtivo ac meretricio amore iiſdem ſupponens viduæ ad ſecunda vota tranſeunti æquiparatur. l. 7. C. de revoc. don. ibique Gothofr. adeoque æquè dignitatem ac privilegia defuncti viri amittit, Henr. à Roſenthal. Synt. Jur. Feud. c. 10. concluſ. 27. n. 50. Hippol. de Marſil. in l. un. C. de rapt. Virg. n. 70. quia injuriam mariti oſſibus quaſi infert. Coler. deciſ. 176. n. 47. Richt. p. 5. Conſil. 17. n. 14. ejuſque familiam dehoneſtat. Nov. 2. c. 3. verſ. optimum at laudabile. Nov. 39. c. 2. verſ. Et quoniam. Carpz. Pract. Crim. q. 5. n. 53. Quod Doctores ad eum caſum etiam extendunt, quo vidua non quidem ſtuprari, ſed in partibus ſaltem illis, in quibus mulier eſt, quaſ-

que

que natura in ſecretum locum detruſit, ſe impudicè contrectari & palpari paſſa eſt. *Neuenhahn tr. de Jur. membr. 3. ſ. 3.* quia ejuſmodi actus ad ſtuprum quam proximè accedunt, & ſuſpicio eſt, eam vivente marito adhuc non caſtè vivere cogitaſſe. Quæ omnia cum ita ſeſe habeant, nemo non videt, magnam eſſe imparitatem & inæqualitatem mariti & uxoris, maritoque prærogativam, præeminentiam & poteſtatem in omnibus præ uxore competere, uxoremque in ſolidum à marito dependere, & ferè ut ita dicam, abſque marito nihil eſſe, ipſiuſque voluntatem ferè eſſe nullam, ſed ex aſſe à voluntate viri dependentem, adeoque per conſequens ipſum pactum & contractum conjugalem, qui uti demonſtratum, in ſe & ſuâ naturâ verè & propriè dictus, ut excellens contractus purè Politicus, eſſe de jure *contractum inæqualem*, quanquam hodiè per acc. de facto ex inadvertentiâ adductarum rationum ex poſſeſſione vel quaſi mulierum ſuperbarum, multis privilegiis, ſub & obreptitiè donatarum, & ob dotem aliiſque de cauſis Imperium ſibi in virum ſceleratiſſimè arrogantium, habeatur ferè, non ſine maximo Reip. Eccleſiæ & Oeconomiæ damno, pro æquali. Vid. *Olorini Ethogr. mundi partem IV. totam. ſub Inſcriptione: Imperioſus mulier,*

THESIS II.

LEgi *Naturæ* & *Gentium* nullo modo eſt contraria, ſed potius convenientiſſima, ſiquidem videmus, *maſculum* à naturâ ita eſſe comparatum, ut uno anno plures infantes procreare poſſit, quod cum unâ fœminâ fieri non poteſt. Jam verò Deus & Natura nihil agunt fruſtra. Conſtat ergo hoc talentum ideo maſculo eſſe concreditum, non ut id recondat in terra, uti ſcriptura loquitur, ſed ut eo lucretur, & illi fini, cui à Deo & natura deſtinatum eſt conſecret. *Qui vero negligenter hoc opus Dei facit maledictus eſt*, inquit Jeremias. Quemadmodum igitur peccat, qui bonis animi (puta ſcientia, ſapientia, prudentia) & bonis fortunæ (pecunia ſcilicet aliiſque rebus) non utitur ad gloriam Dei & bonum proximi promovendum, ita etiam peſſime agit, & maxime delinquit, qui bonis corporis (exempli gratia, ſemine à Deo maſculis concredito) non utitur ad procreationem ſobolis, etiam hoc eſt opus Dei. *Qui vero opus Dei negligenter facit maledictus eſt*, inquit Jeremias de omnibus operibus Dei.

1. Theophilus Alethæus παχυλῶς, uti dixi ſententiam ſuam expoſiturus, ea, quæ extra omnem hodiè controverſiæ aleam eſſent poſita, prolixè probare ſuperſedebat, adeoque Polygamiam eſſe contra jus Naturæ ſupervacaneum demonſtrare ducebat, exiſtimans poſt tot egregia de Jure Naturæ hactenus edita ſcripta nullum ferè futurum vel Politicum vel ICTum, vel etiam Theologum; qui hoc negaret, ideo tantum paucis oſtendebat, naturæ maſculinæ & fœmininæ Polygamiam non eſſe contrariam. Quo magis mirandum ICTum alias non incelebrem in Academia inferioris Germaniæ in ſuo *diſcurſu perverſo* Polygamiam eſſe contra jus Naturæ publicè aſſerere. Ne igitur vel ille vel alii Anti-Polygami habeant quod conquerantur, quaſi deſint

Doctiſſimi Viri, qui cum Theophilo ſentiunt, poſſet eſſe inſtar omnium Alpha & Omega Politicorum *Hugo Grot. l. 2. de J. B. & P. c. 5.* §. ubi ita infit: *Conjugium naturaliter* (ſive jure naturæ) *exiſtimamus talem cohabitationem maris & fœminæ, quæ fœminam conſtituat quaſi ſub oculis & cuſtodia maris. Nam tale conſortium & in mutis animantibus quibuſdam videre eſt; In homine verò, quia animans eſt utens ratione, ad hoc acceſſit Fides, quâ ſe fœmina mari obſtringit. Nec aliud, ut conjugium ſubſiſtat, natura videtur requirere, ſed nec divina lex amplius videtur exegiſſe ante Euangelii promulgationem. Nam & viri ſancti ante legem plures unâ uxores habuerunt & in lege præcepta quædam dantur his qui plures unâ habebant.* Deut. 21. 15. Ex. 21. 9. *& Regi præſcribitur, ut nec uxorum nec equorum nimiam ſibi aſciſcat copiam,* Deut. 17. 16. 17. *ubi Hebræi Interpretes notant octodecim uxores ſive concubinas Regi fuiſſe conceſſas, & Davidi Deus imputat, quod uxores ei complures & quidem illuſtres dediſſet,* 2 Sam. 12. 8. & in fine hujus §. inquit, *non peccaſſe, qui plures uxores ante promulgatam Euangelii vocem habuerunt;* Ubi animadvertendum, quòd notanter dicat, fœminam conſtitutam quaſi ſub oculis & cuſtodiâ maris, & hanc conſociationem humanam in eo differre à brutali, quòd in humanâ acceſſerit fides, quà ſe fœmina mari obſtringat, de non accedendo ad alios, mas verò ſe non obligat de non ducendis pluribus, adeoque Polygamiam non eſſe naturaliter naturâ, ſeu jure naturæ, quæ ipſi ſunt Synonyma, iniquam nec etiam contra legem Dei in V. T. Putat verò *Hugo Grotius* ceu Arminianus in N. T. novas leges eſſe latas, quem ceu Politicorum Anteſignanum multi adhuc hodiè Politici & ICTi etiam ex noſtratibus ſequuntur, cum tamen noſtra Orthodoxa Eccleſia hoc conſtanter contra Photinianos, Arminianos & nonnullos etiam Pontificios ex Joh. 1. *Lex per Moſen data eſt, Gratia verò per Ieſum Chriſtum venit,* ſufficienter demonſtret, Chriſtum duntaxat explanaſſe leges V. T. & à ψευδερμηνείαις Phariſæorum & Sadducæorum vindicaſſe, nullas verò novas leges tuliſſe, ut inferius evincemus.

2. Poſt Hugonem Grotium Politicorum Coryphæum meritò ſequitur Doctiſſimus Anglus Jo. Seldenus de J. Nat. & G. l. 5. c. 6. p. 555. qui identidem ſtatuit Polygamiam non eſſe contra jus Naturæ: *Sanè,* inquiens, *juxta Hebræorum placita ſemper viro licita fuit uxorum etiam ſimul conjunctarum (ſed nunquam virorum uxori) pluralitas ante legem Moſaicam ſeu ex jure Naturali, nec minus poſt, temperamentis aliquot ex jure ipſis civili* (de Polygamiâ exceſſivâ) *adjectis.* Receptum enim eſt illud quod in Gemarâ Babylonicâ habet Rabba ad tit. Jabimot. c. 6. fol. 65. a. & vid. ſis Miſnæm tit. eod. c. 4. ubi de 4. fratribus eorumque ſuperſtite agitur in Gemar. Babyl. fol. 43. *Fas eſt cuique quotcumque ſuperinducere uxores, modò quibus victus eis præbeatur, res & ſuppetat.* Ubi tamen præter alimenta & veſtitum ſufficientem etiam τὴν εὔνοιαν ὀφειλομένην ſeu conjugale illud, uti communiter dictum Pauli explicatur, concubitus debitum volunt intelligi, ut ſuperinducenti eſſet ſingulis præſtandi poteſtas. *Fas eſt,* inquit Maimonides Aalach Iſchot. c. 14. add. R. Becchai ad Vaicra fol. 141. col. 2. & 3. *quotcumque etiam centum uxores ſive ſimul omnes ſive alteram poſt alteram ducere, neque poteſtas uxori antea ductæ virum hic impediendi, modo illi poteſtas fuerit præſtare alimenta, veſtitum atque debitum conjugale, ſecundum, id quod unicuique eorum competit.* Et hæreſis habita eſt nec toleranda Sadducæorum opinio, quâ binas ſimul haberi jure uxores negabant ex lege illâ malè intellectâ Lev. 18. 18. *uxorem ſororis ſuæ ne accipias in afflictionem ejus.* τῷ אחותן quod ibi *ſorori ſuæ* eſt, pro *alteri* ut certe verbum ipſum fert ſumto. Cæterùm de ſororibus binis, idque dum in vivis tantum fuerit utraque locus ille paſſim Magiſtris capitur, uti fuſius in libr. de Nupt. Hebr. Seldenus oſtendit. Et autor Peſœhtha Zotherta fol. 24. col. 1. (vid. ſis etiam Druſ. ad diffic. Loca Lev. c. 61.) ad dictam legem: *qui dicit binas ſimul uxores eſſe interdictas, notum ſit cum nec morum nec juris eſſe peritum; Nam multi juſti acceperunt binas uxores velut Elkana, 1 Sam. l. 2. David. 2 Sam. 3. 2. V. 13. Salomon 1 Reg. 11. 3. Et in libr. Paralip.*

multi

multi memorantur, quibus binæ uxores. Vetuſtiora autem ſimul conjunctarum exempla habes in Lamecho non tantum Gen. 4. 19. ſed etiam in Abrahamo Gen. 16. 3. Jacobo Gen. 29. Eſavo Gen. 36. 2. quin & Joſeph. l. 2. Arch. cap. 5. neſcio unde edoctus binas uxores Æthiopis Regis Filiam & Sapphoram Ragguelis ſeu Jethronis, (quæ in ſacris literis unica eſt) Moſi ipſi tribuit, quod velut fabuloſum rejiciunt viri Docti inter quos *Auguſtin. Riſamenſis apud Sixt. Senenſ. Bibl. S. l. 5. annot. 123.* Et hoc idem repetit ſupra laudatus *Seldenus* l. c. c. 7. quod ita incipit: *Matrimonium igitur, ex jure, quod docent Hebræi, naturalis erat viri & fœminæ ſive unius ſive plurium fœminarum tàm ex concubitu, quàm ex conſenſu præeunte conjunctio vitæ conſuetudinem continens.*

3. Ejuſdem ſententiæ etiam eſt Politicus acutiſſimus *Dn. Sam. Puffendorf. in libro accuratiſſimo de J. Nat. & Gent.* Sæpiſſimè à Theophilo citato, qui nunc non ad manus, nec in hoc celeberrimo maritimo Emporio, ubi plus quam 50 Bibliopolæ, haberi poteſt, digniſſimus, qui iterum recudatur. Nec diſſentit ICTus Celeberrimus olim in Academiâ Juliâ *Henr. Hahnius in diſp. de delictis carnis.* Cujus meritò veſtigia premit ſolertiſſimus & genuinus ejus diſcipulus Famigeratiſſimus hodiernus Anteceſſor in Academiâ Salanâ Jo. *Adam Struvius Synt. Jur. Ex. 29. d. 52.* ubi ait: *Plurium virorum cum unâ fœmina conjunctio etiam jure naturæ illicita, illa verò Polygamia, quâ vir plures ducit uxores, non videtur contra jus Naturæ nec divinum eſſe, Gen. 16. 3. 11. Deut. 21. 16. ubi agitur de jure primogenituræ in Polygamia. Poteſt enim plures uxores æquali amore conjugali proſequi, & ſingula uxor ex iſtis pluribus virum iſtum, ac poteſt vir pluribus fœcundandis liberiſque alendis ſufficere. Unde nec primæ inſtitutioni à Deo factæ contrariatur, ſed continet Polygamia hæc plura conjugia, & cum qualibet uxore conſtituit ille unus maritus ſocietatem conjugalem, & tantum ob unitatem alterius conjugis apparet ac ſi unum eſſet conjugium, quod benè re conſiderata diſtinctum eſt, & tot ſunt conjugia, quot uxores cum quibus contraxit;* Idem etiam confirmat acutiſſimus I C Tus Joh. Strauchius ad Jus Juſtinianæum, qui expreſſè aſſerit p. 14. Polygamiam non eſſe contra jus naturale. Quod etiam innuere videtur Theologus cordatiſſimus, cujus vita utinam ob multa ſcripta partim incepta partim concepta, non fuiſſet præmaturâ morte abrupta, Balth. Meiſnerus in Philoſ. Sobr. p. 3. Theologiæ Anteceſſor olim in Academiâ Witeb. celeberrimus prolixè probans *Polygamiam non eſſe intrinſecè & in ſuâ naturâ peccatum,* ſed tantum ex interdicto. Cum verò nullum interdictum habeatur, ut Theophilus iu Diſc. ſuo ſatis docuit, & quæ contra jus naturæ ſunt intrinſecè & in ſuâ naturâ ſint mala atque peccata, facile colligi poteſt, Polygamiam non eſſe contra jus Naturæ. Quod jamdum olim in eadem Academia profeſſus in *Conſult. An. 1531. 23. & in Conſil. Theol. p. 1. p. 128.* Communis Præceptor, uti vocatur meritò, Germaniæ *Phil. Melanchthon; Polygamiam,* inquiens, *non eſſe contra jus divinum, & profuturum ad vitandas quaſdam offenſiones, ſi à Rege Angliæ petatur diſpenſatio Pontificis, ut permittatur Regi Polygamia, idque credo Romæ impetrari poſſe. Nam divinum jus non repugnat, & Pontifices conceſſerunt aliis.* Et IV. Epiſt. Mor. p. 230. *prohibitionem Polygamiæ,* dicens, *habere probabiles potius quam neceſſarias rationes, & eſſe ex eo genere Juris naturalis, ubi mutatio non procul recedit à naturâ, unde etiam naturæ conditor Deus legitur approbaſſe Polygamiam in populo Judaico, imò pertinere ad ejuſmodi caſus, in quibus ſi Magiſtratus diſpenſat, non ſit ejus ſententia improbanda.* Similiter etiam *Molinæus in vol. 1. Diſp. Sedan. p. 546.* dicit: *quia Polygamiæ prohibitio non pertinet ad eas leges, quæ directè & immediatè ſunt in ipſius divinâ naturâ fundatæ, vel non pertinet ad tabulam legis, non eſſe propterea de jure naturæ ſed eſſe legis poſitivæ, & ejuſdem prorſus naturæ, ſicut obſervatio quietis præciſè ſeptimo die inſtitutæ.* Confer & *Rivet. 1. Exerc. 45 in Gen. 1, 182.* ubi multos recenſet. Quò etiam inclinat *Tarquinius Gallutius in Explan. & QQ. in Ariſt. mor. l. 5. c. 10. qu. 1. p. 1000. Præceptionem unicæ uxoris* inquiens, *unicæ uxoris, quæ divina jam eſt, ſuggeri quidem à naturâ ita tamen,*

ut

ut non præcipiatur imperio, ſed tantum conſilio atque hortatione quadam ſuadeatur honeſtâ, adeoque non ſit lex naturæ immutabilis. Quod etiam ſtatuit Guil. Grot. Enchir. de Princ. Jur. Nat. p. 144. Ejuſdem ſententiæ etiam eſt Cardinalis *Cajetanus* inquiens, *jure divino uxorum pluralitatem eſſe licitam, idque naturali jure nullam habere indecentiam, quin & ſacerdotibus hoc licitum fore niſi Eccleſiaſticâ prohiberentur diſciplinâ.* Nec diſſentit *Bellarm. l.* 1. *de matr. c.* 10. cum dicit: *Polygamiam non repugnare juri naturæ, quod eſt divinum, quod unus vir ex pluribus fœminis liberos poſſit ſuſcipere & alere.* Ita etiam ſentiunt *Durandus in* 4 *ſent. diſt.* 33. *qu.* 1. & *Alphonſ. in c.* 19. *Matth. qu.* 3. & concedunt quidem *Polygamiam ex parte uxoris repugnare juri naturæ, ita tamen ut negent, Polygamiam ex parte mariti, qua vir multas ducit uxores, juri naturæ adverſari.* Et Becan. in man. Controv. l. 4. c. 6. concluſ. 2. p. 1544. ſtatuit, *non abſolutè & ſimpliciter eſſe contra jus naturæ, plures habere uxores, ſed tantum ex parte, cum non repugnet fini primario, procreationi ſobolis,* quia quo quis habet plures uxores, eò poſſit plures liberos procreare. *Thom.* 4. *ſent. diſt.* 33. *q.* 1. *Dion. Carthuſ. in ſum. Fidei Orthodoxæ l.* 4. *a.* 171. *p.* 146. dicunt eſſe contra jus naturæ non primarium, quod in ipſis principiis ſpectatur, ſed ſecundarium. Ex antiquis Patribus etiam ſunt nonnulli qui diſerte ajunt, Polygamiam non eſſe contra jus naturæ. *Theodoret. expreſsè quæſt. in Gen.* 66. ſcribit, *naturam non prohibere plures ducere uxores.* Et Auguſt. de Bon. Conj. c. 17. Tom. VI. Opp. Non ſicut uni viro etiam plures habere licebat uxores; ita uni fœminæ plures viros, nec prolis ipſius causâ, ſi forte illa parere poſſet, ille generare, non poſſet, occultâ n. *lege naturæ amant ſingularitatem, quæ principantur.* Subjecta verò non ſolum ſingula ſingulis. Sed ſi *ratio naturalis vel ſocialis admittit, etiam plura uni non ſine decore ſubduntur.* Neque enim ſic habet unus ſervus plures Dominos, quomodo plures ſervi unum Dominum. Ita duobus ſeu pluribus maritis vivis nullam legimus ſerviſſe ſanctarum, *plures autem fœminas legimus conjunctas cum gentis illius ſocietas ſinebat, & temporis ratio ſuadebat. Neque enim contra naturam nuptiarum eſt.* Plures enim fœminæ ab uno viro fœtari poſſunt, una verò à pluribus non poteſt. conf. & T. III. Opp. col. 619. l. 9. de Gen. ad lit. c. 7. & T. IV. col. 222. Quæſt. ſup. Lev. l. 3. T. IV. col. 1122. de ſerm. Domini in monte. l. 1. T. V. Opp. de Civit. Dei l. 16. c. 25. T. VI. col. 415. l. 22. contra Fauſt. Man. c. 47. T. VII. col. 415. de Nupt. & Concup. l. 1. c. 9.

4. Supra laudatus *Hugo Grotius* in libro Incomparabili de J. B. & P. l. 1. c. 1. p. 4. poſt quam *naturale jus* deſcripſiſſet, (quod ſit *dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientiâ vel diſconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab autore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi*) ac non tantum à Jure humano, ſed & divino voluntario, quod non ea præcipit ac vetat, quæ per ſe ac ſuapte naturâ aut debita ſunt, aut illicita, ſed vetando illicita, præcipiendo debita facit, diſtinxiſſet, & à communi deſcriptione jus immutabile, (quod animantibus cum homine ſit commune) liberaſſet, tandem §. 12. dicit: *Eſſe aliquid juris naturalis probari ſolet, cùm ab eo, quod prius eſt, tùm ab eo, quod poſterius, quarum probandi rationum illa ſubtilior, hæc popularior. A priori ſi oſtendatur rei alicujus convenientia aut diſconvenientia cum naturâ rationali ac ſociali. A poſteriori verò, ſi non certiſſimâ fide, certè probabiliter ad modum juris naturalis eſſe colligitur id, quod apud omnes aut moratiores omnes tale creditur. Nam univerſalis effectus univerſalem requirit cauſam: talis autem exiſtimationis cauſa vix ulla videtur eſſe poſſe, præter ſenſum ipſum, communis, qui dicitur,* Heſiodi eſt dictum à multis laudatum:

φήμη δὲ οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ
λαοὶ φημίζους

Non etenim penitus vana eſt ſententia, multi
Quam celebrant populi.

Et hæc ipſa à Dn. Grotio monita curæ fuerunt Theophilo, qui & à priori & à poſteriori probavit, Polygamiam eſſe juris natu-

naturalis. A priori quidem, dum monſtravit convenientiam Polygamiæ cum naturâ rationali maſculina th. 2. & fœmininâ th. 3. ac proinde ineſſe huic actui rectæ rationi congruo bonitatem aut neceſſitatem moralem, & conſequenter ab autore naturæ Deo talem actum præcipi. A poſteriori verò, dum apud pleroſque omnes populos illam uſitatam fuiſſe prolixè §. 5. 6. 7. 8. ſeqq. deducit. Cùm tamen nec hoc Catone ſint contenti Anti Polygami, quidam Anti Polygamus *autor Polygynias* à meis partibus ſtat, & prolixè probat *Polygamiam non eſſe contra jusNaturæ*, qui opponi poſſet cœteris Anti-Polygamis contrarium aſſerentibus.

5. Illorum argumenta, jus naturæ concernentia, conjunctim examinabo, in primis tamen ea, quæ *Defenſor unius* ſeu potius unicæ ut dicendum erat in medium protulit. Dicit vero p. 66. Polygamiam eſſe contra jus naturæ, & non obſtare, ſi vel maximè multi ex ignorantiâ juris, vel etiam ex inſtinctu carnis libidinoſo Polygami fuerint, Ex quo ſequitur hoc abſurdum, vel ex ignorantiâ Juris Patriarchas, quod tamen Theophilus ſatis §. 49. refutavit, vel ex inſtinctu carnis libidinoſo, à quo Patriarchas omnes primitivæ & modernæ Eccleſiæ Doctores in omnibus religionibus abſolvunt, fuiſſe Polygamos. Suam verò theſim confirmare nititur 1. *ex Naturæ inſtitutione*. Per naturam autem dubio procul non intelligit omnem naturam creatam, rationalem & irrationalem, (ſiquidem nec in angelos nec in bruta cadit conjugium) ſed humanam tantum, de quâ ſciendum, quod hâc in re nil ex 1. inſtitutione naturæ humanæ ſequatur, quia Deus gradatim progreſſus (potuiſſet uno die creare omnia & mille maſculos) & à parvis initium facere voluit. Par & par creavit inter omnia animalia, ut Muſæus de conjugio th. 1. & communiter omnes Theologi ſtatuunt, par & par intrabant in arcam. Nec prima Rei inſtitutio præjudicat poſteriori auctioni. Status Oeconomicus etiam inſtitutus eſt tùm temporis, & quidem non niſi inter duo, & tamen nil obſtat, quò minus Paterfam. plures alat, non tantum uxores, ſed & ſervos, ancillaſque uti in decimo præcepto conjunguntur & uxor quidem, tanquam principalis & indiviſibilis pars familiæ præponitur, reliqua ceu ſeparabilia adjunguntur, neutra tum, cum alieno dominio ſubjecta appetenda. Ita ſtatusPoliticus etiam inſtitutis eſt in Paradiſo. Quis verò tam hebetis eſſet mentis ut ſtatueret, non debere plures quàm duo eſſe in Politia. Collegium Electorale inter ſeptem eſt inſtitutum. Jam ſunt octo & ſi placuerit Imperio Romano, poſſunt plures fieri Electores. Academiæ cum fundantur paucis ſæpè conſtant Profeſſoribus, ſed poſtea augentur. Ipſa Eccleſia, Deo Devota conſtans tribus Hierarchiis, Eccleſiaſticâ, Politicâ & Oeconomicâ in Paradiſo inſtituta eſt, & quidem nonniſi inter duo. Adam erat ſacerdos, Rex & Oeconomus. Eva quaſi auditor, inferior ſuo Domino & pars familiæ. Quis verò tam blennus & bardus ſit, ut ſtatuat, nonniſi inter duo illam propagari debere,

6. Deinde affertur, quòd recta ratio homini indita clamet, in unaquaque re primam antiquitatem eſſe ponderandam. In quo reſpicitur ad illud πολυ ϑεύλλιτον; *antiquiſſimum quodque veriſſimum*. Quod ſuas etiam patitur limitationes, ſiquidem Diabolus etiam antiquior homine, & homine quoque Chriſto non tamen verior & melior, ſiquidem in veritate non ſtetit. Joh. 8. Sed concedo ex abundanti primam antiquitatem eſſe ponderandam, ſed rectè atque ſobriè, ut deinceps audiemus. Inſuper dicitur, ad primum matrimonii initium nos claris verbis Chriſtum ipſum remiſiſſe. Verum enim verò Chriſtus Matth. 19. ex primo conjugio & verbis Adami tantùm probat indiviſibilitatem conjugum, quòd debeant adhærere invicem, uſque ad finem vitæ, nec quia à Deo ſemel conjuncti, ſeparari; ſed manere una caro, unitate animi & corporis. Neque etiam prima inſtitutio conjugii eſt in cap. 11. ubi eſt exemplum primarum nuptiarum, ſed cap. 1. ubi Deus dicit: *creſcite & multiplicamini*; quæ verba dubio procul de conjugio, ejuſque primario fine, propagatione ſobolis agunt, ſicuti ex his Theophilus ſufficientiſſime Polygamiam th. 20. aſtruxit.

Sicuti vero cum Paulus adducit exemplum

Abrahami in explicandâ naturâ fidei, non poteſt exinde tota eſſentia fidei exhauriri, ſed adjungenda etiam ſunt reliqua dicta hinc & inde de fide agentia, & cœtera Exempla Hebr. 11. longâ ſerie à Gentium Apoſtolo adducta, ita etiam in materiâ conjugii explanandâ non ſufficit unicum exemplum Adami Gen. 11. quaſi ſit unica totalis & adæquata norma omnium de conjugio occurrentium controverſiarum, cum exinde principaliter indiſſolubilitas perpetua, uti Chriſtus docet, evincatur; ſed addendum etiam eſt caput primum, ubi in mandato *creſcite & multiplicamini*, procreatio ſobolis, ejuſque convenientiſſimum medium Polygamia ſcil. ut Theoph. th. 20. monſtravit, imperatur. Nec prætereundum eſt caput III. ubi dominium viri abſolutum in uxorem, ejuſque ſubjectio ſumma in omnibus, uxoriſque voluntas in ſolidum dependens à voluntate viri deſcribitur. Neque negligendum eſt cap. 4. ubi exemplum habetur primum Lamechi digami, non reprehenſum, ſed ut Theoph. th. 32. docet, ſatis benedictum à Deo, qui cum primum exemplum contra ejus legem, ſi qua fuiſſet Gen. II. non taxat, approbat, aut legem tollit. Sequentia etiam capita ſunt inſpicienda, ubi in Antediluviabus conſpicitur abuſus conjugii, quòd ex voluntate carnali ducerent, quas vellent uxores. Nec omittenda reliqua Nahoris, Abrahami, Jacobi, Eſauvi, Simeonis, Elkanæ, Gideonis, Saülis, Davidis, Salomonis Exempla Polygamica, nuſpiam neque generaliter neque ſpecialiter neque per legem neque in exemplis reprobata. Et ſic poteſt vera natura conjugii explicari, atque clariſſimè demonſtrari, quòd Polygamia cum jure divino non pugnet, atque maſculinæ & fœmininæ naturæ, adeoque juri naturæ non ſit contraria: niſi velimus dicere, quòd populus Dei oculiſſimus, cum quo Deus familiariſſimè cùm ipſe tùm per Prophetas locutus, hæc jura ignoraverit. Audiamus tamen porrò, quomodo *Autor unius* ulterius ſatagat ſuam Monogamiam probare. Si prima, inquit, hominis origo conſulitur, ea hæc fuit, ut Deus, autor naturæ, maſculum & fœminam (non fœminas) in unitatem ſocietatis conjugalis jungi bonum eſſe judicaverit. Quod quidem concedimus, Deum pro bono habuiſſe, uno & quidem primo humanæ creationis die unam tantum fœminam adjunxiſſe. Non enim putabat conſultum unâ die Adamum pluribus onerare uxoribus. (Unde Laban ad Jacobum ait, ut prius ſeptimanas aliquot cum Leâ conſumat, quò melius amor maritalis excitetur, confirmetur, atque εὔνοια maritalis ſeu, ut vocatur, ὀφειλο εὐ-
νη ſtabiliatur, nec per alias uxores impediatur. præſertim poſt lapſum ubi multa honeſtè fiunt, quæ non honeſtè conſpiciuntur) ſed primum animadvertere, quomodo cum primâ ſe gereret. Cum verò primæ obediendo laberetur, atque omnibus bonis animi, corporis, & fortunæ, Paradiſo etiam, mediante Evâ excideret, plures ſine dubio non deſiderabat uxores, metuens ne totius mundi exul plura mala incurreret. Primam autem, ut Biblia Erneſtina explicant, deſiderabat, cum Deus ad ipſum adduceret omnia animalia. ad examen Adami in ὀνομαθεσίᾳ illorum inſtituendum, & exinde creati Adami concreatam ſapientiam explorandam & excolendam; & cum par & par in omnibus contemplaretur brutis, Adamus etiam ſociam concupivit, quod Deus ipſe innuere videtur; huic examini rigoroſo ſubjungens: *non eſt bonum hominem eſſe ſolum:* quaſi diceret; in animantibus animadvertit ille, quod non habeat, cum ſit μικρόκοσμος, parem, *faciamus igitur ei adjutorium.* Et hoc bonum ſeu beneficium uti vocatur mulier, volenti communicabat. Cum verò poſt lapſum ex ſupradictà ratione nollet plures, invito etiam Deus plura nolebat obtrudere, ſi quidem Deus ceu liberum agens hominem etiam creavit liberum, libereque permittit agere, nec cogit quemque ad aliquod bonum vel accipiendum vel refugiendum. Neque abſurdum eſt, ſi quis dicat, Adamum poſt lapſum Evæ non fuiſſe adeò æquum, ſed forſitan illam ceu tanti mali cauſam, niſi ſingulariſſimè cor ipſius direxiſſet Deus, & illam inſeparabilitatem conjugalem ab Adamo jamdum in primâ adductione Evæ agnitam in memoriam revocaſſet, nunquam iterum aſpexiſſe, ſed potius repudiaſſe.

7. Ex-

7. Exinde verò quod *Autor unius* dicit, Deo viſum bonum eſſe, ſi duo tantùm conjungeret, tale extruit argumentum: Quodcunque adverſatur bonitati naturæ humanæ à Deo primum conditæ, illud adverſatur juri naturæ. Atqui Polygamia adverſatur. E. Minor eſt ſimpliciter falſa, ſiquidem Deus tantùm monſtrare voluit, convenientius eſſe uno die unam tantùm ducere, ſicuti ipſe uno & quidem primo creationis Adamiticæ die unam tantum aſſociare voluit, non tamen excluſit aut prohibuit plures ſequentibus ducere diebus. Bonitas verò illa perpetua & ſemper obſervanda, quòd ita in duobus duntaxat debeat conſiſtere, unde probabitur? Eadem etiam dici poſſent de animantibus, eſſe contra bonitatem naturæ brutalis primitus creatæ, ſi jam Pater familias gallo plures gallinas, bovi, hædo, arieti plures concederet fœmellas. Quòd quàm abſurdum ſit, nemo non videt. Fundar autem illam (perpetuam) bonitatem in lege perpetuâ conditoris de Monogamia excluſiva Polygamiæ. Quæ lex nuſpiam apparet, & eſt planè Utopica, ut infrà videbitur. Momenta verò quæ obſervanda affert ad minorem probandam, ſanè non ſunt invicta, ſed partim refutata jamdum, partim adhuc inferius refutanda. Placet tamen ea breviter examinare: Primò igitur dicit, Deum creaſſe Adamum bonum, ſi ſermo ſit de bonitate perſonali & individui, nihilominus tamen deſideratum eſſe aliquod adhuc bonum, commune ſcilicet faciens ad propagationem ſpeciei decentem & perpetuam. Verum enim verò primum hoc momentum parum momenti habet, & noſtræ Polygamiæ nil præjudicat, ſed potius iſtam ſtabilit, dum conjugii, cujus ſpecies eſt Polygamia, neceſſitatem inculcat. Alterum verò momentum, quòd ſcilicet Deus illud bonum commune conſtituiſſet in adjutorio non multarum, ſed unius tantùm mulieris, nil momenti habet, ſiquidem ut omnia initia ſunt parva, ita Deus voluit à pari, ſicut in cœteris animantibus, incipere, quod erat in principio ſufficiens ad conſtituendam ſocietatem conjugalem, nil tamen impediebat, quò minus iſta ſocietas poſteà potuerit augeri. Non enim *inſtitutio* iſta erat *excluſiva plurium*, *ſed* tantùm *conſtitutiva neceſſariorum ad conjugium requiſitorum.* Sicuti enim ad conſtitutionem *herilis* vel *paternæ ſocietatis ſufficiunt duæ perſonæ*, quæ tamen ita ſunt comparatæ, ut herus poſſit habere plures ſervos, & Pater plures liberos: ita ad conſtitutionem ſeu inſtitutionem conjugii duæ perſonæ, maritus & uxor ſcilicet, ſunt neceſſariæ, non tamen ita conſtitutæ, ut in poſterum maritus non poſſit habere plura adjutoria. Nil enim amplius probatur, quàm quòd Deus tantum unicam adduxerit Adamo, non verò, quod Deus voluerit, etiam in poſterum ita & non aliter debere fieri aut poſſe; quod in tertio & quarto momento autor ſine ratione affirmat. Abundè quidem Adamo fuit proſpectum unâ uxore uno die ducendâ, quæ cum poſtea Adamum illicò ſeduxiſſet, tantum odium certe ipſi ſimul, præter opinionem quidem, dubio procul ingeneravit, ut plura ejuſmodi adjutoria Diaboli non deſideraret. Cur Deus non autem plures Evas in principio creârit, cum maximè ad multiplicandum genus humanum hoc ipſum facere potuiſſet, partim jam diximus, partim dicemus, ſi cauſam Anti-Polygamus prius nobis ſignificarit, quare non in ſingulis partibus & angulis terræ Adamos crearit. Deus voluit certè, ut ab uno ſanguine omnes provenirent homines, non ut Judæi tantùm ab Adamo, Gen. 2. gentiles verò ab alio Gen. 1. deſcripto, cum reliquis animantibus creato ortum traherent, uti quidem ſomniavit *Iſaacus Peyrerius*, natione Gallus, quam *Johannes Meſſreſotius* in externâ Reformatorum communione vixiſſe refert, *Mareſius* à *Belgii Hiſpanici proceribus* ad palinodiam redactum teſtatur. Quæ ſententia cum fabulam redoleat abſurdiſſimam; ita nil à vero dixerit quis alienum, ſi eidem fabulæ accenſeatur hæc eadem de Polygamiæ excluſione in primo Adami conjugio Monogamico ſtabilitâ. Neque inſtantia à bonitate phyſica hominis, in duobus oculis non pluribus, duobus pedibus, auribus, uno capite, non pluribus poſitâ, deſumta demonſtrat bonitatem moralem, uti eſt conjugium, fieri monſtroſam, ſi maritus haberet plura adjuto-

ria. Illud dubio procul omnium confeſſione eſt monſtrum inter homines, qui plura habet capita & pectora, aut quadrupes, quadrimanus naſcitur, qui autem habet plures uxores tantum abeſt, ut ſit monſtrum, ut potius ſit felicior, beatior & pluribus beneficiis atque adjutoriis à Deo, omnium bonorum autore, donatus. Neque enim bonitas ſpeciei communis in conjugali ſocietate numero unius maris & unius fœminæ circumſcripta eſt, ita ut non poſſit admittere plures. Excluſio quippe plurium uxorum non eſt fundata in primis nuptiis Adami Monogamicis, ſi quidem unius uxoris poſitio non illicò excludit plures. Neque etiam probari poteſt ex exemplo primo conjugii Adamitici, naturæ bonitatem ex perpetuâ naturæ conditoris lege debere eſſe contentam unicâ uxore. *Exemplum* enim *non facit* extemplò *legem*, alias exemplo Jacobi quadrigami aut Davidis octodecimgami, aut Salomonis millegami poſſet colligi, omnes debere eſſe millegamos, &c. Quod autem exemplum ſit ſequendum

Certabunt ἄγαμοι & adhuc ſub judice pugna.

Neque enim Monogamia perpetuum ſpeciei humanæ bonum eſt, quod nullo poſſit modo aut tempore mutari. Potuiſſet enim Deus, ſi voluiſſet, ſtatim ab initio plures fœminas creare atque Monogamiam in Polygamiam mutare. Sicut & poſtea in totâ ſpecie humanâ eſt mutata, & apud omnes nationes in omnibus terræ partibus, præſertim in populo Dei ſelectiſſimo fuit uſurpata Polygamia.

9. Secundum argumentum Anti-Polygamicum quod à *Defenſore unius* ex naturâ affertur, eſt deſumtum ex Brocardicâ Naturæ in omnibus contractibus univerſaliter, uti dicit, admiſſâ: quod quis non habet in poteſtate ſuâ, ſed alteri jam dedit, tradidit, à quo etiam traditum & donatum poſſidetur legitimè, cum redditione mutuâ rei æquivalentis, illud alteri iterum donari vel poſſidenda tradi non poteſt, ſive, ut brevius alias effertur, quod quis non habet, alteri dare non poteſt. Verum enim verò non jam diſputabo an ſit regula Naturæ, ita ut qui peccet contra hanc regulam, peccet contra jus naturæ, neque etiam in medium afferam iterum quod matrimonium ſit verus, ſed excellens contractus, qui reliquos omnes, qui mutuo conſenſu diſſolvantur, longo intervallo ſupergrediatur. Sed hoc tantum dico, totum argumentum illico ad incitas redigi ſi addatur, quod maritus non in ſolidum ſed pro ratâ parte duntaxat tradiderit ſuum animum & corpus uxori, ita ut poſſit etiam communicare alteri. Non enim eſt æquale hîc vinculum, nec eadem & æqualis obligatio mariti & fœminæ in ſocietate conjugali, nec eodem jure illicita Polygamia ex parte mariti, quo illa ex parte uxoris, ſed eſt contractus & pactum inæquale, (ut ſupra ad th. 1. prolixè monſtratum) ubi maritus citra & præter voluntatem uxoris poteſt tradere ſuum corpus ſecundæ & tertiæ uxori, quod mulier non poteſt, nec mulier dicenda eſt juri ſuo, quod non habet ſcil. totale, renuntiare, ſed ſi quando illius conſenſus, ut in Sara, Rahele, Lea, uxore Comitis de Gleichen / accedat, ſit ex ſuperfluo, concordiæ eò melius ſervandæ ergò. Maritus vero non poteſt nec debet ſalvo jure divino & conſcientiâ in uxoris ſuæ multiviratum concedere, nec tenetur etiam in malè promiſſis ſervare fidem, fortean datam uxori primitus ductæ de non admittendis pluribus uxoribus.

10. Tertium argumentum Anti-Polygamicum ab autore ſupra laudato adductum petitur à finibus matrimonii numero quaternario propoſitis quorum primus dicitur eſſe *procreatio*, & *educatio*, alter *mutuum adjutorium*, tertius poſt lapſum, *ſcortationis vitatio*, & quartus ex revelatione Euangelii accedens *typicus* ſcil. Chriſtum & Eccleſiam adumbrans. Sed hi fines omnes melius in Polygamia reperiuntur, quàm in Monogamiâ, ſiquidem plures uxores plus poſſunt afferre adjumenti partim in procreando, partim in augendâ & cuſtodiendâ re familiari. Quò quis plures habet uxores, eò plures liberos poteſt procreare. *Lamech* teſte Zonarâ habuit. 77. *Gideon* 71. Jud. 8. *Ahab* 70. *Artaxerxes* Rex Perſarum autore Juſtino l. 10. ex pellicibus 115. ex legitimâ verò tres ſuſcepit liberos. *Hierotimus* Rex Arabiæ ſexcentorum filiorum pater fuiſſe dicitur.

Nec

Nec obeſt intemperantia cum pluribus, cum ſæpe in Monogamiâ major & damnoſior uxori & infanti detur incontinentia. Præterea in re familiari plus vident oculi, quàm oculus, plus præſtant plura adjutoria, quàm unum. Evitabitur etiam magis ſcortatio, ſi ducere licet plures, etſi Magiſtratus, cum quis ſcortatus cum ſoluta, eum adigat, ut in matrimonium aſciſcat, atque reſtituat honorem ablatum fœminæ adimatque infamiam infanti deinceps obventuram. Non dicam jam de ſcortatione, quæ cum propriâ uxore juxta Patres & Moraliſtas committi poteſt, cum non liberorum quærendorum causâ, ſed ad explendam libidinem vel cum prægnante aut lactante res habetur. Neque etiam cogitur vir ſatisfacere uxori. Peſſimum enim hoc eſt principium, communiſſimum tamen, ortum ex Monogamiâ Excluſivâ, & æquali illo jure commentitio, quod vir habet in corpus uxoris, & reciprocè uxor in corpus mariti. Si enim vir eſt obligatus ſatisfacere uxoris inordinatis & carnalibus, contra animam juxta Paulum pugnantibus, affectibus, Polygamia muliebris eſt introducenda, ſiquidem vix decem, vel viginti viri uni mulieri, quæ ſemper, ſi non eſt prægnans, appetit, ſufficient, unde ſæpè in conjugiorum auſpiciis inter Monogamos, cum intemperanter agatur, & mariti ſæpe numero putent, uxoribus non ſatisfactum, niſi ſibi ipſis ſatisfaciant, (cum juxta Terentium: ut ſuam quiſque vult eſſe, ita eſt) ſpectantes magis voluptatem, quàm ſobolis procreationem, non raro accidit ut primo & ſecundo anno non concipiant, donec delaſſati nimio coitu aliquantiſper remittant & moderatius agant. Eſt enim, ut aptiſſ. Arniſæus de Jur. C. ait: *Vis viri finita & à natura ad certum contracta terminum.* Et Bodin. l. 5. de Rep. p. 792. dicit: *Inopiam liberorum & diſſimilitudines à frequenti & promiſcuo concubitu proficiſci opinor.* Huc etiam Plutarchi Apophtegma ap. Rhodig. Lect. Antiqu. l. 4. c. 6. p. 471. quemadmodum illorum ſemen, qui ſe ad coitum intemperantes præſtant, infœcundum ut plurimum & ſine fructu. Sic & loquendi intemperantia orationem. In Polygamiâ verò verus finis matrimonii procreatio ſobolis hominum animis deinde imprimitur, ita ut prudentes, qui ex pluribus tollere liberos amant, auream mediocritatem ob oculos habeant. Unde Lycurgus non incongruè ſuis inſtitutis hanc inſeruit Sanctionem, *ut non liceret viris cum mulieribus pernoctare*, forſitan niſi tentandæ prolis ergò. Quod hodie per conſuetudinem inveteratam vix poſſet extirpari. Quod verò dicitur, Salomonem millegamum unicam tantum habuiſſe ſobolem, Roboamum nempe, gratis aſſeritur, cum ſcriptura etiam duarum Filiarum mentionem faciat, & præterea *à ſilentio ſcripturæ in hiſtoricis non licet negativè argumentari.* Quis v. 3. negabit; Rempublicam ædificari, ſi familiæ per Polygamiam ædificantur. Illa enim ex familiis conſtat, & annon Reſpublica quò populoſior, eò felicior. Hoc verò nonniſi mediante conjugio, & commodiſſimè Polygamia fieri poteſt. Quo pacto etiam quarto probabitur, legitimam & honeſtam propagationem prolis à naturâ intentam conſiſtere tantùm in matrimonio unius fœminæ; ſiquidem, ut hactenus demonſtratum, & à Theophilo evictum contra nullam legem neque naturæ, neque revelationis eſt Polygamia, & honeſta atque conſueta erat apud honeſtiſſimam gentem à Deo ipſo in omni honeſtate informatam, populum nempe Judaicum. Nec obſtat abſurdum quod *autor unius* exinde deduci putat, quod ſcortatio promiſcua hoc pacto etiam non eſſet contraria naturæ, quia per promiſcuos concubitus etiam propagetur proles, cum ipſe autor in antecedentibus aſſerat, non tantùm quòd ſcorta & meretrices ob promiſcuos concubitus ſint infœcundæ, & hac ratione potius impediatur proles, quàm promoveatur, ſed etiam rectè doceat, ſcortationem inter ſumma ſcelera gentibus etiam exoſa eſſe numerandam. Multò minus (5) exinde probandum tanquam conveniens naturæ *Amazonum* inſtitutum, quæ cum perſuaſæ erant, claudos eſſe ad uſus Venereos implendos maximè præpotentes, juxta *Antoninæ* Reginæ Amazonum adagium: *optimè claudus init*, conſueverunt maribus nates mutilare. Nullo enim pacto hæc inſana naturæ atque V. præcepto repugnans & cum læſione proxim

conjuncta, aliàs inaudita conſuetudo cum Polygamiâ nulli legi contrariâ eſt comparanda, tantum abeſt, ut illi ſit præferenda, cum per Polygamiam proximus non lædatur, nec membra ejus mutilentur, nec naturæ officiat, familiæ verò & Reſpublicæ hoc pacto ædificentur, uti jam probatum & in Amazonum inſtitūto ſpectetur tantùm voluptas vitioſa & immoderata, quæ legitimæ ſobolis propagationi directè repugnat, quod nullatenus de Polygamia dici poteſt, multò minus aſſeri, Polygamiam eſſe pejorem; quàm ſi membra viris ad augendos concubitus carnales amputentur.

Hoc enim in V. & VI. præceptis, quæ ſunt præcepta naturæ prohibetur; Polygamia vero nullibi. Nec (6) impeditur per Polygamiam *decens liberorum educatio*, ſed potius promovetur, ſiquidem quando una uxor eſt in templo, foro, aut apud parentes, cognatos, fratres & ſorores, vel ægrota, prægnans, & poſt puerperium ceu vas debile, lecto affixa, poteſt altera liberorum habere curam ex amore mariti, cujus liberi ſunt, multò melius, quàm ancillæ ſcandaloſæ in omnem nequitiam pronæ, pecuniâ conductæ; quæ liberos vel corrumpunt, à parentum amore abſtrahendo, omnibuſque liberorum deſideriis velificando, vel in abſentiâ parentum torvis oculis, alapis, verberibus excruciant.

11. Secundus finis matrimonii, *mutuum* ſcilicet *adjutorium*, nullas remoras ſentit per Polygamiam, ſed potius commodiſſimè obtinetur, ſiquidem uxor, ceu vas debile, ut Apoſtolus loquitur, in ante & poſt puerperium, & aliàs etiam multis infirmitatibus obnoxia non ſufficit ad culinam & liberorum educationem, amplæque præſertim domus atque familiæ gubernationem, quæ omnia plures uxores, ac plura adjutoria, diviſis muniis, melius poſſunt, præſertim ſi feuda prædia vel domus ſunt disjuncta, præſtare. Non dicam quòd, unâ uxore mortuâ; reliqua adjutoria adſint, quæ rem familiarem in ſtatu ſuo conſervent, cum alias viduis maritis in Monogamiâ, & ob unicam uxorem, partem animæ dimidiam nimis animo diſcruciatis, res domeſtica multa damna patiatur, & tantum non ad incitas redigatur præſertim cum viris in officio publico conſtitutis, aut mercaturæ, vel aliis negotiis, extra domum peragendis, aut itineri addictis, omnia ſervis, de quibus notum illud veri verbium: *tot fures quot ſervi:* & ancillis, quibus, ſi benè velis educare liberos, mandes, ſint concredenda. Ex quo conſequitur, multa imò infinita damna atque inenarrabilia detrimenta ex Monogamiâ in familias & inde in Remp. derivari, & hodiè ferè ob liberorum malam educationem & mulierum etiam malitiam ex Monogamiâ ortam, multas Reſp. bellis, peſte, annonâ aliiſque malis infeſtari. 2. Veritati ſanè haut congruum eſt, quod natura ſocietatis conjugalis non admittat Polygyniam, cujus contrarium Theophilus hinc & inde evicit; multò minus hæc in conſortio principatus Oeconomici quædam participatio illam excludit, quia omnis principatus juxta Auguſtinum, amet ſingularitatem. Non enim uxori, ſed marito principatus, qui ſingularitatem amat, competit, poſt illum verò in familiâ habet aliquod dominium uxor, ſed dependens à marito, & cum pluribus uxoribus, ſi maritus velit, dividendum, nec conſortium illud in principatu ſeu dominio Oeconomico ob pacti conjugalis ſuperius demonſtratam inæqualitatem, poteſt eſſe æquale, ſed eſt ſubordinatum & ſubdelegatum, quo maritus ceu ſuperior committit quæ vult, ſubditæ uxori ceu inferiori. Sicuti illa dicta Poëtica de uxore neutiquam ſed de viro, ad quem duntaxat poſſunt applicari, loquuntur, cum Seneca ait in Agamemn.

Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit. Et
Nec regna ſocium ferre nec tædæ ſciunt.
Non bene cum ſociis regna Venuſque manent. Ovid.

Homerus etiam cecinit: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. Atque proinde ſequitur, accuratè loquendo quòd non ſit amicitia inter virum & uxorem, multò minus perfecta, ſiquidem inter pares tantùm & æquales ut Damon & Pythias, Jonathan & David erant, vera eſt amicitia. Amor quidem eſt, iſque maximus, inter virum & uxorem, ſed non amicitia multò minus per-

perfecta, ſiquidem non vivimus, niſi inter imperfectos, nihilque perfectum in humanis invenitur actionibus. Mos Gentilium verò, qui amaſias ſuas Deas vocabant, Gynæcolatriam Poëticam ſapit, cum dicitur, quòd mariti animus poſt Deum *unicè* intentus amori conjugis, ut eam benevolentiâ caſtâ complectatur, officiiſque foveat, ut jacturam rerum omnium temporalium ejus ſaluti & incolumitati poſtponat: Uxor quidem *unicè* debet eſſe ad id intenta, ut poſt Deum Optimum Maximum, maritum, ceu Deum ſuum terreſtrem, quaſi colat, illiuſque mandata cum reverentiâ & ſubjectione maximâ excipiat, atque expectet. Sed hodie eſt inverſus Decalogus & perverſus mundus, ubi quod marito debetur, ad ſe ut plurimum rapit uxor, quæ ut idolum à marito ad nutum & ad imperium ferè vult coli, ut non malè loquatur, qui aſſerat in Monogamiâ latere, & ex Monogamiâ etiam ortam licet per accidens ſubtilem Gynæcolatriam. Maritus enim ceu ſuperior, qui multa poteſt habere inferiora, & Deus quaſi ſuæ uxoris deberet rite coli atque unicè à ſuâ conjuge, nec obligatur ad unicam eſſe intentus; multò minus unicè diligere illam, ſicut ſeipſum, quod in ſcriptura cum nuſpiam extet, probatur ex Venuſino ſcilicet Poëta Horat. 11. Ep. 14.

Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.

Sed non video, quomodo à ſorte ad uxorem fiat collectio, ſed poſito, ritè hoc fieri, potius pro me facit, quòd ſicut alterius ſors non eſt appetenda, ita nec alterius uxor. Hoc enim adulterium eſt, longè diſtinctum à Polygamiâ, quæ non alterius uxores, ſed ſolutas in matrimonium recipit. Nulla verò injuria fit priori uxori, utpote cui corpus unicè non debetur; Tenetur tamen redamare ſuum maritum, etſi ſe non unicè amari ſentiat. Et ſi Zelotypiam hîc uſurpare velit, vitioſa & illegitima illa eſt, (cum aliàs ſoli marito Num. 4. competat) refrenanda & ex verbo Dei corrigenda, ut adjutorium verum ſit, nec altercationibus ſuis injuſtiſſimis & deſideriis ſceleſtiſſimis evadat *adjutorium Diaboli*, ut Chryſoſtomus loquitur. A bonis verò & probis, iiſque Chriſtianis uxoribus, licet multis, nullæ creabuntur moleſtiæ, etſi quandoque ut in conjugio ſolet, crux omnibus hominibus juxta ſtatum cujuſlibet impoſita non emaneat. In omni enim Polygamiâ ſimultaneâ uti dicitur quidem; occurrere rixas exempla Davidis, Salomonis, Roboami, Abiæ nos non docent, quamvis, cum ad hiſtoriam hæc pertineant, ſimpliciter negare non audeamus, Fratrum etiam atque ſororum, ſocruum & nuruum gratia eſt ſæpe admodum rara, non tamen propterea è mundo relegantur. Inſuper (6) *vires corporis* non frangentur aut exiccabuntur in Polygamiâ, ſed potius augebuntur, ſi moderata cum pluribus uxoribus inſtituatur converſatio. Et immoderatus Veneris uſus cum unâ uxore ſæpè morbos, ſenium, aliaque mala accelerat.

12. Tertius tandem finis poſt lapſum per accidens concurrens, nempe *vitatio ſcortationis*, per Polygamiam magis obtinebitur, ſiquidem cum mulier eſt ægrota, menſtruata, prægnans, vel lactans poteſt vir juvenis abundans ſemine cum cœteris perſonis ſeu uxoribus non impraegnatis rem habere, & ſic à ſcortationibus abſtinebit, præſertim, ſi Magiſtratus eò laboret, ut maritus omnes, cum quibus extra conjugium rem habuerit, ducat, & onera matrimonii ſentiat, atque moleſtias malarum, ut communiter ſunt, mulierum deprehendat. Huc facit diſcurſus *Arniſ. de J. Conn.* c. 4. p. 213. *Quod ſi*, inquiens, *ab unâ uxore tantum exſpectatur moleſtiarum, quantum expectandum erit à multis. Omnibus enim malis Punicis ineſt aliquod granum putridum & Gallus quidam, qui quatuor uxores ſimul duxerat, rogatus à Carolo, cur id feciſſet, reſpondit, ſe ab initio non deſideraſſe, niſi unam ſolam, eamque probam, Poſtquam vero eâ ſpe, ductâ primâ, excidiſſet, periculum voluiſſe facere cum ſecundâ, tertiâ & quartâ, ſed poſteriorem ſemper deprehendiſſe priore pejorem.* Vid. etiam *Robert. Scharrock, in Leg. Cenſ. de Var. Incont. ſpec.* 42. 43. ut adeò non opus ſit Polygamiam prohibere, cum moleſtiæ ipſæ ſatis prohibeant, & niſi quis forte fortuna ad eam perveniat, facilè intermittat. Præſertim cum Diabolus magis ſcortationes, adul-

adulteria, peccata Onanitica, Sodomitica promoveat, quàm Polygamiam verbo Dei conformem. Neque enim Apoſtoli dictum 1 Cor. 7. *quiſque ſuam habeat uxorem*, Polygamiam, ut Theophilus inferius monſtravit, infringit. Siquidem proprius manet omnium uxorum maritus, ut Pater proprius omnium Filiorum Pater; prætereà in Græco textu eſt diverſa phraſis, cum in uno loco ἴδιον, in altero ἑαυτȢ extet, diverſitatem obligationis clariſſimè innuens. Non nego quidem maritum unum non ſufficere pluribus ad refrenandos cupidinis æſtus, ſed nec ſufficit uni *Meſſalinæ* inſatiabili; nec opus eſt, ut ſatisfaciat, quia etiam non poteſt, inhoneſtis & inordinatis uxoris affectibus. Chriſtianæ verò & benè moratæ mulieres indecora & damnoſa nunquam deſiderabunt, ſuas cupiditates ipſæ refrenabunt, omnibus, quæ maritus agit, contentæ, & gravidæ maritum non gravabunt, in quibus tamen etiam uſtiones carnis extinguere maritum obligatum ſupra commendatus Autor unius putat.

13. Quartum argumentum Anti-Polygamicum petitum ab implantato viris & mulieribus Zelo, non probat, quod probandum, Polygamiam nempe eſſe contra jus naturæ, ſiquidem jamdum dictum, Zelotypiam muliebrem eſſe vitioſam (ut ipſe Autor Anti-Polygamus p. 87. monſtrat) impudicam, ad voluptatem, non procreationem ſobolis attentam, ex illo imaginario æqualis pacti Jure Utopico ortam, adeoque à Diabolo impuro Spiritu poſt lapſum implantatam, Spiritu Dei domandam, ſupprimendam & totaliter, ſi fieri poteſt, eradicandam (cum contra *Zelotypia mariti* in ſcripturâ fundatiſſima ſit, Num. 4. de quo infra.) Ac propterea non debet odiſſe uxor ſuum maritum, ſed potius amare, & ſincerè diligere, multò minus inſidias, memores verbi divini, vel maritis, vel couxoribus ſtruere. Sed & hoc in Monogamiâ, ut jam de Galliâ ad nauſeam & ſtuporem uſque in Novellis ſingulis audimus, poteſt contingere. Chriſtianæ & verè piæ mulieres de hoc Diabolico conatu nequidem ſomniant. Et de his, cum ſimus Chriſtiani, tantum nobis eſt ſermo. Quid nonnullæ mulieres Ethnicæ, Thebe mariticida, Laodice Veneficâ ex Richard. Dinotho LL. Hiſt. adductæ, & Lemniæ mulieres ad unum omnes maritos, in captivas propenſiores, trucidantes ex Arniſ. de Jur. Conn. c. 4. p. 272. aſcriptæ perpetrarint, ad Chriſtianas mulieres è verbo Dei aliud edoctas, non ſpectat. Nec Saræ & Hagari, Raheli & Leæ, Hannæ & Peninnæ aliquis furor tribui poteſt, ſed tantum affectus quidam præpoſteri & præcipites, quibus maximè ſexus ſequior eſt obnoxius. Neque enim Polygamia eſt cauſa, niſi per accidens, rabiei muliebris, aut aliorum affectuum, ſed vitioſitas naturæ muliebris, & pravæ opiniones, quibus reguntur mulieres. Nec affectus naturalis bonus à Deo muliebribus concreatus abhorret adeò à Polygamiâ, ut patet ex Sarâ, Rahele, Leâ maritis ancillas ſubminiſtrantibus, Æmilia it. Africani Maj. uxore Val. Max. l. 6. c. 7. Stratonica ap. Robert. Scharr. in Leg. Cenſ. de Var. Incont. Spec. p. 51. Livia & Cannibalum fœminis ad pellicum amorem maritos allicientibus ap. Arniſ. de Jur. Conn. p. 273. Sed vitioſitas naturæ poſt lapſum conſpicuæ, & malâ educatione confirmatæ, atque pravis conſuetudinibus, ac mundi perverſiſſimi ſeductionibus radicatæ. Tantum verò abeſt, ut publicus Polygamiæ uſus iſtam Zelotypiam naturalem, uti aſſeritur, in prædictis fœminis eradicarit, ut potius pravæ Monogamiæ excluſivæ conſuetudo abierit in alteram naturam & opinio de æquali illo mariti & uxoris jure fictitio, & inde orta vitioſitas firmas egerit radices, vix extirpandas, utut rectè Thom. 4. ſent. d. 33. q. 2. *conſuetudine induci poſſe juſtam plures ducendi licentiam.*

14. Quintum argumentum Anti-Polygamicum *à lumine Naturæ in gentilibus adhuc reſiduo*, ſeu à conſenſu Gentium, à Polygamiâ abhorrentium, petitum Theoph. §. 5. 6. 7. prolixè refutavit. Videamus tamen, quomodo id probet, Primum adducitur Exemplum *Labanis* Jacobum de non ſuperinducendis pluribus adjurantis. Verum enim verò illud exemplum ſatis docet, Labanem non ab ipsâ Polygamiâ abhorruiſſe, ſiquidem ipſe non tantùm duas ſuppeditavit filias

filias Jacobo, ſed & duas ancillas conſenſu interpretativo admiſit, ſed tantùm veluti avarum Euclionem, & providum ſimul patrem, qui filiabus ſenio vicinis de tranquillâ per Polygamiam ulteriorem non turbandâ vitâ proſpicere, ideoque de non pluribus ſuperinducendis Jacobum obteſtari voluiſſe. Deinde ex Euripidis Polygami *Andromache* dicente:

Non decere duabus unum virum imperare fœminis:

Quilibet videt, Euripidem ſub perſonâ & nomine Andromache vitioſam fœminarum naturam vivis depingere voluiſſe coloribus, qui nempe ſemper certant, cum viris partim de imperio, partim de non pluribus inducendis memores illius Macchiavelliſtici axiomatis à Jul. Cæſ. laudati, *Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.* Quid quod ipſe Euripides fuerit bigamus, adeoque ipſo facto Polygamiam approbarit, inter gentiles non inuſitatam, Polygamiæ verò raritatem vitiis fœminarum, quæ taceant meritò in Eccleſiâ, Rep. & quæſtionibus Theologicis; ſcribere voluit. Cecropem 3. quod attinet, de quo infrà, ſatis apparet, ipſius quod non ob Monogamiæ excluſivæ rationem, excogitatam, διφυὴς ſeu duplicis naturæ appellatus, ſed quòd Polygamiam muliebrem, ſeu vagas fœminarum libidines ſuſtulerit, naturam utramque maſculinam & fœmininam indiſſolubiliter conjunxerit, ac verum matrimonium individuum introduxerit, quòd vel ex eo patet, quia pueri ante dicti μονοφυεῖς (i. e. unius naturæ) quia patre incerto ob promiſcuos puerperarum concubitus matrem duntaxat agnoſcebant, qui poſtea Cecrope ferinos iſtos mores extirpante, vocabantur διφυεῖς ſeu tales, de quorum Patre & matre conſtaret, quod cognomen deinde ipſi autori ceſſit. Vid. *Rhodig. l.* 18. *Antiqu. L. c.* 25. *p.* 1013. (4) Quod ex *Terentii* Phormione adjicitur, concedo Lemnienſem mulierem *Chremi* Lemnum venienti, jamdum uxorato, plebejo, & non adeò amplam domum, ut plures alere poſſit, poſſidenti, non libenter fortean nupſiſſe. Verum nunquid fœmina in re tàm arduà teſtimonium ferre poſſit, jam modò vidimus. Nec Paraſiti illius *Phormionis* verba magni ſunt momenti. Voluit enim Terentius in Phormione falſorum amicorum & Paraſitorum genium depingere, qui modò calidum modò frigidum, gulæ ſaturandæ ergò ex uno ore efflant. (5) Julius Cæſar non ob Polygamiam, ab ipſo liberorum procreandorum causâ lege ſancitam, ſed ob adulteria, ad expiſcandas ab uxoribus maritorum inclinationes exercita *omnium virorum mulier, & omnium mulierum vir* quod dictus fuerit, ipsâ lubentiâ lubentius concedimus. (6) Apud Romanos infamiâ per Prætorem & edictum Valeriani & Gallieni, nec non Diocletiani & Maximiliani notabantur, qui binas ſimul uxores habebant, ſed uxoris nomen dignitatis erat nomen, quo non omnes gaudebant. Habebant enim tres modos connubiorum, *confarreationem*, quæ multis ceremoniis ſacris & profanis peragebantur, *coëmtionem* & *uſum* præſertim, quæ tenuiter contrahebantur, ſicuti tria genera fœminarum, *ingenuam, libertam & ancillam ſeu ſervam*, ut Theoph. ex Martiale docet. Sicuti igitur non omnes uxores Salomonis erant Reginæ, ſed filia tantum Pharaonis & poſt hanc etiam plures inferiores Reginas 60 nempe habebat, ut ex Cantico ſcimus, ita etiam libertæ ſeu ſervæ uxorum nomine non veniebant, erat tamen verum connubium, quod ex eo apparet, quòd mancipiorum ex utraque parte conjunctionem nollent dicere conjugium, ſed contubernium, unde uxores ingenuis Romanis ex libertis vel ſervis ſumtæ in tanto honore non fuêre. (7) Germanis ſanè laus amatæ ab omnibus & ſemper Monogamiæ tribuenda non eſt, ſiquidem expreſſe *Tacitus* de Mor. Germ. dicit: *nonnulli non ob libidinem ſed ob nobilitatem pluribus ambiuntur nuptiis.* Verba ſunt: *Severa illis matrimonia; Nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti* (barbari omnes, qui non eſſent Romani, dicebantur, ut doctis notum, ubi ergò conſenſus: cum omnes gentes fuerint Polygamæ) *exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus ambiuntur nuptiis.* Inde diſcimus, nobiles & ditiores,

tiores, in amplâ re conſtitutos habuiſſe plures uxores. Ruſticorum verò nuptiæ Tacito Romæ viventi non fuerunt adeò notæ, & plebeji ruſtici non norunt alere, & quod ſummum eſt, regere multas uxores, unde nonniſi rarò occaſione oblatâ ad eam deveniunt. Non verò inſipiens fuit inſtitutum quorundam vett. Germanorum, quod Polygamia ſucceſſiva muliebris non fuerit apud illos in uſu, & uxoribus poſt maritorum obitum non licuerit amplius nubere. Ita enim magis amabunt conjuges, nec veneno aut venenatiſſimis affectibus maritorum mortem accelerabunt. Verba Taciti hæc ſunt: *Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoque uxoris ſemel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamque vitam, nec ulla cogitatio, nec longior cupiditas, nec tanquam maritum, nec tanquam matrimonium ament.* Cum itaque Germani fuerint Polygami, non opus eſt, ut *Phil. Cluver. Antiqu. Germ. l.* 1. *p.* 146. Monogamiam Germanorum ex memoriâ & obſervatione præcepti divini Adamo in Paradiſo dati derivet, cum potius ob præceptum Polygamias Protoplaſtis, ut *Theoph.* monſtrat, datum omnes ferè gentes in uſu habuerint. Atque hic eſt conſenſus ille Gentium ab *Autore unius* allatus & ſatis refutatus, reliquis in alium locum reſervatis, Quò ipſo nunc apparet Polygamiam non eſſe contra jus Naturæ, id quod hodiè fere omnes uno ore mecum affirmant.

15. *Deus & Natura nil faciunt fruſtra.* Nonnulli Anti-Polygami, præſertim *autor Victoriæ Utopicæ* ſugillat hunc canonem à Theophilo hic adductum, & paratragœdiatur in adducendis multis abſconditis naturæ, & arcanis providentiæ, de quibus, præſertim poſterioribus, nobis non eſt ſermo. Fatemur enim hac in parte ignorantiam noſtram & cum Paulo miramur inveſtigabiles vias & imperſcrutabilia Judicia Dei Rom. 11, In Naturalibus etiam non neſcimus, verum eſſe illud:

Felix qui potis eſt rerum cognoſcere cauſas. Cauſæ ſcilicet plerumque latent, res ipſæ patent, unde *Scal.* ait Nomina mihi *Formam hujus lapidis & Phyllida ſolus habeto*, unde cum illo ſapiente dicimus: *Quantum eſt quod neſcimus*, aut cum Scaligero: *Erudita ſapientia eſt quadam neſcire.* Interim vitio non vertendum, ſi in naturalibus in cauſas inquiritur & ſi quæ inveniuntur, gratâ mente ſunt agnoſcendæ, ceu *Sperlingius* Præceptor olim meus in ſuis Inſtit. Phyſ. dicit: *In naturâ, quædam latent, quædam patent, quæ latent pro virili ſunt inquirenda, quæ patent, non negligenda.* Cum itaque Theophilus hunc Canonem, *Deus & natura nil faciunt fruſtrà*, adducit, loquitur de Naturali hominis ſemine, quod *cui bono* à Deo & naturâ datum ſit, vel ruſticorum pueris eſt notum, nempe ad procreationem. Dicit verò inter alia *fictor Victoriæ*: Quot cœlibes fœcundi, queis Deus ne unam quidem tribuit uxorem nedum plures? Hi ipſi ſunt in causâ (mundus plenus fœminarum) expectantes fortean immediatam Adamicam adductionem, & divinam cum Evâ quâdam copulationem, ac intereâ oblatam à Deo ſæpè occaſionem fronte capillatam & poſt hæc calvam, non arripiunt, & ceu cœci in propriis, non animadvertunt.

16. *Maledictus, qui opus Domini facit negligenter.* Hoc dictum ex Jerem. 48. 10. (quod Erneſtina Biblia ita explicant, maledictus ſit omnis inter Chaldæos, qui indictam & à Deo interminatam pœnam in Moabitis non exequatur:) malè & quidem blaſphemè. ut *autor Victoriæ confictæ* p. 20. inconſideratè loquitur, à Theophilo adductum multi blaterant. Verumenim verò cum illud dictum ſit generale & in ſpeciè ad ſingularia opera Dei ab homine expediunda applicetur, quis non conjugium & conſequenter Polygamiam quoque, quod eſt verum legitimum, ſed multiplex conjugium, his operibus Dei contineri aſſerat. Ipſe Lutherus, qui juxta *Victorem* illum *Cretenſem* etiam blaſphemiæ accuſandus eſſet, vocat digamiam opus Dei in aureo tractatu de Digamiâ Epiſcoporum §. 49. *Nunquam verò factum vel auditum digamos apud gentes criminoſos, ac non potius honoratos haberi. Simulque conſtat, Digamiam eſſe opus Dei* (audi, blaſpheme, quid Lutherus dicat.) *à Paulo probatum & benedictione Dei* Gen. 1. *comprehenſum.* Et §. 77. *Si verò ſcandalum eſt,*

eſt, apud impios Papiſtas ſcandalum eſt, quibus omnia verba & opera Dei nil niſi ſcandala ſunt. §. 78. Rei quoque ſunt blaſphemiæ (nota hoc blaſpheme, tu ipſe es blaſphemus) & in opus Dei (tribus vicibus digamiam vocat opus Dei, nec malè, eſt enim primum opus Dei in Paradiſo inſtitutum, & primo miraculo à Chriſto ſignatum) & in verba Pauli qui digamiam inter crimina cenſent, ſed & ipſimet Chriſto & Paulo impiè pugnant, qui digamiam Epiſcopo prohiberi pertinaciter ſentiunt. §. 99. Imò cum nuptiarum interdictores ad Timotheum palàm aſſerat, Dæmoniacos Doctores eſſe, certum eſt, liberam digamiam Epiſcopo concedi. Verbum illud creſcite, & multiplicamini generaliter omnibus, qui homines ſunt accreatum, & neceſſariò impoſitum, contra quod nulli ſtatuere aut vivere licet, niſi alio certiore verbo, facto aut dono Dei excipiatur. th. 102. Sicut enim nulli licet ſeipſum occidere, aut manu propriâ caſtrare, ita nulli licet ſexum ſuum niſi volente Deo extinguere, aut ab officio ſuo cohibere. (Quale eſt procreatio) Nam cum Daniel & Paulus Antichriſtum prædicent fore hoſtem conjugii autoremque libidinis & omnis peccati, conſultum & ſalutare eſt, ſub hoc impuriſſimo libidinis regno quocunque conjugio, (etiam Digamiâ & Polygamiâ) liberari. Sanctius ſcilicet eſt vel trigamiâ vel hexagamiâ vivere, quàm in publico iſto & impunito omnium libidinum chao perire. Temperent igitur ſibi impoſterum Anti-Polygami à maledictis blaſphemiæ & aliis, ne in illorum recidat caput quod aliis intentant. Non enim leve, aliquem ſtatim blaſphemiæ accuſare, cum hoc crimen ſemper ſeveriſſimè in Eccleſiâ fuerit punitum, cum ſit graviſſimum. Eſt enim, quo quis ipſum Deum & Chriſtum & ſacroſanctum Dei nomen traducit & atrocibus convitiis laceſſit *Brochm.* 1. de Leg. q. 7. Dan. Coll. Decal. 293. ſive Blaſphemia directè oppoſita eſt laudi Dei in præcepto ſecundo mandatæ & eſt verbum maledictionis vel convitii, vel contumeliæ in Deum, ſive id fiat attribuendo ei falſa, ſive negando vera, ſive tribuendo creaturis, quæ ipſi debentur, ſive etiam dicendo vera, ſed quæ ad ejus dehonorationem ſeu vilipenſionem tendant, ut fit per modum ei indignantis contemnentis, &c. *Ita Thom.* 2. 2. q. 13. *Bon. d.* 3. *q.* 8. *Sanch.* 2. *mor. c.* 32. *Laiman. l.* 4. *t.* 10. *c.* 6. *Buſenb. Medull. Theol. Moral. l.* 3. *tr.* 2. *c.* 1. *p.* 107. Ex quo ſatis conſtat, maximum eſſe crimen blaſphemiam, ideoque à Deo ipſo mortis ſupplicio punitam, Lev. 24. 16. *quicunque maledixerit Deo ſuo portabit peccatum ſuum. Et qui blaſphemaverit nomen Domini, morte interficiatur, lapidando lapidabit eum univerſus cœtus, ſive fuerit Proſelytus, ſeu peregrinus, ſive indigena, ſeu civis, ex eo quòd blaſphemaverit nomen, morte plectendus eſt.* E hanc ipſam ſuam legem Deus illicò inflictâ blaſphemanti Selomithæ filio pœnâ lapidationis confirmavit. Ipſe Gentilis Rex Nabucadnezar Dan. 3. 29. etiam ſeveriſſimè puniri voluit hoc crimen, *omnis populus & lingua, quæcumque blaſphemaverit* (locuta fuit contra) *Deum Sidrach Miſach & Abednego, diſpereat & domus ejus vaſtetur.* Rabbinorum interpretationes diſtinguentes inter nomen tetagrammaton & alia: vid. prol. ap. *Selden. de Jur. Nat. l.* 2. *c.* 11. 12. *p.* 153. 161. 162. 163. *Jure Canonico* & quidem juxta Gregorianam conſtitutionem, quæ habetur *c.* 2. *X. de maled.* ſtatutum eſt, ut ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dum aguntur ſolemnia, blaſphemus exiſtens ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigiâ circa collum, ſeptemque præcedentibus ſextis feriis in pane jejunet & aqua, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus, &c. Ita in *Concilio Lateranenſi* decretum, blaſphemiæ reum abſque graviſſimâ pœnitentiâ ſeveri Confeſſoris arbitrio injunctâ abſolvi non debere. Vid. *VVilh. VVendrock. ad Lud. Montalt. Ep.* 6. *ſ.* 2. §. 2. *Greg. Sairus in clav. reg. l.* 6. *c.* 13. *n.* 18. Sicut vero diſciplina Vetus Eccleſiaſtica fuit ſeveriſſima, ita Jus Civile ultimis ſuppliciis ſubjicit blaſphemos. *Novell.* 77. *Vid. Coler. deciſ.* 122. *Herman. Lather. de Cenſ. l.* 2. *c.* 4. Tales blaſphematores fuere *Pharao.* Ex. 5. 2. merſus in mari, *Rabſace. Latro* in cruce Luc. 23. *Hymenæus & Alex.* 1 Tim. 1. ult. *Julianus Apoſtata.* Niceph. l. 10. c. 7. Sozom. l. 6. c. 2. *Neſtorius* à vermibus eroſus. *Arrius* alvi & viſcerum profluvio extinctus.

Phariſæi Chriſtum etiam hujus criminis accuſabant, ſed ipſi erant blaſphemi, ſicuti noſtri Anti-Polygami, qui ſecundum morem mundanorum aliis impingunt crimina, quibus ipſi ſcatent, ut eò puriores & ſanctiores videantur. Qui quid meriti ſint, ipſi jam audiverunt. *Eccleſiaſtica* etiam *ſepultura* quæ ceremoniis & ritibus ſolennibus in cœmeterio pro defuncti facultatibus inſtituebatur, ejuſmodi blaſphemis denegabatur, & *aſinina vel canina* adjudicabatur, ita ut cadaver defuncti extra locum conſuetum, aut religioſum in bivio vel trivio, aut ſub patibulo, aut ubi brutorum cadavera abſcondi ſolent, à carnifice terrâ obtegeretur. *Carpz. in Juriſpr. Conſiſt. l.* 2. *def.* 375. 382.

16. *Negligenter.* Hic nonnulli Critici Hebraiſtæ in converſionem Judæorum in ſolidum addicti, nec non quidam Anti-Polygami dicunt, malè eſſe verſum textum Hebraicum per *negligenter*, cum propriè vertendum ſit per *fraudulenter.* Sed hic ſciendum, Theophilum retinuiſſe verſionem vulgatam & noſtri Martini Lutheri, parumque intereſſe, ſive quis negligenter, ſive fraudulenter opus Domini faciat, uterque maledictus. Et acidia & malitia in vocatione, quâ quis gaudet, crimen habet. Vid. *Baldw. Caſ. Conſc. l.* 4. *c.* 4. *caſ.* 1. *p.* 964. *Ameſ. de Conſc. l.* 5. *c.* 46. *p.* 391. Nunc verò in Monogamiâ fit partim negligenter, multiplicationem cum pluribus uxoribus, ad quod tamen aptus & natus homo intermittendo, *qui ſcit bona facere & non facit peccat*, inquit Jacobus: partim etiam fraudulenter, quando cum Onane ſemen inutiliter emittitur, & ne forſitan gravidæ dolores creet, ſine fructu profunditur, de quo horrendo crimine deinceps audiemus.

17. *Talentum maſculo concreditum.* Autor Victoriæ Utopicæ hæc dicta (de talento ſcilicet hominibus concredito, de maledictione negligenter & fraudulenter opus Domini facientium, Jer. 48. & Jac. 1. qui ſcit bona facere, & non facit peccat.) blaſphemè & abuſivè à Theophilo uſurpata eſſe gannit, cum de ſpiritualibus aut certè moralibus agant, non autem de iis, quæ naturalia ſunt & indifferentia, adeoque moraliter nec bona nec mala. Verumenim verò quis neſcit ex Theophili diſcurſu conjugium non eſſe indifferens ſed ut Lutherus ſupra citatus ait de digam. Ep. th. 77. *omnibus qui homines ſunt, per illud creſcite & multiplicamini generaliter accreatum & neceſſariò impoſitum, contra quod nulli ſtatuere aut vivere licet, niſi alio certiore verbo, facto, aut dono Dei excipiatur, Sicuti enim nulli licet ſeipſum occidere, aut manu propriâ caſtrare, ita nulli licet ſexum ſuum, niſi volente Deo extinguere, aut ab officio ſuo, (quod eſt procreare) cohibere.* Hactenus Lutherus. Porrò cum Victor Utopicus dicit conjugium, moraliter neque bonum neque malum expreſsè contradicit ipſi Deo, qui eſt ipſa veritas, cum ait, *eſſe bonum, Adamum habere adjutorium.* Et quanquam conjunctio in brutis ſit purè phyſica & naturalis ad moralia non referenda, in homine tamen, qui eſt rationale agens, conjugium præter illam naturalitatem accipit etiam ſuam moralitatem, ita ut omnes hominis actiones ſint morales & rationales. Et cum hæc dicta de moralibus, Anti-Polygamo ipſo fatente, agant, conjugium ceu morale bonum & opus Deo gratiſſimum excludendum non erit. Nil dicam de hoc, quòd cùm apud Chriſtianos omnia in ſpiritui & fide ſint ſuſcipienda, ita ut quicquid non eſt ex fide, peccatum ſit, Chriſtianorum conjugium etiam ſit aliquid ſpirituale licet non purè, ſed mixtum ex naturali & ſpirituali, unde non tantum unionem ſpiritualem Chriſti & fidelium, ſed & arctiſſimam conjunctionem divinæ & humanæ naturæ in Chriſto adumbrat, quia tàm arcta ſubſtantiarum unio inter ſubſtantiam divinam & humanam nullo magis congruo exemplo illuſtrari poteſt, quàm quòd ex unione maris & fœminæ deſumitur. 1 Cor. 7. 15. 16. Eph. 5. 30. Vid. *Hulſ. Brev. c.* 14. *th.* 1.

THE-

Thesis III.

COnſtat præterea *naturam muliebrem*, ita eſſe comparatam, ut poſt conceptionem concubitum viri non amplius, uti cætera animantia etiam, quæ majore privilegio hac in parte gaudere non poſſunt dici, deſideret, ſed quodammodo abhorreat, & ſi quando ex amore viri, qui abundantia ſeminis gaudet in ipſius voluntatem conſentiat, multa incommoda ſuſtineat, cum ex parte ſui ipſius, tum ex parte infantis uti Medici edocti experientia ſatis abunde docent, quod brevitas vitæ & alia innumera mala inde oriantur. Sicuti quam primum Medicus quidam ſagaciſſimus ex hoc capite Polygamiam probabit.

1. *Naturam muliebrem.* Hoc infallibiliter certum eſt, quod natura muliebris in ſe & ſuâ naturâ, à vitiis poſt lapſum adhærentibus, abſtractivè conſiderata poſt conceptionem non amplius admittat virum, ob graves dolores non tantum, quos ſentit, præſertim ſi ſemen immittatur, & non Onaniticè res peragatur; ſed & incommoda. quæ ipſis & infantibus obtruduntur. De vitiis, quæ poſt lapſum ex malâ educatione, pravis opinionibus, & perpetuo in uno lecto contubernio pleriſque mulieribus ſunt propria, & in illis radicata quaſi, non loquor. Si enim Chriſtiano nomine non nomine tenus ſaltem, ſed verè gaudere volunt, extirpare debent. Unde *Lycurgus*, ethnicus licet, egregiam tulit legem, ne ſcilicet maritus & uxor in eodem lecto cubent. Sed hodiè vel ex paupertate, vel ex conſuetudine detrimentoſiſſimâ ſemper eodem grabato detinentur, unde fieri non poteſt, quin multi, non neceſſarii, & vitioſi, Chriſtianis abhorrendi perpetrentur concubitus. Novi multas prudentes & devotas mulieres, præſertim in Regionibus Bacchicis, quæ mihi ſingulariter conqueſtæ fuerunt de maritorum, vino ſemper utentium, in re Venereâ exceſſu, & poſt conceptionem ac in lactatione ingratiſſimo, atque ipſis invitis ſæpè non ſine rixis extorto concubitu. Unde veritati non eſt congruum, quod à naturâ (de vitioſâ quidem concedo, ſed bonâ nego, de quâ tamen Chriſtianis ſermo eſſe debet) datum ſit mulieri, ut autor unius putat ut poſt impletum uterum ardor cum viro coëundi non ſtatim expleatur. Zenobiam celebrant ſcriptores, quòd virum Odonatum non admiſerit, niſi tentatâ conceptione, quâ peractâ redierit ad perennem abſtinentiam. Et hæc eſt vera caſtitas in conjugio. Quæ exempla licet in his ultimis mundi fecibus rara ſint, inveniuntur tamen adhuc apud benè educatas, devotas & prudentes mulieres. Cœterum notum eſt Patres concubitum cum gravidâ vel lactante improbaſſe & tantum non damnaſſe. Velut *Ambroſ. in c. 1. Luc. Tom. V.* viros qui cum prægnantibus uxoribus conſueſcunt *Sancti uteri ſecretum inceſtare affirmat. Hieron. adverſ. Jov. l. 1. t. 2.* monet viros, ut imitentur pecudes, neque poſtquam uxorum venter intumuit, filios perdant, & in eandem ſententiam *Origenes in Gen. c. 17. hom. 3. & in c. 19. hom. 5. Procop. in Gen. c. 16. & Clement. 1. Epiſcop. Rom. Apoſt. Conſtit. l. 6. c. 17.* & ad ſummum viris non procreandorum liberorum causâ uxores cognoſcentibus ignoſci, peccare tamen eos tradit *Auguſt. de bon. Conjug. c. 6.* & *Fulgent. Epiſt. 1. de conjug. deb.* Ita etiam per coitum cum gravidâ propter agitationem matricis nimiam facilè abortus conciliari latè deducit *Paul. Cypr. de Jur. Conn. n. 1. §. 97. Paul. Tarn. l. 2. de matr. c. 34. q. 3. Freher. de Fam. & inf. l. 3. c. 17. n. 14.*

n. 14. *Ejuſdem opinionis* ſunt *Navarr. Sylveſt. Sanchez. Cōning. Buſenb. Theol. Mor. l.* 6. *tr.* 6. *c.* 1. *dub.* 2. *p. m.* 609. dicentes cum gravidâ non eſſe rem habendam & p. 613. dicit, cum uxor eſt gravida & ex redditione periculum mortis vel etiam abortus probabile timeatur proli jam conceptæ, tunc non petere nec reddere licitum eſt; ut per ſe patet ait Laimann. c. 1. n. 7. & eſſe mortale d. 49. ſect. 3. Vid. & *Menger. Scrut. Conſc. p.* 803. *Alſted. Theol. Caſ.* 338. *Fernand.* 938. *Gerh. de Conjug.* §. 441. *p.* 662. & *p.* 649. *Pii conjuges* inquit *ita utantur conjugio, ne furore libidinis more gentilium* vel beſtiarum indulgeant, ſed eam potius caſtitate refrenent ac moderentur. Dominus quippe ipſe datâ lege Lev. 15. 16. 17. Judæis moderatiorem uſum Veneris præſcripſit. Quia enim conjugali congreſſu maritus & uxor polluebantur, ideoque lotione opus habebant, & immundi erant uſque ad veſperam (quo ipſe tùm maritus à prodeundo in publicum, & uxor ab operibus domeſticis avocabantur) utique ſanè hoc ipſo conjuges in operibus vocationis *&* *negotiis domeſticis expediundis impediebantur. ac proinde ob negotiorum molem aut neceſſitatem temperantius conſueſcere neceſſe habebant ne ſibi hac ratione magis indies incommodarent.* Huc etiam facit, quod *Gerh. tr. de conjug.* §. 437. ſcribit. *Ipſa lux naturæ in mente hominis poſt lapſum adhuc reliqua, niſi impetu concupiſcentiæ, veluti tetrâ quâdam caligine, penitus obſuſcetur, docet, non eſſe bellumo more in Venerem etiam licitam proruendum, ſed rectæ rationis imperio libidinem coercendam. Lux autem gratiæ per Sp. S. in cordibus verè credentium accenſa id longè illuſtrius docet, ac fortius illum concupiſcentiæ impetum nativum reprimit. Quemadmodum enim in aliis particularibus actionibus verè pii illuminatione & magiſterio Sp. S. ita erudiuntur, ut ſciant, quomodo ſe in omnibus rectè gerere debeant, nec opus habeant, ut ſpecialibus regulis de omnibus caſibus & circumſtantiis ſpecialibus informentur, &c. Ita quoque in uſu conjugii moderando ac temperando, ſi Spiritus S. in corde ſuo habitantis ductum ac monitum pii homines ſequantur. ab honeſtatis & caſtitatis limitibus nunquam recedent. nec ſanitati noxam quandam immoderato etiam licitorum uſu inferent, &c.*

2. Mirari verò ſatis non poſſum, tantum Anti-Polygamum, uti ſe jactat, in ſuâ Victoriâ Utopicâ tàm levidenſia, ſtraminea & planè puerilia argumenta afferre ex ſcripturâ ad evincendum cum gravidâ concubitum. Tædet ſanè ea repetere, cum planè nihil ſolidi, quod tantum Theologum, uti videri vult, deceat, ibi reperiatur. Probat vero ſuam opinionem ex Prov. 5. 18. & Cohet. 9. 9. ubi juvenis jubetur *lætari cum uxore juventutis ſuæ ſemper & omni tempore.* Quod non faceret, inquit, ſi id tantum ante conceptionem fieri deberet. Si hoc exinde ſequitur, multo magis colligere poſſem, omnibus momentis eſſe concumbendum. Videt ergò Anti-Polygamus, ſi non mille Diabolis, quod de *Theophilo* mendaciſſimè & impiiſſimè ſcribit, eſt occœcatus, ad quas obſcœniſſimas abſurditates deveniat. Sanè ſi optimum modernum ſcripturarum Exegetam Dn. *Martinum Geierum*, cui Deus de meis, ſi placuerit, annis plures addat, in ſuis commentariis in hæc loca conſulo, talem interpretationem nuſpiam invenio. Neque enim ex lætitiâ cum uxore ad illum extremum actum amoris conjugalis, in quo quidem mundani ſuas delicias unicè quærunt, ſtatim deſultandum eſt. Sunt vel mille modi lætandi, quibus maritus frui poteſt cum ſuâ uxore, ut non opus ſit, cum lætari velit illicò ad concubitum tranſire, ſed memor eſſe debet alterius dicti Salomonæi: Lætare juvenis in juventute tuâ, ſed ſcias te de omnibus reſponſurum. Similis farinæ argumentum eſt quod Anti-Polygamus ex *Deut.* 24. 5. affertur de novello marito, immunitatem, vocationem à militiâ per integrum annum beneficio legis adepto, quô lætetur cum conjuge ſuâ. Iſte Anti-Polygamus putat, unicam & ſolam lætitiam conſiſtere in concubitu; in quo quidem impudici & laſcivi Coſmopolitani ſua ponunt gaudia, ita ut quando ſummâ lætitiâ diffluere volunt, mulieribus abutantur, quæ cum omnibus creaturis dubio procul juxta Paulum propter abuſum ingemiſcunt. Nec majoris momenti eſt argumentum ex verbis Pauli

Pauli 1 Cor. 7. 2. deſumtum, cum ait, *propter ſcortationem habeat unuſquiſque uxorem ſuam.* Quis verò exinde, niſi planè hebes atque ſtipes vellet colligere, cum gravidâ eſſe rem habendam. Poteſt enim maritus ſcortationem evitare, ſi habeat plures uxores, ut cum gravidâ rem non habeat, quod nonnulli etiam ut ſupra audivimus, ſcortationem & ſtuprum appellant. Nec ſolus eſt Georgius David hæreticus (quamvis nullus tantus ſit hæreticus, qui in omnibus opinionibus ſit hæreticus) qui conſueſcere cum gravidâ ſtuprum adulteriumque vocat. Certè magnum eſt crimen, angue pejus & cane omnibus Chriſtianis fugiendum, ut ſuperius ex Patribus & Scholaſticis percepimus, quod maximopere damnent hunc exceſſum cum propria uxore. Sive enim quis lurco excedat & inebrietur proprio domeſtico vino, ſivè extra domum, neutro modo laudandus erit, imò ſi extravagando intendat procreationem ſobolis, & conjugii, ſi liceret per Magiſtratum, conſummationem, non tantopere peccaret, quàm ſi cum propriâ uxore Onaniticè verſaretur.

3. Neque audiendus hic eſt *Richardus à mediâ villâ* diſt. 32. art. 3. q. 2. in quartum ſententiarum, quando ait, concubitum matrimonialem non tantum eſſe in officium, ſed etiam in remedium, & mulierem prægnantem frequenter plus appetere concubitum, quàm quando non eſt prægnans. Quod quam à veritate alienum ſit, nuper audivimus. Non negamus quidem in concubitu apud mulieres, præſertim in illo cum concipit, incredibilem & inenarrabilem eſſe delectationem, ut *Athen. Dipnoſ. l. 1. n. 14. Ovid. l. 3. Metam. Fab. 4. Juv. ſat. 6. & præſertim qui* de ovis mulierum ſcripſit teſtantur, conf. etiam *Paul. Zacch. l. 3. Quæſt. Medico-Leg. tit. 1. l. 2.* Sed poſt conceptionem non amplius tantos ſentit pruritus, nec virum tantopere erga illam exarderi. Uti *autor perverſi Colloquii p.* 149. fatetur. Videmus etiam hoc in naturâ brutorum, de quibus *Rorarius* peculiari tractatu aſſerit, quòd melius hominibus ratione, quam illis ſuo modo tribuit, utantur, quarum fœminæ ſuſcepto fœtu maribus repugnant. *Franz. hiſt. anim. p.* 40. de elephantis memorat, quod nulla exerceant adulteria, non coëant cum alienis, neque cum ſuis valdè laſcivè coëant, ſed modeſtè prolis causâ, & ne quidem ſpectantibus reliquis elephantis, ſed in exceſſu ſeu in occulto, neque prius redeant ad gregem niſi laventur. *Plinius* ait, præter mulierem (*vitioſam ſcilicet*) pauca animalia coitum novêre gravida. *Nemeſ. de Nat. hom. c.* 25. cœtera animalia, dum gravida ſunt, fugiunt conjunctionem, mulier, (ſcil. minus virtuoſa) ſemper admittit. Quod non in genere de natura muliebri, ſed de malè educatis, & in omne vitium proclivibus capiendum. *Ambroſium* enim *Parcum* quod attinet, quando *l.* 3. *de Gener. anim.* dicit, non minus gravidas vehementer appetere concubitum, exiſtimo, prægnantes depoſitum illud oculiſſimum à marito ortum in ventre ſentientes interdiu & noctu magis amare maritos, qui verba amoris non intelligentes de extremo amoris conjugalis actu illicò intelligunt, ſuarumque rerum ſatagunt, quod mulieres etiam ex amore viri & reſignatione propriæ voluntatis in voluntatem conjugum quanquam ægrè admittunt, cum honeſtate aliàs motæ atque aliis incommodis ſuâ ſponte non deſiderarent. *Salomon* enim cum *Prov.* 30. 16. inſatiabilem uterum dicit, loquitur de alvo clausâ, quæ nondum concepit, (uti expreſſe clauſura additur) ſed deſiderat fructum conjugii, quô antequam gaudeat, ſatiari non poteſt. Quod verò *Ariſtoteles l. 7. hiſt. anim. c.* 4. dicit, facilitari partum, ſi paulò ante illum miſceantur viris, id evertitur multis exemplis earum, quæ ſeparatæ à viris vel amaſiis facillimè pepererunt. Potius incommoda multa, ſuperfœtationes, molæ, dolores, debilitas partus exinde oriuntur. *Plinius* enim cum *l. 7. c.* 11. narrat, quandam ita peperiſſe geminam prolem, ut altera ſimilis eſſet viro, altera adultero, adeo ut conſtaret, eam poſt conceptionem primam alienum admiſiſſe virum: id veriſimile non videtur Medicis experientioribus; Quando enim uterus ſemel concepit, arctiſſimè clauditur, nec iterum aperitur. Et potuit fieri, ut mulier in ipſo

actu

actu conceptionis à marito proprio ortæ ſimul in memoriam ſibi revocaverit delicias, quas cum adultero habuit, atque ſic per imaginationem prolem adultero ſimilem produxerit, uti ſimile exemplum recenſet *Zeiler. l. 4. Epiſt. 17. conf. & Fienus de viri Imag. c. 9. 10.* Neque enim admittendus eſt *Cæl. Rhodig. l. 14. Antiqu. c. 3. p. 733.* cum ex *Galeno* vult docere, quod non perinde ut in beſtiis, ita & in hominibus natura voluerit ceſſare voluptatem. Poteſt quippe maritus etiam poſt imprægnationem voluptate frui, & ſecundum Salomonem lætari cum uxore ſuâ, etſi non ultimum actum embryoni & prægnanti damnoſiſſimum exerceat. Neque laudandum *Populiæ* Marii Filiæ reſponſum, quæ interrogata, quid eſſet, quapropter aliæ beſtiæ nunquam marem deſiderarent, niſi cum prægnantes fieri vellent, dixit, *beſtiæ enim ſunt. Macrob. l. 2. c. 5.* Neque enim arbitrari debemus cum quodam Anti-Polygamo, naturam hominibus hunc voluptatis ſenſum dediſſe ad compenſandas moleſtias, difficultates & labores multos, quos ſuſtinent homines in educandis liberis, ſiquidem conjuges aliis modis ſe recreare, & voluptatibus honeſtis licitis atque proficuis abundare, quàm hac detrimentoſiſſimâ ſatiari cupiditate poſſunt. Multò minus *Lactantii l. 6. Div. Inſt. c. 23.* attendenda eſt ratio, judicantis Deum indidiſſe voluptatem hanc fœminis, ut prægnantes etiam viris ſe ſubmittant, ne fœminis repugnantibus libido cogeret viros aliud appetere, eoque facto caſtitatis gloriam non tenerent. Certè majorem caſtitatis gloriam obtinerent, ſi cum pluribus uxoribus prolis obtinendæ ergò rem haberent, quàm ſi cum unicâ incaſte, damnoſiſſimè & pluſquam brutaliter ut audivimus, vivant. Unde non ſatis mirari poſſum, *viros Dei*, qui ſancti & caſti alios ad caſtitatem inſtigare ſolent, ſtatuere, maritum teneri ex pacto conjugali non tantum ad prolis generationem, ſed etiam ad reſtinguendas uxoris uſtiones, & propter Polygamiam intermittendam, ne delaſſatus uſu multarum deficiat in ſatisfaciendo uxori, cui etiam prægnanti ſit obligatus. Ad nauſeam enim dixi & probavi, quòd non debeat nec etiam poſſit inordinatis uxoris affectibus ſatisfacere maritus, cum illis ne decem quidem viri ſufficiant, nedum ut prægnanti ſatisfacere teneatur. *Bonav. & Thom. diſt. 30. in 4. ſent. c. 1. & Hieron.* dicunt, *omnem concubitum conjugalem eſſe peccatum, niſi causâ procreandi ſobolem.* Decet enim omnino maritum non immodicis ſeſe immergere voluptatibus, ſed moderationem quoque in opere adhibere conjugali, ſiquidem præpoſterè finem conjugii intendit, & peccat, qui voluptatis tantum gratiâ & ad explendam ſuam libidinem c. it cum uxore ceu Dn. *Muſæus docet tr. de Conj. th.* 138. imò *adulter eſt in propriam uxorem omnis impudicus amator ardentior.* Can. Orig. 32. qu. 4. & quemadmodum *maritus* non libidinis, ſed *conjunctionis* ad vitæ univerſas actiones expediundas appellatio eſt, ita & *uxor* non voluptatis, ſed *dignitatis nomen* eſt. Hinc rectè & egregiè caſta illa Spartana, *an acceſſiſſet unquam ad maritum* rogata, *minimè* verò reſpondit, ſed *maritus ad me.* Videlicet pudica fœmina mariti libidinem nunquam irritarat, nec Venere uſa, niſi ut conjugi obſecundaret, ad fugjendas animorum diſſenſiones atque litigia. v. *Joh. Lud. Viv, de Inſtit. Fœm. Chriſt. l. 2. c. 5. p.* 398. Ita ex *Lycurgi* legibus refertur, *ſponſum non ebrium, nec ad laſciviam compoſitum, ſed ſobrium & pro more cœnatum ad ſponſam noctu ingreſſum, ac paululum cum eâ moratum modeſtè abire, ut ſicut conſueverat cum reliquis dormiret juvenibus. Idem etiam poſt nuptias agebat, ut cum æqualibus interdiu degens, noctuque cubans ad ſponſam cautè commearet, verecundè metuens, ne quis eorum, qui in domo eâ ſunt, ipſum animadverteret, ſponſa quoque idem machinabatur, ut commodè & furtim congredi poſſent, idque agebant non parvo tempore, ſed eò uſque ut nonnulli liberi eſſent nati, priuſquam interdiu ſuas viderent uxores; quæ congreſſus maritalis ratio non modo continentiæ & modeſtiæ fuit exercitatio, ſed corpora quoque ad generandum aptiſſima reddidit, ut recenti ſemper novoque amore convenirent, qui non ſatietate obrueretur, neque nimiâ conſuetudine evaneſceret, cum nunquam non aliquem deſiderii fomitem alter in alterius animo relinqueret*

queret

queret. Plut. Lyc. in Quæ Gentilium conſuetudo & moderatio ruborem Chriſtianis multis incutere debet. Etſi enim in aprico ſit, conjuges ad concubitum jure connubiali eſſe obligatos, adeoque copulam carnalem non eſſe in ſe malum, utpote quæ in bonum ſuopte ingenio inſtituta eſt, *Ludov. Panaciola de Fœt. form. c. 3. p.* 229. ipſa tamen lux naturæ in mente hominis poſt lapſum adhuc reliqua ſuadere videtur, non eſſe beluino more in Venerem etiam licitam proruendum, ſed rationem honeſtatis pariter atque ſanitatis maximè habendam. Frid. Baldw. Caſ. Conſc. l. 4. c. 13. caſ. 11. Can. Orig. 32. q. 4. In ejuſmodi enim conjunctionibus non tantum quid liceat, ſed quid honeſtum ſit, conſiderandum l. 197. ff. de R. J. l. 14. §. 2. l. 2. ff. de Rit. Nupt.

THESIS IV.

QUæ omnia cum natura ipſa maſculis dictaret, adeo ut videatur eſſe concreatum, naturæ inſcriptum & nullatenus eradicandum, factum eſt, ut Polygamia ab omnibus fere gentibus, ceu hiſtoriæ à Seldeno in Uxore Hebraica & Siricio de Polygamia adductæ teſtantur, fuerit uſurpata, & quamvis nonnunquam inſtinctu Diaboli, qui hoſtis ἄσπονδος generis humani, & procreationis ejuſdem, ſemper fuit & erit, fuerit prohibita, tamen ſæpe numero quaſi poſtliminio ex orco revocata & publice conceſſa, aut ſaltem libere permiſſa, ita ut quilibet juxta ductum Naturæ ſuæ & occaſionem oblatam plures duxerit uxores. Nullus vero certus numerus neque à natura neque à ſcriptura aſſignatus eſt mari, ſicuti etiam non determinatum eſt, quantum quis bibere, edere, dormire debeat, ſed quiſque ſcrutetur ſuam naturam & videat, quid ipſi conveniens ſit, quid non, eoque laboret, quo neque in defectu neque in exceſſu peccet, *Medium* uti in omnibus, ita & hîc *tenuere beati.* Quod & ipſa ſcriptura, Deut. cap. 17. inſinuare videtur, dum Regi Judæorum præſcribit ne *multum auri* (viel Gold / reddit Luth.) *multos equos* (viel Pferde /) *multas uxores* (viel Weiber) habeat. Quid enim aliud ipſi vult quam *auream mediocritatem*, uti in omnibus ita & in Polygamia commendare.

1. *Ex orco revocata.* Anti-Polygami quidam præprimis Victor Utopienſis, cum nihil in rebus, quod de jure carpant, inveniant, verba & phraſes arrodunt, immemores illius, *in verbis ſimus faciles, dummodo in rebus conveniamus:* Maxime autem phraſin illam taxant, cum Theophilus dicit Polygamiam ex orco ſæpè poſtliminio revocatam; Non negamus quidem orcum eſſe cacodæmonum & damnatorum ſedem, Beelzebulis & ejus ſociorum aulam, ſed inficiamur, Polygamiam, ceu verum conjugium à Deo inſtitutum, in tam peſtifero & abominando loco eſſe exortam, ut *Victor Cretenſis* ait. *Verum Quis* neſcit, aliquam rem bonam & indifferentem cum à Diabolo impeditur, dici in orco quaſi ligari, & cum impedimentis iſtis remora objicitur, ex orco quaſi revocari. Non enim omnia quæ in orco dicuntur eſſe, ibi originem cepere, ſiquidem

quidem ipſe Diabolus æternis in inferno ligatus vinculis, aliam habet originem, neque etiam omnia ibi illico inquinantur, & inter mala ſunt referenda. Chriſtus etiam fuit in orco, poſt reſurrectionem ſuam ſed evocatus fuit à Patre, imò ſeipſum evocavit & propriâ autoritate exiit. Si penes Diabolum ſtetiſſet, ipſum libenter ligaſſet & detinuiſſet. Et Diabolo nil magis curæ eſt, quàm ut conjugio, ejuſque ſpeciei Polygamiæ pedicas injiciat, aut ſi in ipſius viribus eſſet, infernalia vincula eaque æterna applicet, unde conatur ad tempus quandoque illud impedire, ligare, neque tamen præſtare poteſt, ut æternum liget, ſed permittere cogitur, ut iſtis retinaculis liberentur. Quæ cum ita ſint non opus eſt ut iſta phraſis Theonino dente rodatur, ſed potiùs in perpetuâ memoria habeantur verſiculi illi ſatis triti.

Sit bonus interpres, nunquam mala verba nocebunt.
Sit malus interpres, nunquam bona verba juvabunt.

Phyſici & Medici obſervant in ægrotis, cum in minimis rebus occupantur, & de lanâ caprina ſunt ſoliciti, eſſe corruptæ phantaſiæ & male ſanæ mentis indicium. Sed quid dicendum eſt, ſi Anti-Polygamus quis ad iſtas minutias deſcendit, & fluctus in ſimpulo movet.

2. *Liberè permiſſam.* Hoc etiam non intactum reliquit *Victor Utopicus*, cum *Theophilus* ſatis ſe explicarit th. 50. Permiſſio etiam poteſt eſſe eorum, quæ à Diabolo ad tempus fuêre impedita, & ab hominibus ignoranter ob abuſum forte interdicta, qui ſi tollitur, poteſt iterum in integrum reſtitui, & libere concedi.

3. *Ductum naturæ.* Quilibet ſuam ſcrutetur naturam eoque laboret ne vel deficiendo, vel excedendo illi noceat, quanquam exceſſus & nimius uſus Veneris (exceptis Monachis) magis ſit in uſu & multis maribus mortem acceleret; Sicut nimius uſus tabaci plus nocet corpori, quàm prodeſt. Laurenberg. Acerr. Phil. Cent. 1. n. 72. p. 171. Alked. in Tabacologiâ p. 238 5. Menger. Scrut. Conſc. p. 752. & uſus nimius liquidorum & generoſorum vinorum calorem naturalem extinguit, nec poteſt conducere corpori, multo minus cum Chriſtiani ſimus, animæ, ut notanter Auguſtinus ait: *Ebrioſus cum abſorbet vinum, abſorbetur à vino, abominatur à Domino, deſpicitur ab angelis, deſtituitur à virtutibus, confunditur à Dæmonibus, conculcatur ab omnibus, ipſe confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.* Benè etiam *Morlinus in Poſtill. Dom.* 12. *Trin.* dicit, *ex ebrioſo fit ſtultus, ex ſtulto furioſus canis, ex cane impudicus porcus, tandem ſtipes & caudex, ubi nec pes, nec manus nec caput ſuum officium agunt.* Diabolus libentiſſimè in ejuſmodi lurconibus & heluonibus ac aqualiculis divertitur tanquam *piſcis qui natat in flumine* ut Ambroſ. inquit. Vid. *Theatr. Diabol. l.*1. *p.*236. & *l.* 2. *p.* 19. Et dolendum ſanè Chriſtianos præſertim Germanos omni literaturâ imbutos & luce Euangelii ſingulariter illuminatos eò inſanitatis perveniſſe, ut ſæpè poculis certent in alterius ſalutem. Olim quidem jamdum Græci & Romani Principibus beneficis, Præceptoribus, amicis inter pocula libaſſe à *Lipſio* notantur in *Dialog.* 10. *l.* 5. *Poliorcet.* Sic moris erat inter bibendum Dominam aut amicam nominari ut *Plaut. Stich. V.* 4. Bene vos, benè nos, benè te, bene me, benè noſtram etiam Stephanium, & Tibull. l. 21.

Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.

Quin & illud uſurpabant, ut in honorem amici aut amicæ tot cigathos biberent, quot literæ in eo nomine eſſent. *Mart. l.* 72.

Nævia ſex ciathis, ſeptem Juſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Lipſ. l. 3. *Antiquit. Ambroſ. l. de Eliâ & Jejunio. c.* 17. Quid obteſtationes potantium loquar? quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibunt, inquiunt, pro ſalute Impp. & qui non biberit, ſit reus in devotione. Videtur enim non amare Imp. qui pro ejus ſalute non biberet. O piæ devotionis obſequium, Bibamus pro ſalute exercituum. Pro Comitum virtute, pro filiorum ſanitate. Et hâc vitâ ad Deum pervenire judicant, ſicut illi, qui calices ad ſepulchra martyrum deferunt, atque ideo in veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri poſſe

non credunt: O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant, qui æſtimant illos ebrietate placari, qui jejunio paſſiones ſuſtinere didicerunt. *Friſchlinus* etiam in *Rebecc. act.* 2. *ſcen.* 4. fructus ejuſmodi egregiè deſcribit: iſti, inquiens, dum ſanitati Principum ſtudent, in morbos incidunt, podagram, chiragram, hydropem, dolorem colicum & ſimiles febres &c. Tantus ſcilicet eſt *abuſus rerum Naturalium* in uſum noſtrum creatarum, ut mirum non eſſet, ſi Deus ob perpetuam creaturarum à Paulo nobis propoſitum ingemiſcentiam & inenarrabilem hujus abuſus ab ipſis creaturis inſtitutam deteſtationem ejuſmodi titulares Chriſtianos fulminibus ad inferna detruderet; Nil jam dicam de *abuſu rerum ſpiritualium* deteſtando, inter Chriſtianos etiam orthodoxiores conſpicuo, de quibus prolixè Theologus Conſcientioſiſſimus *Henr. Mullerus* Prof. Roſtochienſis in ſuis *horis ſacris ſucciſivis & Catenâ Apoſtolicâ*, ubi docet magnum eſſe abuſum in templorum frequentatione, in concionibus audiendis, confeſſionibus peragendis, & cœnæ Dominicæ ſumtione, ut ſi quis in Eccleſiâ puriore etiam dicat eſſe *quatuor idola, templi, ſuggeſtus, confeſſionis & altaris*, nulla mendacia proferret. Quod etſi à quibuſdam ſanctulis peſſimè ſit traductum, cum tamen, interiora Chriſtianiſſimi noſtri ſi accuratius inſpicimus, non poſſimus, ſi ſcapham ſcapham appellare velimus, hoc inficiari. Unde & à multis Theologis, qui plus ſcientiæ & conſcientiæ aliis habent, ad ipſius deſiderium non improbatum eſt. Quo etiam tendit *Eliæ Prætorii*, aut quicunque demum ille ſit, Liber de abuſu miniſterii in vocatione, ordinatione, exercitiis publicis & privatis, totâque vita conſpicuo, cujus quidem privatos affectus inibi latentes non laudo, memor tamen illius Paulini: omnia probate, quod bonum eſt tenete, non omnia improbo. De iſto etiam abuſu loquitur T. 9. Opp. Auguſtinus. *Duodecim*, inquit, *ſunt abuſiones ſeculi, ſapiens ſine operibus, ſenex ſine religione, adoleſcens ſine obedientiâ, dives ſine eleemoſynâ, fœmina ſine pudicitiâ, Dominus ſine virtute, Chriſtianus contentioſus, pauper ſuperbus, Rex iniquus, Epiſcopus negligens, plebs ſine diſciplinâ, populus ſine lege.* Et Bernh. in Apol. Magna abuſio, *Parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium reputatur triſtitia. Loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities indumentorum & equorum faſtus honeſtus, lectorum ſuperfluus cultus munditia.*

4. *Certus numerus.* Apud Judæos tamen certus uxorum numerus, quod ex lege Noachidarum ſeu hominum communi & naturali, non fiebat, ex ipſo jure Hebræis civili, vel ex majorum monitis ſeu conſilio præſtituebatur. Interpretes ſacræ ſcripturæ Thalmudici ex *Lev.* 21. 13. *fœminam* (ſeu uxorem) *accipiat* Pontifex Maximus, quia in ſingulari ponitur (quod tamen *argumentum non eſt firmum*) deſignari volunt unicam Pontifici tantùm ducendam. Unde *Gemara Babylonica ad tit. Jabimoth. c.*6.*f.* 59. Scriptum quidem eſt hic, *uxor, ſeu fœmina una,* ſeu ſingulariter, & non binæ, & *Maimonides* de Pontifice Halach *Iſur Ibia c.* 17. non omnino ei ducendæ erant uxores binæ ſimul. Nam dicitur (in lege divinâ de eo lata) *uxor ſeu fœmina ſingulariter, & non binæ ſeu plures.* Ita in *Thalmud. in Maſſechtha Joma c.* 1. traditur, nefas Pontifici fuiſſe uxores duas ſimul in matrimonio habere, quod ſi haberet, utique faciendum & divortium ante diem decimum menſis Tiſri, ni id feciſſet, obire eum piaculare ſacrum ſolenni illo die in templi adytis nequiviſſe. Unde illi, qui ex 2 Paralip. 24. 2. de binis uxoribus non Regis; ſed Jojadæ uxoribus intelligunt, de alterâ poſt alterius ſive mortem ſive repudium ductâ, aut pluribus ſimul ductis, antequam in Pontificatum ſuccederet, ſaltem de alterâ in paraſceve Feſti expiationum libello ejectâ capiunt. Vid. præter *Magid Miſna Maimon. Halach Celi Hammikdaſch c.* 5. Forte & hoc voluit *Flav. Joſeph. l.* 3. *c.* 10. ubi μονὴν δ᾽ αὐτῷ, inquit, ἔδωκε παρθένον καὶ ταύτην φυλάττειν. *Solam ſeu unicam ei conceſſit virginem ducere atque eam ſervare.* Id verti ſolet, *ſolum virginem ducere conceſſit*, ſeu ut perperam Ruffinus l. 2. c. 24 *huic ſoli dedit ducere virginem*. Et ex his Magiſtrorum interpretamentis pronuntiavit *Nicolaus Mongeorgius* in Codice de Moſaico & vetere jure enucleando p. 161. *Seniores populi præhabito maturo conſilio ac deli-*

deliberatione decrevêre Magnum ſacerdotem unicâ uxore fore contentum. Etiam ex hâc Rabbinorum de unicâ Pontificis uxore ſententiâ malè acceptâ credibile, manaſſe illud Tertulliano ſingulare de ſacerdotalium Nuptiarum iterationis interdicto ſacro: *Ecce,* inquit in Exhort. ad Caſtit. c. 7. *in veteri lege animadverto caſtratam licentiam ſæpius nubendi. Cautum eſt in Levitico: Sacerdotes mei non plus nubant*, ſeu ut in editione Rigaltianâ, *nubunt.* Et in libr. de Monog. c. 7. *prohibet lex ſacerdotes denuò nubere.* At verò nec in Levitico, nec in toto Pentateucho ne veſtigium extat interdicti ejuſmodi, niſi ex eo, quod ad Pontificis duntaxat uxorem ſingulari numero memoratam, & malè acceptam attinet, perperam eliciatur. Nec ſolum ſacerdotibus cœteris, verum etiam ipſi Pontifici ſummo connubia iterare fas fuiſſe, tàm certum eſt ut nihil certius. Scripſit autem Tertullianus librum utrumque, quo jam dicta profert, ut Montaniſta, ac adverſus orthodoxos ſecundarum nuptiarum oſor acerrimus. Vid. *Petr. Lun. de Rep. Hebr. l. 2. c. 3. Jo. Selden. de Succeſſ. in Pontif. c. 2. & Ux. Hebr. l. 1. c. 8.* Sicuti verò ex Juris ſacri interpretamentis & ψόυδεϱμηνείαις Pontifici Maximo, uti & Regi, de quo ad th. 71. 77. nos quædam adducemus, certum determinabant numerum, ita è majorum conſilio & monitis interdum etiam non ſine pœnâ excommunicationis, atque anathematis unicuique Reip. Iſraëliticæ civi determinatum præſcribere ſatagebant numerum. Quanquam enim maximi fecerint obſervationem præcepti de multiplicando genere humano in Geneſi dati, ut Theoph. th. 9. docet, & cuilibet quot vellet, ducere uxores in Gemara ſtatuerint, ne tamen deeſſet certus hic aliquis finis, quô præſcripto quam plurimis, quæ numeroſam uxorum catervam ſequerentur, incommodis domeſticis viri degerent immunes, ideò ita monebant ſapientes, quaternarium uxorum numerum à nemine præter Regem excedendum, ut qui contrà facerent, imprudens nimiùm atque majorum conſilio monitiſque inobſequens haberetur. Petebant autem hunc quaternarium numerum è tempeſtivâ ſeu menſtruâ debiti conjugalis præſtatione, quam ad th. 6. adducemus; Unde hoc velut majorum præceptum memorat Maimonides Haliſchot. c. 14. *Præceperunt ſapientes ut nemo duceret plures, quam quatuor uxores, tametſi eſſet opulentiſſimus.* Scilicet quamvis aliquis tantâ opulentiâ difflueret, ut cuilibet victum & amictum, quotcunque haberet, commodiſſimè poſſet præſtare, ne tamen debitum conjugale ritè non ſolveretur, aut juxta opinionem ipſorum ad th. 6. adducendam minueretur, numerum hunc nolebant excedi. Quod verò hic ille ceu *præceptum* recenſet, ab aliis nuncupatur *conſilium* ſeu *bonum monitum*; conf. *Sulcan. Aruch. libr. Aben Azer c. 1. §. 9. & Gemar. Babyl. ad tit. Gabimoth c. 4. f. 44.* Et hic numerus etiam apud Turcas fuit uſitatus, ut videre eſt in ad th. 14. annotatis.

5. *Auream mediocritatem in Polygamiâ.* Commendat Theophilus moderationem in ſacris præſcriptam in Monogamiâ & Polygamiâ, adeoque omni conjugio exhibendam. Nimia enim Venus, in quocunque exerceatur ſtatu, quadragies plus exhaurit ſpiritus & diſſipat vires, roburque corporis diſſolvit, quàm detractio ſanguinis *Avicenna l. 3. c. 3.* cum centum guttæ ſanguinis unam guttam ſeminis juxta Ariſtotelem vix æquent, cerebrum præprimis, quod eò facilius patitur, quò humidius eſt, & membra cerebro vicina per Veneris exceſſum læduntur *Mich. Septalius de ſecr. nat. c. 2. p. 214. Ariſt. prob. ſ. 4. q. 18.* & ſ. 3. q. 6. quibus vero ſpiritus exhauriuntur, calorque, quem autorem vitæ non immerito dixeris, detrahitur, iis tantum de vitâ decedere neceſſe eſt, quantum decedit ſpirituum & caloris, *Henn. Arniſ. d. tr. de Conn. c. 2. ſ. 3. n. 17.* ut adeò mirum non ſit, ſi multi ſolutis temperaturæ repagulis nimium litant Veneri, ex ipſo toro protrahantur apoplectici, aut in ſyncopen reſoluti, adeoque citius extremam humanarum rerum lineam attingant. Neque novi quid eſt, aliquos in ipſo opere Venereo exſpiraſſe, Enimverò *Laurentius Friſius p. 2. l. 1. Spec. Med. c. 9.* memorat, Lutetiis Pariſiorum juvenem quendam propter immoderatum Veneris uſum in ipſo actu extinctum, ac cranio ejus ab Anatomicis aperto, ne minimam quidem cerebri partem in ipſo fuiſſe

fuiſſe repertam. *Foreſt. l. 26. Obſerv. 20.* refert quendam ſenem ex morbo convaleſcentem inter uxoris amplexus exſpiraſſe, ibidemque ex *Galeno* addit alterius cujuſdam exemplum, qui poſtquam ex acuto morbo convaluiſſet, poſt concubitum ſubducto ſpiritu, deficientibuſque ſpiritibus eâdem nocte frequenti animi deliquio fuit mortuus. Adde *Tiraqu. de LL. Connub. 15. gloſſ. 1. p. 15. à n. 6. uſque ad 45. & Jo. Kizel. Synopſ. matr. c. 6. th. 2. lit. E. F.* Uſque adeò igitur verum eſt illlud:

Multa Venus vires exhaurit, ſpiritibuſque
Noxia conſumit corpora mille modis.

Quæ cum in Monogamiâ ob nimium, ex perpetuo in uno lecto contubernio, ortum concubitum, & præ conceptam communiſſimam de ſatisfaciendo mulieri opinionem ſe magis exerant, quàm in Polygamiâ, ubi verus matrimonii finis, procreatio nempe, animis hominum iterum imprimitur, præſtat virum habere plures uxores, cum quibus nonniſi generationis ergò rem habeat. Veluti videmus uxores primo & ſecundo anno ob nimium concubitum non facilè, uti meretrices rarò, concipere.

THESIS V.

SIcuti enim in toto Oriente, ita maximè in populo Dei ſelectiſſimo, cujus multiplicationem Deus ſummopere deſiderabat, inter Judæos Polygamia erat frequentata, ſicuti hujus moris antiqui meminit Joſephus ἀρχαιολογ. *lib.* XVII. *c.* 11. cum ſcribit: πάτριον γὰρ ἐν ταὐτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν. conſuetudo enim nobis eſt patria, plures ſimul uxores habere. Quare Polygamiam obſervarunt ſemper etiam poſt natum Chriſtum, partim quia lege divina credebant licitam, partim quia à priſcis ſapientibus ſciebant permiſſam, uſque dum legem tulerunt Impp. *Theodoſius, Arcadius & Honorius ſub Anno* CCCXCIII. c. *de Judæis & Cœlicolis lib.* 7. nequis *Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineret, nec juxta legem ſuam nuptias ſortiretur, nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniret.* Unde & ipſi poſtmodum ſanxerunt, ut pro ratione locorum ubi degerent, & ſecundum leges, quæ illic obtinerent, nonniſi unicam ducerent uxorem. Ex libro enim cui titulus Colbo n. 116. conſtat Rabbenu Gerſon qui floruit circa A. 4830. ante annos 600. inter alias conſtitutiones & hanc poſuiſſe, *ne quis ſub excommunicationis pœnâ duas duceret hoc tempore uxores ad minuendas lites & contentiones inter conjuges.* Et hanc ſanctionem plerique hodiè Judæi in Europâ ſequuntur, nec permittunt ut quis *uxori ſuæ aliam ſuperinducat, quia præſumitur illum eo animo duxiſſe uxorem ut nolit ducere aliam, et ſi hanc conditionem in pactis non expreſſerit, quod ſi quis contra fecerit, anathematis adigitur dimittere primam, ſi velit exire, ſi verò non velit cogitur expellere ſecundam & hæc quoque cogitur accipere libellum repudii.*

1. *Sicuti enim.* A poſteriori hîc incipit *Theophilus* deducere, Polygamiam non eſſe contra jus divinum naturale, cum conſenſum omnium aut plerarumque Gentium

 aper-

apertiſſimè monſtrat. Siquidem ſtatim Anti-diluviani Polygamiam in uſu habebant, uti *Selden. l. 5. de J. N. & Gent. p. 586. ed. Arg.* probat, ubi Salomon Jarchius ita ſcribit: *Ad hunc modum ſe habuit mos ſub diluvii tempora, ut alteram haberent uxorem prolis gratia, alteram ad libidinem* (quod non laudandum) *Ea autem, quæ ad concubitum duntaxat ducebatur, ſterilitatis exhaurire ſolebat poculum, ut ſterilis redderetur; Ornata enim velut nova nupta, lautiores comedebat dapes; Acerbiùs autem & durius tractabatur ſocia ejus ſeu altera, & lugebat veluti vidua.* Et Rabbi Uria ex R. Judâ Bar Simon paraſch. 23. *Sub diluvium,* inquit, *hominum mos erat, ut pro lubitu binas ſibi duceret quiſque uxores, alteram prolis gratiâ, alteram in concubitum, Ea autem, quæ prolis gratiâ haberetur, velut vidua, quamdiu ſuperſtes eſſet, degebat; Sed ea, quæ in concubitum adhiberetur, ſterilitatis exhaurire ſolebat poculum, ut ſterilis redderetur, atque juxta virum accumbere ſolita velut meretricio ornabatur habitu.* De Lamecho Ante-diluviano quod habuerit duas uxores ſine reprehenſione Theoph. infrà latè deduxit. Inter Poſt-diluvianos Anti-Polygamicus ille Dormitantius, ne ab Abrahamo patre fidelium ipſi incipiendum eſſet, Sodomitas fingit Polygamos, ſed fuerunt jam ante *Sabæi*, quamvis ille hos abſolvat à Polygamiâ, licet peſſimè. Fuit autem *Seba*, vel *Saba* Chuſi filius & Chami nepos, uti id Gen. 10. 7. patet. In hujus poſteritate Sabæa, quæ dicitur, Religio obtinuit, cujus quidem fundamentum ipſius Noachi religionem eſſe tradit *Beidavi Comm. in Alcor. p.* 53. quinimò, in quâ ipſum Abrahamum educatum dicit Maimonides teſte *Hotting. Hiſt. Or. l. 1, c.* 8. Hæc Sabæorum religio tàm latè patuit, ut apud Nabathæos, Chaſdæos ſeu Chaldæos & Charanæos omnes obtineret, tamdiu ſuperfuit, ut, qui poſt natum Chriſtum a. 366. & deinceps celebris eſſe cœpit, *Greg.* cognomento *Nazianzenus* Sabæorum ſuperſtitionem & impietatem publicis concionibus impugnare deberet, referente *Patricide* apud *Hottingerum*; quin imò ut Mahomet, cum ſexto jamdum ſeculo poſt natum Chriſtum univerſum orbem hæreſeos veneno dementaſſet, Sabæos reperiret, quibus cum ſuis fœdera firmare concederet, ut id conſtat Surat. 11. At enim quàm cœtera ſuperſtitioſa fuerit hæc Sabæorum religio, in conjugiis tamen & divortiis ſeſe adhuc ritè geſſerunt, uti de illis quædam recenſet Origenes Muhammed. l. 1. *Connubia,* inquit, *contrahunt per teſtes non cum proximis propinquis. Lege autem apud eos ſancitum eſt, ut mas & fœmina pariter conſueſcant; Repudium non concedunt, niſi ob manifeſtum adulterium. Repulſi autem non revertuntur. Neque concedunt bigamiam aut conſuetudinem conjugalem, niſi ob procreationem ſobolis, &c.* Hott. Ex quo ſatis clarè patet illis in uſu fuiſſe Polygamiam, ſed non ob libidinem, ſed liberorum tollendorum causâ, uti & ipſum conjugium. Conjunguntur enim ſimul, ita ut utraque fuerint conceſſa ob verum finem; utraque etiam prohibita ob alium finem; luxuriam nempe.

2. *Populo Dei ſelectiſſimo.* Gens hæc ad ſuperſtitionem uſque ſtatutorum divinorum obſervantiſſima, libidinibus pro virili abſtinebat, memores illius ex Lev. 18. deducti: *non deliciandum ulla ſpecie libidinis, vel illicitæ per nudationem pudendorum & ſcortationem impuram converſationis, nec accedendum aut appropinquandum ad menſtrualem, etiamſi ſit illa extra congreſſum,* amplectendo, oſculando, aut ſimili modo malo tractando, quibus ſe immergunt homines ſceleſti, qui ſequentes vanitatem vani facti ſunt, *nemo ad ullam propinquam carnis ſuæ accedat, ad revelandam turpitudinem,* Lev. 18, (ubi ſpecies illicitorum recenſentur) 96. d. ne ullo acceſſu propinquo peccetis, qui cauſa exiſtere & vos ducere (ut Rabbini explicant) poſſet ad retegendam nuditatem. Præter mandata verò ibi adducta, Rabbini leges quaſdam habent prophyɫticas quas *Sepimenta* appellant, ut ipſis eâ ratione principiis obſtare, & obicem vagæ libidini ponere poſſint. Volunt enim primùm *ne quis nictet oculis ulli, ex interdictis* (mulieribus) *neque rideat cum illis, ſed nec odorari aromata, quibus veſtis earum ſunt imbutæ licet.* Deinde non permittunt, ullam *libidinoſè aſpicere mulierem,* ne ſponſam quidem. Excipiunt

cipiunt tamen aſpectum conjugis, menſtruo licet laborantis, ut R. Levi ait, ubi tamen iterum *aſpectum mulieris menſtruatæ reſtringunt ad locum manifeſtum & patulum, non abſconditum, aut clandeſtinum, ne forte ipſum inducat concupiſcentia prava.* Volunt inſuper non licere vel *pilum aſpicere mulieris prohibitæ*, aut *vocem ejus audire, eâ intentione, ut quis jucunditatem inde capiat*, Nec licet aſpicere *phrygionicas mulieris* ſeu vetitum eſſe, veſtes formoſas, quales variegatæ & coloratæ illæ eſſe ſolent, aſpicere, quotieſcunque aliquis novit uxorem veſtibus ejuſmodi ſe induentem. Quoniam aſpectus veſtimenti cogitationem ei de illâ excitat. Nolunt etiam nos ullâ ratione *uxori alterius dicere ſalutem*, ne quidem operâ mariti ejus. Occurrunt & alia apud Thalmudicos, his ſimilia apophtegmata, cujuſmodi eſt. *Quicunque aſpicit mulierem cum intentione*, perinde eſt. ac ſi rem habuiſſet cum illâ. Talmud. Kalla ab initio: quicunque *aſpicit calcaneum mulieris*, erunt ipſi liberi inhoneſti. Kedar autem: quicunque *aſpicit minimum digitum mulieris, perinde ac ſi aſpexiſſet pudendum ejus*. Sehabb. c. 5. Quæ omnia non longè abeunt, ab illo Servatoris, *Matth.* 5. 28. πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. Summa rei eſt, *nequiſquam homo faciat in mundo. quod inducere poſſet cogitationem de mulieribus vel opere, vel verbo, vel nutu.* Nam ut loquuntur Rabbini *Cogitatio impellit ad opus ipſum.* Quo etiam facit illud. *Figmentum* (ſeu concupiſcentia) *initio debile eſt* (Vid. Lex. Buxt. Thalm. R.) *poſtea progreſſu conſortatur contra hominem valde. Seriò igitur Fili mi cave, ne pollicitis te concupiſcentia pelliceat, ſi vel maximè mille obſides ſiſtat tibi.* Rabbi Levi p. 77. Idem etiam rationem reddit, cur hodierno die majori rigore aſtringantur ad ejuſmodi ſepimenta, & leges τὰς φυλακτικὰς Judæi, quàm majores illorum Thalmudiſtæ, *Hi nempe fuerunt inſtar angelorum, qui ne horam quidem aliis conſecrarunt ſtudiis, quàm legi & præceptis, fuitque intentio eorum manifeſta toti orbi, inſtar ſolis meridiani. Neque etiam ullâ in re quicquam mali ſenſerunt, præ aſſiduo ſtudio, quo legi & præceptis adhæſerunt; Aliam longe poſteritatis eſſe rationem, cui non conveniat rumpere minimum in ejuſmodi rebus, ſed obſervandas omnes illas remaliores, quas notas fecere Magiſtri in ſpecie. Quod ſi quis ſtatutis Rabbinorum non ſatis munitum ſe animadvertat, ipſe officium faciat, Incumbit enim cuique id præſtare, quod corpori ejus maximè expedit. ut ſi obſervet in ſe, ſibi opus eſſe ſepimento, etiam in licitis, eo ſeipſum muniat, quemadmodum reperiſſe tradunt ſapientem quondam, qui dixerit, curam mei gerite propter filiam meam, Etſi enim homini permiſſa Filiæ ſolitaria converſatio, nihilominus; quia res gravis valde eſt, & concupiſcentia potens in eo, opus cuilibet eſt, accuratâ cuſtodiâ.* Huic verò vagæ libidini opponunt medicinam; *Si homo, quoties in mulierem formoſam incidit, cogitat. gehennam apertam in palpebris ejus, & omnem propinquum acceſſum, quo quis ſe ei applicat, eſſe ignem ſemper ardentem, hæc omnia ſi ad animum revocet, non poterit illi ejuſmodi mulier eſſe in titubationem, ſeu caſum.* Quod ſi nec ſic quidem ſubigere poſſit pravas cupiditates, ſuadent Rabbini, ut ſi in alicujus poteſtate non fuerit occidere concupiſcentiam, & cogitationes ſuas ab eâ avertere, legat: *Audi Iſraël aut occupet ſe in lege, certoque ita eam extinctam iri ſignificarunt.* Prolixi ſunt hâc de re Thalmudiſtæ, hinc & inde in Gemara. Maimonides Hil Iſſure Biah c. 21. p. 126. ait: *Uſus hujus præcepti eſt omni loco & tempore, in maſculis & fæmellis. Atque hunc morem obſervant genuinæ filiæ Iſraël. Transgreſſor, qui illicitâ carnis appropinquatione ita appropinquaverit, ut delectationem aliquam inde habeat, vapulat. ſi ſciens & monitus peccaverit. Si verò quis limites cæterorum, à quibus nos Magiſtri longè abeſſe voluerunt, tranſilierit, aut ſi luſerit cum illis, aut levitatem capitis oſtenderit, neque monitus cedere velit, percuſſione rebellionis mulctatur.*

3. *Inter Judæos Polygamia.* Apud Hebræos non tantùm tot uxores ducebant quot vellent, ut hinc & inde ad nauſeam dictum & ex ſcriptura ac Rabbinis probatum, (ex Patribus Juſtinus in Dial. cum Tryphone fatetur quoque his verbis: Magiſtri veſtri ad hoc uſque tempus quatuor aut quinque uxores

... unumquemque veſtrum habere permittunt) ſed etiam ſponſalia cum duabus ſimul poterant fieri, ſi ſponſus annuente ſponsâ primâ libellum ſponſalitium inſcriptum tradens etiam aſtanti puellæ alii dixerat, *& tu etiam*, aut *& ſimiliter tu* aut ejuſmodi quid aliud, utræque ſponſæ fiebant, modo etiam & huic nummulus, ejuſque pretium daretur. Solebant præterea dicere vel ſcribere: *Sponſa ſis dimidio aut parti mei* ac volebat non minus ac ſi dixiſſet: *Sis tu mihi in uxorem, quemadmodum alia eſt mihi uxor.* Nam quia uxores plures ſimul duci ac retineri quibant, earum nulla plus quàm mariti partem habebant. At verò ſi dixerat: *Pars aut dimidium tui mihi in ſponſam*, aut, *ſis mihi atque huic ſponſa* nulla erant ſponſalia, nullum conjugium. Nam fœmina, cui non erat, uti viro Polygamiæ jus, ita dividi nequibat, adeoque nec verbis ejuſmodi conſentiens teneri.

4. *Theodoſius, Arcadius & Honorius.* Judæi hinc & inde in toto univerſo diſperſi ob pietatem in Sabbathi celebratione manifeſtatam, jejunia alioſque mores & ritus devotos, gentibus erant grati atque accepti, ita, ut ipſis liberè ritus illos exercere permitterent, ipſæque ritibus quendam honorem exhiberent, uti Philo de vitâ Moſis l. 2. dicit: *Quis jejunium, quod vocant, non mirabundus adorat, maximè quod annuum habetur in ſacrato illo menſe, diſciplinâ tetricâ & auſtera?* & paulò poſt. *Sanctitas legum Judaicarum omnibus aliis venerabilis habetur.* Unde indultu Principum & Maximorum Imperatorum *Julii, Auguſti, Tiberii* ritus Judaici Judæis ipſis permiſſi non tantum, ſed & multa privilegia conceſſa Certè *Theodoſii I. Arcadii & Honorii A. A. A.* ſeculo & tempore, quod propius antecedit, Judæos in Oriente, utcumque diſperſos, urbeque majorum & templo carentes, eximio vitæ ſplendore rerumque opulentiâ inſigniter floruiſſe, ſi unquam poſt excidium, tam certum eſt, ut nihil certius. Sua per hæc tempora in utraque Palaſtinâ habebant *Synedria.* L. 17. C. Juſtin. de Jud. & C. Theod. l. 16. tit. 8. l. 29. Celebres tunc eorum *Academiæ illæ*, ſeu potius Reſpublicæ clariſſimæ, Soriana, vid. *R. Gedalia Ben Jechai in Shalſeleth. f. 35.* Pombadithana Nehardajenſis id ſatis teſtantur, uti & Synagogarum frequentia & immunitas, ſingulariſque Principum indulgentia. *Theodoſii, Arcadii & Honorii* Auguſtorum habetur reſcriptum ejuſmodi ad Addeum Comitem, & Magiſtrum utriuſque militiæ, C. Theod. l. 16. tit. 8. l. 9. Vid. & l. 12. & 25. *Judæorum ſectam nullâ lege prohibitam ſatis conſtat, Unde graviter commovemur, interdictos quibuſdam locis eorum fuiſſe conventus. Sublimis igitur magnitudo tua hac juſſione ſuſcepta nimietatem eorum, qui ſub Chriſtianæ religionis nomine illicita quæque præſumunt, & deſtruere ſynagogas atque exſpoliare conantur, congruâ ſeveritate cohibebit. Dat, III. Kal. Oct. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio CONSS. id eſt A. C.* 395. Triennio item poſt Judæos ipſos Arcadius & Honorius A. A. *Rectores Provinciæ vobis nullum diſcuſſorem aut moderatorem eſſe concedent, Quod ſi qui munere ſibi,* (forte ſi quis induere ſibi) *curam præter vos proceresque veſtros audeat, tum velut aliena appetentem ſupplicio coerceri feſtinent.* Quin iidem Auguſti ad Claudianum Comitem Orientis eodem anno l. 11. *ſi quis audeat illuſtrium Patriarcharum contumelioſam per publicum facere mentionem, ultionis ſententiâ ſubjugetur.* Forte à veritate alienum non eſt, ſi quis dicat, Claudianum hunc illum ipſum fuiſſe, qui ſcripſit poëma & mentionem etiam facit Judæorum, cum invehitur in Eutropium Conſulem in Oriente factum, ideò maximè quod abjectiſſimus fuiſſet ſervorum, & caſtratus. Rem incredibilem ait viſam:

Atque aliquis gravior morum, ſi talibus inquit,
Creditur, & nimiis turgent mendacia monſtris.
Jam teſtudo volat, profert jam cornua vultur,
Prona petunt retrò fluvii vada. Gadibus ortum
Armenii texere diem: jam frugibus aptum
Æquor & aſſuetum ſylvis delphina videbo.
Jam Cæleis homines junctos & quicquid inane

Nutrit

Nutrit Judaicis quæ pingitur India velis.

Ubi inane, quod nutrit India, Judaicis pictà velis, inter ſumma ponitur rerum monſtra, ſeu præ aliis ſummum nec in rerum naturâ extare creditum. Quid verò ſint illa *Vela Judaica*, & quid *India picta Judaicis velis*,

Certant Philologi & adhuc ſub judice lis eſt. Vid. Caſp. Barthium. ad h. l. & Selden. de J. N. & G. p. 238. qui multum de hoc loco Claudiani controvertuntur. Fuit verò Poëta hic Auguſtis his atque Senatui adeò charus habitus, ut *ſtatua* in foro Divi *Trajani* atque titulo honorifico diu ante obitum donaretur. Claudian. præfat. in libr. de Bell. Get. & Lil. Gyrald. in Dial. 5. de Poëtis. Unde veriſimile fit illum ad hanc dignitatem & munus evectum eſſe, & ab Auguſtis his in mandatis ut debitam curam Judæorum haberet. Proximo item anno ad Cæſarium Præfectum Prætorio ſcripſerunt iidem Auguſti: *Nos in conſervandis Judæorum privilegiis veteres imitemur, quorum ſanctionibus* (C. Theodoſ. l. 16. tit. 8. l. 13.) *definitum eſt, ut privilegia his, qui illuſtrium Patriarcharum ditioni ſubjecti ſunt, Archiſynagogis Patriarchiſque ac Presbyteris cæteriſque qui in ejus religionis ſacramento verſantur, nutu noſtri nominis perſeverent ea, quæ veneranda Chriſtianæ legis primis clericis ſanctimonia deferuntur. Id enim & Divi Principes Conſtantinus & Conſtantius, Valentinianus & Valens divino arbitrio decreverunt; Sint igitur à curialibus muneribus alieni, pareantque legibus ſuis.* Ita ſummo Principum indultu, ſuoque jure liberè, modo Chriſtianæ religioni palàm non officerent, ſeu facerent contumeliam, utebantur, Patriarchis eorum, nomine nunc illuſtrium, nunc ſpectabilium deſignatis. Nec levia ejuſdem rei veſtigia occurrunt in D. Chryſoſtomi homiliis adverſus Judæos, ubi in Chriſtianorum & Judæorum conſortium adeò frequens invehitur. Brevi autem evenit, ut tot privilegiis ac tàm ampla vitæ ſplendidæ libertate nimiùm, ut fieri ſolet, elati atque rebus tàm ſecundis inſolentius & ſuperbius uſi felicitate priſtinâ indigni meritò haberentur. Notum eſt Judæorum ingenium, qui Meſſiâ ſuo freti, ſæpeque illius, putaticii licet, adventu inflati rebellione ſuâ multum negotii Chriſtianis faceſſerunt, aut etiam abſque illius adventu omnia miſcere voluerunt, uti de illis ſequioribus temporibus, ubi ſub majore erant ſervitute, narrat Matth. Pariſienſis, quod univerſalem Monarchiam in Europâ ſummopere affectarint & intenderint. Verba ejus hæc ſunt: *Latentibus illorum dierum curriculis, multi Judæorum de partibus tranſmarinis, præcipuè autem de Imperio credentes, quod plebs Tartarorum & Lumanorum eſſet de genere eorum, quos Deus in montibus Caſpiis precibus Alex. M. quondam incluſit, convenerunt in loco ſecretiſſimo ex communi condicto. Quos qui ſapientiſſimus eorum & potentiſſimus videbatur, ſic alloquitur, Fratres qui eſtis ſemen Abrahæ præclari, vinea Domini Sabaoth, Deus noſter Adonai nos diu ſub poteſtate Chriſtianorum permiſit affligi. Sed nunc venit tempus, quo liberamur, ut ipſos vice verſa Dei judicio opprimamus, ut ſalvi fiant reliquiæ Iſraël. Exierunt namque fratres noſtri, tribus ſcilicet Iſraël, quondam incluſæ, ut ſubdant ſibi & nobis univerſum mundum, &c.* Ita non eſt ignotum Judæos Anglienſes ſimul & ſemel ibi eſſe occiſos, & in mare projectos, uti Rabbi Gedalia Ben Jechaja in Sepher Shalsheleth Hacabala f. 112, 113. refert: *Anno quinquies milleſimo & vigeſimo ſacerdos quidam Chriſtianus circumciſus eſt in Angliâ; ideò ſcilicet, ut uxorem duceret Judaicæ gentis fœminam, quam efflictim deperibat. Id quamprimum eſt loci civibus notum, voluere illi eos vivicomburio punire. Cæterum alio modo ultionem futuram ſtatuit Rex, edicto nempe promulgato, ut intra tempus trimeſtre Judæorum commune Judaiſmo renuntiaret, & qui ſacerdotem circumciderant, comburerentur. Et eorum perplurimi ſanè Judaiſmo renuntiarunt; Liberi autem eorum univerſi ſexennii ætatis & minoris in extremos regni limites miſſi ſunt, ut ibi diſciplinæ avitæ ſeu Judaicæ oblivīſcerentur. Mortuo autem Regi huic ſucceſſit filius ejus. Nec diu poſt cum & peſtis & fames regnum ejus invaſit, monuerunt conſiliarii ejus pœnæ hujus cauſam eſſe peccatum Judæorum, non rectè credentium; Fiebant igitur juſſe Regio*

duo tentoria juxta littus marinum, quorum ſuper alterum efformabatur figura Moſis, Magiſtri noſtri, ſuper quem ſit pax, uti & nomen ejus, ſuper alterum autem figura Chriſti eorum. Mitioribus dein verbis cum eis, in anguſtias has redactis, Rex agens denuntiavit cuilibet eorum licitum fore Judaiſmum amplecti & retinere, nec omninò ad rem quampiam coactum iri. Id tantum ſe velle dignoſcere ſatis, quiſnam reverà Judæus eſſet, quis non. Imperavit igitur, ut qui revera Judæi eſſent, atque eſſe vellent, ingrederentur tentorium Magiſtri noſtri Moſis, ſuper quem ſit pax. Conditione acceptâ quamplurimi illud ingrediuntur. Ingreſſos autem occiderunt & in mare projecerunt. Atque ſic exitus erat univerſorum. Ita Rabbi ille Gedalia. Et tantundem de tentoriis ac Judæis Anglienſibus trucidatis & in mare projectis ferè apud autorem Chriſtianum, *Fortalitii fidei l.* 3. *p.* 219. *ed. Lugd.* 1525. *& p.* 169. *ed. Norimb.* 1494. ſive is *Guil. Totanus* ſit, ſive *Bartholomæus de Spina*. Vid. *Anton. Poſſev. in Bibl. Select. l.* 9. *c.* 3. & *Johannem Molanum in Biblioth. Materiarum.* Sed pro eo, quod legitur apud Gedaliam de imagine Moſis & Chriſti ſuper tentoria, in Fortalitio dicitur, legem Judæorum in altero, in altero crucem Chriſti poſitam, nullâ Moſis mentione habitâ. *Et intrantes*, inquit, *papilionem* (Legis) *unus poſt alterum jugulabantur in ſecreto, ex alterâ parte papilionis, & projiciebantur in mare, & ſic purgatum eſt prædictum regnum, & continuò ceſſit plaga, nec amplius Judæus ibi habitavit, ſed nec habitat uſque in hodiernum diem.* Vid. prolixè Seld. de J. N. & G. p. 189. 190. Scilicet Pientiſſimi Reges Judæorum genium animadvertentes, non poſſe ſervitute ſatis coerceri, ſibi & ſuis regnis proſpicientes ejecêre. Arcadius verò, Honorius & Theodoſius fuêre tàm benigni erga Judæos, ut illos tolerarint, & ab initio multis immunitatibus & privilegiis donarint, cum autem ingratos & elatos deprehenderint, iis iterum exuerunt. Primùm igitur ab Honorio & Theodoſio II. Auguſtis tùm attemptandæ de cœtero militiæ aditus iis, quibus anteà, uti Romanis cœteris patebat, obſtruebatur, tùm cingulo militiæ antè decorati Judæi exuebantur omnes. Circa vigeſimum ſcilicet à reſcripto illo ad Cæſarium annum ſeu Honorio XII: Theodoſio VIII. Conſulibus. In ipſo autem hoc de militiâ reſcripto aliàs ſe ſatis Judæis, eorumque dignitatibus ac ſplendori favere edici volebant Principes, temperamentum edicto adjicientes. Verba hæc ſunt; *Sanè Judæis liberalibus ſtudiis inſtitutis exercendæ ad vocationis non intercludimus libertatem, & uti eos curialium munerum onere permittimus, quam prærogativâ natalium & ſplendore familiæ ſortiuntur. Quibus cum debeant iſta ſufficere, interdictam militiam pro notâ non debent æſtimare.* Ita ſcilicet paulatim deſierunt hæc Judæis indulta privilegia, vitæque inde collucens paſſim ſplendor. Poſtea enim Theodoſio A. ſecundo XVII. & Feſto Conſulibus, Valentiniani III. & ejuſdem Theodoſii edicto *C. Juſtin. tit. de Jud. l.* 19. mirum in modum ea, quibus antea fruebantur diminuta ſunt, ipſique in conditionem peſſimam redacti.

5. *Nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniret.* Inter alia Judæis ad obedientiam & ſervitutem redigendis Imppp. Theodoſius, Arcadius & Honorius in hâc lege adimebant libertatem conjugiorum, & Polygamiam interdicebant. Unde & illud in Synopſi Baſilicon lib. 1. tit. περὶ Ἰουδαίων: *Juxta leges, communes Iudæi matrimonia contrahunto.* Ex quo conſequitur, ut ſupra aſtruximus, conjugium eſſe *contractum purè Politicum*, qui à Magiſtratu, ut libet, reſtringi atque limitari poſſit, veluti videmus in Judæis, quibus Chriſtiani Magiſtratus & olim & hodie (quo jure aut injuria hæc idololatria horrenda concedatur, nil dicam) permiſerunt propriam avitam religionem exercere, Polygamiam tamen, olim inter ipſos frequentatam, & hodienum Judæis inter Turcas habitantibus uſitatam, ob conſuetudines in Romano Imperio civiles interdixerunt. Quô ipſo apparet, ad fidem & religionem proprie non pertinere, ut dolendum ſit, nonnullos inter Anti-Polygamos Theophilum ob quæſtionem hanc hæreſiarchis, aut hæreticis peſſimis annumerare. Si jus retorſionis uſurpatur & quia ex ipſorum principiis eſt articulus fidei, illi pro Tridentinis Polygamiam anathematiſantibus habeantur, aut

in

in Fratrum Ignorantiæ, quid ſit articulus fidei, circa quem hæreſis verſatur, neſcientium numero collocentur, neſcio an ipſis hac in re injuria inferretur. Quin imò ignorant illi titulares Chriſtiani, regno Dei excluſi ſcientiæ magis, quæ juxta Paulum inflat, quàm conſcientiæ curam habentes, parvulum Catechiſmum, aut potius Decalogum Gentibus & Judæis notum, & melius intellectum atque ſervatum *de falſo teſtimonio non dicendo*. Eximia ſane ſunt quæ Rabbini in Sanhedrim & Gemarâ hanc in rem commentati, quæ in gratiam Anti-Polygamorum hic breviter inſerere non dividiæ eſt. Dicunt autem inter alia: *Ratio hujus Præcepti manifeſtè patet, quia mendacium abjectum & fœtidum quid eſt in conſpectu omnis intelligentis, quia vero teſtimonio innixus conſiſtit mundus. Omnes enim contentiones hominum deponuntur teſtimonio hominum. Quod cum ita ſit, erit teſtimonium falſum cauſa devaſtationis orbis.* Sed noſtri Anti-Polygami Gynæcocratumeni, forſitan putabunt hoc præcepto ſe non obligari, quòd virili habitu induti animum gerant mulieroſum, ad mulieres verò hoc non pertinere ait Maimonides Hil Edol c. 43. *Valet*, inquiens, *omni loco & tempore in maſculis, in mulieribus non item. Nam lege teſtimonii mulieres non tenentur. Requirit enim teſtimonium multum ſcientiæ; qui transgreſſus negativum hoc, falſum dixerit teſtimonium, contra proximum ſuum, pœnæ ejus ſcriptura limitem ponit, ut fiat illi, quemadmodum cogitavit ſocio ſuo facere ſeu flagellatione punitur.* Meritò igitur talium mulierum teſtimonium, utpote quæ taceant in Eccleſiâ admittendum non eſſet. Interim ſciunt ex Lev. 19. 16. ſeveriſſimè interdictam *famæ & honoris proximi nundinationem.* Cum Jehova inquit, *nequem detrectes*, 45. d. non ambulabis ut detractor, cujus ſenſum hunc eſſe volunt Rabbini, ſcilicet, ut *cum audiverimus quempiam malè de proximo loquentem, ne accedamus illum, eique ſignificemus, Ni de te hoc vel illo modo loquitur, niſi fiat eâ intentione, ut tollantur damna, & ſopiatur lis.* Alii ita exponunt: *Ne eſto ſicut mercator, qui poſtquam aliquid deportat,* (onuſtus eſt) *alit ſcil. ut vendat.* Unde & Abenezra: *Mercator emit ab uno, & vendit alteri, ſic revelat huic, quod audivit ab illo.* Et R. Maimonides c. 7. l. theoth. S. 2. *quiſnam eſt delator, qui captat verba, & ſe ab alio ad alium confert, & dicit, Ita dixit N. Ita & ita audivi de N. etſi verum ſit, talis tamen mundum devaſtat.* Scilicet præcepto hoc Deus voluit conſulere *paci & concordiæ* hominum juxta R. Levi *ἀπιολογίαν.* Hoc ſcelus maximè deteſtantur Rabbini in Gemarâ & Midraſch, uti & Maimonides Hildcoth. c. 7. *Lingua mala*, inquiens, *occidit eum qui dicit, & qui accipit eam præ aliis omnibus.* Quod Palæſtini aliter exprimunt: *Lingua tertia*, (ſic calumniantem ab hoc ipſo pernicioſiſſimo eventu & effectu vocant) *occidit tres, loquentem; audientem, & de quo dicitur.* Unde volunt ſuos ἀπὸ παντὸς εἴδους epidemici hujus mali abſtinere, uſque adeo ut moneant, e. g. *ſi quis in ſuâ familiâ habet ſuſpenſum, ne quis illi dicat, ſuſpende mihi hunc piſcem, tum quia ſuſpendii vox eſt ignominioſa, tum ne tacitè opprobrium domeſticum refricare videatur.* Improbant etiam *pulverem linguæ malæ* i. e. ſubtiles & indirectas ſycophantias atque calumnias, quo referunt 1. *eum, qui laudat proximum ſuum præſente ejus adverſario, qui ad evomenda ſua convitia, quibus laudem obſcuret, irritatur*, 2. *qui per riſum & jocum calumniatur ſocium ſuum, ac proteſtatur, ſe id ex animo aut deſtinata malitiâ non feciſſe*, 3. *Cum quis dixerit, mittite hunc, Nolo commemorare, quid ego in illo obſervaverim, aut quid illi contigerit* &c. de quibus fuſe Maimonides l. c. Vocatur autem *pulvis*, quia ut *R. Salomon* Jarchi ſcribit, non eſt lingua mala ſimpliciter, ſed *modus linguæ malæ*, ſicut pulvis, qui aſcendit ex confuſione rei alicujus in mortario. Conf. *Lex Thalm. Buxt. R.* אבק. & לשון *Floril. Hebr. p.* 35. Pœnam etiam graviſſimam in hoc horrendum facinus conſtituunt: de qua Maim. l. c. *Dicunt ſapientes, tria peccata vindicantur in homine in hoc mundo, neque ei pars erit in vitâ futurâ. Idololatria, denudatio verendorum ſeu illiciti concubitus & ſanguinum profuſio, lingua denique mala his omnibus æquivalens,* & R. Levi: *Uſus hujus interdicti obligat omni loco & tempore utrumque ſexum. Legi-*

F 2 *rupa,*

rupa, qui linguâ ſuâ alium detrectavit, violat negativum, habetur transgreſſor Præcepti Regii, neque tamen propterea vapulat, quia hic nulla actio. Quod verò Deo ſunt nuntii, quibus rei cædantur, etſi non loris vitulinis aut vaccinis. Etſi vero nullæ ob negativum hoc deficiente actione infligantur verbera, ſæpè tamen mortis reatus contrahitur, ut conſtat ex judicio traditoris, quod quidem judicium ſapientes exercere permittunt, attamen extra terram Iſraelis ad mundi diſpoſitionem (in bonum & ſalutem orbis terrarum) *Præſtat enim unum mori hominem, ne noceat, & perdat multorum vel corpora, vel facultates.* Quid leges civiles in diffamatores & calumniatores ſtatuerint Juriſconſultorum filiis eſt notum, ubi Anti-Polygami poſſunt petere, ut ſciant quid mereantur ejuſmodi animalcula.

6. *Leges quæ illic obtinerent.* Conſtitutiones Imperatoriæ in iis ſolis ſine moleſtiâ Judæos eſſe juſſère, per quæ cultus eorum inquinari videretur, *l.* 15. §. 6. *ff. de Excuſ.* cum hâc tamen cautione, ne Synagogas novas extruere, aut cruces in celebri feſto Purim exurere ad pœnæ quandam recordationem poſſent *l. ult. C. de Iud. & Cælic. l.* 11. In matrimonio verò, ut jam modo dictum, jure cum Romanis communi uſi ſunt, *adibantque ſolenni more judicia, & excipiebant actiones in his cauſis, quæ tàm ad ſuperſtitionem eorum, quàm ad forum & leges ac jura pertinerent l.* 8. *C. de Iud. & Cælic.* Atque hoc pacto obruta planè, ſepultaque Judæorum libertas fuit, vix ut umbra ejus ſupereſſet. Quanquam enim communi pactione ad ſimilitudinem arbitrorum litigare apud populares ſuos, & ſortiri eorum judicium jure publico poterant, *d. l.* 8. *Eod. C.* illud tamen oppidò exile fuit, quippe & in civili tantum negotio factum id fuit, & eorum ſententiam judices quidem ſed Romani exequebantur, d. l. 8. In ipſis verò avitis ſedibus illorum paulò plus privilegii fuiſſe illis conceſſum videtur. Et enim in *l.* 17. *C. Eod.* Impp. Theoſius & Valentinianus quoſdam Judæorum primates fuiſſe ſignificant, qui in utriuſque Palæſtinæ Synedriis dominabantur. Sed eorum poteſtatem juriſdictionemque penè in rebus nihili ſitam fuiſſe veriſimile eſt.

7. *Sanctionem.* Fuère nonnulli inter Judæos, qui ex ipsâ lege etiam binas uxores Iſraëlitam retinere fas non putabant, Rabbi Ami *Gemara Babyl. ad tit. Jabimoth c.* 6. *f.* 65. quiſquis uxori uxorem ſuperinduxerit, oportet eum priorem ejicere cum dote; Cujus ſententiæ etiam fuere Sadducæi, ut ſupra ad th. 11. 2. monſtratum. Sed illa ſententia ceu hæretica ab omnibus eſt exploſa, nec numerum è lege præfiniri volebant; At ubi ex more loci plures Hebræis conjuges jungi non ſolent, ibi nec plures à quopiam rite duci docet *Rabbi Ioſeph Karò in Shulcan Aruch libr. Aben Haezer c.* 1. §. 10. *Vid. & Arta Turin Cod. tit.* 2. *c.* 1. ubicunque loci mos obtinuerit, ut uxor ducatur tantùm unica, non licet aliam uxori ſuperinducere. *Rabban Gamaliel* etiam anathemate interdixit, nequis uxori aliam ſuperinduceret, niſi tantùm ex lege de ducendâ fratriâ, fratre ſine liberis demortuo, ſuperſtite. Quod idem etiam obtinere voluit in ſponſalibus. Sed conſtitutio ejus paſſim vim non habuit, Nec ultra finem chiliadis quintæ interdictum hoc obtinere valuit, ne ultra annum chiliadis quintæ juxta Hebræorum calculum. Ea autem finem habuit A. C. 1240. Et pro vario locorum, ſeculorum, hominum commodo vis ejuſdem interdicti aut recepta manſit, aut rejecta eſt. *Moſes Iſerles in Addit. ad Sulkan Aruch l. c.* quin adjicitur citatis è Joſepho Karo verbis: Bonum eſt, ut anathemate ſeu excommunicatione vetaretur, ne quis uxori alteram ſuperinduceret, Etiam & illud habent in Shulcan Aruch ib. c. 2. §. 11. *neutiquam in diverſis provinciis ſeu regionibus longius invicem diſſitis quempiam ſingulas uxores habere debere, ne ſcil. inde eveniat, ut liberi eorum matrimonio jungantur* (inſcii) *adeo etiam ut frater ſororem ducat. Cæterum viro illuſtri, cujus nomen notiſſimum & poſteri clari, hoc licitum eſt,*

THE-

THESIS VI.

HAbebant verò Priſci Judæi Polygami fœminas duum generum, *Uxores* נשים; & *concubinas* ſeu pellices פלגש פלגשים, quaſi פלג איש dicunt, quæ *dividit virum* פלג eſt dividit, eò quod dividant pellices mariti animum & affectum cum uxore, vel quod dimidiata ſit uxor חצי אשה illa erat juſta uxor, quam adhibitis ſolennibus ducebat, quam Philo vocat ἀστὴν ſicuti alteram παλλακὴν. Pellicum verò vel פלגשים mentio fit crebra, ubi de Patriarcharum & Regum uxoribus vel fœminis agitur. Præſertim Geneſ. xxv. & xxxv. 22. & xxxvi. 12. 2 Sam. iii. 8. v. 13. & xxi. 11. 1 Reg. xi. 3. Concubinæ autem, quantum colligi poteſt, erant trium generum: *ingenuæ* ac Iſraeliticæ; *ſervæ* השפחה, vel *extraneæ* הנכריה, & harum quidem magna ab illis erat differentia. Nam cum illis legitimum contrahebant matrimonium, & liberi ſuccedebant in hæreditatem, ſed non ita harum liberi; ſecus ac aliis viſum, qui omnium concubinarum liberos excludunt ab ineundâ Patris hæreditate, ſed malè, uti obſervat *Seldenus de ſucceſſ. Hebr.* cap. 3. Sed in hoc juxta communem ſententiam erat uxorum quas ἐξό ως. appellabant & concubinarum diſcrepantia, quod illæ ſolenniter ducebantur *pactis dotalibus & deſponſatione.*

Legitimis pactam junctamque tabellis dixit Juvenalis. Sic Hebræi etiam. *Uxores fiunt ſcriptis ſeu tabulis dotalibus & deſponſatione; Concubinæ neque his neque illis.* Quemadmodum in hoc omnes conveniunt, quod concubina accepta fuerit citra Dotales tabulas בלא כתובה; an etiam בלא קדשין citra deſponſationem diſſentiunt Salomon Jarchi & Abarbanel putantes, cum deſponſatione etiam ductam fuiſſe concubinam de quo conf. Buxt. *de Sponſal. & divort. p.* 11, 12. Quicquid ſit, certe non obſervabatur ea in ducendâ vel accipiendâ concubina ſolennitas, quæ in uxore legitimâ. Unde exurgebat diſcrimen etiam aliud honoris, qui uxori præ concubinâ à marito deferebatur. Quare cum tria uxori cuicunque maritum debere Magiſtri doceant, *alimentum, indumentum & concubitum* præcepto neg. lxxxi. hic & *honorem* addunt præaffirm. xlviii. לקדש אשה Ducitur uxor, argento בשטר vel *ſcripto* בכסף vel denique concubitu נביאה. Et quidem 1. ducitur *pecunia*, de cujus ſummâ diſputant, quâ uxor acquiratur. Secta Hammai dixit *denario* vel ejus æquivalente. Hillel בפרוטה Pruta ſic etiam Mikkobzi. At quantivaleat *Pruta* diſputant adhuc. Alia Pruta eſt *argenti*, alia *æris.* Argenteus nummus eſt valdè exiguus, cujus pondus

dimidium grani hordeacei, non dimidium ſicli, uti Munſterus exponit לשקל חצי שעורה 2. tabulis matrimonialibus ſeu בשטר ſcripto acquiritur uxor. Et 3. denique concubitu. Lex enim dicit Deut. XXIX. 1. *quando vir acceperit mulierem & duxerit eam* & maritarit eam, vel congreſſus fuerit cum eâ. Hoc quanquam licitum cenſeant juxta legem, hodie tamen propter honeſtatem eo non utuntur, ſed duobus duntaxat illis acquirendi modis. Quæcunque aliquo iſtorum modorum juncta alicui, ejus uxor evadit, cui facere tenetur decem, *tria ex lege, nempe cibum, indumentum & concubitum & ſeptem ex ſcribarum decreto, nempe quod infirmatam curet, captivam liberet, mortuam ſepeliat, cibetur de bonis ejus, & ſedeat in domo ejus quamdiu vidua manſerit, & filiæ, quas ab illa ſuſcepit, nutriantur ex paternis bonis, donec maritos duxerint.*

1. *Uxores & concubinas.* Aliæ fuêre concubinæ ante legem, Abrahami, Nahoris, Jacobi, Elephazi Gen. 36. aliæ poſt legem. Ante legem legitima uxor conſenſu præeunte, eoque concubitu firmato in vitæ conſuetudinem accipiebatur, pluresque ita poterant ritè haberi, ſine libello pro mariti arbitratu ſolubiles. Concubina verò à concubitu dicta in concubitum & vitæ conſuetudinem æque aſciſcebatur, nec leviori divortii genere ſeparabilis nomine tenus duntaxat aut ſaltem dignitatis minoris, (ſi ancilla vel generis obſcuri) ratione ab uxore diſcrepabat, quoad jugalem vero contractum, nodumque conveniebant. Uti oppoſite Philo περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου. *Etiam Nahor*, inquit, *Abrahæ frater habuit duas uxores, juſtam & concubinam. Iuſtæ nomen erat Melchaja, concubinæ Ruma.* De Sarâ & Kethura vid. th.7. & not. 1. Poſt legem non ad concubinatum, ſed ad nuptias pacta dotalia, aliaque atque in priſtino ſeculo ſolennia, eaque magis neceſſaria, non tantùm idonea ad contractum irritum faciendum concurrebant. Cumque ex majorum inſtitutis dotem & ſponſaliorum ſolennia nuptiis accedere velint juſtis hominum privatorum ſeu ſubditorum, Regi tamen ſuo fas fuiſſe, utpote hac lege ſuperinductâ ſoluto, ajunt, concubinam ſaltem concubitu ſibi conjungere, privato nihilominus interdictam fuiſſe concubinam, ſi excipias ancillam Hebræam tantùm, poſtquam eam ex venditione Patris Ex. 21. 8. deſponſaverit. Erat verò illa concubina ſeu ancilla planè uxor, uti & Levitæ concubina, à Benjaminitis nefariè perempta, planiſſimè uxor habetur, & is ejus vir dicitur, Jud. 1. 3. atque in verſione vulgata indiſcriminatim & uxor & concubina appellatur, in fonte nuncupatur bis אשה פילגש quod ſive *uxor concubina*, ſive *fæmina concubina*, uti etiam γυνὴ παλλακὴ verbi poteſt. Idem dicendum de decem illis Davidis concubinis נשים פלגשים i. e. ſive *uxoris concubinæ*, ſive *fæminæ concubinæ*, ſeu, ut vulgata, *mulieres concubinæ* vocantur, Et de Levitæ, quam diximus concubinâ, ad rem hic imprimis D. *Ambroſ. de Offic. l. 3. c. 14. Vir*, inquit, *Levita acceperat jugalem, quam à concubitu concubinam appellari arbitror.* Unde ad illud 2 Sam. v. 13. David duxit uxores & concubinas Hieroſ. *Gemara Babylon.* tit. Sanhedr, *quid uxores? quid concubinæ? uxores fieri pactis dotalibus ac ritibus nuptiarum, concubinis neque hos neque illa adhibita.* Adde *Gem. Hieroſ. tit. Kelubath v. 29. Hal. 3. col.* 4. & commentarium adjectum primo capiti *Halachæ Iſchot* ſeu de re uxoria *Moſis Maimonidis*. Si tamen eam, quâ cum legitimum haberi conjugium non poterat ob natalium defectum, veluti ſervam quis dotalibus cum inſtrumentis in concubinatum accéperat, ea & uxor impropriè dicebatur, & concubina, ſic ad Gen. 25. 1. Filiis concubinarum dedit dona *R. Bechal f. 35. col. 4.*

Kethu-

Kethura vocatur concubina, quoniam ſine inſtrumento dotali conjuncta eſt, atque ſic Magiſtri noſtri piæ memoriæ dicunt uxores cum inſtrumento ſeu pacto dotali, concubinas ſine hoc fieri. Ita autor *libri Zohar ad Breſchit, 79. f.* 316. Filios concubinarum explicat de Keturæ filiis: conf. 1 Paral. 32. Vid. Auguſt. in Gen. ad lit. q. 90. & de Civ. D. l. 16. c. 31. Liberis autem concubinarum, cum quibus legitimum contrahi potuit matrimonium, ſucceſſionis jus agnoſcit David Kimchius ad 2 Sam. 9. 7. ubi Saulis ex Rizpa concubinâ filios cum Mephiboſetho, ejuſque ex Jonathan F. nepote in paterna bona ſuccedere debuiſſe vult, ſi perduellionis crimen non interveniſſet, vid. 2 *Sam.* 3. 7. 21. 8. de Rizpa. Fuiſſe etiam in ingenuis in concubinatum accipiendis pactorum dotalium quorundam uſum agnoſcunt, ſed non ejusmodi, ut conditiones illæ dotales, quæ ad uxores ſpectabant, in eis locum haberent; unde & ſucceſſio in dotem, quæ uxorum prolis erat, ad concubinarum liberos non attinebat, de qua re conſ. *David Kimchium* ad 2 *Sam.* 5. 13. Cœteram autem hæreditatem proli concubinarum hujuſmodi negatam à Rabbinis non reperio: dicit *Selden. de ſucc. p.* 20. ut cumque à doctiſſimis viris atque Hebraicarum literarum callentiſſimis, dum de concubinis non diſtinguunt, earum qualeſcumque fuerint, liberos temerè video exhæredatos. Vid. *Io. Druſ. ad Loc. diff. Gen. c.* 64. *& Davidem de pomis in Lexico verbo* פלגש *f.* 143. *& Pinedam de Reb. Salom. l.* 2. *c.* 3. Sed ut id, quod res eſt, dicam, Concubinæ hujusmodi ingenuæ atque Iſraeliticæ tantum non juſtæ uxores erant, & ſanè uxorum nomine interdum in ſacris etiam literis eas deſignari volunt Magiſtri. Selden. d. l.

2. *Alimentum, indumentum & concubitum.* Debitum conjugale, quod communiter per concubitum explicant, etſi tantùm liberorum quærendorum causâ, ut ſupra diximus, exolvendum, Rabbini tamen impudicitiæ frena laxarant, & regulariter à marito reddendum volebant pro ratione virium ſuarum & aſſuetæ, cui addictus eſt, operæ uti ex Miſna patet tit. Kethuboth c. 5. *Ubi maritus,* inquit, *ſe abſtringit ab uxoris concubitu, ſeu lecti,* ut vocant, *miniſterio, per binas hebdomadas* expectandum erat uxori, *juxta ſententiam Scholæ Schammaana. Atqui ex Hillelis Scholæ ſententia per hebdomadam unicam. Diſcipuli excipiuntur propter ſtudium legis, utpote in quos non eſt uxoris hic poteſtas per dies triginta. Operariis ſeu artificibus hebdomas præfinitur unica. Quod verò ad conjugale debitum in lege memoratum attinet, juvenes otioſi* (v. Gem. Babyl. ad tit. Kethuboth c. 5. f. 62. & Baal Aruch in טיל) *ſtrenui ad illud ſingulis obligantur diebus, operarii binis in hebdomade vicibus, aſinarii* (villici ac ruſtici, qui proventus ex agris villiſque apportant) *ſemel in hebdomade,* qui cum camelis *mercaturam exercent* (qui è longinquo onuſtos mercibus camelos ducunt) *ſemel in diebus triginta, nautæ* (qui aperti maris ſpatia metiebantur) *ſemel tempore quolibet ſemeſtri, quod ex ſententiâ Rabbi Eliezeris dictum.* Hæc Miſna. Vid. Seld. Ux. 347. & p. 350. ait: *legis ſtudioſos*, i. e. qui ſeriò primas ejuſce ſcientiæ ſivè nacti eſſent, ſive ambirent, etiam per *biennium* aut *triennium*, ſi res poſtulaverat, nulla fuit uxoris debiti exigendi poteſtas & p. 351. *nullum maritum* ad *plures unicâ* in hebdomade vices obligari. Et p. 352. ex Maim. Halach iſchot c. 14. adducit, quod *artifex cui* 4. *uxores*, ſingulis ſeptimanis, debitum earum uni teneatur reddere, ſed ita, ut ſua reliquarum uxorum cuique eſſet, in periodo illâ menſtrua hebdomas. *Mercator* ſingulis menſibns, *nautæ* ſingulis ſex menſibus, adeò, ut ubi tot eſſent nautæ uxores, periodus debiti recipiendi ſingulis eſſet biennium. Certe *Plutarchus* in *Solonis legibus*, quæ haut parum mores ſæpè imitatæ Judaicos, dicit, quod marito dotalis fœminæ *ter ſingulis menſibus* cum eâ pernoctandum. Sed hæc Rabbinica ſunt & Ethnica: Chriſtiani moderatè & non niſi procreandorum liberorum causâ, cum Chriſtianis & devotis ſuis uxoribus rem habent.

3. *Ducitur uxor argento, ſcripto, concubitu.* Ab his tribus Judæorum ſpeciebus orti videntur tres modi Romanorum, confarreatio, coëmtio & uſus. De quibus *Servius* ad illud Virg. Georg. I. *Teque ſibi generum Thetis emat omnibus undis.* Quod ait *emat*, ad anti-

antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo ſe maritus & uxor invicem emebant, ſicut habemus in jure. Tribus enim modis apud veteres nuptiæ fiebant, *Uſu* ſi verbi gratiâ mulier anno uno cum viro, licet ſine legibus fuiſſet. *Farre*, cum per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem per fruges & molam ſalſam conjungebantur, unde *Confarreatio* appellabatur, ex quibus nuptiis Patrimi & matrimi naſcebantur. *Coëmtione* atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in Patris veniebat, ut ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hæreditatis juſtum alteri faceret. Vid. prolixe *Selden. Ux.* 218.

4. *Argento.* Hic pecunia erat adeò neceſſaria, ut niſi occurrat alia, legis librum vendere liceat, Unde illud: *Dicit R. Jochanan nomine R. Salomon filii Gerſon: non vendunt librum legis, niſi ad diſcendam legem & ducendam uxorem* i. e. propter διδακτρον & dotem. Etſi vero pecuniâ ſeu re pecuniæ æquivalente fieret hæc deſponſatio, nuſpiam tamen apud veteres annuli pronubi fit mentio, ut ridiculi ſint Pontificii, qui tantopere pro annulo pronubo depugnant. Vid. *Rivet. de ann. pronub. Mar. Selden. Ux. Hebr.* 222. Cœterum de coëmtione dicit *Briſſon. de ritu Nupt.* (*v. Jacob. Guttur. de Jur. Pontif. l.* 2. *c.* 6.) in imaginariis iſtis venditionibus nummos aliquot ditis causâ interveniſſe & *Varro* de *Vit. Pop. Rom. Nubentes*, ait, *veteri lege Romanâ aſſes tres ad maritum venientes ferre ſolitas, atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi causâ marito dare, alium, quem in pede haberent, in foco larium familiarium ponere, tertium in ſacciperio cum condidiſſent compito vicinali ſolere reſonare.*

Ita ex legibus veteribus Burgundionum & Saxonum conſtat, emtas pariter fuiſſe uxores in ipſis ſponſalibus nuptiiſque. Apud Indos pari boum ſponſas mercabantur *Strab. l.* 15. Et de Germanis *Tacitus L. de Mor. Germ. Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert, interſunt parentes & propinqui, ac munera probant. Munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves & frenatum equum, & ſcutum cum frameâ gladioque. In hæc munera uxor accipitur, atque invicem ipſa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hoc conjugales Deos arbitrantur.* Quæ vera eſt coëmtio nuptialis. De *phiala* ſponſo, ſponſæque ex *Græcorum* aliorumque in oriente populorum more dari ſolita, vid. *Caſaub. ad Athen. l.* 13. *c.* 5. Equum item armis inſtructum peractis nuptialibus ſacris dabat ſponſæ ſponſus apud Theſſalos. *Helian. de anim. l.* 14. Scilicet dos aut contrados ſeu donatio propter nuptias, ut coëmtionis pretium aut intervenit aut præivit. *Artemid. Onirocrit. l.* 2. *c.* 70. uti de Græcorum more conſtat ex Solonis legibus, *Demoſthene or.* 1. *in Onetor. Euripide in Ant. de Clytemn.*

5. *Concubitu.* Hic modus pro aliquo modo inhoneſto eſt habitus, præſertim poſt legem. Nam *ante legem, ſi vir obviam factus mulieri, atque utriuſque voluntas acceſſerit, dabat ei mercedem & concumbebat cum eâ in publica viâ, poſteaque iterum abibat*, aut ut alii potius referunt, *introduxit eam in domum ſuam, eamque ſibimet deſponſavit, ut eſſet ei in uxorem. Sed poſtquam eſſet lex lata, mandatum eſt Iſraeli, ut ſi quis vellet ducere uxorem, eam primo acquireret præſentibus teſtibus, eique poſteà eſſet in uxorem ſicut dicitur cum vir duxerit uxorem.* Maïmon. Hil Iſchot. c. 15. Sepher Mizgad affirm. 49. Sepher Mizkad. 296. unde poſtea dixere: ſi quis aliquam ſibi deſponſarit per concubitum, niſi prius eam ſibi deſponderit, ſibi conciliarit, & conſenſum ejus ad deſponſationem impetrarit, flagellatur, ſi nullæ ſponſiones & conciliationes inter ipſos interceſſerint. Et vocabantur hæc ſponſalia vel nuptiæ privatæ & correſpondent noſtris *clandeſtinis* (quæ hodie ſunt prohibita, ob adulteriorum frequentiam, *H. Zoeſ. ad h. t. Decret. n.* 5.) non iis, qui latè ita dicuntur, quando liberi contrahunt ſine conſenſu parentum, ut ut maximè plurimi adhibeantur teſtes, de quibus Gerh. tr. de Conjug. §. 241. Dedek. vol. 3. p. 79. Paul. Jeniſeh in Concionibus de pædiâ liber. p. 73. Menger. Scrut. Conſc. c. 10. p. 788. ſed iis opponuntur, quæ ſtrictè dicuntur clandeſtina, quando ſcil. nullis adhibitis teſtibus inter partes ſui juris contrahuntur.

buntur. Ut verò utriſque hodie occurratur, per Presbyterum publicò denuntiantur, præſtituto competenti termino, ut qui voluerit, legitimum impedimentum opponat, & interim matrimonium interdicitur. Non malè ſanè Tertull. ait, de pudic. c. 4. *penes nos occultæ quoque conjunctiones* i. e. *non prius apud Eccleſiam profeſſæ juxta mæchiam judicari periclitantur.* Vid. *Andr. Vallenſ. tit. de Clandeſt. deſponſ. n.* 5.

THESIS VII.

QUod ipſum Muſculus in Comment in Gen. egregiè explicat cum de Hagare quærit; quomodo uxor erat, ſi adhuc erat ancilla, ac rurſus, ſi erat uxor, quomodo adhuc erat ancilla? & reſpondet: *Duplex erat apud veteres uxorum genus. Unum eorum, quæ liberæ erant & matres familias. Hæ omnium erant bonorum conſortes &* גבירות id eſt *Dominæ dicebantur. Alterum earum, quæ de ſervili conditione in uxores aſſumebantur. Illæ non erant matres familias, nec libertate conjugali potiebantur, ſed in ſervili conditione retinebantur. Vocabantur & ipſæ quidem (vocabulo)* אשת *id eſt* uxores, *verum haut quaquam* גבירות id eſt Dominæ, *ſed aliquando in Scripturis* פילגשים *id eſt* Concubinæ *nominantur. Hagar hoc loco vocatur* אשה *id eſt* uxor. *Sic & Kethura infra* c. 25. uxor *nominatur. Et infra* c. 30. *dicebat Rahel ad Jacob.* Ecce ancilla mea Bilha, ingredere ad eam, ut ædificer ex eâ, deditque Bilham ancillam in uxorem. *Et tamen Hagar & Kethura infra* 25. פילגשים *appellantur, ubi legitur Abraham filiis Concubinarum dediſſe munera.* Et 1 Paral. 1. Filii autem Ceturæ, inquit, concubinæ Abraham, quos genuit. *Ergo ejuſmodi ſerviles uxores erant ſimul & uxores & concubinæ, & concubinatus nomine à primo uxorum genere diſtinguebantur. Poſterius hoc genus uxorum, uti* Hebræi dicunt, *ſine* כתובה *& ſine* קדושין *dotalibus literis & ſponſalibus ritibus ducebatur. Non erant liberæ tales conjuges, licet veræ eſſent & legitimæ uxores. Filii illarum non erant cohæredes liberis matrum familias, ſicuti in filiis Hagar & Keturæ videre licet. Et Jacob quoque filii, qui ex ancillis nati erant, à filiis Rahel & Leæ ſic diſcriminabantur, ut ab ipſis proferendæ eſſent maledictiones.* Deut. 27. 12, 13. *Erant & ipſi quidem legitimi filii Jacob, verum quoniam ex concubinis prognati erant, hoc nomine liberis ex* Rahel *&* Lea, *natis poſtponebantur. Ita* Hagar *& uxor erat Abrahæ & ancilla ſimul Saræ, à quâ conditione non erat iſto conjugio liberata.* Unde Grotius Hebræum לאשה accipit ita ut ſignificet *vice-conjugem, quomodo habent Inſcriptiones veteres. Uxorem imitatur Concubina ait Julianus Anteceſſor.*

1. *Quod ipſum* Ante Muſculum jam Auguſtinus de Civ. D. 8. lib. 16. c. 34. (conf. & in Gen. ad lib. 4. 90.) egregie explicavit, *Ambæ*, inquiens, *& uxores Abrahæ &* con-

concubinæ ſunt appellatæ. Sara verò nunquam eſt dicta concubina, ſed uxor tantum. Nam & quando data eſt Hagar Abrahæ ita ſcriptum eſt, & apprehendit Sara uxor Abram Agar Ægyptiacam ancillam ſuam, poſt decem annos, quam habitaverat Abraham in terra Canaan, & dedit eam Abraham viro ſuo uxorem. De Kethura autem quam poſt obitum Saræ acceperat, ſic legitur. Adjiciens autem Abram ſumſit uxorem, cui nomen erat Kethura. Ecce ambæ dicuntur uxores, ambæ concubinæ porro fuiſſe reperiuntur, poſtea dicente ſcripturâ. Dedit autem Abram omnem cenſum ſuum Iſaac filio ſuo, & filiis concubinarum ſuarum dedit Abraham dationes & dimiſit eos ab Iſaac filio ſuo adhuc ſe vivo, ad orientem in terram Orientis. & Tertullianus l. de Monog. c. 6. *Mutatus eſt,* inquit, *in digamiam per ancillæ concubinatum.*

Theſis VIII.

Quæ ipſa uti hiſtoriam Patriarcharum Polygamicam inſigniter illuſtrant, ita Polygamiam maximè inter Iſraëlitas uſitatam oſtendunt, utpote quam etiam præcepto ad matrimonium impellente, & difficultatibus quas circa libellum repudii exhibendum proponebant, inſigniter promovebant, ceu inter alia hoc docet Hornbeck contra Judæos dum Judæorum mentem, & verba hoc pacto recenſet: *Monet Lex quatuor locis, ut homo generationi & multiplicationi operam impendat, unde qui 20. complevit annum & non ducit uxorem., iſte agit contra hoc præceptum. Si tamen quiſpiam adeo ſit addictus ſtudio legis, ut uxorem non curet habere, is non peccat. Si autem ſenſerit in ſe jezer, id eſt innatam in ſe illam concupiſcentiam & ingenitam corruptelam nimium invaleſcere, debet ducere uxorem, ne in trangreſſionem cadat. Si cuipiam diſplicuerit uxor ſua, ſcribat ei libellum repudii, & ableget eam à ſe. Deut. 24. Ut uxor verò legitimè repudietur, multa ſunt ex lege obſervanda primo, quod citra voluntatem mariti id fieri non poſſit, deindè, ut abeunti in manum detur libellus repudii. Tertiò, quod nomina teſtium ſcribenda ſint in libello & tres mulieris generationes. Scribendus eſt etiam libellus repudii literis rotundis, ne una tangat alteram, & ſi contingat, quod ex calamo guttula atramenti caderet in daleth & fieret he, & in beth & fieret Pe, tenetur ſcripto de novo alium ſcribere libellum, qui nullam habeat maculam, debet quoque longitudo ſchedæ excedere latitudinem, debet & ſcheda omni carere raſurâ, & teſtes debent eam ſuis ſignare ſigillis. Poſtea det libellum illum maritus uxori ſuæ dicens, accipe libelli tui repudium & ſis abjecta à me & omni homini permiſſa.*

1. *Libellum repudii.*) Ante Noachidas ante legem non opus erat libello repudii, ut Maimon. in Halach Melakim c. 9. ad mentem Gemar. Babyl. ad tit. Sanhedr. c. 7. fol 58. *Unde verò* inquit, *fiet, ut aliena apud Noachidas uxor ſimilis fiat ei, quæ apud nos divortio ſeparatur. Nimirum ſi aut ex ædibus vir eam ejiciat & ſolutam dimittat, aut ipſa exeat è poteſtate ejus & eam relinquat. Neque enim ad eos libellus repudii pertinet. Neque res eſt omnino forenſis* (ut apud nos) *Cæterum quandocunque ſive viro ſive uxori disjungi invicem*

vicem placuerit, disjungentur. Unde & occurrit interdum in vetuſtiſſimis ſcriptis Thalmudicis Gem. Hieroſol. ad tit. Kidduſchim c. 1. fol. 58. col. 3. *Noachidis nec ſunt nuptiæ* (ſolennes ſcil. illæ, ſed ex conſenſu tantùm contractæ) *nec divortia.* (qualia nimirum Hebræis præſcripta) *ſed alteruter conjugum pro libitu connubium ſolvit.* Cujus ſententiæ etiam fuit Hieron. 11. adverſ. Jovin. Ante diluvium ſeu ante legem Moſaicam datam nullum fuiſſe divortii jus. *Repudium,* inquit, *juxta eloquium Salvatoris ab initio non dabatur, ſed ob duritiem cordis noſtri per Moſen humano generi conceſſum eſt.* Et poſt: Ab exordio conditionis humanæ, nec carnibus veſcebamur nec dabamus repudium &c. Poſt diluvium autem cum datione legis carnes ingeſtæ ſunt, ad veſcendum, & repudia conceſſa duritiæ. Attamen quidam volunt, ante legem Deut. Moſen ipſum uxorem divortio ejeciſſe. Hoc verò, quod Hebræi dicunt, ad Noachidas non pertinere libellum divortii, ita intelligendum eſt, nec ſcilicet, quemadmodum ex lege ſacrâ apud Hebræos nec ex rei naturâ, omnino divortiis eorum neceſſarium eſſe ex jure, quo tenentur, naturali libellum. Pro libitu autem adhiberi poſſe, & adhibitum, ex civili quod ſuperinduxerint jure. Referente Selden. de J.N. & Gent. p. 591. *Hebræi* ſua divortia derivant ex Deut. 24. 1. (qui locus quomodo cum Matth. 19. conciliari poſſit infra ad theſ. 83.) ibique præcepta eſſe docent, Hinc ſcribunt in Thalmud. libr. Kidduſchim: *idem qui præcepit de nuptiis, præcepit etiam de divortiis.* Hinc dicunt etiam vulgo: *de muliere malâ præceptum eſt, ut expellatur.* Et inter SententiasGenbyræ legitur in Sanhedrim fol. 100. 2. *Mulier mala lepra eſt marito ſuo, Quodnam eſt ejus remedium? Expellet eam de domo ſuâ, & curabitur à lepra ſua.* Cum quo convenit aliquo modo, quod legitur in Syrac. 26. 36. *Si ductum manus tuæ non ſequatur, à corpore tuo eam abſcinde, Da illi libellum & repudia.* Hinc Phariſæi etiam Matth. 29. appellant ad Moſen Deut. 24: 1. In quæ verba ſcribitur in Sepher Haehinnuch, præcepto 548. fol. 208. col. 2. *Juſſi ſumus, quando nobis placet, dimittere aut expellere uxores noſtras, ut id faciamus ſcripto, quod ſcriptum ſcriptura vocat* libellum exciſionis, vel, diſciſſionis, *Rabbini verò noſtri* libellum dimiſſionis, epiſtolam dimiſſionis, vel libellum expulſionis. *Et de hoc dicitur:* ſcribet ei libellum diſciſſionis. Sic in libro Præceptorum magno, *Ex ſcriptura ità diſcimus fundamenta repudiorum.* Unde concludunt nonniſi libello repudii ſcripto mulierem poſſe dimitti, & hunc libellum realiter in manum tradendum. Deut. 24. 1.

2. *Scribat ei libellum repudii.* Ex Deut. 24. vers. 1. colligunt, nonniſi ſcripto repudii libello mulierem poſſe dimitti. Ubi ex *Sepher Haehinnueh præcepto* 548. *fol.* 209. 1. conſtat, ubi *tres rationes* hujus ſcriptionis adducit de quibus etiam *Abarbenel* in Deut. *Noluit,* inquiens, *autem lex ut mulier expellatur vel verbis nudis, vel pecuniâ vel egreſſione ſimplici è domo ejus, ne divortia ſint res factu faciles, & fortaſſis mulier innumeris interdum vicibus à marito expellatur, quotiescunque ſcilicet in mentem ipſi venerit, ne item mulieres nonnullæ ſub hoc prætextu exeant, ac dicant: Expulſa ſum à marito meo, ut tantò liberius cum aliis viris ſcortari poſſit. Ad offendicula iſta vitanda & removenda præcepit Deus ne homo uxorem ſuam expellat, niſi cum libello, eoque multis conditionibus limitato, teſtibusque adhibitis verificato. Hæc enim eò faciunt, ne res hæc nimis facilis ſit marito, & ſi fortè in irâ vel indignatione animum inducat uxorem ſuam expellere, ut actio hæc gravis & difficilis fiat in oculis ejus, atque intereà animus ejus placetur, ne item mulier occaſionem habeat, falſo & mendaciter dicendi ſe expulſam eſſe.* Eadem ferè habet, *Maimon. in More p. 3. c. 49.* Poterat verò libellum divortii ſcribere vel maritus ipſe vel ejus delegatus, aut procurator, ſeu alius aliquis ſcriba, ejus nomine. Maimon. *perinde eſt, ſivè ipſemet ſcribat manu ſuâ ſivè alium jubeat ſcribere.* Alii verò dicunt, *quod maritus non ipſe ſcribat libellum, ſi fieri poteſt.* Huc facit, quod *Auguſt. contra Fauſt. Manich.* 19. c. 26. ſcribit nulli fas fuiſſe ſcribere has literas, niſi ſcribis ſolis. *Apud Hebræos, inquiens, ut perhibent, ſcribere literas Hebræas, nulli fas erat, niſi ſcribis ſolis. Ad hos igitur, quos oporteret eſſe prudentes legis interpretes, & juſtos diſſidii diſſuaſores, lex mittere voluit eum, quem juſſit libellum* re-

repudii dare, ſi dimiſiſſet uxorem. Non enim poterat ſcribi libellus, niſi ab ipſis, qui per hanc occaſionem & neceſſitatem venientem quodam modo in manus ſuas bono conſilio regerent, atque inter ipſum & uxorem pacificè agendo dilationem, concordiamque ſuaderent. Hinc & in Thargum Jonathanis additur, ſcribendum fuiſſe *coram domo judicii*; & *ſcribet ei libellum repudii coram domo judicii.* Unde apparet, autoritate publicâ ſcribendum fuiſſe, licet ſine actione aut lite judiciali.

3. *Ex Lege* Decem res ſingulares, velut ipſâ lege ſacra ſubnixas, ſtricte voluerunt obſervari Judæi, ut legitimus exiret libellus repudii, de quibus vid Selden. Ux. Hebr. l. 6, c. 25. p. 514. ſcilicet ut res tantò eſſet operoſior ac difficilior, & hinc ad maturiorem deliberationem pars dimittens permoveatur, innumeras penè conditiones addebant, veluti circa ſcripturam, quo liquore ſcribi poſſit vel non poſſit, cui materiæ inſcribi poſſit, vel non poſſit, quo calamo ſcribendus libellus, quot lineis conſtare debeat, videlicet nonniſi duodecim; quot & quibus literis, ad ultimum penè uſque apicem ne vel aliqua redundet vel deficiat, ambiguitas etiam verborum omnis vitanda. ſcriptura debet eſſe clara, diſtincta, legibilis. Lingua ſcribi poterat quâcumque, communiter tamen lingua Chaldaicâ. Sic nonnulla monebant de ſcriptionis tempore & loco, de ſubſcriptione teſtium, & clarâ expreſſione nominis mariti, & uxoris cui dabatur, ita ut contineretur in libello formula ſignificans, quod maritus uxorem expellat & removeat à bonis ſuis, formula item diſciſſionis & ſeparationis vinculi ipſorum conjugalis, ita ut maritus omni ſuo in eam juri pro tempore renuntiet, facultatemque faciat nubendi cui voluerit, *ſis tui juris, ſis expulſa, ſis permiſſa cuivis viro*, ut notat *Maimonides* & diſertis verbis extat in *Talmud tract. Gittin c. 9. in Miſna.* unde *Joſeph Antiquit Jud. l. 15. c. 11.* ait: *Mulieribus ne quidem dimiſſis, fas eſt nubere, niſi prioris viri permiſſu.* Ita etiam concipienda formula, ut ex omnibus conſtet, maritum dimittere uxorem, non contra. Prætereà tradendus etiam erat realiter in manum mulieris libellus, vel ſaltem in poteſtatem ipſius, vel à marito ipſo, vel à procuratore coram teſtibus, qui legant, vel 'α αλφάτο ſibi prælegi curent, maritus etiam in tradendo expreſſè dicat: *En tibi libellum tuum repudii,* quem nomine legis de repudiis tibi trado. Et tunc mulier accipiebat vel ipſa, vel per procuratorem, cum ſecuritate de amplius nubendo. Ut Fl. Joh. Antiqu. l. 4. c. 8. *Quicunque à conjuge, quacunque de cauſâ, ut ſæpe hominibus contingit, disjungi poſtulat, ſcripto et ſecuritatem faciat, quod eam nolit amplius repetere,* (ſi poſt dimiſſionem alteri nupſerit, nam alias licuit, quamdiu ſoluta fuit, & tunc erant quaſi novæ nuptiæ ſine ſolennitate tamen peractæ, adulteram verò repetere vel retinere non licebat.) *Sic enim habebit poteſtatem alterius nubendi, alioquin divortium non permittitur.*

Tradito vero libello maritus non amplius cohabitabat, nec ſolus cum ſolâ in domo vel conclavi manebat, ſed dimittebat è domo ſuâ; aut ſi ſolus cum ſolâ poſtea manſerit, vel teſtibus convinci potuerit, denuo rem cum eâ habuiſſe, pro eo habebatur, ac ſi de novo duxiſſet eam, atque iterum pro uxore ejus habebatur, ita ut ſi denuò voluerit eam expellere & repudiare, novum ei cogatur ſcribere & tradere libellum repudii. Poterat vero vir non tantùm uxorem, ſed etiam deſponſatam libello dimittere, ut ut nonnulli, Joſephi & Mariæ hiſtoriam attendentes dubitent, moris utrum & juris quoque fuerit, ut deſponſatæ libello dimitterentur. Maimon. in Hilkuth. Iſchot. c. 1. §. 3. *Poſtquam acquiſita eſt mulier,* (*per ſponſalia*) *& facta eſt deſponſata, etiamſi nondum vel à marito agnita, neque in domum ejus deducta, reverà eſt uxor viri, & qui cum eâ congreditur, excepto marito ejus, reus eſt mortis, & ſi* (deſponſatus) *velit eam expellere vel dimittere, neceſſe eſt, ut id fiat libello repudii.* In Colb. in Hilkuth Iſchot ab initio: *Si mulier emta vel acquiſita fuerit uno aliquo ex tribus illis modis, vocatur* Sanctificata *quod prohibita omnibus aliis viris veluti* Res Sancta, *& ſi velit repudiare eam, opus habet libello repudii, quia revera eſt uxor viri,* & ut Abarbenel dicit, *quia ſponſalia uniunt virum & uxorem ejus,*

cos-

eosque colligant, ideò neceſſe eſt vinculum illud diſsolvere. Eò quod ipſa in proximâ poſſibilitate ſit, poſtea quam deſponſata eſt ut à ſponſo ſuo ſit compreſſa. Lex verò ſolicita non eſt de occultis. Nam quis ſcit, cum ei ſit deſponſata, an eam cognoverit nec ne. Ideoque ſponſalia ſunt ſignum evidens, quod arguit deſponſatam eſſe uxorem viri, & opus habere libello repudii, non propter concubitum tantum, qui in occulto fieri poteſt. Petunt verò hujus ſuæ opinionis fundamentum iterum ex Deut. 24. 1. in quæ verba *Abarbenel: Quod dicit Moſes*, Si acceperit vir mulierem, & coierit cum eâ; *ſenſus eſt*, ſi acceperit *acquiſierit pecuniâ ſecundum mentem Rab. c.* 1. Ridduskim: dum verò dixit, aut coierit cum eâ, intelligit, ſi acquirat *per concubitum, & ſic vult dicere:* quocunque ex his duobus modis deſponſarit ſibi uxorem quòd poſſit eam expellere. Sic col. 2. cauſam ſponſaliorum inſtitutorum reddit: *ut tempore iſto ſponſaliorum ſe invicem probent, quod ſi deprehendant amicitiam & concordiam ſequi ex convenientiâ temperamentorum, tum poſſe ipſos ad nuptias progredi, ſi verò non, non eſſe cum eâ nuptias celebrandas. Melius quippe eſſe, ut eam expellat virginem quàm maritatam & nuptam.* Et hic ſponſalia etiam intelligi probat ex ſeq. verbis Deut: quia poſt ſimpliciter dicitur: *& abierit & fuerit viri alterius* (nupſerit alteri) *hicque poſterior odio habuerit eam, eique ſcripſerit libellum repudii* non verò, *coierit cum eâ.* Iſtud enim monet etiam propter ſponſalia ſola requiri libellum repudii. Et hoc etiam Chaſcuni ſentit aliique. Quia verò fotmula repudii diverſimode tradebatur, addam hic unam ex Seldeno. Ux. Hebr. (quia non eſt in omnium manibus) l. 3. c. 24. p. 501. Brevem ita concinnabant: *Ecce licita ſis viro cuicunque. Atque hic eſt inter te & me libellus repudii, relictionis Epiſtola, ac inſtrumentum dimiſſionis, adeoque tibi liberum ſit, cuicunque velis nubere.* Miſna tit. Gittin c. 9. Prolixior verò formula adjectis loco tempore teſtibus talis exhibetur à R. *Maimonide Halach Giruſchim c. 4. Salomſarchius ad Talmud Babyl. eo tit. Gittin f. 84. & Gemaram in Animadverſ. ad Maim. c. l. f. 273. Moſen Mikotzi Prac. aff. 50. Alpheſ. p. 2. lib. Gittin f. 600. Rituale Moharit f. 90.* Verba ita concipiebant: *Feria N. Menſis N. Die N. Anno N. ſive à mundi conditu, ſive æra N. quâ in l. N. utimur. Ego N. filius N. ex loco N. & quocunque nomine ſeu cognomine alio ſive ipſe ego, ſive parentes mei, ſive locus unde ego dignoſcor, ſive loca unde parentes mei dignoſcuntur, nuncupamur, ultro atque ex animi ſententia & ſine coactione dimitto relinquo, repudio te tibi Tu N. Filia N. ex loco N. & quocunque nomine ſeu cognomine alio ſivè ipſa tu, ſive parentes tui ſive locus, unde tu dignoſceris, ſive loca, unde parentes tui dignoſcuntur, nuncupamini, quæ antea uſque in hoc momentum uxor mea fuiſti; Et nunc relinquo, dimitto, repudio te tibi, adeò ut ſis libera, & tibi ſit poteſtas abeundi & cuicumque viro velis nubendi, Nec mortalium quiſquam te prohibeat ab hoc die in perpetuum. Et ecce ſis cuicumque viro licita. Et hic eſto libellus, qui tibi à me eſt libellus repudii, inſtrumentum dimiſſionis, & relictionis Epiſtola juxta præſcriptum Moſis & Iſraëlitarum.*

N. Filius. N. teſtis.
N. Filius. N. teſtis.

Hæc linguâ ferme Babylonicâ ſeu Syriacâ, Judæis tempore Chriſti uſitatiori vel quacunque aliâ ſcribebantur juxta obſervationes ſupra adductas. De quibus etiam conſulas *Aloyſ. Novar. in Aquis Nuptialibus & Elect. Sacr. l. 6. c. 48.* Qui plures ejuſmodi formulas divortiorum deſiderat, poteſt evolvere *Paul. Fagium ad Chald. Paraphr. Deut 24. Guil Schuckartum de Jur. Reg. c. 3. th. 9. Ludov. de Dieu Comment in Matth. c. 9. Jo. Druſ. Obſerv. l. 14. c. 10. Robertum Cœnalem Axiom. de divortio matrimonii Moſaici. Sixtum Sen. Bibl. Sanct. l. 2. Hug. Grot. ad Matth. v. p. 93. Buxt. Jun. de ſponſ. p. 133. Zwing. Theatr. vol. 29. l. unic.* Duo verò uxorum genera non poterant repudiari, alterum earum; quæ præreptæ virginitatis falſò, idque in judicio capitali accuſabantur. Earum quæ vi comprimentibus nuptæ, alterum Selden Ux. 429.

THESIS IX.

TAnti ſcilicet matrimonium faciebant, ut nonniſi difficillimè dirimi admitterent. Imò cœlibem, ut infra docebitur *pro homicidâ, & vix pro homine agnoſcebant, & in cauſa eſſe ἄλαμον dicebant, quod Majeſtas divina recedat ab Iſraële, & quod ſimilitudo, ad quam creatus homo, minuatur.* Quod Gentiles ipſi non ignorarunt, dum eorum Sapientiſſimi Socrates, Pythagoras, Crates, Ariſtoteles conjugio carere noluerunt & præceptis atque monitis ſaluberrimis ad conjugium omnes atque ſingulos incitarunt, uti Laertius in ipſorum vitis teſtatur. Ipſe Lycurgus legibus cœlibes à ſpectaculis ludorum prohibuit, ignominiâ affecit, per hyemem nudos forum circumire coëgit, atque eo honore & reverentiâ, quam juvenes ſenibus exhibeant, privavit: uti Plutarchus in vitâ illius & in Apophth. Laconicis refert, ubi ſubdit illud quod Dercillidæ advenienti juniorum nemo ſede ceſſerit, ſed quiſque pro ſe dixerit: *Ne tu quidem, qui mihi ceſſurus ſit, genuiſti.* Sicuti & ex Clearchi Solenſis libro proverbiorum repetit *Athen. Dipnoſ. l.* 13. *c.* 1. quod Spartanæ mulieres omnes qui non habeant uxores per quoddam feſtum circa aram tractos alapis cæderent. Ita Cretenſes etiam juxta Strabonem lib. 10. & Thurii juxta *Diodor. Sic. lib.* 12. juvenes primo ætatis flore ad ducendas uxores muneribus & honoribus non tantum invitarunt, ſed & legibus compulerunt. Platonis legibus cautum, ut qui ad 35. annum cœlibes manſiſſent, nullo digni honore & omnium poſtremi haberentur, cujus rei cauſa inter Romanos Magiſtratus, Furius Camillus & Poſthumius Cenſores cœlibibus & viduarum militarium contemptoribus, mulctam pecuniariam ærario inferendam dictarint, ut Valer. Max. l. 2. c. 4. ait & Q. Metellus Numidicus Cenſor (*Gell. l.* 1. *c.* 6.) poſtea Julius, denique Auguſtus legem de maritandis ordinibus tulerint & jus trium liberorum inſtituerint.

1. *Difficillimè dirimi* Hebræi tot & tantas conditiones & obſervationes, uti videmus, circa repudia urgebant, ut magis prohibere, quàm promovere viderentur. Ita etiam tum veteres tum recentiores Judæi maximopere circa cauſas divortiorum diſputabant. Quidam arbitraria volebant eſſe repudia, ita ut cuivis licuerit pro libitu ob leviſſimam cauſam, vel culpam, vel etiam ob nullam uxori repudium mittere. Alii vero nonniſi graviſſimam ob cauſam repudium uxori mittendum cenſebant. Plerique tamen in priorem ſententiam reverà inclinabant. Hinc legitur in ספר החנוך fol. 208. *Ex fundamentis hujus praecepti eſt; cum mulier creata ſit pro adjutorio hominis, eique ſit inſtar unius vaſorum pretioſorum ejus, juxta Rabbinorum dictum;* Mulier non adhæret firmiter, niſi ei, qui fecit eam vas. *Cum,* inquam, *res ita habeat, hinc eſt penes patris familias voluntatem,*

ut

ut quandocunque tædium ei oboritur vaſis hujus, illud è domo ſuâ eliminet. Hanc ob cauſam *ſcripſerunt Rabbini in Thalmud Gittin, quod etiam ob aduſtum edulium vel juſculum homo poſſit uxorem ſuam repudiare, quaſi diceres ob rem minimam, eò quod non aliter ſit in domo ipſius, niſi inſtar vaſis aut ſuppellectilis alicujus pretioſæ. Quidam tamen illorum dicunt, cum hoc vas ſit ad imaginem & ſimilitudinem ipſius* (i. e viro per omnia ſimile) *oculos habens ad videndum, aures ad audiendum & animam intellectualem, non decere, ut amandetur & dimittatur, niſi gravem ob cauſam, ſicut ſcriptura ipſa dicit*) eò quod invenerit in eâ rem aliquam turpitudinis, ſicuti cauſas venantur ex Deut. 24. verſiculis 4 prioribus. Quidam in his verbis, *quòd invenerit in eâ nuditatem* vel, i. e. turpitudinem rei alicujus. Alii etiam in illis verbis: *ſi non invenerit gratiam in oculis ejus.* Item, *ſi oderit eam vir poſterior quoque.* Unde cenſent, ob ſolam etiam diſplicentiam vel odium quodcunque uxorem dimitti poſſe. In *Talmud* in tractatu *Gittin c. 9. in Miſchna* legitur, quod inter ſcholam *Sammai & Hillelis*, duorum celeberrimorum Doctorum, qui centum annis ante templi ſecundi deſtructionem vixerunt, graviter diſceptatum fuerit, quid *per nuditatem rei* intelligitur. *Qui de domo vel diſciplinâ Schammai ſunt, dicunt*, ut Thalmud dicit, *non expellet homo uxorem ſuam, niſi inveniat in eâ rem nuditatis*, i. e. *impudicam; ſicut dicitur;* quod invenerit in eâ nuditatem rei; *qui de domo Hillelis ſunt, dicunt, expellere etiam poteſt, ſi edulium ipſi aduſſerit, ſicut dicitur,* quod invenerit in eâ turpitudinem rei alicujus. *Qui de domo Akivæ, etiam ſi invenerit pulchriorem eâ, quæ ipſi melius placuerit, ſicut dicitur.* Et accidat, ut non inveniat gratiam in oculis ejus: Miſchna. Domus Schammai innitebatur his ſolis verbis; *quod invenerit in eâ nuditatem rei*, ac per *nuditatem rei*, vel *rem nuditatis* intelligebat libidinem, laſciviam, impudicitiam γολον πορνίας, ut Chriſtus loquitur. Matth. 19. & proinde ſtatuebat, hanc ſolam ob cauſam poſſe dimitti uxorem. *Domus Hillelis* ſubtilius rem examinantes voluerunt diviſim iſta verba eſſe exponenda, ac ſi dictum ſit, aut turpitudinem aliquam, aut rem aliam, fœdam ſcil. & turpem, veluti, ut in Gemarâ Babylonica eſt; ſi mulier egrediatur nudato capite, (vel ut Apoſtolus loquitur, ἀκ: ταλύπτῳ τῇ κεφαλῇ, 1. Cor. 11. 5. ſi in plateâ reperit, aut filiam duxerit, ſicque nuda brachia oſtentarit, aut aperto pectore inceſſerit, (ut hodie inter Chriſtianos ſæpe fit) aut laverit cum viris in eodem lavacro, aut ſi luſerit cum juvenibus &c. Hinc domus Hillelis latius extendebat cauſas divortii, quàm domus Schammai. *Domus Akivæ* ex verbis illis, *ſi non invenerit gratiam in oculis ejus* collegit: ſi cui uxor diſpliceat & alia melius placeat, eum poſſe uxori ſuæ libellum repudii dare & aliam ducere. Rambam ſcribit, Halaeham ſeu conſuetudinem & obſervantiam eſſe ſecundum domum Hillelis. De ſententia vero R. Akivæ ſcribit, non eſſe Halaeham ſeu conſuetudinem. Nam ſi quis inveniat aliam mulierem, ſuâ pulchriorem, & ſibi melius placentem, eum poſſe illam ducere, non tamen intereà priorem expellere, ſi nihil mali commiſerit, & moribus ejus apta & conveniens fuerit, ſed ei ſuperinducere. Imò in Thalm. tr. Sebimoth fol. 52. col 1. ſcribitur ſponſum poſſe etiam ante nuptias curare ſcribendum libellum divortii, quem poſtea ſtatim tradere queat ei, ubi ipſi placuerit eam repudiare; *ſi quis ſcribæ dixerit, ſcribe libellum repudii ſponſæ meæ, quò eam, poſtea quam duxero, dimittam, talis libellus eſt legitimus.* Exemplum hujus rei legitur in Thalmud Bava Maziâ fol. 201. col. 2. *Mercator quidam advehebat navem repletam doliis vini in locum quendam & non inveniebat cellam, in quam ea reponeret. Alloquitur mulierem quandam, quæ habebat cellam, ut eam ipſi pro vino ſuo elocaret, illa recuſat, Ipſe ut rebus ſuis conſuleret, deſponſat iſtam mulierem. Mulier deſponſata concedit ei locum pro vino. Ipſe nacto loco, ſtatim domum abit, & ſcribit libellum repudii, eumque ipſi mittit, mulier offenſa conducit bajulos & vinum ejus iterum curat è cella ſua extrahi, & in plateam collocari.* Sic in Gittin fol. 34. colum. 1. *Legitur exemplum de quodam R. Gidol ben Rëilai. qui ſine ulla cauſa repudii libellum mittebat uxori ſuæ: cum vero ipſa nollet ſtatim*

acceptare, ſed juberet latorem craſtino die redire, R. *Gidol pœnitentia ductus Deo gratias egit quod non acceptarit libellum.* Inde patet maximam fuiſſe divortiorum licentiam eamque arbitrariam. Diſtinguebant tamen inter uxorem primam & ſecundam. Maim. in Hilkuth. Girilſchin. c. 10. § 31. *non expellet homo uxorem ſuam primam, niſi inveniat in ea rem aliquam turpem ſeu impudicam juxta illud:* ſi invenerit in eâ rem turpitudinis, *neque decet, ut feſtinet & præcipitanter dimittat uxorem ſuam primam, ſed ſecundam ſi oderit eam dimittere poteſt.* Unde dicunt: *ſi quis dimittat uxorem ſuam primam, ſuper eo altare fundit lacrymas.* Hinc R Levi ben Gerſon ad Deut. 24. dicit, *quod quidem de communi praxi uxor non ſoleat ordinariè expelli, niſi ob gravem cauſam* (rem turpitudinis) *at ſecundum veritatem exponit* lex, *quod licet non invenerit turpitudinem, habeat poteſtatem expellendi, ſi odio habuerit* (juxta, ſi odio &c.) *Unde apparet, quacunque demum ratione accidat, ut uxor non inveniat gratiam in oculis ejus, ipſum facultatem habere* eam expellendi: ut in libro Colb. in Hilkuth Gittin declaratur, ſi *transgrediatur legem Moſis:* c. g. ſi *præbeat marito cibum, qui non eſt decimatus, ſi menſtruis laborans miniſtraverit ei, ſi non abſcondat challam ſeu particulam de maſſa ex qua panem faciunt, ſi votum faciat, & non obſervet, ſic ſi transgrediatur leges verecundiæ & honeſtatis mulierum Judaicarum, veluti ſi detecto capite exeat in plateam, quantumvis calathum in capite geſtet. Si fuco faciem ſuam lingat vel pingat. ſi cum juvenibus ludat,* Quidam tamen putant, ob hæc non poſſe repudium mitti, niſi admonitio præceſſerit, & niſi teſtes habeantur. Eadem Maim c. 24. §. 12. & Ammud Golah, ſeu liber præceptorum parvus, ubi in gloſſa additur: *ſi fuerit exigens debitum conjugale à marito ſuo voce clara, ita ut ejus vicinæ audire* potuerint eam loquentem de re iſtâ, aut ſi fuerit maledicens patri mariti ſui præſente marito ſuo. In eodem Maim. legitur & hoc c. 10. §. 22: *Mulier ſi ſit malis moribus prædita, & non verecunda, ſicut filiam Iſraëlis decet, præceptum eſt, ut dimittamus eam, ſicut ſcriptum* expelle deriſorem, & ceſſabit contentio. Prov. 22. 20. Abarbenel duas generales cauſas extruit ex Deut. 24. 1. *turpitudinem*, ſive iſta conſiſtat in adulterio, ſive aliâ impudicitiâ, aut mulieres non decentibus verbis, factis, vel geſtibus, aut certe ſuſpectas illas reddentibus. 2. diverſitatem & diſſimilitudinem temperamenti & naturæ, cum uxoris indoles non eſt attemperata naturæ viri, unde diſplicentia, tædium, nauſea, & odium oriuntur. Et ex his jurgia, lites, contentiones &c. Huc referunt, ſi mulier famâ malâ, ſuâ quidem culpâ laboraverit, & ſe ſuſpectam reddiderit, de re aliquâ *vehementer fœdâ*, ejusque rei teſtes adfuerint, licet actus ipſe ſcortationis clarè probari non poſſit, veluti, ſi ſola fuerit in cubiculo, & viſus fuerit vir egredi, eoque egreſſo ſtatim viſa fuerit illa de lecto ſurgere, & vel femoralia induere, vel ſemicinctio ſe accingere, aut ſi ſputum recens viſum fuerit in thalamo, aut ſi egreſſi fuerint ex loco caliginoſo & tenebroſo, aut hic illam vel hæc illum è foſſâ extraxerit, aut ſi viderint virum ipſam oſculantem ſuper os induſii, aut viſi ſint ſe mutuò amplexantes & oſculantes: aut unus poſt alterum introierit in cubiculum & januam poſt ſe clauſerint, & ſimilia. Ob hujus modi præſumtiones volunt etiam dimitti poſſe vel non poſſe uxorem, hasque etiam comprehendi ſub re turpitudinis. Item ſi quæ ſit rebellis marito ſuo, eique officium conjugale, ſeu quod ipſum faſtidiat, ſeu ut ipſum irritet, deneget, ſic ſponſa, quæ completo tempore, quo nuptiæ celebrandæ ſunt, refragatur, ut ægrè ſponſo faciat, repudiari poteſt. Qui caſus ita enumerati intelligendi ſunt ut poſſit maritus etiam, ſi velit, retinere. At verò ſi uxor deprehenſa fuerit corpus ſuum proſtituere, vel à marito ipſo, vel maritus id à fide dignis & ſufficientibus teſtibus acceperit, quibus ipſe fidem largiatur, tum nolens volens cogitur, etiam judicis autoritate interveniente, illam repudiare, neque ulterius hoc quidem in caſu ipſi cohabitare licet, ſic tamen, ut ipſi daretur dos vel donatio propter nuptias. Quod ſi uxoris propria confeſſio acceſſerit, tum inſuper etiam donationem hanc admittit Maim. in Hilkuth Iſchot. c.24. §.16. 17. Qui verò uxori ſuæ in præſentiâ duorum dixit:

Ne

Ne abſcondas te cum viro iſto N. i. e. *ne clandeſtine cum ipſo convenias, & converſeris*, ipſa verò, inſuper habitâ hac admonitione; clam cum illo conveniat, & tamdiu cum ipſo commorata fuerit ſola, ut pollui ab ipſo potuerit, hujusque rei maritus vel teſtes habuerit, vel ipſe ſpectator fuit, illa ab eo tempore prohibita viro fuerit, donec eam aquis amaris potarit, quibus caſtitatem ejus explorarit, ſecundum legem Num. v. 11. 12. &c. Hodiè verò quando aquarum iſtarum uſus expiravit, perpetuò ipſi eſt prohibita, omnique dote privata. Præter has cauſas hactenus enumeratas morales, vitam & actiones ſpectantes, ſunt & naturales cauſæ repudiorum, vitia & defectus corporis. Vitia enim naturalia omnia, quæ profanum & illegitimum reddunt ſacerdotem, (de quibus Selden. de ſucceſſ. & Pontif. prolixe) profanam etiam reddunt mulierem, & præter illa adhuc fœtidus ſudor, fœtor oris, cicatrix ex morſu canis, verruca in fronte. &c. Item, uxor decem annis cum viro ſuo habitans, nullis liberis ſuſceptis, poterat dimitti *Maim. in Hilkuth Iſchot c.* 15. § 10. Item, quæ ter abortierit, inepta judicabatur ad liberos in lucem edendos, ideoque poterat dimitti, dote tamen numeratâ. §. 12. Ex quibus ſatis patet etiam leviſſimis de cauſis potuiſſe virum ſuam repudiare uxorem, quò uxoribus metum incuterent, ut eo melius in obſervantiâ, obedientiâ & reſignatione propriæ voluntatis in voluntatem mariti retinerent. Uxorem etiam dimiſſam poterat alius quivis, excepto ſacerdote, ducere, Maritus verò ipſe eam poterat reducere, quamdiu non alii viro nupſerit legitimè *Maimon, in Hilkuth Giruſchin* c. 11. §. 12. 13. quia abominatio eſt coram Deo, & terra polluitur Deut. 24. Ser. 3. 1. Deſponſatam etiam alii viro non licebat marito reducere, etiamſi nuptiæ nondum ſint celebratæ, Abarb: *Nam quis ſcit, utrum ab ea cognita ſit nec ne. Occulta enim ſunt penes Dominum Deum noſtrum. Revelata autem penes nos, ex quibus eſt, quod deſponſata ſit viro, ac proinde uxor ejus.* Et Rabbi Levi ben Gerſon, *Talis enim*, inquit, *expellet à ſe uxorem ſuam, ut nubat alteri, & ſtudio dein omnis generis mala perpetret, quo iterum ab ipſo ejiciatur, hocque pacto alterius bona diripiat, atque ad maritum ſuum primum degerat.* Præterquam quòd res ſit infamis, ut homo ſcortari faciat uxorem ſuam, pecuniarum & bonorum causâ. Ne itaque cauſa & occaſio detur oppreſſioni & rapinæ, maritus primus non poterat iterum ducere. Nec licebat ducere vel ſumere uxorem, propter impudicitiam ab alio dimiſſam, Maimon. Mulierem, quæ dimiſſa propter impudicitiam, vir honeſtus non ducet, ne dicatur: Iſte eduxit impiam è domo ſuâ, & hic introducit eam. c. 20. §. 22. Quæ omnia eò prolixius ex Seldeno, Buxtorfio, Druſio, Zwingero ſunt adducta, ut appareat dominium Judæorum in uxores & quo pacto multis divortiorum cauſis excogitatis & admiſſis uxores ab adulteriis abſterruerint, & ad meliorem obedientiam & illimitatam ſubjectionem, atque cœcam quaſi ſubmiſſionem adduxerint. Pontificii etiam multas cauſas invenerunt, quæ impedire & dirimere poſſunt matrimonium; alii. 12. alii 16 numerant. Pleræque includuntur his verſiculis.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas, Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis, Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

De his non ſine ratione dicit *Cujacius: In nuptiis coërcendis, coarctandisque nimiam poſteriorum legum Romanorum Pontificum ſeveritatem quocunque colore, quacunque vel levi vel ficta ratione monſtratam parum abeſſe videri à nuptiarum prohibitione perpetuâ.* ad rubr. X de conſangu. & aff. Maxime verò cognatio illa ſpiritualis eſt merum inventum humanum & multis abſurditatibus involutum, tum & conſcientiis gravem, ut prolixe & ſolidè oſtendit *Gerb. de Conj. n.* 364. Unde nec fruſtra impedimentum hoc omnino tollendum eſſe cenſuerunt olim nonnulli in Concil. Tridentino, *Petr. Suav. in Concil. l. g. p.* 836: *Perſtrinxit iſtud Papiſmi* ἀποχήνημα jam ſuo tempore *Joh. Petrus de Ferrariis in praxi tit.* 33. *gloſſ.* 4. *Et amplius*, inquit, *in ſummæ nota, quòd ſunt viginti caſus, quibus per ſpiritualem cognationem matrimonium impeditur, inventi per jus Canonicum & ignorati*

ti per jus civile, qui habent Laicos illaqueare, nec fundantur vivâ & concludenti aliquâ ratione, ut inquit Azo. &c. Vidi & *Franc. Duarenum tit. ſolut. matr. ſub rubr. de nupt. c.* 3. Sequioribus temporibus Pontifices non inter ſuſcipientes tantum & ſuſceptos prohibitum voluerunt matrimonium, ſed etiam inter ſuſceptorem & parentes baptizati, inter baptizatum & filios ſuſceptoris, inter patrem baptizati & viduam ſuſceptoris, inter baptizantem & baptazitum & plures alias perſonas. Et ex hoc triplicem olim fecerunt cognationem ſpiritualem, *Paternitatem, compaternitatem, & fraternitatem.* Illam contrahi voluerunt inter baptizantem & baptizatum. It. inter baptizatum & patrimum. Iſtam inter patrem & matrem baptizati ex unâ parte & baptizantem & patrimum ex alterâ. Hanc inter baptizatum & filios naturales baptizantis atque patrimorum. Martin. Azpilcuet. Navarr. tom. 3. c. 22. n. 36. Ea autem extenſio, cum extra verbum & præceptum divinum ex ſolo Pontificis cerebro nata, & conſcientiis valde oneroſa ſit, noſtris Eccleſiis meritò rejecta eſt.

2 *Cœlibem.* Uti ſæpè de iis rebus, quæ ſummo laudum honoriſque æſtimio exornandæ, ridiculæ & tantum non abſurdæ geruntur opiniones, ita præſertim *Conjugalis ſocietas* ſæpius improbatur, & ſine quo eſſe non poteſt, ſexus fœmininus Theoninis ſugillatur morſibus. Dantur enim adeò diſtorta ingenia & μωροσόφοι plusquam Cimmeriâ mentis caligine laborantes, quibus cum plura abſurda in mentem amentem venire ſoleant, ſic etiam *fœminas*, ſine quibus tamen perfectiſſimarum rerum opera perfici noluit Deus, non duntaxat debitis ſuis privare laudibus conentur, ſed eas etiam *à ſpecie humanâ* excludendas, & ad monſtrorum claſſem (licet vel Achillea argumenta contrarium evincant, ut ἀπυάλακος τυφλοτέρῳ res manifeſta videatur) reducendas eſſe ſtatuerit. Atque hoc non minus inſipienter iniqueque effutiunt, ſed & opinionis ſuæ firmamenta & ſtabilimenta tam ex ipsâ Theologiâ, quam ex Jurisprudentiâ afferre non dubitant. Verum ambitioſa hæc admodum & abſurda ſunt, non vera, in labris nata, non in fibris, ideoque riſu potius excipienda, quam reſpondendi operâ dignanda. Si tamen fœminis ſcribere & diſputare adeò conveniens fuiſſet, ipſæ dudum hanc ignominiæ notam averruncaſſe, atque ſe in cenſu veri hominis collocandas adverſus fanaticos iſtos egregiè comprobaſſe exploratiſſimum teneo. Vid. interim iſtarum loco has ſcurras refutantem *Thom Sagitt.* in *Cent. quæſt. Philoſ.* dec. 7. 4 5. Alii non quidem eò temeritatis procedunt, ut monſtris mulieres annumerent, uxorem tamen delicium illud vitæ noſtræ, conjugali non dignandam eſſe amore πὺξ καὶ λὰξ contendunt, eamque ſarcaſticè traducunt. Jam enim terque quaterque beatos ſe fingunt, ſi in connubio nunquam vivant, proinde cum *Micione* Terentiano: *Uxorem nunquam habui, neque ullam deſidero*; exclamant *Adelph. a.* 1. *ſc.* 1. aut cum *Demeâ* Micionis cœlibatui palmam porrigente, *duxi uxorem, quam ibi miſeriam vidi.* Adeoque uxorem ducere interpretantur **Unglück ſo zum anziehen**; teſtante *Henr. Salmuth. in Reſp. Juris contra matrim. princ.* Quâ ex cauſa Hipponactes apud *Stob. ſerm.* 61. dicebat, *binos dies eſſe cum uxore jucundos, alterum, quo ducitur, alterum, quo mortua efficitur.*

Et Philoſophus quidam cum inimico elocaſſet filiam, rogatus quare feciſſet, *quia* inquit, *non potui gravius mulctare, quàm elocando id, quod peſſimum natura produxit*, uti & *Democritus*, interrogatus, cur parvam duxerit uxorem, reſpondit *quia ex duobus malis minimum fuit eligendum Anton. Monach. ſerm. l,* 1. *c.* 34. Quorum ſententiam, (ſi aliquid eſt concedendum) rationes juris Canonici confirmare poſſent: *magnum onus viro eſſe & ſarcinam habere uxorem.* can. qui ſitit. 33. quæſt 5. can. omnes 32. 4. 7. & *nuptias terram implere, virginitates* (cave ne cœlum ruat) *cœlum* can. nupt. 32. q. 1. imò leges quoque civiles matrimonium multis teſtantur obnoxium calamitatibus: vid. l. un. C. de Impon. lucr. de ſir. to. Unde vulgo nexum & vinculum matrimoniale *compedes* ſive *pedicas nuptiales* vocant, quia ſui pluris non magis eſt, qui pacto conjugali ſe aſtrinxit, quàm quem concluſum tenet ambitus carceris, aut extraneæ familiæ iniqua illigavit ſervitus. Taceo

cœ-

cœtera quæ latera conjugum quotidiè circumſtant incommoda. Nam quod de amore Parmeno philoſophatur Terentianus *in amore omnia hæc inſunt vitia* &c. Eun. Act. 1. ſc. 1. nil cauſæ eſt, cur non itidem ad conjugium trahi poſſit, uti rectè ad lectum connubialem *Juvenalis* accommodavit, dum ait:

Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
in quo nupta jacet, minimum dormitur in illo,
Plus fellis quam mellis habet.

At verò ſtantibus hiſce non ſine ratione quærerem, unde naſcerentur futuræ Eccleſiæ membra, ubi maneret Reip. commodum, ſi quidem ſine prolis generatione, quâ humano generi artificioſa inducitur immortalitas *Novell.* 22. *in præf. l.* 14. *C. de leg. hæred. Novell.* 30. *in fin. præf. Imper. Leo Novell.* 26. *princ.* neque reſp. neque Eccleſia firmo ſubſiſtere poteſt tibicine *arg. l.* 2. *in fin. C. de indict. Novell* 14. *princip. l.* 1. *ff. ſolut matr. l.* 7. §. 3. *ff. de bon. damn.* Unde facilè per jugulum reduci poteſt, quicquid ogganniunt ἀγαμίας Patroni, cum publicis commodis privata minimè anteponenda, nec privata incommoda tanta ſint, ut evitari non poſſint, aut majoribus commodis non obliterari. Quocunque igitur te vertas, ſemper tamen album calculum meretur, & prævalet ſaluberrimum Phocylidis monitum: *Ne maneas cœlebs nec forte obſcurus pereas, da aliquid naturæ, & gigne viciſſim; ſicut genitus es.* Quo facit reſponſum Cræſi Cambyſi regnanti datum. *Utrum feliciorem cenſeret, ſenem an parentem?* ex pectanti enim, ut de ſe reſponderet, reſpondebat de Patre, & ſtomachanti, quod ſibi Pater præferretur, rationem addidit *quia Pater filium te reliquit, quæ felicitas tibi adhuc deeſt.* Hinc, titivillitio non emtum illud Diogenis conſilium, qui interrogatus, *quando ducenda uxor?* reſpondit: τῷ νέῳ μήποτε, τῷ γέροντι μηδέποτε Lipſ. Cent. 1. Ep. 31. Quid enim hinc ſperandum, niſi humani generis excidium? Et certè hoc ſi alicui, hujus ſocietatis cupidiori hodiè diceretur, triſtior domum diſceſſurus eſſet, quàm olim in Præturæ petitione victus Sulla aut Marcellus. Quæ omnia cum ita ſe habeant; cœlibes *ignominioſis pœnis* à veteribus ſuere affecti. Sic *Athenienſes* diebus feſtis tradebant cœlibes circa aras mulieribus flagris agendos cædendosque *Scal. l.* 3. *de re Poet.* & *Pythagoras* poſt mortem apud inferos cruciari vidit, qui dum viverent, uxorum congreſſus ex invidiâ & odio publici boni non ſine peccato fugiſſent. *Arniſ. de Con. c.* 1. *ſect.* 5. *Lycurgus* nudas virgines publicis in theatris conſpiciendas adoleſcentibus exhiberi voluit, adjectâ mulctâ, ſi quis adoleſcentum de induſtriâ exercitiorum horum ſpectaculis ſeſe ſubtraheret, ut deſides hoc pacto ad delicias nuptiarum invitaret, eos autem ignominioſis cantilenis per urbem circumduci juſſit, qui nuptiales pedicas inducere nollent. Plut. in Lycurg. Deus ipſe maledictionem aſſignat ſterilitati *maledicta domus ſterilis* inquit, quod non tantum de iis, qui in conjugio vivunt, ſed & de illis qui conjugium inire nolunt, intelligendum. Neque enim audiendi ſunt illi qui dicunt in N. T. orbitatis opprobrium eſſe ſublatum, Cœlibatum præferri ipſi conjugio à Paulo, & illa verba: Creſcite, Creſcite & multiplicamini ad nos ſub Novo fœdere non pertinere, nec nos illi obligatos eſſe. Enim verò quis neſcit, illam benedictionem & mandatum eſſe Catholicum omnia loca, homines & tempora includens & prælegi atque inculcari omnibus muſteis ſponſis in conſecratione ſacerdotali. Et Deus inter ſua beneficia maximè numerat liberos, & beatos illos prædicat, qui multis gaudent liberis, ac qui pharetras plenas ejusmodi ſagittis poſſidet, illos ab omni confuſione & ignominiâ ab hoſtibus infligi ſolitâ eximit, illisque promittit quòd contrà omnes inimicos coram judice ſunt prævalituri. Neque obſtat, quòd multiplicatio prolis magnum onus eſſe videatur, ſi quidem non obſcurum ſapientiſſimos Legiſlatorum illuſtria propter ſtudium πολυτεκνίας parentibus conceſſiſſe privilegia vid. 6. *C. de Decur. l.* 6. *in fin. ff eodem. princip. Inſtit. de Excuſ. tit. de his qui numero libr. &c. l.* 1. *C. de Legat. adde. Jon. Avent. in ſeſquicent. Quæſt. Nomico Polit.* 4. 117. Præterea pudor eſt fœminis, nuptiarum præmia non habere, quibus hæc ſola cauſa nubendi ceu pudor 32. *qu.* 2. maximumque & præcipuum munus concipere,

& conceptum tueri per *l.* 14. §. 1. *ff. de & dil. ed.* Unde mariti non eſt, uxori hoc debitum naturale denegare, cum prolis ſuſcipiendæ cauſa fœmina dicatur *per l.* 228. *ff de verb. ſignif.* neque uxoris eſt marito hoc denegare, quia mulieres adhoc natura progenuit, ut partus ederint, & maxima eis in hoc conſtituta cupiditas. *l.* 2. *c. de jud.* & ipſe Paulus, qui cælibatui nullam aſſignat prærogativam, ſed conjugii potius neceſſitatem inculcat. 1 Cor. 7. & ut ſupra dictum, expreſſe aſſerit, quod mulieres ſalventur per ſuſceptionem prolis, ſi quidem hæc ipſarum vocatio, quam quæ implet, præmiis temporalibus & æternis gaudebit.

Thesis X.

EX quibus ſatis pateſcit conjugii neceſſitatem populo non tantum cœleſtiſſimo ſed omnibus ferè gentibus perſpectam & cognitam fuiſſe, adeò ut mirandum ſit. *Hieronymum* Hebraica & omni penè literatura imbutum Patrem *conjugio*, ut Lud. Viv. in Auguſt. de Civ. l. 6. c. 34. de eo loquitur, *parùm æquum fuiſſe*, ut contra Jovinianum diſputans non tantum ſecundas, ſed & primas nuptias parum probarit. Sed evenit Doctiſſimo alias Viro, quod multis aliis in Eccleſia Doctoribus, qui cum contra adverſarios pugnarent ſæpè in τὸ α τί ſunt delapſi. ut *Chemn. Ex.* ſæpe docet & ex *Brochm. Lychn. Prophetico.* videre eſt. Interim in confeſſo eſt, conjugium in populo Dei oculiſſimo non tantum in ſummo honore fuiſſe, ſed ipſam etiam Polygamiam fuiſſe maximè frequentatam. Quod præter exempla Biblica inferius prolixé ſecundum ſeriem librorum ſacrorum deducta teſtatur *Joſephus l.* 17. *Antiquit. c.* 1. cum memorat quod Herodes, cujus in novo fœdere ſæpiſſimè ſit mentio multas habuerit uxores, primaria verò fuerit Mariamne Alexandri Ariſtobuli filia ex qua duos filios & duas filias proerearit; præter hanc verò Regio ſtemmate ortam duxerit alias novem, quarum prima Doris Antipatri filia, altera filia Summi Pontificis Simonis, ex qua filium Herodem dictum genuerit. Et præter fratris filiam & Sobrinam Marthace Hamaritis ex qua Antipas & Archelaus ſint nati. poſtea Cleopatra Hieroſolymitana, quæ Philippum pepererit. Ex Pallade vero Phaſaelum; ex Phædra item & Elpide filias Ropacam & Salomen ſuſceperit.

1. *Cæleſtiſſimo* Judæi olim à Chriſtianis dicti *Cælicolæ*, ut videre eſt ex Codice utroque tit. de Jud. & Cœlicolis eò quod crediti ſint cœlum adorare, ſicuti Petronius dicit ipſos *cælisummas advocare auriculas*, & *Juvenalis Sat.* 14. inquit quod *Nil præter nubes & cæli numen adorent.* vid. & *Strab. l.* 16. Quod fortaſſe ex eo ortum, quòd ſolenni eorum locutione Numen ſanctiſſimum, quod ſolum volebant adorandum שמים i. e. *cælum* ſit nuncupatum, uti & fœderis novi lingua Helleniſtica. Matth. 21. 15. Luc. XV. 18. Nubes autem & cœlum ab eo, qui non ipſum numen ſed cœlum, quod videmus ſtella-

latum, innui putabat, ſic conjungi mirum non eſt. Mera etiam hallucinatio eſt de cultu eorum *Angelis, Archangelis, Menſi ac lunæ* exhibito, quod è concione, quam neſcio quis D. Petri nomine inſignivit, citatum habetur apud *Clementem Alex. ſtr.* 6. *vid. &* *Hieron. ep.* 181. *ad Algaſiam. q.* 10. *ex Baron. A. c.* 60. Angelos quidem, quos & ſuis deſignant nominibus, menſibus præeſſe ut *Selden. de J. N. & G. l.* 4. *c.* 7. docet, aliisque rebus exiſtimarunt, ſole citius etiam more majorum in menſium initiis, finibusque, adeoque feſtorum ratione, ex lunæ viſione præfiniendâ ſemper agere ſoliti, quod & concionis autor ille ibi memorat, & velut cauſam ejus, quod de cultu dixerat, affert. de quo vid. *Selden. de Synedr. l.* 2. *c.* 13. Sed hæc quid ad cultum. Ita ſane, qui Solaris lunariſque motus apicibus minutiisque, ut temporum ratio ſibi in periodis conſonet, cruciare ſe ſolent, ſolem & lunam adorare ſeu colere dicerentur. Ita fuere ex Gentilibus, qui porcinum numen eos adorare tradere non vererentur, *Petronius in Catalectis. Plut. Sympoſ.* 4. *c.* 5. *vid. Selden. Synt. de Diis Syris. c.* 17. quemadmodum & alii aſininum ſeu aſini caput. *Plut. l. c. Tacit. hiſt. V. Appion. ap. Joſeph. libr. adverſ. eum. vid. & Petr. Crinitum de honeſta diſc. l.* 1. *c.* 9. Forte ex porcinæ carnis abſtinentiâ quæ præ abſtinentia aliarum ſacrâ lege interdictarum gentilibus multò notior proculdubio & frequentior erat, natum eſt illud de porcini Numinis cultu convitium, uti & alterum illud de aſino ex ſingulari aſini primogeniti redimendi jure Ex. 13. 13. ac more gentilibus perperam intellecto. Sanè utrumque falſiſſimum eſſe & eum Appionum, Molonum, idgenus aliorum calumniis cæteris connumerandum nemo puto dubitat. *vid. Heldebr. Antiquit. Eccl.*

Non poſſum autem non hic occaſione nominis Cœleſtiſſimi recordari illius Cœleſtis Papæ, qui dictus fuit Cœleſtinus V. & Eccleſiam tùm temporis ſatis deformatam reformare voluit, ſed per Cardinales impeditus reſignavit: uti hanc rem enucleatè exponit *Phil. Mornaus* in Myſt. Iniquit p. 388. *In primo*, inquit, *Conſiſtorio*, (Cœleſtinus, qui antea fuerat eremita) *Eccleſiam Romanam reformandam ſibi proponens, ſe Chriſti exemplo aſino vehi velle oſtendit, Cardinaleſque idem facere, quod ab eorum moribus valde alienum: Exinde igitur, ſi quando per inexperientiam in lapſus pueriles incideret, ipſi gaudere & ludos facere, ut quam neceſſe eſſet, aliam deligi, nemo non cognoſceret. Ipſe verò has technas ſubodoratus, impoſiti muneris tædere, eo ſublevari cupere, quanquam Carolus, ut Pontificatum retineret, omnibus modis ac rationibus hortaretur &c. Ars tandem Cardinalis Benedicti pervicit. Romam enim reverſo Benedictus juris Canonici callentiſſimus multas ei in animum cogitationes ingerit, quibus muneris ſui onus repræſentat; de animabus totius mundi rationem reddere quanti ſit oneris, proinde quàm periclitetur ejus ſalus, ſi per ætatis infirmitatem, aut per imperitiam Eccleſia Chriſtiana detrimenti aliquid accipiat. Quin & nonnullos ſubornat, qui noctu clanculum immiſſa per canaliculum in aurem ipſius voce eum quaſi cœlitus admoneant.* Cœleſtine Cœleſtine, dimitte Papatum, ſi vis ſalvus fieri, negotium ſupra vires eſt, *ut ſe ab angelo compellatum putaret. Quare homo ſimplicior id tantum cogitare, ut ſibi Pontificatum abjicere liceret, eximeretur modo ipſi ſcrupulus, utrum ſalvâ conſcientia poſſit, quem Benedictus facilè ſuſtulit multiſque rationibus adductis, Decretalem ſanciri pervicit;* Romanum Pontificem poſſe libere reſignare. *Sicque Cœleſtinus eo onere levatus ſex tantum menſes ſede potitur. Benedictus verò in ejus loco collocatur, qui Bonifacius VIII. Et hic porrò non diu moratus ſimilem Decretalem edit, quæ habetur in ſexto;* Quod Papa Papatui liberè renuntiare poteſt. *Sed Cœleſtino mortuo contrariam evincit;* Quod Papatui renuntiare ſcelus inexpiabile, Papæ Papatum renuntiare nefas eſſe, *iiſdem Cardinalibus idem ſuis ſuffragiis affirmantibus & negantibus. &c.*

Hactenus *Mornæus*, Meminit etiam Platina in ejus vitâ; ſolicitatum eum à Cardinalibus Papatui renuntiaſſe ideò, quòd propter ejus imperitiam Eccleſiæ periculum imminere dicerent. At verò non fuit hæc ex principiis Pontificiorum cauſa ſufficiens. Dum enim ſtatuunt, Papam à Cardinalibus non eligi, ſed tantùm deſignari vel nomina-

ri. *Theoph. Raynaud. de Coron.* 344. dum ſtatuunt porrò, etiam in umbrâ Petri, i. e. tali Pontifice, qui à Petro moribus differt, ſedem Apoſtolicam conſervari, *Franc. Long. à Coriolano in ſumma Concil. prælud.* 10. *aſſ.* 1. inique fecerunt Cardinales, qui autores fuerunt renuntiationis. Et hos perverſiſſimos mores ſedi Apoſtolicæ etiam cognovit ante quam ad Pontificatus apicem perveniſſet, *Æneas Sylvius*, qui fuit Scriba in Concilio Baſileenſi, abbreviator literarum Apoſtolicarum, ex 12. illis unus, qui Concilii cenſores inſtituti, & Concilii nomine Legatus ſæpius deſtinatus, ter Argentinam, Tridentum ſemel, bis Conſtantiam, Francofurtum ſemel, in Sabaudiam bis, particeps ac Princeps omnium agnoſcebatur, quæ in Concilio geſta, cujus & acta 2 libris deſcribit, ex quibus de ejus mente ſatis conſtat, ut & ex Epiſtolâ 54. & 55. ad Imperatoris Cancellarium, ubi aſſerit *poſſe Principes ſeculares invito etiam clero concilium inire.* Et Epiſt. 14. ad Lupum Portugalenſem ſcribit: *luſus jam Eccleſia eſt, qualem de pilâ fieri videmus dum huc atque illuc impellitur percuſſa, ſed aſpicit illa ex alto Deus, & quamvis raro in terris expendere digna ſupplicia cogat, nullum tamen in ſupremo ejus judicio malum impunitum relinquit.* In tanto fuit æſtimio hic Sylvius, ut Eugenio depoſito, & conſtituto in ejus locum Felice, Legatus juſtus electionis ſuæ cauſas expoſituras à Felice mitteretur ad Fredericum Imp. qui ingenii dexteritatem admiratus eum in familiam ſuam allexerat, & Romam de ſuâ coronatione apud Pontificem acturum, miſerat, ubi curiæ R. deliciis ineſcatus in gratiam Nicolai Felicis cauponatur abdicationem. Unde à Nicolao primùm Epiſcopus Trigeſtinus, à Calixto verò Cardinalis pro dignitatum incremento ſtylum gradatim immutat, donec peſtilentiæ illâ cathedrâ occupatâ ſub nomine Pii II. nil antiquius habuit, quàm ut bullâ in eam rem editâ, quæ *retractationis* titulum præfert, palinodiam caneret, laudabiliora ſua quæque facta revocaret, quæque anteà in aliis Pontificibus deteſtari viſus erat, ipſe jam laudaret & promoveret. Manifeſtum hoc ex Bullâ, cui initium *Execrabilis*, ſecundo anno Pontificatus ſui editâ, quâ à ſententiis Pontificis ad futurum Concilium appellari vetat, omnes ejusmodi appellationes Imperatorum, Regum, Epiſcoporum &c. vanas, execrabiles, peſtiferas & irritas pronuntiat, qui appellaverint, in articulo mortis nonniſi abſolvendos excommunicat. Univerſitates etiam, Collegia & cœtera corpora interdicto ſubjicit, omnesque omnino pœnâ læſæ majeſtatis reis & hareticis debitâ damnat. In aliâ etiam Bulla, cujus init: *In minoribus*: Univerſitati Colon. A. 1463. inſcriptâ pœnitere ſe profitetur; quod Dialogum & alios libros ſcripſerit pro autoritate Concilii, *Eccleſiam Dei ſe ignoranter ſicut Paulus fecit, perſecutum fuiſſe* dicens Pontificis autoritatem ſupra Eccleſiam eſſe, aſſerens, & declarans, Papam eſſe ſupremum Eccleſiæ Monarcham, cujus peccata judicio Dei relinquenda, à nemine judicanda. Morn. 525.

2. *Non tantum ſecundas nuptias.* Non apud Ethnicos tantùm Monogamia in laude fuit, & ſecundæ nuptiæ in vituperio, ſed etiam apud veteres quandoque Chriſtianos matrimonium iteratum minus elegantibus exceptum fuit elogiis, uti *Hieronymus* ipſe adductus à Theophilo minus favet ſecundis nuptiis, *princip. Comment. in Hagg. & libr. contra Jovinian.* & Epiſt. ad Salv. ſed ex ludicrâ ratione, quia ſcil. ſecundo die creationis omiſſum fuit כי טוב quia bonum. in *Concilio Neocæſarienſi c.* 7. ſtatuitur, presbyterum convivio ſecundarum nuptiarum intereſſe non debere, maximè cum præcipiatur ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere. vid. ibi *Franc. Longum à Coriolano*, Similia paſſim leguntur alia, de quibus *Gerhard. de conjug. n.* 178. Tarnov. de Conj. 446. contra Catharos & Montaniſtas. Tertull. l. de Monog. l. 5. c. 3. p. 1138. Prateol Elench: hær. l. 3. p. 124. 125. & l. 11. p. 340. Brochm. ll. 5090. Bernegg. Qu. in Tac. q. 110. Sed mirandum ipſos planè non attendiſſe *Paulum* 1 *Cor.* 7. 39. quod libera ſit mulier à lege viri mortui, & poſt mortem ipſius poſſit nubere cui velit. Utut civilia jura definiant, quod intra annum luctus fieri non debeat, non tamem ſimpliciter prohibent, vid. *Hilliger. in Donell. Erucl. l.* 13. *c.* 19. *tit.* 3. Duæ autem vulgò redduntur rationes juris Civilis 1. *ut marito de-*

ib.

bitus præſtetur honos. 2. *ut evitetur turbatio ſanguinis, generationis incertitudo: & ſuperfœtationis periculum.* Prima ratio per ſe ſola nil facit, quia etiam liberi ſummam parentibus debent reverentiam, & tamen illorum nuptiæ illico poſt obitum parentum celebratæ non notantur infamiâ, niſi dicere velis, reverentiam hîc requiri in conjuge ſingularem propter vinculi, quo antea ſibi invicem arctiſſimè devinciebantur, memoriam. Potior ergò & ſumma ratio eſt in turbatione ſanguinis & ſuperfœtatione, quam etſi negent hodiè Phyſicorum nonulli, ICtos tamen veteres cum *Hippocrate* & *Ariſtotele* eam ſtatuiſſe, plurimi juris textus probant. *Hahn. ad Weſenbec. tit. de his qui notantur infamiâ*; n. 5. Et fortaſſe verior eſt ſententia, quæ ſuperfœtationem aſtruit, quam ſequuntur *Paulus Zacchias Quæſt. Medico-leg. tit.* 3. *qu.* 4. Sperling. de form. hom. c. 4. q. 3. Sanctiora ergo & æquiora legum ſcita, quàm canonum. *Hillig. d. l. Adde Speckhahn cent.* 2. *claſſ.* 2. *qu.* 10. imprimis *Gerb. de conj. n.* 198. Utrum autem præter infamiam reliquæ etiam pœnæ, de quibus *Ritterhuſ. in Novell. part.* 4. *c.* 3. *n.* 8. jure Canonico remiſſæ ſint, videri poſſunt *Sichard. ad rubr. l. de ſecundis nupt. n.* 14. 15. 16. *Anton. Gabr. l.* 3. *Concluſ.* 5. 6. 7. *Gail.* 2. *Obſerv.* 98. *n.* 8. Canoniſtis aliis iteratio nuptiarum contra honeſtatem eſſe dicitur, aut ſi omnino in genere honeſtorum admittunt, honeſta eis dicitur fornicatio. Sic enim legitur in c. hac ratione, 31. 4. 1. *ſecundam quidem accipere ſecundum Apoſtoli raceptum licitum eſt, ſecundum autem veritatis rationem verè fornicatio eſt, ſed cum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honeſta fornicatio.* &c. Frivola vero eſt ratio, quod ex ſecundis nuptiis contriſtetur anima defuncti mariti, quam refer. de Neviz. Sylv. Nupt. l. 2. n. 31. 32.

3. *Sed etiam primas nuptias* Fuerunt ex Judæorum gente, *Eſſeni* tertium illud præter Phariſæos & Sadducæos Philoſophorum genus, qui nuptiis & omni fœminarum conſortio ſibi interdicebant, & quibus γάμου μὲν ὑπεροψία conjugii planè faſtidium erat, ut de iis ait *Flav. Joſephus de Exc. Urb. l.* 2. *c.* 12. & *Arch. l.* 18. *c.* 2. atque ex eo *Porphyrius de abſtin. Anim. l.* 4. ex quo *Euſeb. de præpar. Eu. l.* 9. Quod tamen de altero tantum eorum φύγαμον ſeu Collegio & ſecta dicitur, ſed majori; Nam & eorum ſecta memoratur altera, quæ receptiori majorum ſententiæ ſatis erat de matrimonio congrua, ut videre eſt apud Joſ. De priori autem illâ Plinius Hiſtor. v. c. 17. *Ab occidentali Palæſtinæ littore Eſſeni, quos fugitant uſquequaque nocentes; Gens ſola & in toto orbe præter cæteras mira, ſine ullâ fœminâ omni Venere abdicata, ſine pecuniâ, ſocia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renaſcitur, longè frequentantibus, quos vitâ feſſos ad mores eorum fortuna fluctus agitat. Ita per ſeculorum millia* (incredibile dictu) *gens æterna eſt, in quâ nemo naſcitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt.* Et Solinus Polyhiſt c. 38. *Eſſeni præditi memorabili diſciplinâ receſſerunt à ritu Gentium univerſarum, majeſtatis, ut reor providentia ad hunc morem deſtinati. Nulla ibi fœmina. Venere ſe penitus abdicarunt. Pecuniam neſciunt, palmis victitant. Nemo ibi naſcitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipſe addictus pudicitiæ eſt ad quem plurimi licet undique gentium convolent, nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides & innocentiæ meritum proſequatur.* Et mox: *Per immenſum ſpatium ſeculorum* (incredibile dictu) *æterna gens eſt; ceſſantibus puerperiis.* Hujuſce autem rei ratio habetur apud Joſephum, ejusque exſcriptores. Hoc nempe faciebant, ſeu abſtinebant nuptiis τὰς δὲ τῶν γυναικῶν ἀσελγείας φυλαττόμενοι καὶ μηδεμίαν τηρεῖν πεπωσμένο τὴν πρὸς ἕνα πίστιν. quia ut rectè vertit Ruffinus vetus interpres *Cavendam putabant intemperantiam fœminarum, nullam earum uni viro fidem ſervare credentes.* Scilicet ſtatim in primitiva Eccleſiâ Patres ex malè intellectis verbis Chriſti & Pauli, cœlibatum conjugio prætulerunt, ita ut Monaſteria, ad modum Eſſenorum, vitam poſtulantia fuerint erecta, in quæ etiam æterna gens ſine puerperiis fuit conſervata, & advenarum, atque novorum ſociorum luctâ amplificata. Opinione enim hâc peſſimâ imbuti ſtatum Monachalem, ubi in ſummâ abundantiâ ſine pecuniâ vivitur, *eſſe ſtatum multò perfectiorem*, cum plebejus ſtatus Chri-

Chriſtianorum ſit imperfectus, periculoſus, in quo difficulter quis ſalvatur, niſi clerici perfecto ſuo ſtatu illi ſuccurrant, merita & B. O. communicent, ut in cœlum quoque venire poſſint, ut Luth. loquitur T. VII. Jen. p. 182. unde Clericalis ſtatus κατ' ἐξοχὴν *perfectus* dicitur. ita ut *Joh. à Daventria Harm. A. C. p.* 518. Monaſ‹i›cam publicis mundi officiis præferri, & in Monachatu impuro perfectionem majorem eſſe, quàm in Magiſtratu etiam puriſſimo *Baldw. Caſ. Conſc. l.* 2. *c.* 8. *q.* 14. *p.* 308. Ita *Hieronymus ad Euſtach. de cuſtod. Virg.* laudo *nuptias* quia pariunt *virgines*, è *ſpinis roſas*, *ex terrâ aurum*, ex *cochleis uniones* colligo. Igitur ſtatus Monachalis ob perfectionem dicitur *vita angelica*. *Hiſt Magd. Reg.* 46. Inter omnes verò ordines nulla major perfectio quàm inter *Jeſuitas*. Ideò *Oſorius t. IV. Conc. de Sanct. Conc. de obitu Ignatii p.* 166. vocat inſtitutum virorum *planè perfectorum* qui ſolam Chriſti gloriam quærant. Quæ cauſa eſt, ut multi ſeculares, deſerto ſtatu mundano, conjugio & liberis, ſe ordinibus adſcripſerint. *Lotharius* A. C. 856. relicto cæſareatu 15 annis adminiſtrato *Benedictinus* factus in Prunienſi Monaſterio. *Joh. Trithem. Chron. Duc. Bavar. f.* 102. *n.* 93. *cui* ſucceſſit filius *Ludov. ll.* 21. annis Cæſar relinquens Calvo Calvo Imperatoriam Majeſtatem in monaſterio mortuus *Trithem. l. c. n.* 42. Imperatot *Bulgarum* dicitur cum omnibus provincialibus Chriſtianam fidem acceptaſſe, & ipſum Monachum factum. *Trithem. Chron. Hirſchaug. f.* 16. *n.* 46. Nec opus eſt verbis. ipſi *Benedictini* gloriantur *de* 21 *Imperatoribus*. Mariæ Album Geneal. 21. Mart. p. 355. Nec mirum hoc in Chriſtianis Impp., cum *Turcicus Imperator* filicum ſuum inſtituerit, & ſe Manaſſam in conventum Turcicorum Monachorum contulerit. *Sebaſt. Franck. Weltbach in Europ. f.* 110. Nec ſoli Imperatores, ſed & ipſorum *uxores* eò dementiæ pervenerunt, ut relicto priſtino ſplendore ordines elegerint. *Praxedes* Henrici II. uxor in monaſterium Bened. de Obſervantiâ ſe contulit, & *abbatiſſa* facta. *Trithem. Chron. Hirſa. f.* 92. *n.* 48. Quin *Benedictini* gloriantur de 25. *Imperatricibus* ordini ipſorum aſcriptis & in cœtu monialium viventibus. *Azorius ex Trithem.* & *Mariæ Album Geneal.* 21. *Mart. p.* 355. Henricus I. Auguſtus A. Chriſti 929. extruxit Monaſterium Quedl. Bened. & *filiam* ſororem Ottonis I. Auguſti & Brunonis Archepiſcopi Colon. *Mechtildem* Abbatiſſam conſtituit. *Trithem. Chron. Hirſchaug. f.* 28. *n.* 51. Henricus III. Auguſtus A. C. 1039. duas filias *Chiſelam* monialem, alteram *Adelhelden* Abbatiſſam Quedliburgenſem conſtituit. *Trith. Chron. Hirſch. f.* 49. *n.* 54. Et hic amor Clericalis etiam ad Reges deſcendit. Duo Reges Angliæ *Choret* & alter *Opho* dictus mundo derelicto Romam ſe contulerunt, ex devotione Benedictini facti: Trith. l. c. fol. 58. n. 13. Duo Reges alii unus *Kimradus* Rex Merciorum, alter *Offa* Saxonum Orientalium Rex Romam ſe contulerunt Monachi facti. *Flor. Hiſtor. Matth. Weſtmon. A. C.* 71. *f.* 134. *n.* 10. Ita Rex Merciorum *Æthelredus* Rex per 30. annos tandem Monachus factus & mortuus eſt. *Flor. Hiſt. Matth. Weſtm. A. C.* 705. *f.* 133. *n.* 4. Ita *Pronſtangus* Regibus atavis editus Monachus factus multa miracula in Scotia præſtitit, *Chron. Tunc.* 119. *Luc. Oſiand. Cent.* 6. *l.* 3. *e* 15. *p.* 221. Sed quid multis. *Benedictini* ſuperbiunt 46 Regibus in ipſorum clauſtris commoratis. *Mariæ Album Geneal.* 21. *Mart. p.* 355. Et hoc virus etiam Reginas inflammavit. *Radegundis Lotharii II.* filia poſt mortem mariti monialis celebris fuit. *Trith. de Ort. Franc. f.* 87. *n.* 50. *Helionora* Regina Angliæ ex deſiderio monialis vitæ clauſtro ſe abdidit. *Flor. Hiſt. Math. Weſtmon. f.* 413. *n.* 1. *Magdalena* Regina & Archiduciſſa Auſtriæ Regium Monaſterium Hallenſe fundavit, *Vita Magdalen. Baneri A.* 1625. Benedictini ſeſe efferunt propter 51 *Reginas*. *Mariæ Album Geneal.* 21. *Mart. p.* 355. Nec mirum Patres & matres ſecutos etiam filios. *Clodoaldus* filius Regis Clodomiri factus eſt Monachus. *Jo. Trith. Ann. l. f.* 43. *n.* 25. *Carlomannus* filius Caroli Martelli (qui Major Domus & reipſa plus quàm Rex Hildericus fuit.) omne ſuum dominium, quod ſemel 12 Regibus fuit ſufficiens Pipino fratri reliquit, ex devotione Romam ſe contulit, & in Monte Caſſino monachus factus. Trith. Ann. l. f. 62, *n.* 7.

n. 7. & de Ort. Franc. f 93. n. 50. f. 95. n. 10. A. 705. non tantùm *Athelredus* Rex Merciorum 30 annorum Rex monachus factns, ſed & duas ſorores *Kinesdredam* & *Kinswitham* moniales fecit, ita ut junior Regium ſponſum *Offam* etiam perſuaſerit Monachatum Romæ ineundum. *Florus Hiſt. Matth. Weſtm. f.* 133. *n.* 4. Eodem pacto *Magdalena* Regina filia Ferdin. Imp. non tantum ſed & 2 ſorores *Margaretha & Helena* Archiduciſſæ Auſtriæ contra Patris voluntatem monaſticam elegerunt. *Vit. Magdal. c.* 5. f. 58. 59. Ulterius ſeſe iſte ſtatus perfectior ſe ſubmiſit & ab Impp. & Regibus ad Principes pervenit. *Ludov. Barbatus Palatinus* Rheni ex devotione cœcus & claudus habitu Monachali ſepulchrum Hieroſ. adiit. Ita *Exclingis* Palatinus Rheni, qui, vixit A. C. 1011. ex Mechthildâ Imperatoris Theophanis filiâ & Ottonis III. ſorore 10 infantum Pater, quorum duo filii Archi-Epiſcopi, Colonienſis & Trevirenſis facti, *ſex filiæ Abbatiſſæ* in diverſis monaſteriis factæ. *Trith. Chron. Hirs. f.* 46. *n.* 40. *Medelgarius*, qui & *Vincentius*, dictus ex Principe Monachus factus & Abbas. *Trith. Ann.* 61. *f.* 56. *n.* 2. *Hucbertus* ſimiliter ex Principe monachus & Abbas. *Trith. Chron. Hirſch. f.* 15. *n.* 2. *Fridſtinus* Epiſcopatu relicto paupertatem voluntariam elegit, pro pauperibus in purgatorio miſſas celebravit, & aliquando contrarium tranſiens cecinit more ſolito: requieſcat in pace. Ibi illico exercitus mortuorum ex ſepulchris Reſpondit: Amen. Florus *Hiſt. Matth. Weſtm.* Benedictini jactant 243. *Duces & Principes* ipſorum ordinem aſſumſiſſe *Mariæ Album Geneal.* 21. *Mart. p.* 355. Porro *Comites* etiam hoc veneno infecti. *Ansfridus* ex Comite Epiſcopus factus & ex Epiſcopo Monachus *Trithem. Chron. Hirſch. f.* 13. *n.* 18. *Marquardus* Comes Sparheimenſis A. 1214. monachus factus, qui celebratur probus & liberalis, ſed claudus utroque pede, itaque *Trithem. Chron. Spanh. f.* 265. *n.* 54 *addit.* ob id non fuit multum utilis mundo, ideò monachizavit. *Willichius* Frater uxoris Henrici Comitis Spanh. ex Comite monachus, & dein Abbas factus fuit. *Trithem. Chron. Spanh. f.* 298. *n.* 52. *Ludov. Comes Palatinus Rheni* in ſenectute monachus liberalis erga monachos factus *Trith. Chron. Hirſchaug. f.* 206. quod & poſt *Udo* poſt mortem uxoris Comes itidem Spanh. fecit. *Trith. Chron. Spanh. fol.* 252. *n.* 10. multò melius, quàm quod Comes de Scheiern *Arnoldus*, Fratribus & Cohæredibus partem prædii adhuc communis, Mariæ in monaſterii uſum conſecrantibus, Diabolo ſuam partem conſecravit, & in teſtimonium hujus chirothecam in aëra projecit, *Vos Diaboli*, inquiens, *accipite partem meam in jus veſtrum.* Et chirotheca evanuit, reliqui in propoſito perſtiterunt. *Trithem. Chron. Duc. Bavar. f.* 110. *n.* 12. Sic Comitiſſa Spanh. Ida A. 1190. monialis in monte Rupertsberg prope Bingam facta & ſoror Prioriſſæ, (ſi liceat inventis novis, vocabulis novis & barbaris uti) conſtituta. *Trith. Chron. Hirſch. f.* 159. *n.* 12. *Fuggeri* inſuper multi monachalem habitum induti. A. 1639 matrona cum filiâ uno actu in monaſterio S. Katharinæ inveſtita. Nec hîc Diabolus ſubſtitit, ſed ſæpè eò adegit, ut nocte nuptiarum refuderint conjugium vel utraque, vel alterutra pars. *Alexius* primâ nocte nuptialium cum ſponſâ ex lecto ſurrexit, & cum ſuâ ſponſa in monaſterium ſe contulit, etſi non ſine triſtitiâ virginis ſponſæ, *Legend. Alex. Koberg. f.* 66. *L. Oſiand. Cent.* 5. *l.* 1. *c.* 9. *f.* 52. *Crafto* Comes Spanheimenſis Clementiæ Adolphi Comitis Backbergenſis filiæ deſponſatus à ſponſâ votariâ perſuaſus cum illâ monaſticam amplexatus vitam. *Trith. Chron. Spanh.* 250. *n.* 50. *Ansbertus* ex aulico Monachus factus & dein Epiſcopus, antequam ſuſciperet ordinem, contraxit matrimonium, ſed non conſummavit, at monialem ex ſponſâ fecit, & talem repudii libellum miſit, ut poſt non ſponſa Ansberti, ſed ſponſa Chriſti diceretur. Ex *Volaterrano* & *Vincentio L. Oſiand. c.* 7. *l.* 4. *c.* 2. *f.* 339. *Sebaldus* Eremita ſponſam egregiam habuit, ſed nocte deſeruit, & in deſerto 15 annis ceu eremita vixit. *Schedel. æt.* 6. *Carion l.* 2. *Chron. Hondarf.* 19. *Aug. Phara* devota virgo, à parentibus deſponſanda, ad templum cucurrit, Chriſtum & D. Petrum oravit, ut virginitatem ipſius cuſtodirent, quod & factum dicitur, ſiquidem à conjugio li-

liberata monialis facta. *Vincent. l.* 23. *c.* 15. 16. *L. Oſiand, c.* 7. *l.* 14. *c.* 22. *p.* 336. Fuerunt etiam non pauci qui conſummato matrimonio religioſam exoſculati vitam. *Vincent. l.* 24. *c.* 17. 18. 19. *L. Oſiand. Cent.* 7. *l.* 1. *c.* 20. *p.* 50. referunt de Epiſcopo nominato *Pharo*, qui ad tempus in aulâ Gallicâ degerat, poſteà verò mundum deſeruit, & monachus deinceps Epiſcopus factus, & propter hanc novam ſpiritualem vitam uxorem Bliderhildam reliquit & monialem etiam effecit. Cum igitur ad tempus ita ſeparatim vixerint, & Pharo poſt aulicam vitam ſpritualis non adeò placeret, iterum uxorem ſuam deſideravit, quæ religioni ſibi duxit, votum caſtitatis rumpere, tandem verò deſideriis ipſius velificata veſtibus pœnitentiariis & raſo capite ita deturpata apparuit, ut appetitus apud ipſum evaneſceret. Simile de *Arnulpho* Pipini avo & Caroli M. Proavo memoratur, quòd aulæ ad tempus addictus Major domus factus, ſed derepente devotione abreptus, ut non tantum ſtatum mundi, ſed & uxorem & liberos reliquerit Eremita & poſt Epiſcopus factus, qui aulica ut peccata expiaret, ſpirituali ſe addixit vitæ, & quia illorum fortean numerus non eſſet parvus, de remiſſione peccatorum Epiſcopus jam factus penè deſperavit Quò verò hujus rei certior fieret, annulum de manu detractum in Moſam conjecit, dicens: ſi recepero hunc, certus ero de remiſſione peccatorum meorum, ſicuti per Dei gratiam poſt aliquot annos ſuum annulum in piſce tabulæ appoſito recepit, quæ gratia in aulâ vix ipſi facta eſſet. *Otto Friſing. l.* 5. *c.* 9. & 12. *Sabell. enn.* 8. *l.* 6. *Vincent. l.* 23. *c.* 72. *L. Oſiand. Cent.* 7. *l.* 1. *c.* 22. *p.* 60. Sic admirationi fuit *Ulmarus Bononienſis Nobilis*, qui uxore Oſterholdâ relictâ in montem altiſſimum primùm ſe contulit, & longo temporis tractu multiſque diebus inibi conſumtis in lucum denſum; tribus diebus ſine cibo & potu *ſe in arbore occultavit*, tandem erupit, & in illo loco monaſterium extruxit, ubi ipſe abbas factus. *Meier in Chron. Flandr. L. Oſiand. c.* 7. *l.* 2. *p.* 90. 91. Eodem pacto de Epiſcopo *Genebrardo* narratur, quod relictâ uxore religioni ſe addixerit, Epiſcopus vero factus, & ſæpè ab uxore viſitatus caſtitatem non ſervaverit, duos cum ipſâ mundanâ ipſe ſpiritualis procreaverit infantes, & filium *Latronem*, filiam vero *Vulpeccatam* vocaverit, seriò tamen ideò agens pœnitentiam ab angelo abſolutus Epiſcopatui priſtino ad ſervandam æternam caſtitatem reſtitutus eſt *ex Sigbert. L. Oſiand. c.* 6. *l.* 1. *c.* 17. *p.* 38. Non minorem devotionem exhibuit Germanus, qui Epiſcopus factus uxorem repudiavit, nec pro uxore amplius, ſed pro ſorore habere voluit. Quod & de *Offa* Rege Saxonum, ut audivimus, legitur quod ex nimiâ ſanctitate Religoſus uxorem, patriam, regnum & omnia, cognatos & agnatos reliquerit, ut ibi centuplum aut potius vitam æternam ſuâ opinione acquireret. *Flor. Hiſt. Matth. Weſtmon. f.* 134. *n.* 10. Nec tantum mariti ſed & uxores hac devotione dementati ſpiritualem, ut vocatur, conjugio prætulerunt vitam. Ita An. 560 *Monegundis* conſenſu parentum conjugata duos infantes peperit, ſed devotione correpta Religioſa facta omnia deſeruit, hordeaceum panem comedit, & lectum ex herbâ marinâ uſurpavit ex *Turonenſi Luc. Oſiand. Cent.* 6. *l.* 3. *c.* 5. *p.* 221. Sic etiam An. 587 Epiſcopus Burdegalenſis *Bertramus* ſororem Berthegundam maritatam marito eripuit, & Abbatiſſam conſtituit. *Turon l.* 5. *c.* 48. *L. Oſiand. c.* 6. *l.* 4. *c.* 10. *p.* 263. *Wilfridus Epiſcopus* Anglicus *Ethelredam* Regis uxorem (quæ 12 annis virginitatem in conjugio ſervaſſe dicitur) eò diſpoſuit, ut Regem deſeruerit monaſticam amplexa. Et quanquam Rex Egfridus ipſum in exilium ejecerit, Romam tamen veniens à Papâ & toto concilio abſolutus, quod non injuſtè, ſed pedo paſtorali congruè ob votum conjugium Regium diſſolverit. *Beda l.* 4. *c.* 2. *a.* 19. 20. *L. Oſiand. c.* 7. *l.* 3. *c.* 16. *p.* 214. & *l.* 4. *c.* 22. *p.* 336. Sæpè etiam utrique maritus & fœmina religioni ſe manciparunt. In *Albo Genealogico Mariæ* 16. *Jan. p.* 81. *uſque ad* 84. narratur de *Latrone* ob Mariæ imaginem infantulum in ſinu miſerrimè vulneratum & ſanguine perfuſum oſtendentem converſo, quod domum iverit, omnia pauperibus diſtribuerit, & ille quidem in virorum, uxor verò in monialium cænobium ſe contulerit. Ita de conju-

gi-

gibus duobus honoratis in civitate Flandriæ, Thorub narratur, quod poſt mortem filioli, qui quinto ætatis anno Capucinus factus & omnia imitatus, quæ à Franciſcanis viderat, Pater Dominicanis, mater Bernardinis aſcripti fuere. *Thom. Cantoprat. l. 2. c. 28. n. 2. Meyer Annal. Flandr. A. 1220. Maria Album Geneal. 28. Febr. p. 271. uſque 274.* Sic de Epiſcopo, cui nomen *Lupus* quòd ſex annos cum uxore Pimmimolâ ſorore Hilarii Arelatenſis in conjugio vixerit, ſed tandem ſeptimo anno conſenſu ſuæ uxoris vitam conjugalem reliquerit & monaſticam perfectionem adamaverit. *Vincent. l. 20. c. 16. L. Oſiand. c. 5. l. 2. c. 6. p. 227.* Et quod adhuc mirabilius de *Thomâ Apoſtolo* in Abdiâ legitur, quod duabus perſonis nuptias celebrantibus apparuerit, à conjugali cohabitatione dehortatus ad caſtitatem animaverit, ac in Indiâ conjugatis mulieribus caſtitatis æternæ ſervandæ autor fuerit, quod dubio procul & cum viris factum eſt. *Hondorf. Calend. J. 21. die Thom. Apoſtoli.* Ita de *Juliano* & *Baſiliſſâ* duobus nobilibus divitibus, pulcherrimis juvenibus legitur, quod circâ A. 300. Antiochiæ viventes impulſu cognatorum quidem deſponſati, ſed primâ nocte nuptiarum virginitatem in conjugio ſervandam voverint. Quo facto camerâ odore ſuaviſſimo repletâ Chriſtus apparuit ex unâ parte, cum magno exercitu ſanctorum, albâ veſte indutorum, ex alterâ Maria cum choro maximo virginum. Qui cum Chriſto; clamabant: *Viciſti Galilæe.* Qui cum Mariâ: O Baſiliſſa beata, quæ terrenis voluptatibus contemtis, æternæ gloriæ te præparas. Igitur utrique animarum ſalutem procurarunt, monaſteria erexerunt, adeò ut Julianus 10000 monachos, Baſiliſſa non pauciores aluerit, quos in conjugio non procreaſſent. *Margaretha* in Belgio, cum viva non poſſet, poſt mortem religioſa facta juxta mandatum ipſius. Siquidem monachali veſtitu indutæ, juxta menſam locatæ cibus & potus apportatus credentialiter, ut barbaro vocabulo utar, quô peccata expiavit, non diu verò duravit hæc ſanctitas. Pientiſſimus enim Cæſar *Carolus V.* abrogavit, aliàs plures ita fuiſſent inveſtiti & maximam paupertatem laicis, clericis verò ingentes divitias conciliaſſent. *Luth. t. 7. Jen. 273.* Ulterius proceſſit hæc Phantaſtica ſanctitas, ut multi in cucullis ſepulti fuerint, quò meritorum & ſanctitatis tali veſti inhærentium participes fierent. *Res* enim *ſancta* eſt *cucullus*, quia in inveſtiturâ talia uſurpantur verba: *Benedicat Dominus huic veſti, ut ſit firma armatura contra impetus Satanæ, & ut tegere poſſit peccata tua coram facie Dei.* Et in talibus veſtibus multi ſunt conſepulti, ut Margrafius Mantuæ *Fridericus. Albertus Pius* Carporum Princeps, Pariſiis. *Chriſtophorus Longolius* Paduæ. *Rudolphus Agricola* Heidelbergæ. vid. Reſp. Civ. Venet. ad paræn. Baron. 62. præſertim Juriſconſultorum Coryphæus *Baldus*, de quo verſiculi: Conditur hic fultus (al. ſtultus cœterum ſat ſapiens) Franciſci tegmine Baldus, Doctorum Princeps Perufinâ natus in urbe. De quibus omnibus Luth. I. Jen. f. 489. A. 1555. Et hanc ſuperſtitionem cucullarem & veſtiariam jamdudum improbarunt Sancti Patres. *Jo. Caſſianus* Monaſt. Intr. l. 1. c. 3. *Qua propter cilicinam veſtem velut circumſpectam à cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipſo non ſolum nullâ ſpiritui poſſet emolumenta conferre, ſed & elationis concipere vanitatem, omni modo refutarunt. Et Beda* in vitâ Gutberti c. 16: *Veſtimentis utebatur communibus, ita temperanter agens, ut horum neque munditiis neque ſordibus eſſet notabilis.* Magna igitur ſuperſtitio veſte monachali Satanæ impetum amoliri, & peccata tegere velle, aut ex veſte ſanctitatem petere, quod ii ſimplici credulitate perſuaſum habent, qui cadavera in habitu monachali ſepeliri faciunt. Sed quidni faciant? ſi quidem in libro Conformitatum *Barthol. Piſani.* qui A. 1389. in Generali minorum Concilio approbatus, & Mediolani per Gothardum Ponticum A. 1510. excuſus cum hâc inſcriptione: *Liber aureus* in quo p. 78. iſta leguntur: *Omnes ſalvantur, qui moriuntur in ordine & ſub regulâ Franciſci. Franciſcus enim rogavit Deum, & impetravit à Deo ut nullus in habitu* (cucullo Franciſcano) *poſſet malè mori, idque explicatius ponit* Bernardinus in roſario; *Eadem gratia deſcendit ſuper eum, qui habitum religionis aſſumit, & ſuper eum qui baptizatur; Indutio cu-*

culli dat illi plenariam remiſſionem peccatorum à culpâ & à pœna. Nec minor ſuperſtitio quando magna pecuniæ ſummâ ejusmodi Monachorum exuviæ emuntur, uti D. Saceus Dom. 23. Trin. refert, Magdeburgi 300 florenis cucullum Monaſticum eſſe emptum. Optimè ſanè ſtatuit Concil. Gangrenſe Can. 12. allegato à Gratiano c. 16. diſt. 30. *Si quis virorum putaverit, ſancto propoſito i.e. continentiæ convenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo juſtitiam habiturus & reprehendat ſeu judicet alios qui birris utantur cum reverentia aut aliâ veſte communi, quæ in uſu eſt, anathema ſit.* Et notatu digna de cucullo Monaſtico verba *Alphonſi de Caſtro ex libr.* 1. *adverſ.* hær. c. 9: *Non poſſum non,* inquit *ſtomachari in eos, qui, ut inſtitutum ſuum laudent, non verentur coram populo jactare, & dicere eum, qui ſemel habitum illius ordinis ſuſceperit, non poſſe in fide errare, nonne aperta eſt hæc blaſphemia? cum per hoc magis tribuere videatur habitui quàm fidei, aut gratiæ Dei? eſtne forte potentior habitus iſte ac fides ipſa & gratia Dei? Abſtineant ergò, & tales nænias Pœtis cantandas relinquant, & populo meliora prædicent. Teſtor Deum, non mentior. Nam præſente me in concione publicâ ad populum prædicans in die, quo agitur ſolennitas ſancti, qui ordinem inſtituerat, dixit, fraternitatem & ſocietatem ſuam laudibus extollere volens, eum qui ſemel habitum illius religionis induerit, non poſſe eſſe hæreticum, & ab aliis pluribus accepi, ſcil eadem verba ſe audiviſſe, ab hominibus ejuſdem ordinis, cum eâ de re populo ſermo fieret. Ego quidem cum audirem, abominatus ſum hominis audaciam & impudentiam & execratus ſum.* &c. Magna etiam eſt ſuperſtitio circa tonſuram illam ſacram, & *coronam clericalem*; quaſi nemini, utut legitimè vocato, ſacra facere liceat, niſi in circulum detonſo. Sed rectè *Optatus Milevitanus* l. 2. contra Parmen. *Docete*, inquit, ubi vobis mandatum ſit radere capita ſacerdotibus, cum è contrario tot ſint exempla propoſita fieri non debere. Sedenim à S. Petro tonſuram inſtitutam volunt Latini, à S. Paulo Orientales Græci; Utrique diverſam. Illi in modum coronæ ſpineæ caput attondent; hi caput totum radunt. Vid. *Jac. Uſſen. de Eccleſ. Britan. primordiis c.* 17. *p. m.* 921. Et apud ipſos etiam Romanos eadem olim fuit tonſura & clericorum & monachorum, cum hodiè tonſura non modò in raſuram ſit converſa, ſed diverſi etiam generis Monachi & clerici gerere ſoleant coronam. Monachi enim totâ ſupra aures capitis parte abraſâ inferiorem ad modum coronæ (puræ tamen & illibatæ, non ut olim ſpineæ) intonſam relinquunt. Clerici verò brevi tantùm in vertice utuntur orbe. vid. *Paul. Layvann. Theol. Mor. l.* 5. *tr.* 9. *c.* 12. *Duaren. de ſacr. Eccleſ. min. l.* 1. *c.* 14. *Guid. Pancirall. l.* 1. *Var. Lect. c.* 21. Ex quo apparet, clericalem ſtatum multò perfectiorem conjugio habitum fuiſſe, etſi Bellarm. de Mon. c. 2. ſub fin. dicat: *Fieri poteſt, ut aliquis ſit perfectus, & tamen non ſit in ſtatu perfectionis, quemadmodum è contrario accidit, ut multi tàm Epiſcopi, quàm religioſi ſint in ſtatu perfectionis, & non ſunt perfecti.* Quæ omnia ita prolixè fuere deducta, ut appareat, quomodo ſtatim in primitivâ Eccleſiâ error de virginitatis & cœlibatus prærogativâ invectus fuerit, & odium ac contemtus conjugii à Deo inſtituti invaluerit, ut ex ſequentibus magis patebit.

4. *Conjugium in populo Dei in ſummo honore fuit* Contra inter Chriſtianos maximo fuit deſpicatui, & in comparatione cœlibatus pro titivillitio habitum & tantùm non annihilatum: ſiquidem *Hieron.* ad Euſtach. *conjugium ferro, viduatum argento, virginitatem auro comparavit*, immemor illius *Syracidis VII.* 26. qui *uxorem rationalem* & *probam* nobiliorem *argento* habeat. *Auguſtinus* de Virgin. comparat virginitatem ſoli, conjugium & viduatum lunæ & reliquis ſtellis. Jàm verò ruſticis notum ſolem præſtare cæteris ſtellis. Syracides vero c. 26. v. 21. virtuoſam uxorem ſoli comparat. Præterea notum eſt, quod Ordines Papales parabolam de *ſemine de triplici caſtitate explicant*; ita ut virginitas centuplum fructum, viduitas 60. conjugium trigeſimum ferat. Cui ſimilitudini occaſionem dedit *Hieron. ad Euſtach.* & *l.* 1. *adverſ. Jov.* Epiſcopus *Martinus* cum diſcipulis deambulans in prato viridi floribus conſperſo illi comparabat virginitatem, veniens ad pratum à bobus contri-

tum

tum & demanſum conjugio ſimile dicebat, porrò pratum à ſuibus conſpurcatum ſcortationi; *Manhardi Poſt. l.* 2. *fol.* 63. *Anshelmus* Magnus Benedictinus Mariæ deſponſatus multa monaſteria ædificavit, & aſſeruit mundum eſſe ſimilem rivo ſtridenti pleno uberibus, circa quem homines volutati extingunt ſitim ubere; monaſterium verò ſit inſtar roſarum horti, argenteis plenum floribus, in quo aurea mola, ubi ſiligo per virginitatem conſervetur. *Album Geneal. Mar.* 22. *Apr. p.* 495. *Salmero* ſtatum mundanum mari impetuoſo, clericalem verò partui, ubi tranquillius vivitur comparat. *in Epiſt. Paul. t.* 13. *diſp.* 9. *p.* 36. Quin imo conjugium non tantum ad infima ſubſellia detruſerunt, ſed & ferè in nihilum redegerunt. *Siricius* Papa in jure Canon. de clericis conjugatis hanc conſtitutionem ſanxit: *qui in carne vixerunt, Deo placere non poſſunt dict.* 82. *c. Propoſuiſti.* Quod ceu regula dein in Papatu retenta. Unde in *Synodo Toletanâ* clericorum conjugium vocatur *deteſtandum connubium*, pollutio, ignominia. *T. II. Concil. Syn. Tolet. nona c.* 10. *L. Oſiand. Cent.* 7. *l.* 3. *c.* 15. *p.* 210. 211. Sic *Bonfinius* ſcribit de *S. Urſula*, quòd conjugium pro inceſtu habuerit, cum ſponſo Eutherio occurrerit; quia, inquiens, vocatio noſtra non admittit, ut terreno hîc connubio inceſtemur, ne fruſtra hic contendiſſe videar, hodiè in cœlis ſolennes nuptias celebrabimus. Quo Eutherius etiam contentus ſponſæ dextram perreverenter apprehendit, & pudiciſſimè eam uno duntaxat oſculo prælibavit, quod & Pontificis permiſſu factum eſt, *Anton. Bonfin. Rer. Ungar. dec.* 1. *l.* 5. *fol.* 77. Ita legitur in Legendis Nerei & Achillei, qui Domicillæ camerariæ virgines fuerint, quod Domicilla Aureliano Principi deſponſanda per has Camerarias ab hoc abſterrita, his inter alia argumentis, quòd conſideret coronam æternæ ſalutis & caſtitatis in virginitate, in conjugio verò æternam perditionem *Leg. Nerei Koberg. f.* 28. Sic in Legendâ *Martialis f.* 34. Epiſcopus *Martialis* templum à Duce Aquitaniæ ædificatum inauguraturus prædicaverit, ut viri & uxores templum frequentare, & intereà caſtè vivere deberent. Quod edictum Eccleſiæ Eques violabat, ideò à Diabolo cum uxore obſeſſus, quod Diabolus Martiali aperuit. Et hanc Diabolicam Doctrinam volunt confirmare verbis Chriſti, qui *Ludgardæ* Tongrenſi ex inſtinctu Patris conjugium inituræ dixit: *quomodo filia inhoneſto amore vulnera mea renovas? pare matri, non Patri. Album Geneal. Mariæ* 16. *Jun. p.* 722. deinde etiam verbis Mariæ, quæ Caroli Regis Galliæ *Fratri* ſuccedenti ἀδελφῷ die nuptiarum in Oratorio ſuo in horâ nonâ verba recitanti: *Pulchra es & decora*: apparuit Regina cœli, ſi ſum pulchra, cur me deſeris? Quo facto cum Paulo proſtratus ad terram clamat: quid vis ut faciam? Reſpondit terrenam Reginam mihi ne præferas, deſere illicò & ſerva votum mihi. In regno inſtitue feſtum conceptionis immaculatæ, & in perpetuum mecum regnabis. Quo dicto ne aſpexit quidem ſponſam flentem & reliquas Duciſſas. In Aquilejâ fit Eremita, concionator & Patriarcha, inſtituit feſtum & moritur beatus. Geneal. Mar. 20. Ut vero aliquid dicamus de Monachiſmi origine, ſciendum, vitæ Monaſticæ occaſionem dediſſe immanem *Tyrannorum & Decii* imprimis *perſecutionem*, quippe per quem adacti fuerunt pii Chriſtiani in ſolitudinibus latibula quærere, & vitæ ſuæ atque ſaluti quomodocunque conſulere. vid. *Sozom. l.* 1. *Hiſt. Eccl c.* 13. *Niceph. l.* 8. *Hiſt. Eccl. c.* 39. *Greg. Nyſſen. Orat. de vit. S. Greg. Thaumat. t.* 2. *ed Pariſ.* claruerunt que eò tempore *Paulus & Antonius*, quos vitæ monaſticæ facit Principes ipſe *Hieron. in vit. Paul.* De utroque ita ſcribit *Otto Friſingenſis l.* 2. *c.* 5. Fuerunt his diebus clariſſimi regni Chriſti Principes, Paulus & Antonius primi Eremitæ. Quorum prior perſecutionem Decii fugiens, ac in deſertis latitare cupiens neceſſitatem vertit in voluntatem, ibique continentiſſime vivens plenus dierum moritur. Alter verò & ipſe ſanctiſſimæ & arctiſſimæ vitæ multis ad arctioris vitæ zelum provocatis in pace quievit. Cum Ottone facit etiam *Polyd. Virg. l.* 7. *de Rer. Inv. c.* 1. Auxit id temporis pium inſtitutum *Hilarion* Antonii diſcipulus, qui primus Monaſticen in Paleſtinam & Syriam intulit, ut in vitâ ejus docet *Hieron.* Secuti deinceps alii, at-

I 3 que

que ita ex neceſſitate, homines in ſolitaria latibula cogente, nata fuerunt integra pietatis gymnaſia. Cum enim illa vivendi ratio à vulgaribus congreſſibus remota, Sacrarum literarum tractationi & inſtitutioni juventutis accommodata eſſe videretur, ſucceſſu temporis cœnobia & monaſteria inſtitui cæperunt, in quibus alumni tum bonis literis imbuti, tum aliis pietatis exercitiis, pſalmodiis ſc. jejuniis, humicubationibus, vigiliis &c. ſine omni ſuperſtitione atque hypocritica præſumtione, partim ad pietatem & cultum divinum, partim ad alacritatem, temperantiam, caſtitatem & alias virtutes aſſuefacti fuerunt. Ex quo factum, ut ex monaſteriis peterentur verbi divini & Eccleſiæ miniſtri, ut diſertè teſtantur *Hieron. in Epiſt.* 4. *ad Ruſt.* & *Poſſidius in vit Auguſt.* Unde & Juſtinianus Imperator Epiſcopum non ex plebe, ſed aut ex monaſterio aut ex clero eligere jubet. *Novell.* 6. *c.* 1. Add. *Claud. Eſpencæus digreſſ. l.* 3. *c.* 12. Et jam ante Arcadius Imperator ex Monachorum numero clericos ordinari voluit, *l.* 32. *C. Theod. de Epiſc.* ubi conſuli poterit *Jacob. Gothofredus.* Quàm verò mutata eſt rerum facies. Nunc enim Monachi exploſâ re Scholaſticâ titulum Scholarum faſtidiunt, ac odio habent, & omnibus modis id agunt, ne monaſteria amplius Scholæ ſint, vel fuiſſe credantur. Preces ac Pſalmodias ſolùm ad numerum deblaterant, & ex conſuetudine quidem in idiomate peregrino ſatis pietatis & devotionis rati, ubi ſatis boatus. Jejunia metiuntur carniprinio & abſtinentiam poſtea lautitiis compenſant. Mendicant ſemper, quamvis non egeant, & hoc tantum agunt, ut lu.ios ſimulent. Otium verò Monachorum; quod vanâ & ridiculâ contemplationis excuſatione defendunt, videtur deſcripſiſſe *Seneca l.* 4. *de benef. c.* 11. *Vobis*, inquit, *voluptas eſt inerti otio aſſuefacere corpuſculum & ſecuritatem ſoporis ſimillimam appetere, & ſub denſa umbra latitare, tenerrimisque cogitationibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem, & cibis potionibusque intra hortorum latebras corpora ignavia languentia ſaginare.* Hactenus Seneca non quidem de monachis ſed monachorum moribus. *Quàm longè* (inquit *Georg. Caſſand. in Conſult. ad Imp.*) *Monachatus hodie à primâ ſuâ origine degeneravit, & quantis abuſibus contaminatus ſit, ſatis per ſe manifeſtum. Nam paulatim Religio vera & ſolida in ſuperſtitionem & inanem ſpeciem religionis converſa eſt; & accreſcentibus opibus decrevit pietas, & in ejus locum larvæ ceremoniarum ſucceſſerunt, in quibus, veræ pietatis operibus neglectis, ſumma totius Religionis conſtituta eſt. Si Monachatus in ea forma perſtitiſſet, quæ deſcribitur ab Athanaſio & patribus, nunquam tàm graves incurriſſet reprehenſiones; Manent adhuc veſtigia communis & Canonicæ vitæ, ſed in ædificiis ac nominibus tantum, &c.* Similia habet *Eſpencæus l.* 3. *digreſſ.* 12. Poſtquam enim laudaſſet monachiſmum veterem à Scholis, quæ tum habitæ fuerant, ſic tandem de recentiore ſcribit: *Vix vigeſimum quodque cœnobium literatorem habet novitiorum, quos vocant, in minimis elementis inſtitutorem, tot interim totaſque dies & noctes divino onerati contentique ut loquuntur, ſervitio. Hos itaque, ut habet ex Saluſtio quidem, ſi qui ventri ſunt obedientes, animalium loco numeremus an hominum? imo quoſdam ne animalium quidem ſed mortuorum.* Vid. *id. l.* 1. *digreſſ. c.* 10. Plurimas differentias Monachiſmi veteris & hodierni congeſſit. *Carolus Molen. ad auth. Ingreſſi Mon. C. de SS. Eccl. circa finem.* Hæc tota verò Monachi vitæ ratio ab Eſſenis, ut ſupra diximus n. 3. originem traxit. Meſſalianis eos comparat *Nicol. Fuller. l.* 2. *Miſc. c.* 19. In ipſo Papatu plurimum hodiè Monadia tui inſultarunt cùm alii tum Jeſuitæ. vid. *Alph. de Vargas Relat. de Stratag. Jeſuit.* & *Jul. Clem. Placentinus de Poteſt. Pontif. in ſoc. Jeſ.* Cardinalis *Bellarm.* lapſum Monachiſmum ſub gemitu columbæ depictum deplorat ac lamentatur, quem Pater *Gravina* Neapolitanus Dominicanus voce turturis exultantis oppugnavit & refutavit; huic exultanti turturi mox caveam præparavit *Jacob Kellerus.* Plura qui deſiderat de hâc materiâ, conſulat *Pighe contr.* 18. *Smithæum de votis. Clichlovæum anti-Luth.* 63. *Jo. Delphinum de Cœlib. Horantium. l. Cath. l.* 5. *Petr. Lycet. de Mon. Alphonſ. de Caſtr. tit. Mend. Polygran. aſſert. de Relig. & vot. Kling. Loc. l.* 3. *c.* 38. 39. *Al-*

Alphonſ. Virveſ. Phil. 20. *Jo. Bunder. in Comp. Conſ. tit.* 34. *Jo. à Daventria Jo. Hoſmeiſt. Jo. Cochlæus ad a.* 27. *ad Aug. Conſ. Aug. Jac. Latomus de Mon. Lindan. Panopl. l.* 4. *c.* 98, *Jo. Arboreus Theoſ. l.* 1. *c.* 31. *Sonnius in Decal. tr.* 12. *c.* 10. *Croquetius Catech.* 69. 70. *Albanus Copus Dial.* 2. *Roffenſ. aſſert. Luth. art.* 21. *Bellarm. de Mon. c.* 14. *Hier. Platus de bono ſtat. Relig. Bail. Catech. p.* 2. *qu.* 22. 51. *Greg. de Val. Com. t.* 3. *d.* 6. *q.* 6. *Cotonus Inſtit. Cath. l.* 3. *c.* 15. 16. *Thom. in* 2. 2. *q.* 88. *Petr. Mart. Defenſ. contr. Smith. & in LL. CC. &* 3. *c.* 6. *Calvin. Inſt. l.* 4. *c.* 13. *Muſc. L. C. de vot. Zwingl. de ver. & falſ. Relig. Petr Viretus de V. & F. Rel. Rivet. ſumm. Contr. tr.* 2. *qu.* 22. 51. *Franc. Jun. & Ameſ. in Bell. de Mon. Cham. Panſtr. l.* 20. *Rudolph. Hoſp. de Orig. & progr. Mon. Harm. Conf. ſect.* 18. *Bulling. in Dec. Melancth. L. C. Areb. L. C. Chemn. Ex. p.* 3. *de Caſt. Baldw. in Smalc. &* 21. *Luth. t.* 1. *c.* 2. *de vot. Mon. Brochm. il.* 4015. *adde & commentatores in M.* 19. 1 *Cor.* 7. *& Tim. V. & Flac. in N. T.*

5. Scilicet Monaſteriorum ſcopus & finis olim erat præclariſſimus, ut ex iis haberi poſſent Viri ad Eccleſiaſtica officia idonei & ſufficientes, qui finis peſſimè interverſus eſt. Non enim olim adeò alligati erant Monaſterio Monachi, quin licuerit eis ſtationem mutare, & vel functionem aliquam in Eccleſiâ capeſſere, vel aliam aliquam profeſſionem ſuſcipere & inſtituere. Ita enim *Dracontio*, qui Epiſcopatum Alexandriæ metu contrahendi matrimonii, à quo abſtinere ſecum decreverat, fugiebat, reſcribebat *Athanaſius* in Epiſt: *Multi quoque ex Epiſcopis matrimonia non inierunt, Monachi contra parentes liberorum facti ſunt: quemadmodum viciſſim Epiſcopos liberorum Patres, & Monachos generis poteſtatem quæſiviſſe animadvertentes, & clericos bibiſſe, & monachos jejunaſſe,* Ἔξεστι γὰρ οὕτως, ϗ ἐκείνως· οὐ κεκώλυται *i. e. Sic enim licit, nec illo modo prohibetur.* Quibus verbis utrumvis licitum, neutrum interdictum fuiſſe teſtatur. Idem patet ex *Chryſoſtomo* qui *l.* 3. *adverſus vituperatores vitæ monaſticæ* ſic inter cœtera loquitur: *Nonne agricolas videtis, ut etiam, cum ſatis properant laborum fructus carpere, acerbos tamen eos nunquam metere ſuſtineant. Ergo ne nos quidem intempeſtivè liberos noſtros ab deſerti commoratione revocemus, verùm ſtudii cæleſtis diſciplinam in eis ſolidari permittamus, altisque radicibus arbuſta firmari, & ſive decem annos, ſive etiam viginti nutriendi illi ſint in monaſterio, non perturbemur, non mœrore ullo afficiamur. Quanto enim amplius fuerint in Schola virtutis exercitati, tanto ampliores vires adipiſcentur.* Hæc ille. Ex quibus ſimul patet, quàm proficua Eccleſiæ & Reip. eo tempore fuerit res monaſtica, quæ ſi in eodem ſtatu permanſiſſet *vix eſſet aliquid carpendum. Verùm ſucceſſu* temporis præter alia βδελύγματα acceſſit etiam vinculum vel laqueus potius trium votorum, quo Monachi vitæ Monaſticæ ſic aſtringuntur, ut poſtquam ſemel ingreſſi fuerint, nulli liceat, citra reatum perjurii ei renuntiare, aut ſtatu monaſtico relicto aliam profeſſionem capeſſere. Cujus quidem captivitatis autor perhibetur fuiſſe *Benedictus*, Monachorum Italicorum proavus, de quo *Polydorus Virgil. l.* 7. *c.* 2. ſic ſcribit: *Benedictus, à quo ordo monaſticus tribus votis aſtrictus fuit, quique primus ea vota introduxit, veſtitumque religioſum cum novo vitæ modo, ſparſos & ſolivagos ad id tempus Monachos in unum contraxit cœnobium, mores & vitam tribus munitam votis, quæ prius non fuerant, quam Baſilius cum certa vivendi formula conſtituiſſet in oriente, inſtituit.* Et neſcio ſanè, utrum ſuperſtitioſum magis quàm oneroſum decretum Papæ, quod legitur *c. placuit* 16. *q.* 1. his verbis: *Placuit communi noſtro concilio, ut nullus Monachorum pro lucro terreno de monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de baptiſmo accipere, neque baptizare, neque infirmum viſitare, neque mortuum ſepelire, neque ad Eccleſiam ſecularem tranſire, neque aliis qualibuscunque negotiis ſeſe implicare. Sit clauſtro ſuo contentus: quia piſcis uti ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio monachus. Sedeat itaque ſolitarius & taceat, quia mundo mortuus eſt, Deo autem vivit. Agnoſcat nomen ſuum, Monos enim Græce, Latinè eſt unus, ἄχος Græcè, Latinè eſt triſtitia, & dolor ſive mentis ægri-*

tudo. Unde dicitur Monachus i. e. unus triſtis. Sedeat ergò triſtis & officio ſuo vacet. Rideo quæſo mihi inſaniam. Opera pietatis & charitatis, veluti ſunt abſolvere à peccatis, baptizare, ægrotos viſitare, pie defunctos ſepelire, Eccleſiæ ſuæ officia præſtare, & probare, ad quæ olim juventus in Monaſteriis educabatur, interdicunt, & miſerum hominem ad angulum, ad ultroneam paupertatem, ad cœlibatum, ad triſtitiam, ad ſpeculationes, ad horas Canonicas, i. e. ad boatus Baaliticos damnant. Conſueverunt tamen Monachi quandoque nimium quantum exſpatiari, rebus alienis ſeſe immiſcere, & nihil minus quam regulam obſervare. Ea propter non immeritò jam dudum Ludov. Viv. l. 7. Auguſtini de Civ. D. c. 26. de corruprione ſtatus Monaſtici, de hypocriſi, luxu ac πολυπραγμοσύνη Monachorum conqueſtus: *hos demum*, ait, *religioſos, ſi Diis placet, nominant, quod cucullo ſint amicti: quaſi verò nos ſimus irreligioſi; & non omnes una capiat religio Catholica, quicunque myſtica ſumus abluti aqua.* Eò faciunt, quæ falſè ſed verè ſcribit *Eraſmus in Encomio Moriæ*, nec enim hîc ea legere, quanquam prolixiora ſint, incommodum quod ideam ſtatus Monaſtici hodierni graphicè depingant. *Ad horum felicitatem proximè* inquit, *accedunt ii, qui ſe vulgo religioſos ac Monachos appellant, utroque falſiſſimo cognomine, cum & bona pars ipſorum longiſſimè abſit à religione, & nulli magis omnibus locis ſint obvii. Jis non video, quid poſſit eſſe miſerius, niſi ego* (Moria) *multis modis ſuccurrerem Etenim cum hoc hominum genus omnes ſic execrentur, ut fortuitum etiam occurſum ominoſum eſſe perſuaſum ſit, tamen ipſi ſibi magnificè blandiuntur. Primum ſummam exiſtimant pietatem, ſi uſque adeò nihil attigerint literarum, ut ne legere quidem poſſint. Deinde cum pſalmos ſuos, numeratos quidem illos, at non intellectos aſininis vocibus in templis deradunt, tùm verò ſe putant divorum aures multâ voluptate dimulcere. Et ſunt ex his nonnulli, qui ſordes & mendicitatem magno vendunt, próque foribus magno mugitu panem efflagitant, imò in nullis diverſoriis, vehiculis, navibus non obturbant, non mediocri profectò reliquorum medicorum jacturâ. Atque ad eum modum homines ſuaviſſimi ſordibus, inſcitiâ, ruſticitate, impudentiâ, Apoſtolos, ut ajunt, nobis referunt. Quid autem jucundius quàm quod omnia faciunt ex præſcripto, quaſi Mathematicis utentes rationibus, quas præterire piaculum ſit. Quot nodos habeat calceus, quo colore ſingula, veſtis quot diſcriminibus varieganda, quâ materiâ, quotque culmis latum cingulum, quâ ſpecie & quot modiorum capax cucula, quot digitis latum capillitium, quot dormiendum horas. Atque hæc quidem æqualitas in tanta corporum & ingeniorum varietate quàm ſit inæqualis quis non perſpicit? Et tamen his nugis non alios modò præ ſe nauci faciunt, verùm invicem alii alios contemnunt, atque homines Apoſtolicam caritatem profeſſi, ob aliter cinctam veſtem, ob colorem paulò ſuſciorem omnia miris tragœdiis miſcent, Ex his videas quoſdam ita religioſos, ut ſumma veſte nonniſi cilicinâ utantur, intima Mileſia, alios contra qui ſupernè linei ſunt, intimè lanei. Rurſus, alios, qui pecuniæ contactum ceu aconitum horreant, nec à vino interim & mulierum contactu temperantes. Denique mirum omnibus ſtudium, nequid in ratione vitæ conveniat. Nec illud ſtudio eſt, ut Chriſto ſimiles ſint, ſed ut inter ſe diſſimiles. Porrò magna felicitatis pars eſt in cognomentis, dum hi funigeros appellari ſe gaudent, & inter hos alii Coletas, alii minores, alii minimos, alii buliſtas, rurſus hi Benedictinos, illi Bernardinos, hi Brigidenſes, illi Auguſtinenſes, hi Guilhelmitas, illi Jacobitas, quaſi verò parum ſit dici Chriſtianos. Horum magna pars in tantum ſuis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis, ut putet unum cælum parum dignum eſſe tantis meritis præmium, haud cogitantes futurum, ut Chriſtus contemtis his omnibus ſuum illud ſit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius oſtentabit aqualiculum omni piſcium genere diſtentum, alius pſalmorum centum effundet modios. Alius jejuniorum myriades annumerabit, & toties unico prandio penè diſruptam imputabit alvum. Alius tantum ceremoniarum acervum proferet, quantus vix ſeptem onerariis navibus vehi poſſit. Alius gloriabitur ſexaginta annos non attactam pecuniam, niſi digiti du-*

dupliti chirothecâ munitis alius cucullam ingeret adeo ſordidam , & craſſam , ut nullus nauta ſuo dignetur corpore. Commemorabit alius , ſe plusquam undecim luſtris ſpongiæ vitam egiſſe , ſemper eidem affixum loco. Alius raucam aſſiduo cantu vocem adducet , alius lethargum ſolitudine contractum. Alius linguam jugi ſilentio torpentem. &c. Hactenus Eraſmus Monachorum mores & varietatem ingenioſe adumbrans , & illorum ſtultam ſapientiam exprimens , quam votis ſuis monaſticis mundo exhibent. Communiter enim docent perfectionem homini Chriſtiano dare illa vota , eamque majorem , quàm quæ ex obſervatione præceptorum divinorum oriatur. Quò igitur aſtricta magis eſt regula , quam profitentur , eò perfectiores ſe fieri putant præſumtuoſi Monachi. Et hinc igitur non obſtare votum certæ primitus religioni addictum , ſi perfectior fieri poſſit , per aliud poſterius. Sed enim blaſphemia eſt & injuria in perfectiſſimum Chriſti meritum , & ſatisfactionem , ſtatuere opera noſtra etiam divinitus præcepta , nedum ea , quæ omni mandato deſtituuntur, ut ſunt vota monaſtica, eſſe meritoria juſtificationis & vitæ æternæ , eſſe ſatisfactoria pro peccatis. Quin & ſaniores Pontificii meritum votorum monaſticorum negant , ut videre eſt apud *Georg. Caſſandrum in Conſult. a.* 25. ubi citat *Conradum Clingium in L. Commun. c.* 119. qui ſcribit: *Cavendum eſſe , ne ponatur juſtitia i. e ſalus in hujusmodi obſervationibus* , i. e. *ne quis putet , ſe promereri juſtitiam & remiſſionem peccacorum & gratiam hujusmodi ſervandis ritibus. Nam juſtificationem & gratiam impetrari per fidem in Chriſtum : Igitur monachum ſervatâ ſuâ regula , ſi ſentiat , ſe propterea juſtitiam coram Deo conſequi , errare, juxta illud Chriſti Matth. XV. fruſtra me colunt mandatis hominum.* Statuebant igitur Monachum diſtricti ordinis ad magis aſtrictum ſe poſſe conferre, ut mendicantes ad Carthuſianos , qui eſt maxmè omnium aſtrictus , de cujus origine & conditione vid. *Barboſa de Jur. Eccl. l.* 1. *c.* 41. *n.* 182. *Annæ. Robertus Rerum judicat. l.* 2. *c.* 2.

6. *Herodes* Herodes ille , cujus in hiſtoriâ Johannæa fit mentio , fratris ſui adhuc viventis uxorem rapuerat , & adulterium commiſerat , ideoque à Johanne maximo Zelota & vero altero Eliâ reprehenſus , uti præter ſcripturam ſacram Judæi & Arabes memorant , quanquam in prophetico & ſacerdotali ejus munere maximè halluçinentur ac inepte Johannem cum Eliâ primo confundant, ut ex Keſſæo. l. 1. de Orig. Mah. videre eſt. Sic enim ille : Mortuo Zachariæ ſucceſſit Jahja (Johannem ita appellant) filius &c. Alcoranus Surat: III. honorificam ejus facit mentionem , & vocat prophetam. Judæi appellant ſacerdotem magnum , ut apparet ex R. David Gans in Gemach David. p. 1. f. 36. quando ita infit. Herodes accepit conjugem Fratris ſui Philippi , dum adhuc ille viveret , in uxorem , & Johannem ſacerdotem *Maximum , eò quod ipſum redarguiſſet , occidit gladio , cum multis alüs ſapientibus Iſrael , regnante Achabo & Azbile* (Jeſabel. hic confuſio Eliæ primi & ſecundi) *cujus manus non tantùm ſanguine Prophetarum & juſtorum madebat , ſed & Veneris mancipium erat. Septem illa habebat viros , quos Rex omnes oppugnabat ; Ipſa verò ſpecioſa admodum abſentis aut bello occupati Regis vices ſuſcipiebat , in bellum nonnunquam prodibat, & in omnibus fere negotiis Principis alicujus perſonam agebat. Jahja interim graviter eam reprehendit , exprobatâ ipſi Tyrannicâ Prophetarum, maritorum & juſtorum lanienâ. Illa verò irâ excandeſcens in carcerem illum compingit.* Eandem confuſionem etiam Arabes tenent , inter quos Keſſæus l. 1. de Orig. Muh cum ait : *Quodam die vero præſentes ſe ſiſtebant captivi , quos inter vidit adoleſcentem formoſum ex filiis Regis , quem herus ejus obſidis loco habebat. Illa vero accenſa in eum amore , in mandatis dedit* δεσμοφύλακι *ut honorem ei deferret , ſumtus ſuppeditaret , & habitaculum amplum aſſignaret. Ipſe quoque noctu ad eam ingreſſus , cum eadem pernoctavit , manè vero in carcerem rediit. Quo cognito Jahja hortatus eſt juvenem , eumque* officii *monuit. Ille vero cum hoc ei dixiſſet , ſtatim detulit famam ejus Abzili* (Jeſabeli) *quæ commota cogitare cæpit , Jahjam occidere : Metuit enim , ne ſecretum ejus prodiret. Cumque maritus ejus ex itinere rediret , equum conſcendit , ſecumque fi-*

filiam, quæ natu maxima inter liberos ejus, (Hekabi) *erat, aſſumſit, quam Pater ejus, Rex, impendio diligebat.* Ipſa autem ſagax *cum eſſet, ad Patrem in itinere faciem non convertit, quam ei Rex Abat dixiſset*: o Filia merita es hodie donum à patre tuo, quod egreſſa in occurſum adventum ejus honoraſti. Pete igitur à me, quicquid volueris, Neque enim quicquam à me petes, quod non ſim tibi indulturus. *Dixit*: o Parens, nullius rei ſunt indiga. Optem autem te mihi concedere captivos. *Poſteaquam autem in hos illi poteſtatem dediſſet, egreſſi illi ſe ſtiterunt præſentes. Cum vero Jahja* (Johannes) *tranſiret, eum Azbil in amplo cratere mactare* (ſacrificare) *juſſit. mactarunt autem eum, ſicut ovis mactatur.* Addit poſtea, filiam caput Johannis ſanguinem ſemper ſtillans in paterâ patri obtuliſſe, eique dixiſſe. *Donum ſe vel hoſtiam ei offerre, qualis hactenus Regi nulli obtigerit.* Cum rogaſſet quid igitur haberet? Reſpondit: *Hic Jahja eſt, filius Zachariæ.* Tunc Rex: *perdidiſti patrem tuum, matrem tuam, & populum tuum.* Neque ceſſarunt zelotypiâ certare, & *divinitus de die in diem debilitari, uſque dum Deus eos perdidit, adverſariumque ſuper eos dominari fecit, qui mactavit eam* (filiam) *patrem, matrem, & omnes eos qui morte Jahjæ ſunt delectati.* Tandem concludit Johannis ſanguinem à Rege ſepultum ita obtuliſſe, ut ædes Regiæ & vicina loca eo redundarent. Sed ecce ἐκδικῶν Θεοῦ ὅμως *Dominari fecit Deus ſuper eos hoſtem, vindicem ſanguinis Jahjæ, ſuper quo pax, qui non deſtitit eos oppugnare, neque Sanguis ebullire, uſque dum cecidit hominum* 70000. *Tunc ceſſavit ſanguinis ebullitio, & ipſi gladium ab iis continuerunt.* Sanguinis vindicem, aliàs Nebucadnezarem nobis præbet *Ahmeth Ibn. Edris,* ubi cauſam ſupplicii ſeu Martyrii Johannæi ita aperit: *Jahja filius Zachariæ, ſuper quibus pax, improbavit in rege filiorum Iſraël ſui temporis conjugium filiæ uxoris ſuæ, & amputavit cervicem ejus. Sanguinem vero ejus obſervavit, quotiescunque fluxit,* (apparuit enim ſanguis omnibus diebus, uſque dum venit Bachtnezar) *dixitque: quis hîc ſanguis? Reſponſum eſt ei; Intumeſcit, quotiescunque fluit. Dixit Bachtnezar: Aib ubique vindictam de me ſumite. Et occiſi ſunt per illum* 70000. *Atque ſic ſanguis quievit.* Hæ ſunt diſſolutæ fabularum Muhammedicarum ſcopæ, ex quibus prolixè allatis Lector conjecturam capere poteſt, quomodo Mahometh ejusque aſſeclæ V. & N. T. commiſcuerint & ex mendaci ſuo cerebro non pauca aſſuerint.

THESIS XI.

INter vicinos Judæis populos non minor Polygamiæ fuit uſus, uti de *Syris* hiſtoria Labanis de *Edomæis* & *Cananæis* hiſtoria Eſaui teſtatur, nec obſcure probat hiſtoria Abrahami & Salomonis, *Ægyptiis* etiam uſitatam Polygamiam, quod & *Diod. Sic. l.* 1. *c.* 6. confirmat dicens quod Ægyptii Sacerdotes duntaxat unicam, reliqui verò pro lubitu & facultatibus ad populi multitudinem excitandam & potentiam acquirendam uxores duxerint plures, adeò ut nullus ne quidem ex ſerva natus habitus fuerit pro ſpurio, propterea quod pater generis autor, mater verò nutrimentum & locum infanti tantum conferat. *Aſſyrios* & *Babylonios* multas etiam admiſiſſe uxores hiſtoria *Ahaſveri* & *Belſazaris* in libro Eſtheræ & Danielis deſcripta clare ſatis demonſtrat, ſicut & pro-

proprium Regum Medorum fuiſſe, mox verò ad privatos etiam relatum, ut minus 7. habere non liceret, *Sabell. l.* 2. *c* 2. docet, qui etiam *l.* 6. *c.* 6. de *Parthis* refert, quod ad placitum plures duxerint, nullum verò crimen gravius adulterio cenſuerint & ideo fœminis virorum conſpectum interdixerint. Similiter *Perſæ* plures uxores, ut & pellices non pauciores quærendorum liberorum cauſa habebant, quando quidem Reges in πολυτέκνυς magna beneficia contulerint, uti refert *Coel. Rodig. Antiq. l.* 18. *c.* 18. & *Strab. l.* 15. ſicut & *Herod. l.* 2. narrat, quod Reges Perſarum plures habeant quæ per vices in orbem noctes ſortiantur Regias. conſ. & Cic. V. in Verr. De *Dario* conſtat, quod Rex factus duas Cyri filias *Atoſſam*, quæ Cambyſi fratri & rurſus Smerdi mago nupſerat, & *Artiſſanam* virginem, præterea alteram Smerdis filiam, nomine *Permin*, & filiam Othonis *Phædinam* duxerit *Herod. l.* 3. *Dicæarchus* narrat *l.* 3. *vit. Græc.* quod *Darius* debellatus ab Alexandro 350 pellices in bellis omnibus circumduxerit.

Inter vicinos Judæis populos Polygamiæ uſus Quod ſupra de Sabæis adduximus, quòd Polygamiam ob multiplicationem ſobolis admiſerint. Sabæi verò ſub ſe comprehendebant Nabathæos, Charanæos, Chaldæos, Aſſyrios, Syros, Ægyptios & ferè omnis Orientis populos uti Maimonides l. 3. c. 29. dicit *hanc gentem totum terrarum orbem implevißе,* & in Comment. in Av. Zar. c. 4.9.7. & More Nevoch. l. 3. c. 29. ait: *Certum eſt, Abrahamum Patrem noſtrum, ſuper quo ſit pax, educatum eſſe in religione Sabæorum, eorumque ſacris.* Unde & inter ipſos Sabæos ſeu Charanæos aut Haranæos. Gen. XI. 32. Chaldaicâ idololatriâ relictâ, ad tempus commoratus in Haran, & in Meſopotamiâ, ubi etiam Sæbæi erant, qui *religionem Sethi, Edris* (ſive Enochi) *& Noachi ſequebantur* ut Keſſus l. 1. de Orig. Muham. aſſerit, ubi etiam ſcribit, quod *non ceſſarint libros Sethi & Edris hæreditario jure poſſidere inter ſe invicem. ad Noachi uſque & Abrahami tempora, poſtquam Deus excelſus eum contra Nimrodum, ſuper quo ſit maledictio, juvit. Die autem, qua egreſſus eſt Abraham ex regione Irack, & proficiſci voluit in Syriam, in terram patrum ſuorum, abiit in terram Charan ab Gezira, ibique populum de Sabæis invenit, qui libros vetuſtos legebant, iisque quæ ibi continebantur fidem adhibebant, Dixit autem Abraham: Deus mi, non putabam quemquam eſſe, extra me & reliquos, qui mecum ſunt, fideles, qui unum te eſſe crederent. Et inſpiravit Deus Abrahamo; O Abraham, nunquam terra vacua eſt, quin aliqui in ea ſubſiſtentes pro Deo diſputent,* &c. Addit porrò Keſſus: *Poſteà aperuit Abrahamus ciſtam Adami, & ecce in ea libri Adami, codex item Sethi & Edris, nomina etiam omnium prophetarum poſt Abrahamum mittendorum. Dixit autem Abraham:* utique felices ſunt lumbi, è quibus egredientur iſti omnes. *Et inſpiravit Deus illi:* Tu ò Abraham, omnium eorum pater es, illi verò liberi tui. *Atque ob hanc cauſam Abraham* pater prophetarum *appellari meruit.* Vid. Keſſæus ubi multas tricas habet de Abrahami miſſione & Apoſtolatu ad Sabæos. Habebant enim Sabæi multas ſuperſtitiones admixtas & conſuetudines aliàs inconſuetas. è quibus maximè notabile, quòd *Camelam cum decem fæmellas peperiſſet, nec vehendo adhibere, nec ejus lanâ vel lacte uti liceret, Cum autem moreretur, ejus caro edebatur.* Aut ut Celeberrimus Arabum Lexicographus Ferræus exponit: *Camelus, qui diu apud Arabes vixerat, de cujus paſtura ſi fœtus fœtum edidißet, illa immunis habebatur à vectura, tonſura, neque prohibebatur paſtu.* vel ut Kamus ait: *Camelum eſſe,*

qui poſt decimam fæturam ab omni labore eximebatur, nec aqua prohibebatur, nec paſtu. Ejusmodi emancipationem etiam ferè circa ovem obſervabant. *Illa* enim, *poſtquam ſepties peperiſſet gemellas, octavus tandem fætus, ſi mas fuit, Diis mactabatur, ſi vero mas fuit & fæmella, intermittebant, atque ſic mari etiam propter fæmellam parcebant, lacte vero ejus ſoli fruebantur viri, fæminæ non item.* Uti Gieukari explicat. Kamus vero ſcribit: *ovis ſi marem primo peperit, deinde fæmellam, dicebant; reſervetur, neque enim maſculus propter gemellam mactabatur, Quod ſi vero eddiſſet maſculum, eum diis ſuis immolabant, dicentes:* Hoc ſacrificium ſit Deabus noſtris, Giggæus in Theſauro ſcribit: *Si ovis maſculum & fæmellam edidiſſet, antiquos hanc formulam* Vozalath Uſcha achaka *uſurpaſse nec marem mactaſſe,* unde dicit: *ſi ovis pareret fæmellam aſſervabatur, ſi marem, mactabatur idolis.* Et præterea addit: *ovis poſt editum decimum fætum libera admittitur in paſcuis, ejusque caro interdicitur.* Contra has & ſimiles ſuperſtitiones dicunt Sabæi Abrahamum fervidè diſputaſſe, id quod reperies commemoratum in libris eorum, & relatum in Annalibus eorum de Abrahamo, exprimuntque illud in hunc modum: *Abrahamus qui educatus fuit Cutha, cum diſſentiret à vulgo, diceretque alium eſſe creatorem, præter ſolem contra ipſum ſic & ſic diſputavit: Inter cæteras autem objectiones eorum referuntur operationes ſolis manifeſtæ in mundo. Dixit autem ille, Abraham nempe, iis. Verum dicitis. Eſt enim is (ſol,) ſicut ſecuris in manu arcularii. Poſtea etiam meminerunt quarundam objectionum Abrahami, ſuper quo pax, contra eos. Poſt hanc autem narrationem ſcribunt, Regem Abrahamum, patrem noſtrum, ſuper quo ſit pax, in carcerem compegiſſe, in quo ille diu in oppoſitionibus ſuis contra eos perſtiterit. Tandem timuiſſe Regem, ne forte imperio ſuo aliquid mali obtingeret, hominesque à religione abduceret, ipſum in Fines Syriæ confiſcatis bonis ejus, relegavit.* Hæc & *alia* ex libro quodam Sabæorum de cultu Maimon l. 3. c. 29. More Nevochim deprompſit diſputationes Abrahami contra Idololatriam proponens. Id obiter noto quod de Sabæorum Rege narrat Agatharchides apud Photium, illum fuiſſe *ἀνυπεύθυνον* ſummâ libertate præditum atque poteſtate, ſed ſi Regiâ exiret, potuiſſe lapidari, quod & Artemidoro autore Strabo annotavit. l. 16. Plura verò de his & aliis Orientalium ſuperſtitionibus, rebus, moribus & diſciplinâ ſciremus, ſi illa quam plurima adhuc extarent volumina, quæ multis abhinc ſeculis prorſus, ſi fragmenta paucula apud ſcriptores, eosque plerunque Europæos ſervata excipias, periere. Id ſatis inde cognoſcimus, quod de rebus Arabicis, Syriacis, Phœniciis, Chaldaicis, Babylonicis, Perſicis, Indicis, Ægyptiacis, & id genus illius plagæ aliis, autorum nullibi, quantum ſcimus, nunc repertorum nominum ſeges ampla occurrat apud ſcriptores Græcos *Athenæum, Strabonem, Plutarchum, Lærtium, Stephanum de Urbibus,* veterum Poëtarum Scholiaſtas & alios. Eorum etiam, qui res ipſas Hebraicas datâ operâ codicibus integris Græcè antiquitus contexuêre, complurium, velut *Eupolemi, Artapani, Alexandri Cornelii Polyhiſtoris, Hecatæi, Abderitæ, Demetrii, Ariſtobuli, Juſti, Tiberienſis,* & aliorum ejusmodi opera ante plurima ſecula delevit temporis injuria, & nullum nobis reliquit quàm Flavium Joſephum & Philonem.

THESIS

Theſis XII.

P*Hilippus* Macedo præter *Audatam* Illyricam, ex quâ Cynam filiam ſuſcepit, duxit etiam *Philam*, & cum Theſſalos ſibi conciliare vellet ex duabus Theſſalonicenſibus mulieribus *Niceſipoli Pheræa* & *Philinnâ Lariſſæâ* Theſſalonicam & Aridæum nactus eſt. Sicuti & Moloſſorum Imperium adeptus eſt, cum *Olympiadem* in matrimonium cepiſſet, ex quâ Alexandrum habuit & Cleopatram. Cum Thracem etiam duxiſſet, Thraciæ Rex ad eam filiam ſuam *Medam* adduxit & dona quamplura Olympiadi (*ceu primariæ uxori*) attulit. Supra omnes ferè *Cleopatram* Hippoſtrati ſororem Attali neptem ad Olympiadem (ceu gubernatricem reliquarum ſecundarum uxorum) deduxit & per totum vitæ ſuæ ſpacium retinuit. Unde aliquando Attalus dixit: *ex iſtis nuptiis & legitimi & nothi Reges naſcentur*, quod audiens Alexander Attalum calice percuſſit & poculum, quod in manibus habebat Attalus, iterum ſenſit. uti *Athen.* refert *l.* 13. *Dipnoſ. c.* 2. cumque Philippus audiret, multos ſuccenſere ſibi, quod ſobolem ex multis quæreret, dixit ad Alexandrum. *Cum multos de regno habeas æmulos, bonum te & fortem præſta, ne mei cauſa ſed tua ipſius regnum conſequaris*, ut *Plut. in Apopth.* memorat. Nec minus in vicinis Græcorum provinciis Polygamia vigebat. *Ægæus* Athenienſium Rex Opletis filiam & unam filiarum Chalcedontis duxit. & cum multis præthereà in matrimonio conjungebatur. Pithæi poſteà Æthram aſſumſit, poſt hanc etiam Medeam. *Theſeus* Ægæi filius rapuit Helenam, mox Ariadnam. uti *Iſter Rer. Att. l.* 14. uxores Theſei numerat, & alias earum, inquit, ex amore illi adhæſiſſe, alias ex furto, alias ex legitimis nuptiis. Ex rapinâ Helenam, Ariadnam, Hypolitam Cercionis Cinidisque filias, legitimè verò Ajacis matrem Melibæam. Heſiodus addit Hippen & Æglam, Pherecides Pherebæam etiam adſcribit. Ante Helenam Anaxo rapuit ex Trojâ. Poſt Hippolytam habuit & Phædram. *Athen. l.* 13. *c.* 2. Et hanc Polygamiam etiam plebejis conceſſam memorat *Suidas v.* λειπανδρεῖ. dum ait, quod populo ob paucitatem civium permiſſum unam civem, & cæteras peregrinas in uxores admittere. Ipſe *Socrates*, Sapientiſſimus Græcorum, duas uxores, Xantippen, moroſam illam & rixoſam, & Myrtonem Ariſtidis, non juſti quidem illius, ſed tertii ab illo neptem in unâ domo, ut *Laert.* & *Athen.* in vitâ ipſius teſtantur, quod quidem alias Lycurgi lege, *quæ binas uxores unas ædes incolere, atque in eadem domo habitare non permiſit*, ceu *Alex. ab Alex. Gen. Dier. l.* 1. *c.* 24. teſtatur, habuit. Unde Alcibiadi admiranti quod

binas mulieres invicem altercantes in ſuis ædibus aleret reſpondit: *hæ me domi docent tolerantiam, qua in publico utendum.* Uti refert *Athen. l.* 13. *c.* 1. *Euripides* etiam Poeta famoſiſſimus duas uxores Cherinam Mneſilochi filiam & Melito ſibi appropriavit, uti *Athen. Laert. Gell. l.* 15. *c.* 20. & *Gyrald. Hiſt. Poet.* perhibent. Et ſicuti Græcarum cultiſſima Reſpublica Athenienſis Academia celeberrima inſignis non abhorruit à Polygamia, ita non potuerunt non reliquæ in eandem deſcendere ſententiam, & quanquam Spartanorum Legiſlator *Lycurgus*, uti ſupra dictum, ſapientiſſimè caverit, ne duæ uxores unas ædes ad contentiones & rixas inevitabiles fugiendas, incolerent, Polygamiæ tamen nuntium remittere religioni ſibi duxerunt. *Ariſton* Rex Spartanorum in exemplum ſuorum ſubditorum tres habuit uxores, ut *Herodotus lib.* 6. teſtatur. *Anaxandrides* itidem Spartanorum Rex pariter habuit duas, primò ſororis filiam, quæ cùm ſterilis eſſet, ne genus Euriſthæi periret, Ephororum impulſu Perinetaden Demarneni filiam, ex qua Cleomenem ſucceſſorem ſuſcepit, adjunxit. ceu *Herod.* retulit *lib.* 5. Ita *Jaſon* Medeæ ſeneſcenti ſuperinduxit Glaucam Corinthiam. *Diod. Sic. l.* 4. *c.* 3. Nec hic prætereundus eſt famoſiſſimus in Græcis autoribus *Hercules*, qui duxerat *Meliten* Ægæi Fluvii filiam, ex qua Hillum ſuſcepit, deinde ob *Jolen* ſibi promiſſam, ſed poſt denegatam, ut ait Menecrates, totam Oechaliam, Eurytho patre in Eubæam fugiente debellavit. Placuit ipſi & *Euge*, quam Alæus pater cum filio Telepho in urna in mare merſit. ſed Palladis providentia ſervatam cum urna ad oſtia Cayci evadentem & à Teuthrante exceptam filio Hyllo dein conceſſit. Omphales etiam Lydorum Regis filiæ amore captus inter pediſſequas fœmineo habitu ſedentariam artem exercuit, uti Ovid. teſtatur Dejan. Poſtea *Dejaniram* Oenei Ætoliæ Regis Acheloo deſponſatam cum Acheloo colluctatus accepit, ut *Nat. Com. Myth.* 7. *c.* 7. tradit, multas præterea mulieres ſeorſim habere ſolebat, unde liberorum ipſi multitudo. 50. præterea filias Theſtii (qui dubio procul etiam Polygamus) vitiavit, ut ex Herodoto refert. *Athen. l.* 23. *c.* 2. *Plutarch. Dion* & *Ælian var.* 13. narrat de *Dyonyſio* ſeniore Syracuſanorum Tyranno quod præter Hermocratis Syracuſani filiam ob contumelias in Tyrannum à populo conjectas ſibi ipſi manus injicientem duas inſuper ex Locris Doriden & indigenam Ariſtomachen Hypporini Syracuſani principis, qui primum Dionyſii exercitum gubernantis collega fuit, filiam & ambas quidem uno die (*exemplum forte ſine exemplo*) deſponſarit, ita ut nec ſciri potuerit, cum quâ prius concubuerit, ſiquidem utrique parem benevolentiam & honorem exhibuit, & licet plebs Syracuſana uxorem civem præferri mallet, peregrina tamen maximum ſtirpis Filium Dionyſium juniorem enixa eſt. Sic

Deme-

Demetrius Antigoni præter Euridicen viduam veteris Miltiadis proneptem inter multas alias Philam Antipatri Macedonis filiam & Cateri, inſignis illius Alexandri amici viduam in maximo honore habuit, & deinde Lamiam ſuſceptâ in Peloponneſum expeditione, Deidamam & Pyrrhi Epyrotharum Regis ſororem & Ptolemaiden Philæ ſororem duxit, ut *Plut. in Demetr.* Nec minus *Pyrrhus* negotiorum & potentiæ cauſa ab Antigones Philippi & Berenices filiæ morte plures ſibi aſciſcebat uxores, Autoleontis Regis Pœonum filiam, prætereà Bircenam Bardillis Illyrici & Lanaſſam Agathoclis Syracuſarum filias ſibi conciliavit *Plut. in Pyrrh.*

1. *Alexander* Quod hic Monarcha etiam plures habuerit uxores, ex Curtio aliiſque conſtat. Nemo verò nobis vitio vertet, quod Magnates Reges, Principes plerunque adducamus, ſiquidem hiſtorici potiſſimum rationem habent Regum, non ruſticorum aut plebejorum, quia hi ad exemplum Principum ſe componunt; Alexander verò fuit *terror mundi* & *Maximus Monarcha*, cujus & ſcriptura ſacra in Daniele VIII. 5. meminit, cum eum hirco caprarum, animali ſcilicet cornuto comparet, unde *Sehiekard. in Toarich Perſ. p.* 73. eum δικέρατον ſeu cornutum dictum vult. *Giggæus* verò in *Theſ. Arab.* dicit, quod Arabes de ipſo fabulati, quòd duobus cornibus præditus, quòd duas coxas habuerit, quod ad vitam ſit revocatus. *Iacobus* vero *Chriſtmannus Not. ad Alphargamam. f.* 56. inde vocatum bicornem, quòd utrumque *cornu* mundi *Orientale* ſcil. *& occiduum* ſubegerit. *Conſtant. L'Empereur Not. in Jacek. Dan.* 8. 5. Nota ſatis eſt fabula, inquit, Alexandrum M. à Jove Ammonio genitum fuiſſe, qui ſub ſpecie ſerpentis rem habuerit cum Olympade. vid. *Plut. in vit. Alex. p.* 1248. Sed ut refert *Gell. Noct. Att. l.* 13. *c.* 4. feſtiviſſimè hoc riſit ipſa Olympias: Nam cum ille ad matrem ita ſcripſiſſet, *Rex Alex. Iovis Ammonis filius, Olympiadi matri ſalutem dicit*, Olympias & in hanc ſententiam reſcripſit, *Amabo*, inquit, *mi fili neque deferas me, neque criminere adverſus Junonem, malum mihi prorſum illa magnum dabit, cum tu me literis pellicem illi eſſe confiteris*: igitur etiam quemadmodum Hammon arietis ſpeciem ſupernè referebat, ſic Alexander voluit κεραῶν φόρος ἀναπλάττεσθαι πρὸς τῶν ἀγαλματοποιῶν, cornutus fingi à ſtatuariis, vid. *Clem. Alex. in προτρεπτικῷ.* Illuſtriſſimus *Scaliger lib. de Emend. temp.* ſcribit: *Notum eſt quomodo ille Rex credi voluerit Ammonis filius, poſtquam ille pedem extulit ex oraculo Ammonis. Ex eo tempore Cyrenæi, qui Jovem cornutum in Numiſmatis ſuis ſculpebant, cæperunt pro Jove Alexandrum cornutum ſculpere.* Elmacinus in hiſtoriâ ſuâ Arabicâ p. 146. dicit: *Alexander filius Philippi, Græcus Macedo, aliàs vocatur* Dulkarnain. *Cur vero* Dulcarnain *dicatur diſſentiunt homines. Alii volunt ſic nominari, quod in capite ſuo haberet tumorem eminentem, quem abdiderit ille & abſconderit ab hominibus. Alii vero ajunt, eum* Dulkarnain *nuncupari, quod, occuparit cornua ſolis ab oriente ejus ad occidentem. Beidavi* ad verba Alkorani Dilkarnain p. 512. *Intelligit Alexandrum Romanum Regem Perſarum & Romanorum, aut Orientis & Occidentis. Vocatur autem* bicornis, *vel quia circumivit cornua orbis, orientem & occidentem.* Aut *quia duo habuit cornua, i.e. duos cirros:* aut *quod corona ejus fuerit bicornis: Fieri etiam poteſt ut hoc habeat cognomen à fortitudine ſuâ.* Keſſæus in vitis Patrum p. 135. *Fuit ut ſecundum quietem ita appropinquaret ſoli ut arriperet cornu ejus ad Orientem & occidentem. Cumque hæc viſionem populo ſuo narraret, appellarunt eum Dulkarnain, propterea quod cornua ſolis manu apprehenderit verſus orientem & occidentem.* Tanta ſcil. eſt diverſitas interpretationum vocis Dulkarnain Alexandrini nominis, ut quo quis ſe vertat, ferè neſciat. *Vicinis Græcorum provinciis*

Ce-

Cecrops Athenienſium Rex ab Anti-Polygamo *Dormitantio* peſſimè (ut ſuprà etiam in Sabæorum hiſtoriâ fecit) ex *Seldeno J. N. & G. V.* 6. allegatur, quaſi minus æquus P.lygamiæ illam inter Athenienſes abrogaret. Quid igitur veri ſubſit ex ipſis verbis Jo. Antiocheni Malala dicti, nondum editi ſed in Bibliothecâ Oxonienſi reſervati, è Seldeno excerpti videbimus: Sic autem ſonant: *Edicto juſſit fœminas, quotquot virgines in illius regno eſſent, viro unico nubere. Atque has in legiſlatione Nymphas dixit, ideo quod fontibus virgines & puellæ ſunt ſimiles ut potè quæ pariunt, & ex occultis meatibus lac emittunt. Etenim ante ejus regnum fœminæ regionis Atticæ & Athenienſis & quæ in viciniâ erat, more ferino commiſcebantur, cuicunque pro lubitu vellent. Nec vocabatur fœmina ſic arrepta uxor alicujus. Sed promiſcuè omnibus in libidinem ſe dabant. Et quamdiu quis eas retinere vellet, domi manebant, ab eo alimenta accipientes. Et pro libitu ſic retentam dimittere ſolebat aliis, qui pariter pro libitu acciperent. Hoc autem in Atticâ regione vetitum eſt, ut in poſterum libido hæc promiſcua locum ibi non ſortiretur. Nemo enim ſcivit, quis filius? quæ filia? Et mater dare ſolebat prolem ſive maſculum ſive fœminam, cuicunque eorum, quibuſcum rem habuerat pro arbitratu ſuo. Qui libentiſſimè etiam ſic datam recepere. Cecrops autem ex Ægypto redux legem hanc promulgavit, dixitque Regionem Atticam ex more priſtino everſam. Deinde verò mores amplexæ pudicos maritis ſe junxere virgines innuptæ. Et quæ vitiata etiam fuiſſet, cuicunque vellet, nubebat. Adeo autem admirabantur Regiam hanc legem Athenienſes, ut inde ab eis Rex διφυής nuncuparetur,* (ut volunt aliqui) *quoniam ſic nobilitata eſt proles ex eo quod parentes dignoſceret.* Ita ſane & nominis ratio redditur apud Athen. l. 12. & alios. Ex quibus, ut ſupra adduximus ſatis apparet, Cecropem non polygamiam ſimultaneam virilem ſed muliebrem ſeu vagos, extravagantes fœminarum concubitus abrogaſſe, verumque conjugium & individuam vitæ ſocietatem inſtituiſſe, ut infantes, qui antea, ut Athenæus monet, μονοφυεῖς dicebantur; quòd tantum unam matrem agnoſcerent, poſteà ab infamiâ liberati διφυεῖς dicerentur quod patrem & ſimul matrem arriderent. Unde poſtmodum legem tulerunt Athenienſes (vid. Demoſt. or. 9. Petr. Fabr. leg Att. l. 6. tit. 1.) ne homines deficerent & ut multitudo creſceret, unam civem & legitimam ducendam, liberos verò ex aliâ etiam ſuſcipiendos.

3. *Hercules* Sugillant nonnulli Anti-Polygamiam Theophilum quod ex Herculis fabulis Polygamiam ſuam illuſtret. At verò ipſimet ex Euripidis Andromache, Terentii Comœdiis, aliiſque fabuloſis ſcriptis ſua dogmata probant, à quo longè abeſt ipſe Theophilus. Interim tamen negandum non eſt, in Poetarum fabulis multa latere moralia, & fictionem ceu ornamentum & delectamentum tantum accedere, quæ ipſa ſi reſecetur, ex ipſorum aureis ſententiis multa hauriri, addiſci & in communi vitæ uſu adhiberi poſſunt. Ita & in hoc exemplo monſtrare voluerunt, quid ferre recuſent, quid valeant humeri, & quod natura ſæpè extraordinario modo maximas corporis vires conceſſerit, quibus etſi homines ſubinde abutantur, & extra conjugium uſurpent, plebs tamen & vulgus non tàm in causâ eſſe videtur, quàm ipſe Magiſtratus, qui conjugium cum pluribus interdicit, adeò ut plebejus illud, quod malè forſitan & ſine ſolennibus mundanis inceptum, non poſſit, quanquam velit, (cum quod ipſi ſemel placuit amplius diſplicere non debeat,) in bonum finem dirigere, & mediante matrimonio ab omni vulgi infamiâ liberare. Sic in ſeptentrionali regno nonnemo unâ nocte decem fœminas imprægnaſſe dicitur, qui loco mercedis relegationem meruit, quæ ſi in Polygamiam, veluti pœnam quaſi propter mulierum malitiam ſatis rigoroſam, mulctata fuiſſet, & ille & ipſæ in honore & ſtatu Deo gratiſſimo manſiſſent, liberi etiam nulli detractioni ex inde orto infortunio obnoxii fuiſſent.

4. *Exemplum ſine exemplo* ſimile hactenus non legere & reperire potui. (Aliud enim eſt cum Danaus Argivorum Rex 48. filias uno die diverſis curſu certantibus elocarit, ut ex Pindaro 9. Pyth. conſtat.) Judæi quidem ſimul bina ſponſalia eodem momento inire poterant, ut Selden. Ux Hebr. p. 151. docet,

cet, quòd ſponſus præſente & aſſenſum matrimonii præbente primâ ſponsâ, etiam alteri poſſet offerre libellum contractus matrimonialis, binas tamen nuptias celebrare non licebat eodem die, ut Seldenus iterum monet l. 2. c. 11. p. 172. *Dies enim minimùm ſeptem à deductione ſponſo erat celebrandum latè lauteque epulum, ubi virgo erat ſponſa* (exemplo vetuſtiſſimo ſumto tùm ex Jacobi & Rahelis nuptiis Pirke *Rabbi Eliezer* c. 16. tum & Samſonis de quo Selden. de Jur. N. & G. c. 5.) *per triduum minimum, ubi vidua ſeu vitiata ducebatur.* Cui verò *plures* ſponſæ ſimul deducendæ, is *ſingulis uxoribus ſingulas epulas per totidem dies* celebrabat, idque lætiſſimè, perquam pollucibiliter, & tùm ab omni labore vacans, tùm ab omnimodo ſolennis lætitiæ genere alio, quod fortè genio tunc placere poſſet, *quoniam*, uti rationem adjiciunt, *non commiſcenda eſt lætitia* (Epulum illud ſolenne conjugale vocabatur *lætitia nuptialis*, ut in Pirke videri poteſt) *cum lætitiâ.* Alia ſcilicet cum aliâ non commiſcenda, nec binæ confundendæ. Epularis ejuſmodi lætitiæ manifeſta in Joh. 2. 9. extant veſtigia, ubi & architriclini fit mentio. Quâ de re Gaudentius Epiſcopus Brixianus, qui vixit A-C.400. in tr.9. *Nuptiæ apud Judæos cum fierent, unus* (quantum ex traditione comperimus) *dabatur ex ordine ſacerdotali, qui morem diſciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis, ſimul & conviviorum apparatum, miniſtros atque ordinem diſpenſaret, & hoc pro officio architriclinus i. e. triclinii præfectus diceretur.* Quia itaque lætitiam cum lætitiâ commiſceri nolebant, diebus illis intermediis Paſchatis & Scenopegiæ, tametſi velut profani, non ſacri haberentur, nulla deductio fiebat *Gemar. Hieroſ. ad tit. Moed Katon. c. 1. fol. 8. hal. 7. & Miſna tit. Moed Katon c. 1. Deducendæ*, inquit, *non ſunt uxores in diebus illis intermediis, nec virgines, nec viduæ, nec Fratriæ, eò quod lætitia ſolennis etiam ab initio illius feſti uſque ad finem celebratur.* conf. Deut. 16. 13. 14. 15. Virgines autem deductioni feria quarta ſeu Mercurii ante alias ſub templo ſecundo præſtituta eſt, propter ſeſſiones forenſes, quæ die lunæ & die jovis neceſſario (cum antea ex Eſræ Reip. Judaicæ inſtauratoris die pro feſto quolibet indiſcriminatim habebantur) erant inſtituendæ, ut ſponſus ubi primis amplexibus de virginitate dubitabat, pro ſuo arbitratu poſtridieſtatim ne ſi ultra quintum diem comperendinaretur, odium ingraveſceret inter novos conjuges, *de prærepta virginitate* in foro agere poſſet. Vidua verò vel vitiata die Jovis deducebatur, ut ſponſus aſſuetos ſibi labores tribus diebus epularibus omiſſos feriâ primâ ſeu ipſo hebdomadis initio redintegraret. ubi in *Gemar. Babyl. ad tit. Kethuboth c. 1. f. 9.* verba habent: *ut lautè lateque cum eâ ſponſus epulum celebret feriâ quinta pridie ſabbathi ſeu paraſceve, ipſoque Sabbatho aſſuetos ad labores revertatur feria prima.* Atque ita intelligendum eſt etiam illud *Miſnæ* tit. Kethuboth. c. 1. *Virgo deducitur feria quarta & vidua quinta. Nam bis in hebdomade ſeſſiones habentur forenſes in urbibus oppidisque* (*ſcil* ut plurimum) *feria ſecunda & feria quinta adeo ut ſiquid habeat ſponſus, quod in ſponſæ virginitatem objiciat, Forum ſtatim liceat ei adire.* Ita Romæ in feſtis publicis virgines nubere non erat fas, quod tamen viduis licebat, & rationes addunt, quia virgines ob perdendam virginitatem contriſtabantur, quod feſtis non congruebat, & harum nuptiæ magno numero convivarum, magno ſtrepitu & multis ceremonis peragerentur. Plutarch. QQ. Rom. Huc etiam referri poſſet, quod in Eccleſiis Euangelicis nonnullis nuptiales ſolennitatis die ſolis ſint prohibitæ, licet alio fine, nempe ne ſacra omittantur, & multi convivæ, aut nuptiarum curatores & miniſtri à ſacris detineantur: de quo vid. *Caſp. Fabr.* Diabolus Sabbathicus in theatr Diabol. 2. *fol.* 306. 307. *Menger.* 488. *Scrut. Conſc.* c. 7. q. 69. p. 409. 420. 488.

THESIS XIII.

Apud *Romanos* diu ignorata aut potius non uſurpata fuit Polygamia, non quod natura ipſorum (quod planè eſſet contra naturam) abhorreret, ſed quod in defectu nationis muliebris illà frui non poſſent. Roma enim cum in principio nil aliud eſſet, quàm Aſylum omnium nebulonum & colluvies hominum immorigerorum & peſſimorum, uxores vel deſerentium vel nunquam hactenus habentium factum eſt ut tanta penuria fuerit fœminarum, ut excogitato inopinato ſtratagemate Sabinorum puellas allexerint & raptu inaudito quilibet unam, neceſſitate, quæ non habet legem, ita compellente, ſibi vindicarit, & ut parentibus ſatisfacerent, magnos honores & privilegia fœminis contulerint. Quæ res tàm profundas in animis Romanorum egit radices, ut locus ferè nullus Polygamiæ, ceu ex hiſtoria *Papyrii prætextati* notisſimâ apparet fuerit relictus, ut potius fœminas ad ſummum faſtigium extulerit, & multis beneficiis mediantibus Imperatoribus uxoriis, præſertim Juſtiniano in præjudicium virorum affecerit.

Quod cum innumera damna Reipublicæ non tantum, ſed & Chriſtianitati, attulerit, Pontifices Romani remedium adhibituri conjugium εἰς τὸ νόθιο delapſi de throno deturbare, cœlibatui poſtponere & ipſis Sacerdotibus interdicere voluerunt. Sed multò rectius Pontifex Maximus & Imperator Primus *Iulius Cæſar* hoc intellexit, dum ſuperbia mulierum probè perſpectâ legem ut Suet, in vit. refert, tulit, ut *liberorum quærendorum cauſa quot vellet quiſque uxores ducere, facultas foret.* Primus ergò Romanorum *Antonius* duas uxores eodem tempore habuit Octaviam & Cleopatram Reginam Ægypti, quam poſteriorem cum *libidinis* tantum *cauſa, non liberorum quærendorum*, duxiſſet, contra leges patrias duxiſſe dictus eſt, uti hoc memoriæ prodidit Plut. in vit. Quamquam verò plures legitimas uxores ducendi conſuetudo tùm demum cœperit, concubiniam tamen legitimæ ſuperinducere Romæ jamdum licebat, ut pluribus contra multorum opinionem probat *Hotomannus* & *Cicero* ipſe hoc docere videtur *de Orat.* ubi Craſſus de eo loquens, qui duas habebat eodem tempore uxores, *Romæ unam, in Hiſpania alteram; poſteriorem ait ſaltem in concubinæ locum habendam fuiſſe, ſi judicaretur divortium cum priore factum non eſſe novis nuptiis, ſed faciendum fuiſſe verbis ſolemnibus & certa formula.* Hic verò ante omnia ſciri debet concubinatum jure Romano & poſtea civili non eſſe ſpeciem matrimonii, nec concubinas haberi pro veris uxoribus, quia nec individuam vitæ ſocietatem, nec in familiam

liam mariti nec in bonorum participationem aſciſcebantur. Apud Hebræos verò, uti ſupra diximus verum erat matrimonium, etſi in foro & ratione civili concubinæ propter ſervilem conditionem uxorum naturam etiam exuere quodammodo viderentur, ceu hoc pluribus deducit *Petr. Mart. in Loc. Comm.* Primi verò Imperatoris veſtigiis inſtitit ſubſequente tempore *Valentinianus*, qui legem primævam Julii quaſi obliteratam in lucem produxit & in omnibus civitatibus publicare juſſit, quod liceat δύο νομίμως ἔχειν γυναῖκας & proprio exemplo *Severam & Juſtinam* ducendo obſignavit. Et quamquam *Ammianus*, *Zoſimus*, *Oroſius* hac de re ſileant, & neque bigamias neque legis meminerint. *Zonaras* etiam tantum facti mentionem fecerit, de lege verò tacuerit, ac proinde Cardinalis *Baronius Hiſt. Eccl. IV. ad a.* 170. §. 125. totam rem pro fabulâ habeat, nobis tamen ſufficit quod *Socrates Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 26. & *Paulus Diaconus lib.* XI. c. 2. Niceph. H. E. l. 11. c. 33. hoc nobis reliquerint. Quia enim rerum ſcriptores nec poſſunt, nec ſæpè etiam volunt omnia literis conſignare, parum ſapere mihi videntur, qui in hiſtoricis ab omiſſione hiſtoriæ ad negationem facti deſcendere nituntur.

Apud Romanos. Romulus Fundator Reip. Romanæ maximè eò laboravit ut tranquillus & pacatus eſſet Reip. ſtatus, & cum ſtatus Oeconomicus, ceu parva Reſp. ſit fundamentum magnæ, ſapientiſſimas leges tulit, quibus primariam partem Oeconomiæ, fœminam nempe, ita marito ſuo ſubjiceret, ut non poſſet non inde beatitudo domeſtica ſperari. Prudentiſſimus enim Legislator benè proſpiciebat, quanta damna in Rempubl. redundarent, ſi uxor caput ſuum ſuper maritum, caput ſuum, extolleret, & denegata ſuâ reverentiâ erga maritum debitâ, & moroſis moribus imperium vel clam vel vi, vel precariò affectaret, maritumque eò adigeret, ut imperii muliebris impatiens & domeſticorum malorum pertæſus extra domum libentius cum maximo rei familiaris detrimento vagaretur, & ſua in aliis ædibus conſumeret, aut etiam vitæ ſatur publicas turbas moveret. Idcircò ſapientiſſimas leges, quæ huic malo remedium afferre queant, ſanxit, inter quas præcipuæ ferè, quas Plut. in Romulo recenſet, & Baldw. in Leg. R. explicavit: uxori nempe à viro divertere non licere, maritum verò abjicere, & relinquere illam poſſe, quæ vel adultera, vel venefica, vel partum vel claves ſuppoſuiſſet, L. XV. Adulterii convictam vir & cognati uti volent, necanto, XVI. Si vinum biberit, ut adulteram necanto. Quæ ipſa uxoribus tantum terrorem incuſſerunt, ut maritis ſuis ad nutum morem gerentes, nullam anſam malevolentiæ aut repudii in principio Reip. dederint, adeo ut *Tertull. l. de Monog.* autor ſit, non obſtante permiſſione repudii in Legibus Romuli & 12. tabb. conſtitutâ, eo uſque tamen valuiſſe pudorem & honeſtatem in illo populo, ut penè per ſexcentos annos ab urbe conditâ nulla domus Romæ divortium ſenſerit, quod & probat *Cujacius l.* 1. *obſerv.* 39. Confer. & *Gell. Noct. Att. l.* 4. *c.* 3. & *l.* 17. *c.* 21. *Dion. Halicarn. l.* 2. *Valer. Max. Exempl. mem. l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. *Plutarchus in Rom. in Compar.* Lycurg. & Numæ tradit primum à Sp. Carvilio uxori nuncium miſſum fuiſſe. Poſtea verò Romuli lege ſenſim antiquatâ conſuetudo introducta eſt ut etiam penes uxores divertendi jus eſſet, Connanus d. l. 8. c. 12. non quidem ut Barboſa putat, vi 12. tabb. *Secund. part. rubr. n.* 3. *ad tit. D. ſolut. matr.* Etenim quæ ex lege duodecim tabularum di-

L 2 vor-

vortii jus ſpectantia Alexander ab Alex. refert, de marito divertente duntaxat loquuntur. Et apud Plautum qui 145. Olymp. 1. e. A. U. C. 553. mortuus eſt, ita de hujus Romuli & 12 tabb. legis iniquâ inæqualitate feſtivè conqueritur Syra anus: Mero. a. 4. ſc. 6.

Ecaſtor lege dura vivant mulieres
Multòque iniquiore miſeræ, quàm viri:
Nam ſi vir ſcortum duxit domum.
Id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro.
Uxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foràs.
Viro fit cauſa: exigitur matrimonio.
Utinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt, viro.

Erat verò ex lege Romuli inſolentis divortii pœna, quòd cogebatur maritus Diis manibus rem ſacram facere, ejus bona partim uxori cedebant, partim Cereri ſacra erant. *Plut. in Rom.* Alex. ab Alex. d. l. & ibi *Tiraqu. in not.* Ex lege 12 tabb. dos integra uxori reſtituebatur, at ſi culpa ejus intereſſet, uſque ad dimidium dotis in ſingulos liberos, ſexta à marito retinebatur: uti & eadem lege cauſæ divortii arbitrariæ & diſquiſitioni judicis relictæ fuerunt. Quod non ita intelligendum, ac ſi cauſæ divortii ante divortium judici exponendæ fuerint Nam. in Rep. Romanâ ex privato conjugum arbitrio intra privatos parietes, ob privatas offenſas divortia fieri conſueverunt ſemper; Verum cum poſtea motâ de dote & donatione propter nuptias controverſiâ, judicio de moribus quiſque in alium divortii culpam & infamiam rejicere conaretur; tum demum diſquiſitioni judicis exponendæ erant repudii cauſæ. Cœterum primum, ut putatur Carvilianum divortium hâc occaſione contigit. Agebant Cenſores more majorum de uxoribus ſolemne jusjurandum, cujus verba in hunc modum concepta erant, *Et tu ex animi tui ſententia uxorem liberorum quærendorum cauſa habes.* Quibus cum reſpondiſſet Carvilius: *habeo.* poſtea jurisjurandi ſententiam animo ſuo bene perpendens, exiſtimavit ſe pejeraſſe, quod haberet quidem uxorem, ſed ſterilem, ideoque non *liberorum quærendorum cauſa*, quapropter re cum amicis communicatâ, uxorem, quam chariſſimam morum ejus gratiâ habebat, dimiſit, ac ut Gellius ait, *jurisjurandi religionem animo atque amori prævertit.* Poſteà labantibus tempore in pejus Romanorum moribus ſæpius ob ſolam infœcundi uteri cauſam divortia facta fuêre, fuitque repertus, qui uxorem intra quinquennium non parientem dimitteret. Et cum ibi non conſiſtant exempla, unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem latiſſimè evagandi ſibi viam faciant, & ubi ſemel à recto deerratum eſt in præceps perveniatur, nec ſibi quiſquam putat turpe, quod aliis fuiſſe fructuoſum autumat; tandem ex divortiorum frequentiâ ipſum divertendi jus adcò licitum factum fuit, ut nullis cauſarum repagulis coërceretur, penderetque plenè ex divertentium maritorum arbitrio. C. *Sulpitius Gallus* uxorem dimiſit, quod eam capite aperto foris verſatam cognoverat. *Abſciſſa*, inquit Valerius, *ſententia, ſed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, ait, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes. His decoris inſtrumenta compara, his eſto ſpecioſa, horum te certiori crede notitiæ. Ulterior tui conſpectus ſupervacua irritatione accerſitus in ſuſpicione & crimine ſubhæreat neceſſe eſt.* Q. Anteſtius Vetus uxorem dimiſit, quod eam in publico cum quadam libertinâ vulgari loquentem viderat, *in cunabulis & nutrimentis culpæ*, ut ait id. *Valer. l. 6. c. 3. n. 11. Ex. mem. non ipſa commotus culpa eiteriorem delicto præbuit ultionem, ut potius caveret injuriam, quàm vindicaret.* Et hæc horrida. graviorum virorum erant ſupercilia. Ita Cæſar Pompejam (*Suet. in Cæſ. Dion l. 37. Hiſt.*) Lucullus Clodiam ob ſuſpicionem adulterii & impudicitiæ ejecerunt. Auguſtus Scriboniam dimiſit, *pertæſus* ut ipſe ſcribit (ap. *Dion. l. 48. hiſt.*) *morum ejus perverſitatem.* Et ne quis putet, hæc à principibus viris ex libero dominante affectu, non inſtitutis majorum utente, eſſe facta. In genere nulla hominum diſtinctione factâ, ſcribit *Juvenalis* ſuo ævo ad mittendum repudium ſuffeciſſe, ſi mulier gravis inciperet eſſe marito, aut nares haberet minus ſiccas. Vel ſi ipſi novis ſe implicatos amoribus cuperent mariti.

- - Facies, non uxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet.
Fiant obſcuri dentes, oculique minores.

Collige ſarcinulas, dicet libertus & exi:
Jam gravis es nobis & ſapè emungeris: exi
Ocyus & propera, ſicco venit altera naſo.

Imò in profligatâ & deperditâ tandem Rep. non tantum viris omnimoda divertendi licentia, ſed & fœminis fuit. Filia Ciceronis irato viro, ſoror Triarii nuptura Bruto marito è provinciâ venienti nuntium miſerunt: multæque leges inſolentius divertentium uxorum mentionem faciunt. *l.* 42. *D. de Jud.* 57. *l.* 64. *D. de donat. int. vir. & ux. l.* 34. & 38. 8. *ſolut. matr. l.* 9. *D. de divort. & Rep.* Imò *Seneca* teſtatur *l.* 3. *de benef.* ſuo ævo nullam mulierem erubuiſſe miſſo repudio. Poſtquam illuſtres quædam ac nobiles fœminæ non conſulum ſed maritorum numero annos ſuos computarent. Exire eas matrimonii causâ, nubere repudii dicit. Extat ejusdem autoris jocus, *Mecænatem millies uxorem duxiſſe*, propter quotidiana ejus divortia, cum duntaxat unicam haberet. At adeo hæc divertendi licentia in Rep. percrebuit, ut modus, quem teſte Suetonio, Auguſtus divortiis adjecit, difficiliora quidem ea aliquantulum fecerit, at non ſuſtulerit, imò non potuerit quidem eorum nimiam frequentiam inhibere. *Juvenalis* mulierum ſui ſeculi levitatem in divertendo perſtringit his verbis. Mulier

- - Mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, & flammea conterit, inde
Avolat, & ſpreti repetit veſtigia lecti.
Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus & ad hæc virides in limine ramos.
Sic creſcit numerus, ſic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos, titulo res digna ſepulchri.

l. 1. Sat. 6. & *Martialis* l. 6. Ep. 7. renovatam legem Juliam non potuiſſe inſolentia mulierum divortia cohibere, apertè monſtrat:

Julia Lex populis, ex quo Fauſtine venata eſt
Atque intrare domos juſſa pudicitia.
Aut minus aut certè non plus triceſima lux eſt,
Et nubit decimo jam Theleſina viro.
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt
Offendor mœcha ſimpliciore minus.

Cœterum in divortio faciendo ex lege 12. tabb. tum formula tùm ſolennitates quædam, & ex lege Juliâ modus obſervandus fuit. Quod formulam attinet, hæc verba comprobata fuiſſe Gajus ait. *tuas res tibi habeto, conditione tua non utar. l.* 2. § 1. *D. de div. & rep.* Solennitates fuêre, quod claves uxori adimebantur, foraſque illa exigebatur. Hinc Martialis *uxor vade foras.* Titinnius: *ædibus faceſſat.* Quintilianus; *domum egredi juſſa.* Sicut verò claves dabantur in celebratiône nuptiarum novæ nuptæ, ut ſignificaretur domeſticarum rerum curam ei tradi. *arg. l.* 77. §. 21. *D. de Legat.* 2. ita eædem adimebantur in divortio, ut ſignificaretur, nullam amplius eſſe mulieri in mariti domo adminiſtrationem, curam, jusve. Modus, quem lege Juliâ Auguſtus divortio adjecit, hic fuit ut *Suet. in Aug.* refert. teſtatio fieri debebat ſeptem civibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum libellum repudii ferentem: *l.* 9. *D. de rep. & divort.* Ratio juris hæc videtur eſſe, tùm ut palàm eſſet ex tantillâ temporis morâ, dum vocantur teſtes, dum fit teſtatio, dum expeditur libertus, perſeverantia animi ad conſtituendam perpetuam diſſenſionem. *l.* 3. *D. de divort.* tùm quoque ut ex interceſſione civium, qui huic negotio adhiberi debebant, ſequeretur potius redintegrato amore conjugum reconciliatio, quàm divortium. Tres verò modi à Romanis divertendi uſitati; per *uſurpationem*, *diffarreationem*, & *remancipationem*, uti ex Roſino refert *Sanchez l.* 10. *d.* 1. *de ſacr. matr.* 115 addens ex Blondo *diremptionem*, Cœterum pœnæ in divertentes olim tàm leves & exiguæ proditæ fuere, ut iis non obſtantibus, dictum fuerit, facultatem contrahendi & diſtrahendi matrimonii liberam eſſe. *l.* 14. *C. de Nupt.* Eæ judicio de moribus exigebantur ab eo eâve, qui quæve divortii cauſam dederat. l. 34. D. de ſolut. matr. l. 5. D. de pact. Dotal. Si mulieris culpâ accidiſſet divortium, maritus graviorum morum nomine, i. e. adulterii, ſextam dotis partem in ſingulos liberos retinebat: ob leviores mores octavam, non plures tamen quàm tres Sextæ in retentione erant, non in petitione. Vir ſi cauſam repudio dediſſet, dotem numero,

 pon-

ſpondere vel menſurâ conſtantem, quam tribus vicibus annuâ, bimâ, trimâ die reddere debuiſſet, cogebatur præſentem reddere, i. e. præſenti die, ſtatim, idque ob graviores mores, propter minores verò ſenum menſium die, i. e. tribus vicibus per ſingula ſemeſtria. In eâ, quæ præſens reddi ſolebat, tantùm ex fructibus jubebatur reddere, quantum in illâ dote quadriennium redditur, uti ex *Ulpiano in frag. lib.* 6. §. 10 12. 13. *& Paulo l.* 2. *Inſtit. lib. de dot.* conſtat.

Pœnas verò ab Impp. in injuſtè divertentes poſteà conſtitutas quod concernit, ſciendum eſt, duplex fuiſſe apud Romanos divortii genus, unum quod *bona gratia*, aliud quod *mala* fieri dicebatur. *Bona gratia* i. e. dulciter, ſine querelâ, dimiſſione cum bonâ venia, ut *Ambroſius*, amicâ ſeparatione, ut *Tertull.* loquitur, non ex animæ impetu, non contumelioſe, non culpæ causâ *l.* 32. §. 10. *D. de don. inter vir. & ux. l.* 14. §. 4. *D. qui & à quibus manum. l. un.* §. *ult. C. de rei ux. act.* fiebat divortium vel cum inſcio, ex juſtâ & legitimâ ratione, uti cum ab hoſtibus captus *l.* 6. *D. de repud.* vel in militiam eſſet profectus maritus, & dubia diceretur ejus vita l. 7. C. ead. Novell. 22. c. 7. vel cum ſciente & reluctante, ob piam cauſam uti ſi alter Dei amore perpetuam voveret caſtitatem, l. 53. §. 3. 56. C. de Epiſc. & Cler. vel ex amborum conjugum ſpontaneo conſenſu, voluntate enim contrahentium mutuâ contrahebatur, eademque intercidente diſtrahebatur matrimonium *Novell.* 22. *c.* 3. 4. *l.* 9. *C. de Repud.* quod contra expreſſum Dei verbum Matth. 19. *quos Deus conjunxit, homo ne ſeparet.* ſucceſſor Juſtiniani Juſtinus repetiit Novell. 140. Princ. & c. 1. *Si mutua*, inquiens, *affectio matrimonia conficit, meritò diverſa voluntas eadem per conſenſum dirimit.* Et hoc de divortio voluntario jus in Orientis imperio per annos trecentos & quadraginta uſque ad Leonis Philoſophi tempora obtinuit, qui circa A. C. 900. Imperator in Opere illo, quod in ſexaginta libros diſtributum & Baſilica ſeu Imperatoria, appellatum, juſque Juſtinianeum è Lat. in Græcam linguam translatum comprehendit, hanc Juſtini conſtitutionem omiſit, quo ipſo hucuſque hoc divortii voluntarii jus obſervatum deſinere voluit. Cœterum Conſtantinus M. recepto jam in Imperio R. Chriſtianiſmo ſexennio aut circiter poſt Synodum Nicenam divortia, quæ malâ gratiâ i. e. cum animi irâ & offenſâ, contumelioſè cum culpæ causâ, cum impetu fieri dicebantur, hucuſque pro lubitu alterutrius conjugis uſurpata coercuit, atque ut viro duntaxat mœcham, medicamentariam ſeu veneficam conciliatricem i. e. lenam; uxori homicidam, medicamentarium & ſepulchrorum diſſolutorem repudiare liceret, conſtituit, pœnasque inſolenti divortio hasce præſcripſit. Si ſequior ſexus ſine relatarum cauſarum ulla diverteret, jubebatur omnia ſita uſque ad acunculam capitis ſui in domo mariti depoſita relinquere, & ob tantam ſui confidentiam in inſulam deportabatur. l. 3. tit. 16. Cod. Theod. Hanc Conſtitutionem ſexennio poſt aliquantulum laxavit ille ipſe Imperator in uxore, quæ poſt annorum quatuor intervallum nullum ſoſpitatis indicium à marito ſuo recepiſſet. *l.* 7. *c. de Rep.* Harum duarum primam conſtitutionem Honorius & Arcadius Auguſti confirmarunt, negantes inſuper uxori deportatæ jus poſtliminii & connubii, ne faciat divortium potius novi matrimonii deſiderio, quàm viri ſui execratione *l.* 2. *C. Theod. l.* 3. *tit.* 16. Sed Theodoſius & Valentinianus cauſas divortii à Conſtantino & Honorio ſancitas abrogarunt, & jus divertendi vetus atque liberum reſtituerunt, poſteà tamen quodammodo coarctarunt. *l.* 8. *C. de repud.* Juſtinianus verò ſex cauſas divortii marito aſſignavit. *Novell.* 117. *c.* 8. *&* 9. ſi ſcilicet illa *contra imperium aliquid cogitantibus conſcia non indicaverit marito ſuo. ſi adulterii ſuſpecta convinci potuerit; ſi vitæ mariti inſidias ſtruxerit, vel ab aliis ſtructas ſciens marito non indicaverit: ſi invito viro cum extraneis hominibus ad convivia ſe invitari paſſa fuerit: aut voluptatis cauſa commune cum iis lavacrum ingreſſa fuerit: ſi ſine juſta, & probabili cauſa, nolente viro, apud alios quàm parentes ſuos foris pernoctarit, vel Circenſibus aut theatris aut amphiteatris aut arenarum ſpectaculis interfuerit.* His adjecit Leo Philoſophus duas alias, quas probaverat prius *Novell.* 22. *c.* 16. §. 1. *l.* 11. §. 2. *C. de*

de rep. poſtea rejecerat Juſtinianus, nempe *ſi uxor ope ſua vel induſtria abortum fecerit; ſi dum eſt in matrimonio alium virum de nuptiis compellaverit.* Novell. Leon. 30. 31. Quibus adjecit poſtea tertiam, *ſi uxor per triennium fuerit furioſa.* Novell. Leon. 111. 112. Quouſque autem hoc jus divortiorum obtinuerit in Oriente & Occidente vid. *Selden. Uxo. Hebr. l. 3. c. 29. & 33.* Utut autem divortia ſemper fuerint licita, inſolenter tamen facta inpunita non fuêre. Unde ſi abſque juſta cauſa divertiſſet uxor, vel marito juſtam repudii cauſam præbuiſſet, dotem quam dedit, & ante nuptias donationem amittebat, ſi verò dos conſtituta non eſſet, quartam facultatum ſuarum partem, non excedentem tamen centum auri libras, perſolvere marito cogebatur, interdicto ei inſuper in quinquennium matrimonio, quia æquum æſtimatum fuit, *eam interim carere conjugio, quo ſe monſtravit indignam. l. 8. §. 4. l. 11. §. C. de Rep. Nov. 22. c. 15.* Voluit præterea Juſtinianus, ſi contigerit divertere uxorem, propterea quod eam maritus adulterii accuſaverat, & in probatione defecerat, præter donationem ante nuptias & dotem, eam liberis orbam tantum ex reliquis bonis mariti lucrari, quantum ante nuptialis donationis pars tertia eſſe cognoſcitur; ſi verò liberorum ex iſto matrimonio omnem viri ſubſtantiam liberis cedere. Quod quàm benè conſtitutum, meum non eſt diſquirere; Probatio ſanè adulterii præſertim his ultimi mundi fecibus eſt difficillima, unde non malè juxta Romuli legem, aliasque legiſlatorum conſtitutiones, totum judicium de uxoribus & omne jus divertendi penes mariti arbitrium erat, ita ut propter præludia & inconcuſſa adulterii indicia, aut, ut Moſes & Chriſtus loquuntur, propter πορνείας ſeu rem turpem de qua voce infra ad §. 83. potuerint mariti ſuas uxores repudiare. Quia tamen magnus erat hujus rei abuſus, Chriſtiani Imperatores cum coercere vellent iſta, liberrima divortia, duo ſibi vitanda eſſe judicarunt: tum ne adigerentur conjuges ad neceſſitatem accuſandi adulterii publico judicio comparem, tum ne certitudo criminis cujuſque animo ſuſpicaciori committeretur. Primum enim & durum & periculoſum nimis viſum fuit; Durum nimis, Chriſtianum maritum & forte animi lenis hominem cogi tàm inclementer iracundum eſſe in ſociam vitæ, ut eam depoſcat ad publicum judicium, cum in ipſos inimicos benignos non eſſe jubeat Chriſtus. Periculoſum nimis, propter probationis difficultatem & ex incerto litis. Nam ſi ſuccumbat maritus, accuſatæ uxoris certiſſimum divortium, cum ignominiâ & damno ipſius maximo prævidet. Singulorum autem credulitati committi ſuſpicio adulterii in benè conſtituta Rep. non adeò recte potuit, ne innocens aliquando accuſata ex zelotypi mariti arbitrio damnaretur, & ne litium ſeges oriretur, ſi ex privato ſingulorum judicio quæcunque ſuſpicio, de quâ judex poſtea cognoſceret, ad accuſandum ſumi poſſet. Itaque Theodoſius Junior Imperator Chriſtianus & pius, & Epiſcoporum quotidiano uſus conſilio, ſi maritus uxorem publico judicio accuſare nollet, aut ſi quod ipſe crederet & pro comperto ſatis haberet adulterium, probare tamen ſe in judicio hoc poſſe diffideret: ne læſa conjugii fides ſine auxilio eſſet, in quæſtione divortii *impudicitiæ conjecturas* ſufficere judicavit, *ſi mulier viro ignorante vel nolente extraneorum virorum convivia appeteret, ſi Circenſibus, theatralibus, vel ludis aut arenarum ſpectaculis ipſo prohibente gauderet, ſi ſine juſtâ & probabili cauſa foris. & non apud parentes pernoctaret.* Quibus addidit poſtea Juſtinianus, *ſi voluptatis cauſa commune cum viris lavacrum ingrederetur; ſi abortum induſtriâ procuraret, vel, ſi conſtante matrimonio cum altero viro de nuptiis ageret.* Quæ omnia ſine manifeſta & indubitata adulterii ſuſpicione à mulieribus fieri non poſſunt.

2. *Raptu inaudito* Raptus fœminarum & olim & hodie inter maxima relatus fuit crimina. Leges civiles raptorem mulieris honeſtæ, ſive nupta ea fuerit, ſive innupta, capitis ſupplicio & bonorum ademptione perſequuntur *l. un. l. de rapt. virg. Novell.* 143. 150. *Jacob. Menſch. de arbitr. Jud. Quæſt. l. 2. caſ. 291. Lud. à Peguera deciſ. 43.* Pœna tamen mortis non eſt eadem ſpecie, ſed variis de cauſis augeri poteſt, vel propter qua-

qualitatem perſonæ, vi raptæ, & abductæ. *arg. d. l. un.* §. *fin.* Ipſi etiam adjutores, qui rapiendi actui interfuerunt, pariter cum raptore ultimo afficiuntur ſupplicio; Reliqui verò, qui vel raptorem poſt invaſionem, domum receperunt, vel ut raptam tutò ad locum deſtinatum deduceret, opem tulerunt, capitali quidem pœnæ ſubjiciuntur, ſed non mortis naturalis *d. l. un. verb. cæteros autem omnes*, ibi: *pœna tantummodo capitali.* Secundum jus Canonicum raptores cum ſuis adjutoribus anathemate feriuntur aut ſi clerici ſint, proprii ordinis & honoris amiſſionem ſuſtinere debent. *J. Paul. Lancellot. Inſtit. Jur. Canon. l.* 4. *tit.* 8. §. 4. Non vero ſic intelligenda eſt qualiscunque abductio, ſed per concubitum, ad quem ultimatè terminatur, completa. *Fillius. tr.* 30. *c.* 6. *n.* 111. Unde ſi concubitus non fuerit ſecutus, mitius & extraordinariè punitur delinquens, niſi rapuerit virginem Deo conſecratam. *l.* 5. *C. de Epiſc. & Cler.* quanquam diſſentiat *Ant. Matth. de Crim. tit. de vi publica & priv. c.* 2. *n.* 6. ſed diſtinguere debuiſſet inter publicam Magiſtratus & privatam parentum & cognatorum vindictam. Non enim quod privatæ vindictæ, & juſto dolori propter acerbiſſimam injuriam conceſſum eſt, ut quaſi ſtante pede & in continenti, dum raptorem inveniunt cognati, occidere liceat, id etiam Magiſtratui, qui omnes circumſtantias exactiſſimè examinare debet, permiſſum eſt. Qui verò ſponſam ſuam rapit etſi de Jure civili, ubi ſponſalia ſemper intelliguntur de futuro, etiam incurrat in pœnam raptus, *d. l. un. verb. quibus communicamus C. de rapt. virg.* quia ſc. ſponſa adhuc mea non eſt, quod conditioni renuntiari poteſt, donec domum ducta fuerit. *l.* 1. *C. de ſponſ.* quia tamen hodie ſponſalia de præſenti verum ſunt matrimonium, mitius erit agendum cum eo, qui ſponſam de præſenti rapuit, quia ſcil. illa renuntiare conditioni nequit. Et licet ſponſus violentiam inferendo peccet, à raptu tamen excuſatur. Thom. 2. 2. q. 154. a. 7. Cœterum de Jure civili non licet raptæ matrimonium contrahere cum raptore *l. un* §. 10. *C. h. t.* ſed Jure Canonico ſi rapta libero in loco conſtituta poſtmodum in matrimonium conſenſit, licita fiet conjunctio. *c. ult. X. h. t.* Per hoc tamen matrimonium raptor non evitat pœnas raptus, cum per matrimonium tantum fiat ſatis honori raptæ, non quoque Reip. læſæ. *v. Reguera deciſ.* 42. In hoc caſu autem perpetuam relegationem eſſe pœnam juxta deceretum Coll, Jurid. Helmſt. apud *Hahnium obſerv. in Weſenb. ad L. Jul. de adult. n.* 21. Quod autem raptor & rapta matrimonio jungi poſſint, ipſis verbis Gratiani oſtendi poteſt. Poſtquam enim ille Canones Concilii Meldenſis & Aquisgranenſis, quo utroque ejusmodi nuptiæ prohibentur, protuliſſet, *c. ſi autem. & c. placuit* 36. *q.* 2. ſic tandem concludit. *Hæc autoritas non præjudicat autoritati Hieronymi, maximè cum illa teſtimonio divinæ legis nitatur. Legitimè igitur poſt pœnitentiam peractam raptor ſibi poterit copulare, quam rapuit.* Ubi agnoſcit Gratianus, utrumque Concilium Meldenſe & Aquisgranenſe erraſſe, & contra divinam legem ſtatuiſſe. Moniales vero qui rapiebat juxta Imper. *Jovian. in l.* 5. *C. de Epiſc. & cler.* capitis ſupplicio puniendus cenſebatur, poſtquam imperante anteceſſore ſuo Juliano multi impudici & perditi homines virgines ejuſmodi seducerent. Uti notat *Sozom. hiſt. l.* 6. *c.* 3. vid. *Auguſt. Barboſ. in d. l.* 5. *& Claud. Eſpenc. de vot. cont.* l. 4. p. 807 quanquam illo tempore tale votum caſtitatis quale hodie in uſu, vix appareat, uti teſtatur *Balæus* fuiſſe etiam ſequentibus temporibus cœnobia monialium nobilium, unde exire & honeſtè nubere poterant exceptâ Abbatiſſa. Vocant autem Canoniſtæ raptum monialis *ſacrilegium* propter perſonam, quæ virginitatem Deo vovit, ritibusque ſacris eſt initiata ſeu publicè conſecrata; illudque faciunt vel ſimplex cum una perſona, vel duplex, cum utraque perſona eſt conſecrata. Sed vera Eccleſia, quæ quaſi ſuperſtruitur conjugio, de tali ſacrilegio nil novit. Et ſi ſacrilegium eſt, monialem ſibi matrimonio jungere, ſacrilegium etiam committit Pontifex, qui jungat, aut privilegium oſtendat, per quod crimen committere ipſi impunè liceat. Notum autem ex Platin. in vit. Cœleſtini III. quod hic Papa ægrè ferens Tancredum regno Siciliæ potiri, Conſtantiam Rege Rogerio natam, occul-

cultè è monaſterio Panormitano eduxerit, eamque licet Deo dicatam Henrico VI. Friderici Barbaroſſæ Filio in matrimonium collocaverit, hâc conditione, ut regnum Siciliæ dotis nomine repeteret. Unde poſtmodum factum, ut Papa ſibi regnum Siciliæ, tanquam feudum, aſcripſerit, ut ex Baronio conſtat, quod tamen hodierni Reges Hiſpaniæ agnoſcere nolunt, uti &, niſi vehementer fallor, in ultimâ Baronii editione in provinciis Hiſpanicis impreſſâ jus illud fictitium omiſſum eſt.

3. *Julius Cæſar* Conjunxit Pontificatum & Imperatoriam dignitatem, hic Julius, Fautor Polygamiæ ſummus. Benè proſpiciens optimè Reip. conſultum iri, ſi in uno ſubjecto concurrerent. Ita tempore Haſmonæorum (non omni Judæorum, ceu Trogi Epitomator *Juſtinus l.* 36. & *Diodorus l.* 40. aſſerunt) & cum archiarabici generis ſub Romanis præfectura floreret, regni & Pontificatus conjunctio fuit. vid. *Selden de Succeſſ. in Pontif. c.* 13. *p.* 382. Et hoc etiam tentavit Maximilianus I. Auguſtiſſimæ memoriæ, & forſitan obtinuiſſet, ſi à Principibus Germaniæ non à Cardinalibus hoc quæſiviſſet. Si enim compatibiles ſunt ſtatus Oeconomicus & ſtatus Politicus in uno ſubjecto, nil video cauſæ, cur non etiam Status Politicus & Eccleſiaſticus benè convenire & in unâ perſonâ morari poſſint, præſertim cum videamus, Papam hactenus utrumque gladium geſſiſſe, & Jmperatóriam quaſi autoritatem vel vi, vel clàm, vel precario directè & indirectè exercuiſſe in omnes ferè olim Imperatores, Reges & Principes.

4. *Concubinatum Jure Romano* Utrique concubinatus ſeu pellicatus quæ pro Synonymis *L. Maſurius* 144. *ff de verb. ſign.* habentur, differebant à concubinatu Hebræorum, uti ICti. Græci notant Baſilic. apud Theodorum Balſamonem in Photii Nomocan. tit. 13. c. 5. παλλακη ἐστιν ἡ σύγζωσα μεὶ ἐν τῷ οἰκῷ ἀυτῷ, νομίμε χωρὶς γάμε. Concubina eſt, quæ cum aliquo in ædibus cohabitat, ſine matrimonio legitimo. Ex veteri etiam apud *Harmenopulum Prochir. l.* 4. *tit.* 7. Conſtitutione Cæſareâ concubinatus, qui κοινωνία τῆς παλλακῆς nomine γάμε ἐκ ἐυπρέπως *matrimonii indecori* deſignatur. Hinc etiam concubina uxori opponitur apud *Julium Paulum* Celeberrimum ſub Alexandro Severo, antequam Chriſtianiſmus in Imperio R. receptus, JCTum, cum: *Eo tempore*, inquit, *quo quis uxorem* habet, concubinam habere non poteſt, aliàs licitam, ut uxorem ſine ſolennibus. *Sent. Recept.* l. 2. tit 20. addit ff. tit. de manum. l. 3. in fin. Neque enim ingenua eo ævo, ſed tantum ancilla, liberta, libertirare in concubinatu ita propriè dicto potuit eſſe ſine teſtatione (vid. *Marcian l.* 3. *ff. de Concub.* & *Modeſtin. l.* 24. *ff de ritu nupt.*) manifeſtum hoc faciente, quæ ſi accederet, nullis aliis adhibitis ſolennibus, ingenua, concubina nomine depoſito. uxor honoris cauſa dicebatur; cœteris quæ ingenuæ non erant, concubinis (Ulpian. l. 1. ff. de Concubinis) ut inferiore dignitatis notâ appellatis, & ſolâ animi deſtinatione (Paul. l. ult ff eod. tit.) ſeu affectione (Ulpian. l. 3. ff. de donat. inter vir. & ux.) æſtimatis.

5. *Valentinianus* Fictor Victoriæ fictæ hanc totam hiſtoriam Polygamicam Valentiniani in dubium vocare conatur, ſed conatur. Equidem *Sunt apinæ tricæque & ſi quid vilius iſtis*, quæ in medium profert, ut Socratis tanti autoris, qui ſub annum poſt Valentinianum hunc ſeptuageſimum ſcripſit narrationem falſi redarguat, convincatque, cum tamen cum eo faciant *Caſſiodorus in hiſt. Tripart. l.* 8. *c.* 11. *Paulus Diaconus Hiſt.* 12. *Niceph. Calliſtus l.* 11. *c.* 33. Nec recentiores Hiſtorici qui vitas Imperatorum ſcripſerunt, de hac re dubitent, imprimis *Chriſtianus Matthias* qui hunc Imperatorem ceu pientiſſimum, & Juſtitiæ ſtudioſiſſimum plenis buccis extollit, quòd Ambroſium maximum gloriæ divinæ Zeloten ſummoperè adamaverit, ad Epiſcopatum Mediolanenſem ob Zelum ſingularem evexerit, & in faciem ejus fervorem Chriſtianiſſimum dilaudârit, adque conſtantiam cohortatus fuerit. Audiamus argumenta tamen, quibus Socratis autoritatem enervare fatagit. Ante omnia verò ſciendum, quod niſi Baronii Cardinalis, ſummi & per religionem ejusque vota monaſtica neceſſarii matrimoniorum hoſtis & Polygamiæ, quæ matrimonii ſpecies, impugnatoris acerrimi vitulo

raſſet, nil ferè haberet, quod afferre poſſet. Et vix digna ſunt, quæ adducantur, ſatiſque à Theophilo jamdum refutata; Ne tamen victoriâ ſuâ Ovidianâ gloriari poſſit, breviſſimè tantum recenſebimus, quò Lector ex nudâ relatione Victoris Ovidiani vanitatem agnoſcere queat. Primum argumentum depromit ex ſilentio Hiſtoricorum, quod nullis ſive ejuſdem, ſive ſuperioris & Valentiniano ſuppari ætatis rei Hiſtoricæ ſcriptores nullam hujus rei mentionem faciant. Nominat autem Ruffinum, Sozomenum, Theodoretum, Philoſtorgum, Oroſium, Ammianum Marcellinum, qui minima diligentiſſime excuſſerint, hocque nullo tetigerint verbulo, & inde concludit, nil horum contigiſſe. Verum enim verò ſi Theophilum rectè legiſſet, forſitan ſi anteà non noviſſet, didiciſſet, quod in rebus hiſtoricis non liceat negativè argumentari. Nulla enim eſt ſequela, ſi quis diceret Paulus, Petrus, Johannes Jacobus non meminerunt hiſtoriæ à Matthæo relatæ, ideo proinde non eſt facta. Ejusdem furfuris eſt alterum argumentum ex ſilentio Hiſtoricorum Ethnicorum Valentiniano Chriſtiano non adeò faventium deſumtum, Quod eundum cum priore meretur calculum. Et quomodo Ethnici potuerunt improbare Polygamiam, quæ in ſummo apud eos erat uſu. Tertium itidem à ſilentio omnium Patrum hauritur, quod cum ſuperioribus eandem nanſciſcitur non immerito cenſuram. Neque etiam Patres pro peccato habere potuêrunt, quod in ſcripturâ non eſt prohibitum, & in Patriarchis atque Regibus V. T. elevarunt. Quartum è rigoroſâ vitâ & diſciplinâ Valentiniani hauſtum pro Polygamiâ potius facit, quippe per polygamiam adulteria, ſcortationes aliaque ſcelera Onanitica & Sodomitica minui maximam partem. Sapientiſſimus Imperator optimè perſpiciebat. Præſertim cum illa ab Ambroſio non taxata, nec Imperator ideò reprehenſus legatur. Quinto quod Theodoſius M. qui cum Valentiniani liberis regnavit, in Judæis improbarit & abrogarit Polygamiam, non obſtat, cùm ſæpè videamus, vicinos Reges habere alia inſtituta, & ſucceſſores non rarò anteceſſorum placita infringere. Nec magis inde exculpi poteſt, quàm non adeò conſuetam fuiſſe inter Chriſtianos Polygamiam, nec multos in hoc optimo exemplo Valentinianum ſecutos, ſed potius quæ Diaboli vafritia eſt, libidinibus vagis, ſcortationibusque anſam præbuiſſe. Tandem & Zoſimo Socratem mendacii arguere conatur, quòd ille *l.*4. Juſtinam virginem Magnentii conjugem fuiſſe teſtetur. Quaſi non poſſent eſſe duæ ejuſdem nominis. Nec *Photius Biblioth.* §. 28. *& Voſſius de Hiſt.* præjudicare poſſunt, quod Socratem non adeò accuratum eſſe dicant. Siquidem plures ſunt Hiſtorici ita comparati, qui tamen in fide hiſtoricâ, niſi ab aliis certius proponatur aliquid, admittuntur. Et nullus eſt Hiſtoricus, qui non in aliquâ re fallat & fallatur. Si Juſtini, Taciti narrationes de Judæis examines, facile hujus rei fidem juvenies. Quæ omnia ex Baronio à Victore Utopico excerpta confirmat Ammiani Commmentator Henricus Valleſius, qui ſi autoris ſui, quem præ manibus habuit, autoritatem ſtabilire voluerit, non eſt, quòd adeò miremur.

THESIS XIV.

Sabell. II. Enn. 6. de *Germanis* memorat, quod ferè ſoli ex iis, qui ad Septentrionem & ortum habitant, unicâ uxore ab initio (cujus cauſa, uti ſupra de Romanis diximus an migrationi gentium & novarum coloniarum inquiſitioni ſine multarum fœminarum comitatu inſtitutæ aſcribenda ſit, aliis arbitrandum relinquo) contenti,

tenti, quanquam & in his nonnulli plura celebrarint connubia. Quod ante ipſum *Tacitus de mor. Germ.* etiam prodidit; *ſolos*, inquiens, *prope barbarorum ſingulis uxoribus contentos Germanos eſſe exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Ex quo colligere eſt, non improbatam huic quoque genti Polygamiam, ſed minus in vulgus uſitatam, forte quod proletaria nimis eſſet. Ita *Arioviſtus* duas habebat, unam Suevam alteram Noricam. *Cæſ. Bell. Gall. l.* 1. *Hugo* Italiæ Rex multas amavit conjuges, inter quas tres nomine Dearum Veneris, Junonis & Semeles appellabat. Luitprand. l. 4. c. 6. De *Pæonibus* Praſiadem paludem incolentibus Herodotus meminit, quod itidem plures aluerint uxores, quod de *Britannis* Cœl. *Rhodig.* l. 18. c. 21. & de *Scotis* Polydorus l. x. teſtantur. *Saxones* duas aut plures olim ſimul habuiſſe fœminas, Gregorius II. Papa in Epiſt. ad Bonifacium primum Legatum Apoſtolicum in Germaniâ abrogationem ipſi ſeriò injungens teſtatur. *Amlethus* Juriæ Rex Fengone Patruo cæſo paternam necem ultus in Britanniam profugit & primo Britanniæ Regis filiam, poſteà ſoceri ſui Regis Britanniæ Amaſiam Hermuthruten Scotam miro caſu ſibi conciliatam duxit, uti prolixè *Saxo* narrat *l.* 1. *c.* 4. Similiter *Pretejannes* Æthiopum Rex Chriſtianus quatuor uxores Reginas in aulâ ſuâ ſuſtentavit, uti proditum eſt à *Sabell. Supplem.* 8. ex Jovio. *Mauruſiis* verò *Afris* per legem quinquaginta ad minimum uxores ducere incumbebat, (referente *Evagrio l.* 6. *c.* 21.) adeò ut Chriſtianis militibus probri loco objecerint, quod unam tantum haberent. *Procop. Bell. Vandal.* l. 4. *Numidis* etiam pro modo facultatum plures uxores placebant, (ſicuti & Brachmanibus de quibus Strab. l. 15.) ita ut multi denas, plerique vigenas habeant uxores. uti ex *Saluſtio* in *Jugurtha Alex. ab. Alex.* retulit l. 1. c. 24. Nec *Indis* diſplicent multæ nuptæ, quas à parentibus pari boum emptas, alias prolis & voluptatis ergò accipiebant. *Strab. l.* 15. Apud *Chinenſes* Rex unam habet uxorem primariam, quæ Regina vocatur, præterea novem alias ducit paulo inferiores, inde alias 36. quæ omnes gaudent titulo conjugali, accedunt his numero plures, quæ pellices appellantur. Fœcundæ cœteris præferuntur. Primaria ſola menſæ cum marito aſſidet, & Cœteræ hujus ſunt quaſi pediſſequæ, quin etiam harum filii & filiæ non ſuam matrem ſed primariam uxorem veluti parentem agnoſcunt, & extinctam triennio lugent. *Matth. Rycius Soc. Jeſ. de Exped. Chriſt. ap. Chin.* De *Turcis* quod multas habeant uxores lippis atque tonſoribus notum eſt. Ditiores ſæpè 40. diverſis locis concluſas & ab Eunuchis cuſtoditas poſſident. Cujus inſtituti ratio à Boccalino l. 2. c. 69. Rel. allata (quod iſta inſerviat diſponendis ad dominatus aſperitatem tolerandam hominibus, dum inter plures liberos diſper-

ſæ opes familias reddunt debiliores) Mahometo an unquam venerit in mentem, equidem vehementer dubito. Videmus hinc omnibus ferè populis in toto terrarum orbe placuiſſe Polygamiam, uti pluribus, qui mihi jam non eſt ad manus, probat *Tiraquell.* l. 7. connub.

1. *De Germanis* Germanorum Polygamiam ſatis vindicavimus ſupra. th. 11.14.7. ad quæ lectorem benevolum ablegamus.

2. *De Scotis* Evenus Rex Scotorum centum concubinas habuit, & legem etiam tulit, ut cuivis liceret pro opibus, quot alere poſſet, uxores ducere, uti Buchan. refert. l. 4. Rerum Scot. c. 9.

3. *Pretejannes* ſeu Preti Gianni ſive quocunque nomine (vulgo appellatur Presbyter Johannes, ſed doctiſſimè Cl. *Golius* originem vocis inde deducit, quod à Perſis vocetur *Preſtar Chan.* i. e. Mancipiorum Rex. quia hujus gentis mancipia toto orbe nota. vid. *Hotting. Theſ. Phil.* 66.) vocetur ille Æthiopum Rex Chriſtianus non tantum ipſe multas habet uxores, ſed & divitibus & nobilibus duas, tresque permittit, uti ex itinerario Alvarezii refert D. Joachimus Hildebrandus libr. de Nupt. vett. Chriſt. & quanquam clerici ſæpè ejusmodi conjugia improbent, quia tamen ipſum matrimonium eſt contractus Politicus & fundamentum Politiæ, non eſt cur Eccleſiaſtici ſe his adeò immiſceant niſi interrogentur, unde Rex Tunchinus non male dixit ad Chriſtianos clericos Polygamiam improbantes, cum ipſe pluribus gauderet uxoribus, nec vellet quibusdam ſuis ſubditis videri inhoneſtior. *Vultis ut mei ſubditi tantùm habeant unam mulierem, & ego volo ut habeant plures ut poſſint producere filios, qui mihi ſint fideles ſubditi. Non amplius prædicate ſimilem doctrinam.* Uti Alex. de Rhodis in Relat. de ſucceſſu prædicationis in Regno Tunchino anno 1650 Italice editâ meminit.

4. *Mauruſiis* Et olim & hodie hi populi fuêre Polygami, ut & Tartari vicini hodiénum! & in Africâ qui habitant & in Europâ. Cœterum Mauros illos & Æthiopes, ceu Chami poſteros nigredinem ſuam ex maledictione Noachi contraxiſſe volunt Arabes. Keſſæus rem ita narrat p. 67. *Dormivit autem Noachus in gremio filii ſui Semi, vento autem violenter ſpirante pudenda Noachi deteguntur, quibus viſis in immodeſtum riſum Chamus erupit. Expergefactus autem Noah rogavit. Quis hic riſus. Et aperuit ei Sem, quid feciſſet Chamus; Unde graviſſimâ Noachus in* Chamum *exarſit irâ, eique dixit; Itane videas pudenda patris tui? Mutet Deus formam tuam & nigreſcat facies tua. Dicuntque dicto citius Chami faciem terræ nigredine eſſe mulctatam.* Et hujus pœnæ ſtigmata remanere adhuc in Æthiopibus tetrâ nigredine & colore fuſco, atroque utplurimum notatis.

5. *Brachmanibus* Brachmanes ſive Abrachmanes, uti volunt dici ab Abrahamo, ſeu Bramines Indorum Regionis incolas multis gaudere uxoribus. teſtatur etiam Chormandel Bramin Padmanaba cum Abrahamo Rogerio ante annos circiter quadraginta miſſo ad prædicationem Euangelii, ſermones cædens, uti videre eſt apud Abr. Roger. **in der openen Thür zum verborgnen Heydenthumb.** p. 109. quòd inter alia de Polygamiâ diſſerens dixerit, inter ipſos Bramines etiam Polygamiam eſſe uſitatam, ſeverioris tamen vitæ ſtudio deditos ob incommoda ex mulierum malitiâ propullulantia unâ eſſe contentos.

6. *Nec Indis diſplicent* Non tantum Indi eò allaborant, ut matrimonia promoveantur, (unde virgines cum nubiles eſſe cœperint, in publicum à parentibus producuntur, accurrente, ut ſolet multitudine, & libera illis datur optio, è juvenum turbâ virum ſibi eligendi, quem virtute aliquâ inſigniter præſtantem putent. *Coel. Rhodig. l.* 18. *c.* 31. *Antiqu. L.*) Sed & multis gloriantur uxoribus, ſicuti ex hiſtoriâ Peruſinâ Indorum docet *Budinus l. V. de Rep. p.* 792. apud Indiæ Orientalis populos Regem *Alcazarem quadringentas, Gnaeam* verò Peruanorum Regem

gem *ducentas & quinquaginta* habuiſſe uxores, *Gillonem* autem Orientalis Indiæ Regem *ſexcentas* habuiſſe. *Marcus Paulus Venetus l. 1. de Reg. Orient. c. 49. p. 351. & l. 3. c. 9. p. 400.* de incolis, in civitate Campition Regionis Tanguth refert, quod quivis triginta vel plures ducat uxores, juxta quod multas nutrire poteſt, prima tamen cœteris dignior habetur & magis cenſetur legitima. Idem de Rege quodam Ciambæ quæ Indiæ provincia eſt, teſtatur tantam eum habuiſſe uxorum multitudinem, ut nati illi eſſent 326 filii atque filiæ. Rex Moabath etiam in Indiâ Majori habuit circiter quingentas uxores. *Marc. Paul. Venetus l. 3. c. 23. p. 440.*

7. *Chinenſes* de his Mendoza l. 2. de Chin. c. 9. refert, Chinenſes tot ſibi matrimonio jungere fœminas poſſunt, quot alendis ſufficiunt, ſed quæ prior nupſerit, uxor, reliquæ concubinarum & ancillarum loco ſunt. Apud Tartaros honeſtum & licitum ducitur, ut quiſque tot ducat uxores, quot nutrire poteſt, licet prima principalior & honorabilior habeatur cœteris *Marc. Paul. Ven. l. 1. de Reg. Or. c. 35. p. 354. & l. 2. c. 8. p. 364.* & quod Rex Tartarorum Cablai quatuor habuerit uxores, quas voluit eſſe legitimas. *& c. 46. p. 386.* in provinciâ Cancigu cujus incolæ licet proprium habeant Regem & linguam, tributarii tamen ſunt Magno Chamo, Regem habuiſſe circiter trecentas. Quod & de Monarchis quibuſdam in Tartariâ refert *Marc. Paul. Venet. l. 1. c. 67. p. 368.*

8. *Turcis* Turcarum Religio & Politia etiam eò vergit, ut uxores ſuis maritis ſint quàm ſubjectiſſimæ, unde non tantum dimittunt uxores quando volunt, quia vinculum matrimonii in poteſtate viri eſſe dicunt, non mulieris. *Æn. Sylv. p. 56.* ſed & invitâ & inſciâ primâ uxore tot ducunt quot volunt, uti de Mahometo ipſo *Jo. Andreas* ex Mauro & legiſperito Muhammedano factus Chriſtianus in *Confuſ. Sect. Mah. c. 7. p. 87.* ex libro Azear refert, quod cum quindecim (vel ut alii volunt ſeptendecim, ut Greg. Abul Farai de Arabis Orig. p. 14) fœminis contraxerit matrimonium, ſimulque cognoverit mulieres undecim, exceptis ancillis, & legem quoque tulerit, ut cuilibet ſervas & ancillas, invitis quoque conjugibus ducere liceat, numerum verò in ducendis uxoribus non determinavit, ut *Nicol. de Cuſa in Cribrat. Alcor. l. 2. c. 19. p. 6.* refert. Verba Alcorani ita ſe habent, *Azoar 4: Accipiatis ſeu ducatis pro lubitu uxores ſive binas ſive trinas ſive quaternas.* Quod *ſi timueritis ne poſſitis æquo jure agere,* (juxta Retinenſem; niſi timueritis eas nullatenus pacificare poſſe, tum vel unam, vel quod ſua manus caſtigare quiverit ducat, aut juxta *Guil. Poſtell de Orb. Conc. l. 2. c. 12. p. 178. vid. & Guil. Schiekard. de Jur. Reg. Ebr. c. 3. d. 9.* niſi timueritis ac pacificè unà regere poteritis, quot poterit edomare potentia veſtra) *etiam & unicam, aut ex iis, in quas veſtrarum dexterarum poteſtas eſt* (ex ancillis) *hoc inſtitutum eſt mihi, ut non iniquè agatis.* Ubi permittit ancillarum concubinatum ſeu potius contubernium, ut pote quibuſcum ex jure Mahummedico civili juſtæ nuptiæ iniri nequeunt, ut ibi Paraphraſtes Mahumed Ben Achmed docet, qui quidem ex hoc loco quaternarium uxorum ſimul habendarum numerum exſculpere vult, ſed rectius Guil. Poſtellus l. c. *Hæc eſt*, inquit, *ſententia legislatoris, quam etſi interpretes moderantur ad quaternarium numerum* (vid. *Petr: Alphonſ. adverſ. Jud. lit. 5. in Bibl. Patr. tom. 12. p. 1. p. 380.* & *Bellon. Obſerv. l. 3. c. 10. & 17.*) tamen eſt arbitraria & ita eſt in uſu apud magnates, ſiquidem ipſi Mahummedi uxores fuere undecim (vid. libr. Aſſamait apud *Philip. Guadagnotum in Apol. pro Chriſt. Relig. tr. 2. c. 7. §. 1. & c. 10. §. 3.*) aut ut alii quatuordecim, Anonymus in ejus vitâ Alcorano ſubnexa. vid. *Poſtell. de Orb. Conc. l. 2. c. 10. & 12.* Unde *Septemcaſtrenſis* autor incertus *de mor. & relig. Turc. c. 11. p. 24.* ait, unumquemque eorum ſecundum legem poſſe habere 12. legitimas uxores, alias verò quot & quantum placet, ſine numero & computatione. Idem ſtatuit *Brocardus Monachus in deſcript. terræ ſ. p. 324.* Busbequius Ep. 3. nec non *Joachimus Vegetius in Periodo* Regni Turcici p. 71. eandem tenent ſententiam. *Petr. Marlorr. ab Angleria l. 3. Navig. Babyl. p. 84.* liberum quoque dicit eſſe indultum, numerum fœminarum, modo eſſet facultas alendi.

Nec obſtat quod alii in diverſum ab his abeant, uti ſupra laudatus *Jo. Andr.* Legis peritus quondam Mahometanus *l.* 1. *p.* 89. probare conatur, poſſe juxta legem Alcorani Mauros cum unâ vel duabus, vel tribus vel quatuor, non verò pluribus ſe conjungere, cui proximè accedit *Ludov. Romanus Patricius Navig. l.* 1. *c.* 7. *p.* 193. Sunt qui autumant, Mahumetanos quinas vel ſenas ſimul habere uxores, quod minimè animadverti, ut licuit intelligere, binas vel ad minimum ternas eos ducere uxores.

THESIS XV.

IUri *Naturæ & communi conſenſui Gentium*, cum Polygamia ſit, ut jam probatum eſt, conformis, non poteſt non etiam *juri divino* morali in Scripturis revelato, quod nihil rè aliud eſt, quam jus naturæ ſcriptum ſeu explicatum, eſſe conveniens.

I. *Iuri Naturæ.* Anti-Polygami quidam multas hic diſtinctiones fingunt inter naturam univerſalem & particularem, inter principia juris radicata in ipſâ Dei naturâ & eſſentiâ & inter fundata in naturâ hominis à Deo condita &c. ſed inter ſe concordant, ut in magnâ aliqua civitate horologia, cum alter Polygamiam contra jus naturæ eſſe velit, alter verò cum eo convenire aſſerat multinubentiam, uti imprimis hoc poſterius facit *Autor Polygamias*, aliàs iniquus Cenſor Theophili, qui tamen ſui oblitus in dedicatione Theophilum dicit eſſe pejorem Ethnicis, præſertim Senecâ, qui ex lumine Naturæ cognoverit Polygamiæ iniquitatem, cum tamen poſteà in ipſo tractatu prolixè probet argumentis & teſtimoniis Patrum Polygamiam non eſſe contra jus & lumen naturæ. Sed hic eſt genus illorum, qui gloriam in proximi ignominiâ quærunt, ut omne, quicquid in buccam venit, effutiant, quò ægrè modo proximo faciant, & apud omnes, qui legunt, præſertim ſemidoctos, quorum magna eſt farrago, exoſum reddant, non adeò curam habentes, an ipſi, quod aliis impingunt, ſint pejores ethnicis, & Chriſtianiſmum (penè dixerim Anti-Chriſtianiſmum) quem profitentur, & aliis implantare debent, violent. Quæ ſuperius adduximus, ſufficere poſſunt, ubi à priori & poſteriori Polygamiam non eſſe contra jus naturæ probavimus, & multa teſtimonia eorum, qui nobiſcum faciunt, adduximus. Quibus addi poſſunt *Auguſt.* de *Bono Conjug. c.* 17. *T. VI. Opp. col.* 802. nuper quoad verba citatus. th. 2. ann. 3. quæ ipſa quaſi omnia in timore Domini conſideret *Defenſor unius* qui p. 42. dicit eſſe quidem Polygamiam non contra jus vel naturam univerſalem, ſed tamen particularem, & p. 58. non eſſe quidem contra naturam hominibus cum brutis communem, eſſe tamen contra naturam hominis propriam, rectâ ratione inſtructam & limitatam, & cum animadvertat hoc pugnare cum Polygamiâ Patriarcharum & totius populi Judaici, communi illâ diſpenſatione ſe ſalvat, de quâ infra ad. th. 50. Porro etiam *Autor Unius* p. 53. principia juris dicit eſſe in duplici differentiâ, quædam fundata in ipſâ Dei naturâ & perfectione, & deviantia ab ipſis directè divinæ naturæ contrariari, qualia ſunt amor Dei, fuga idololatriæ, perjurii, mendacii. Quædam licet non fundata ſint in ipſâ Dei eſſentiâ & perfectione, radicata tamen eſſe in naturâ hominis à Deo conditâ, eique inſculpta, cumque opere legis τῇ γύσει humano generi inſcripto convenire, & mediatè tantùm ad Deum referri, uti præcepta ſecundæ tabulæ in Decalogo, ubi explicatius jus naturæ traditur; Et huic diſtinctioni ſuperſtruit Polygamiam pertinere ad præcepta ſecundæ tabulæ (quod non negamus, ſed *non eſt adulterium multò minus*

continuatum ut p. 61 & 65 aſſeritur. Aliàs Patres & populus ſelectiſſimus ſine contradictione Dei in perpetuo peccato mortali vixiſſent) & eam non contrariari quidem juri naturæ, quatenus immediatè ipſam Dei naturam ſpectat, ſed quatenus immediatè refertur ad homines, quorum naturæ adverſatur (Unde hoc probatur. Contrarium Theophilus & nos ſupra demonſtravimus) ita ut qui immediatè hîc contra naturam humanam peccet, etiam mediatè & indirectè contra Deum (Ergò Patriarchæ & gens Judaica, omnesque populi hoc pacto contra Deum peccaſſent) naturæ humanæ conditorem. Et hoc modo non incongruum (non vult audacter aſſeverare) eſſe ait, dicere, ſive quis plures, ſive unam habeat uxorem non pugnare directè contra naturam Dei, quæ nuptias non contrahit, ſed naturam hominis, (ex ipſius principiis Monogamia non pugnat contra naturam hominis, quod tamen hîc aſſeritur) Cui ex conditoris voluntate ſancta, ſapienti, juſtâ is eſſet inſculptus inſtinctus naturalis, ut maritus unus unâ debeat uxore eſſe contentus, quod & p. 63. ſtatuitur. Utut igitur Polygamiæ fuga non ſpectet eo modo ad jus naturæ, quatenus juris naturæ ſunt fuga odii, blaſphemiæ, idololatriæ, perjurii, mendacii, illa enim vitia directè adverſari naturæ divinæ, eſſe tamen & manere ex jure naturæ prohibitam Polygamiam, quatenus contrarietur naturæ humanæ cum inſtinctu amoris conjugalis erga unicam tori ſociam à naturæ conditore creatæ. Ita diſſerit Defenſor unius. Verum enim verò ad hæc omnia ſatis prolixè propoſita reſpondemus, utut illam diſtinctionem de gradibus juris naturæ ſuo loco relinquamus, concedamus etiam ex abundanti immediatè Deum non afficere, Polygamiam (quanquam ſi prohibuiſſet ſexto præcepto, immediatè ob interdictum afficeret) ſed homines; negamus tamen Polygamiam naturæ humanæ adverſari (contrarium enim ſupra cum Theophilo ſatis aſtruximus, quod Dominus Defenſor unius ἀνεὺ παϑῶν, uti etiam aſſolet, perpendere velit.) Negamus etiam ex conditoris voluntate ſanctâ, ſapienti, juſtâ illum eſſe inſculptum inſtinctum naturalem, ut maritus unus una debeat eſſe uxore contentus. (De mulieribus concedo, quod illis ſit concreatum, uno viro eſſe contentum, quanquam poſt lapſum in multis ex malâ educatione quaſi extinctum) ſiquidem Theophilus per totum diſcurſum hinc & inde probavit divinæ ſanctitati, ſapientiæ & juſtitiæ convenire Polygamiam virilem. Non enim juſtum eſt, mulieri ſemen, quod illi non competit, ſed nocet, poſt conceptionem infructuoſè & ferè Onaniticè tribuere. *Sapientiæ* etiam Dei congruit, uti abundantia ſeminis ſufficiens ad plures fœcundandas, ad multiplicationem cum pluribus adhibeatur. *Sanctitati* etiam divinæ competit, ut in conjugio caſtitas obſervetur, & non voluptatis ergò aut animo ſcortatorio cum uxore gravidâ, ut communiter in *Monogamiâ* fit, res habeatur, ſed potius abundans ſemen in vas vacuum ad propagationem generis humani â Deo ſeriò imperatam ingeratur. Multò minus concedere poſſumus, Deum in ſuis ſanctis, cum quibus familiariſſimè locutus & quos perfectos reddere voluit. permittere & tolerare potuiſſe Polygamiam, ſi peccatum eſſet; Quod enim illa permiſſio ſeu tolerantia non habeat locum, Theophilus infra th. 50. accurate demonſtravit. Illam verò inſtantiam de connubio fratrum & ſororum ejusque diſpenſatione in principio mundi, quod concernit, ejus nulla ſit mentio in ſcripturâ ſacrâ. Deus verò mille habet modos & media propagandi generis humani & poteſt *ſuperabundanter facere & plura etiam, quàm nos cogitare aut mente aſſequi poſſumus Eph.* III. 20. Sicuti igitur tacente ſcriptura nulla ſunt fingenda miracula, ita non cur oſe inquirendum in modum & rationes facti, multò minus fingendæ diſpenſationes aut tolerantiæ & privilegia. Taceo jam quod multi fratrum & ſororum conjugia non annumerent inceſtui, ſed Lev. 18. conjugia inter aſcendentes & deſcendentes eſſe tantùm contra jus naturæ & inceſtuoſa, fratrum verò & ſororum connubia an ſint contra jus naturæ, multum adhuc diſputant Doctores. Quòd ſi verum, nullâ opus diſpenſatione, ſi quidem & jus naturæ indiſpenſabile & immutabile, uti Hugo Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 1. §. 4. notanter ait: *Eſt jus naturale adeò immutabile, ut ne à Deo quidem mutari queat. Quanquam enim*

im-

immenſa eſt Dei potentia, dici tamen quædam poſſunt, ad quæ ſe illa non extendit: quia quæ ita dicuntur tantùm, ſenſum autem, qui rem exprimat, nullum habent, ſed ſibi ipſis repugnant. Sicut ergò ut bis duo non ſint quatuor, ne à Deo quidem poteſt effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinſecâ ratione malum eſt, malum non ſit. Et hoc eſt, quod ſignificat Ariſtoteles cum dicit; ἔνια εὐθὺς ὠνόμασται συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος. Nam ut eſſe rerum, poſtquam ſunt, & quà ſunt, aliunde non pendet, ita & proprietates quæ eſſe illud neceſſariò conſequuntur, talis autem eſt malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam ſanâ ratione utentem. Itaque & Deus ipſe ſecundum hanc normam de ſe judicari patitur? ut videre eſt Gen. 18. 29. Eſ. 5. v. 3. Ezech. 18. v. 25. Jer. 11. 9. Mich. VI. 2. Rom. 11. 6. 111. 6. *Fit tamen interdum in his actibus, de quibus jus naturæ aliquid conſtituit, ut imago quædam mutationis fallat incautos, cum reverà non jus naturæ mutetur, quod immutabile eſt, ſed res, de quâ jus naturæ conſtituit, quæque mutationem recipit; e. gr. ſi creditor, quod ei debeo, acceptum ferat, jam ſolvere non teneor, non quia jus naturæ deſierit præcipere ſolvendum, quod debeo, ſed quia quod debebam, deberi deſiit.* Ita *ſi quem Deus occidi præcipiat, ſi res alicujus auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quæ voces vitium involvunt, ſed non erit homicidium aut furtum, quod vitæ & rerum ſupremo Domino autore fit.* Sic & Imperator *Juſtinianus Inſtit.* de J. N. §. Sed **Naturalia**. ***Naturalia*** *quidem Jura, quæ apud* ***omnes*** *homines peræque obſervantur, divinâ quadam providentiâ conſtituta ſemper firmataque ſunt immutabilia permanent.* vid. & *Mevius Prodr. Juriſp. Gent. Comm. Inſp.* 2. §. 37. Neque enim hic audiendus Petr. Greg. Tholoſanus Synt. Jur. Univerſ. l. 11. c. 4. §. 8. qui dicit *Jus naturale eſſe quidem immutabile, quamdiu jus remanet,* i. e. *quamdiu jus illud naturalem habet æquitatem & rationem, quibus juſtum dicitur. Veruntamen & mutabile erit, quando ſubductis columnis Rationis & æquitatis juſtum diſſolvitur, quod accidit, quando rationes, quæ æquum ſtatuebant, aliis ſubortis cauſis novis incipiunt minui & ſuperantur aliâ majori æquitate.* Sic Petrus Gregorius & cum eo etiam alii. Quod rationi perquam eſt diſſonum. Nam quatenus jus naturale obligat, ſeu quatenus ejus obligatio intelligitur juxta id quod voluit legiſlator Deus, omnimodam planè ſuperat poteſtatem hominum, nec rationis eorum incertitudini omninò ſubjacet. Manet interim jus naturæ immutabile & indiſpenſabile, nec huic aſſertioni præjudicare poſſunt caſus à Defenſore Unius adducti de occiſione filii innocentis Abrahami, & contrectatione rei alienæ Judaicâ in Ægypto, uti jamdum modo laudatus Grotius accuratè eos enucleavit & infra Theophil. th. 50. refutavit. Reliqui caſus p. 63. adducti ſuis locis etiam vindicabuntur, ut non opus ſit fingere talem neceſſitatem, ob quam ſingulari diſpenſatione circa jus naturæ opus. Tertium & ultimum caſum quod concernit, quando altera pars conjugum matrimonio per morbum aliquem inepta redditur, ubi videtur omnino parti ſanæ, quæ dono continentiæ non eſt prædita concedi poſſe, ut cum aliâ matrimonialiter contrahat. Diſtinguit autem autor inter ineptitudinem antecedentem & conſequentem, in antecedente dicit plane irritum eſſe conjugium, ita ut petente parte ſanâ & aptâ poſſit ſeparatio inſtitui. illique concedi licentia aliam perſonam aptam conjugio quærendi, cum unitas carnis perſonâ ineptâ obtineri non queat, adeoque in hoc caſu non eſſe veram Polygamiam, aliter tamen eſſe pronuntiandum de ineptitudine ſuperveniente, cum tàm arcta ſit conjugum in unam carnem per vinculum conjugale conjunctio, ut conjuges ſe obligent ad omne vitæ conſortium, ad quamcunque fortunam patienter ferendam, unde nec ob ineptitudinem ſupervenientem licebit parti ſanæ cum aliâ contrahere, cum vinculum individuum cum unâ uxore vel viro per iſtiuſmodi caſum non ceſſet. Verum enimverò in hoc caſu multa eſſe monenda, ſed paucis rem tranſigam. Non jam dicam quod illa diſtinctio hic non habeat locum, cum caſus propoſitus tantum (cum altera pars conjugum per morbum inepta redditur) de conjugatis & conſequente ineptitudine loquatur; Sed quicquid ejus ſit, dico, ſi ineptitudo ſit ſive ante-

tecedens ſive conſequens ex parte mariti, uxori non liceat ſeparationem inſtituere & aliam perſonam conjugio aptam quærere, cum conſenſus qui facit matrimonium, ſeparationem non admittat, ſeparatio etiam non fiat niſi inter conjugatos, adeòque illud vinculum individuum non ceſſet, ſed eſſet vera Polygamia (divortio ſcilicet admiſſo) muliebris, à Deo, naturâ, omnibus legibus & gentibus prohibita. Et quid feciſſet uxor, ſi forſitan inter virgines obſoletas fuiſſet numerata, quia expectare cogitur, uſque dum aliquis veniat, qui ad ſuperbæ virginis palatum eſt, vel etiam capulari, decrepito, Eunucho, & ſpadoni, (quod noſtri orthodoxi etiam concedunt, ut exemplum famoſiſſimum ante ſedecim circiter annos in Saxoniâ ventilatum docet) eſſet nupta. Et ſi vel maximè uxor de facto ſe ſeparet, aut deſerat maritum, non amplius poteſt nubere, ob permanens vinculum & periculum polygamiæ muliebris, ſed poteſt iterum reconciliari & conjungi cum priſtino viro. Si verò ineptitudo eſt ex parte uxoris, ſive antecedens anguſtia uteri ſive conſequens, maritus poteſt illam retinere, ob conſenſum & mutuum adjutorium, qui eſt finis primarius & unicus matrimonii, ſive adjuvet in procreando, ſive in re domeſticâ, poteſt tamen etiam ſimul aliam ſuperinducere, quod etiam in Corpore Juris Greg. 111. concedit, c. quod propoſuiſti. Verba ita ſe habent. *Quod propoſuiſti ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis. Bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ſed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis, non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illâ quam infirmitas præpedit, non deteſtabilis culpa excludit.* Quando porrò *Autor unius* Polygamiam non adeò æquam & tam neceſſariam eſſe ad conſervandum genus humanum, ac fuerit diſpenſatio inter fratres & ſorores in principio mundi probare ſatagit, ita ut illa connubia in collaterali linea fuerint non tantum permiſſa ſed & juxta voluntatem Dei ob ſummam neceſſitatem facta, hæc vero neceſſitas in Polygamia ſimultanea non inveniatur, adeo & non æquè poſſit dici licita & ſecundum Dei voluntatem facta. Ad hoc reſponſum fuit, jamdum ſuprà & ulterius dicimus, licet tanta neceſſitas ad conſervandum genus humanum non reperiatur in Polygamia ac in conjugio fratrum & ſororum tunc temporis, Polygamia tamen eſt quodam modo neceſſaria ſi non ad conſervandam, tamen ad magis multiplicandam & propagandam prolem humanam, adeò ut ſemper licita & juxta voluntatem Dei fuerit facta Neque etiam Deus contrarium voluit oſtendere, uti quidem dicitur, *Abrahamo*, qui cum ſuaſu uxoris in lecti ſociam etiam cooptaret *Hagar* ancillam, ut exinde ſemen illud promiſſum obtineret, quod impetrari non poſſe in conjugio ſolius Abrahami & Sarai ob ſterilitatem hujus videbatur, non tamen ex ſecundo illo conjugio cum Hagare ſed ex conjugio primo cum Sara ſuo tempore benedictum ſemen impetraverit. At hoc ipſum ad rem non facit, nec probat, quod probare debet, ſiquidem huic exemplo opponimus exemplum Jacobi qui ex primo conjugio cum Rahele contracto non obtinuit Judam, ex quo Meſſias oriundus, ſed ex ſecundo cum Leâ forte fortunâ per vafritiem Labanis conſummato conjugio Judam ſuſtulit, ex cujus tribu deſiderium Gentium originem ſuam traxit.

2. *Juri Gentium Hugo Grotius l.* 1. *p.* 7. Jus Gentium definit, quod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accipit, Multarum verò addit, quia vix ullum jus reperitur extra jus naturale, quod ipſum quoque gentium dici ſolet, omnibus gentibus commune. Imo ſæpè in unâ parte orbis terrarum eſt jus Gentium, quod alibi non eſt, uti de captivitate & poſtliminio conſtat ex Grotio. Probatur autem hoc jus Gentium uſu continuo & teſtimonio peritorum, uti *Seneca* inquit: Argumentum veritatis eſt ali quid omnibus videri. Et *Cic. Tuſc. Ep.* 117. In re conſenſio omnium gentium jus naturæ putanda eſt. *Quintil.* Pro certis habemus ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt. Optimum autem illud eſt teſtimonium, quod à moratioribus petitur gentibus. Unde non malè *Porphyrius*: Quædam nationes efferatæ ſunt & factæ inhumanæ, ex quibus non oportet ab æquis judicibus factâ æſtimatione humanæ naturæ convitium fieri, & *Andronicus Rhodius* Apud homines rectâ ſanâque mente præ-

præditos immutabile eſt jus illud naturæ quod dicitur. Quod ſi his qui morbido diſtortoque ſunt animo, aliter videtur, nil ad rem pertinet. Nam nec mentitur, qui mel dulce eſſe dicit, ideò quòd ægrotis aliter videatur. Cui proximè accedit *Plutarchi* illud in vitâ Pompeji: Naturâ quidem nullus hominum aut eſt ant fuit ferum atque inſociabile animal, ſed efferatur, ubi extra naturæ modum peccare aſſueſcit, rurſumque aliâ conſuetudine, vitæque & locorum mutatione redit ad manſuetudinem. Unde *Ariſtoteles* hominem definit, per animal ſuapte naturâ manſuetum. *Top. V. 3. & Polit. l. 5.* quid naturale ſit ſpectandum in his, quæ benè ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis. Cum itaque Polygamia apud pleraſque eaſque moratiores Gentes fuerit in uſu, quis non ex poſteriori agnoſcat, juri naturæ illam neutiquam contrariari. Unde *Ariſtoteles* inquit: Potentiſſima probatio eſt, ſi in id, quod dicimus omnes conſentiant. *Et Nicom. X. 11.* quod omnibus ita videtur, id ita eſſe dicimus, qui verò fidem hanc velit tollere, nihilo ipſe credibiliora dicit. *Tertull. præſcript. adverſ. hæret.* quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Et Joſephus Antiqu. Hiſt. 16. *Moribus gens nulla eſt, quæ iiſdem tota utatur, ſæpe oppidatim diſcrepatur plurimum. At jus ipſum omnibus æqualiter hominibus expedit, tàm barbaris utile quàm Græcis, cujus quidem rationem habentes maximam, quæ apud nos ſunt leges, faciunt nos eas purè modo obſervemus, cunctis hominibus benevolos atque amicos. Talia ſunt, qui exiga à legibus par eſt, Neque illos averſari & à ſe alienos arbitrari debent alii, in eo quod inſtitutis differunt, ſed id potius ſpectandum, an ad virtutem & probitatem ſint accommodatæ. Hoc enim ad omnes communiter pertinet, ſolumque per ſe ſufficit ad tutandam hominum vitam.* Quæ cum ita ſe habeant, non poſſum ſatis mirari, quo pacto Autor Polygynias Præſtantiſſimus ſcilicet Magiſter juris Gentium multoque melior, ut ſe jactat p. 3. iis qui huic ſcientiæ ſe totos manciparunt, negare poſſit; quod multarum earumque moratiorum gentium communis conſuetudo judicis loco ſit habenda, cum ſcriptores de Jure N. & G. quos ad unum omnes Anti-Polygynos evolviſſe, & ad unguem noſſe videtur, in hoc conveniant. Ut tamen ſuam ſententiam ſtatuminare videatur, & Polygamiam non eſſe juris Gentium infringere ſatagat, adducit ex Bohemo de mor. Gent. l. 1. c. 5. quod (*una hirundo non facit ver*) Gens Medorum ϖολυανδρίαν in uſu habeat, verba Bohemi Læo ſunt; *Pulchrum fæminæ multos habere viros, pauciores quinque calamitatem arbitrantur.* Quæ verba ſi fortean de procis, quas fœminæ (non enim dicit: uxores) ante conjugium ſibi conciliant, quis explicaret, verbis nullam inferret violentiam. Certè Ahaſueri Medorum & Perſarum Regis uxor Vaſthi tot viros non habuit. Et quid ſcriptor recens teſtari poſſet, cum veteres omnes de hâc re taceant. Sed non opus ut ad hæc recurramus. Nunquam enim nobis in mentem venit, quod unius Gentis conſuetudo jus Gentium faciat. Et ſanè puerilis eſt argumentatio, quam in Profeſſore olim & nunc Conſcientiarum Illuſtriſſimarum informatore & Directore, ne per ſomnium quidem cogitaſſem, ab eo, quod unius nationis particularis conſuetudo jus Gentium non conſtituat, colligere, quod multarum quoque earumque moratiorum Gentium conſuetudo illud jus non faciat. Non enim eſt ad Rhombum, quod de cœteris Gentibus Babyloniis & Spartanis affert. de illis ex Curtio l. 5. c. 1. ſequentia adducit verba: *Apud Babylonios parentes maritique liberos conjugesque cum hoſpitibus ſtupro coire, modò pretium detur, patiuntur.* Quis niſi planè cœcus non videt Hiſtoricum loqui de ſtupris, adulteriis, lenociniis in Babylone, pœnæ divinæ proximâ in ſummo gradu, ut Sodomæ, exercitis, quæ multum à Polyandriâ differunt; Sicut enim ϖολυγυνία eſt per tuus conſenſus unius mariti cum pluribus uxoribus, ita πολυανδρία eſt per tuus conſenſus unius uxoris cum pluribus maritis. Quæ an unquam fuerit apud ullam gentem in uſu, meritò dubitatur. Nil jam dicam de Jure Hoſpitii magni apud Gentes æſtimati, adeò ut cariſſimis quibusvis oblatis advenas honorificentiſſimè ſe excipere crederent, ut in proverbium cuculis beneficentiæ ſummæ immemoribus objectum abierit: *Ingratus ho-*

hoſpes. de quo legi poſſunt *Matthenesſius & Sebilterus de Jure Hoſpitum.* Alterum quod de Spartanis ex *Plutarcho in Num. p.* 71. affertur, eſt ejuſdem furfuris: *Spartanus*, inquit Plut. *huic qui à ſe petiiſſet, uſum propr. a uxoris ad ſuſcipiendos liberos permittebat, manente eâ ſecum domi, ac conjugii jure priſtino nihil labefactato.* Quis iterum niſi blennus & bardus non cernit Plutarchum loqui de uſu uxoris temporario, & ſemel fortean in caſu ſterilitatis adhibito, non de poſſeſſione partiali, & quidem perpetuâ, quæ in Polyandriâ, ſi quæ unquam fuit in uſu, ſit neceſſe eſt. Quod de Platone ex *Theodoreto de Gr. aff. cur. l.* 9. *p.* 626. *T.* II. *Opp.* tectè inſinuatur, non audet apertè exponere, quia fortean ad rem non facit, alias non intermiſiſſet; ſicuti & quod ex *Chryſoſtomo IV. Opp. f.* 273. de Nomadibus affertur ἀπεσσελιόνυσον eſt; aliud enim eſt quando Nomades matribus ſe miſcent, ut Chryſoſtomus refert, aliud, cum una uxor multis viris nubit. Tandem jactabundus ille Anti-Polygynos multos huc facientes ut ait citat autores, quos ſi per defectum temporis & Bibliothecæ potuiſſemus evolvere, forſitan appareret, illum æquè fugitivo oculo, veluti Gallus pede prunas, tranſiliiſſe poſteriores, ac adductos præſentes. Cæterum non negamus poſſe aliqua, quæ juris naturæ & gentium ſunt, per malos mores & conſuetudinem introductam quaſi ad tempus obliterari in unâ vel alterâ gente; Ita neminem cædere, ſuum cuique tribuere, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ſunt juris naturæ & gentium, & tamen olim apud quoſdam populos latrocinari, & prædas agere in externos, nullo bello indicto, pro licito habebatur, quod Σκυθισμὸν vocat Epiphanius. Hinc illa apud Homerum an prædones eſtis? amica interrogatio. Cujus & Thucydides meminit *& in Solonis lege veteri Collegia* ἐπὶ (dicens: nondum infamiam habebat id vitæ genus, ſed potius laudabatur) λείαν ἐρχομένων memorantur. Quippe ut Juſtinus ait, ad Tarquinii tempora latrocinium maris gloriæ habebatur. Ita Cæſar de Germanis ait: *latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujuſque civitatis ſunt.* Quod & teſtatur Tacitus de mor. Germ. & Saxon. l. 14. & alibi. Idem de Tyrrhenis ſcribit Servius ad VIII. & X. Æneid. & de aliis Gentibus ad lib. I. Æn. Diodorus Siculus eadem memorat de Luſitanis, qui cum Plutarchus conſentit in Mario: *Ad id tempus Hiſpanis latrocinari inter pulcherrima habebatur.* Simile eſt, quod Judæi damnum datum ei, qui nec Judæus, nec Judæis fœderatus, ſarciendum negant. Ita & Scholiaſtes ad Odyſſ. V. *Latrocinari apud antiquos non tantum infamia carebat; ſed inſuper glorioſum ducebatur.*

Juri Divino Anti Polygynos more Zoili iterum in his verbis invenit, quod reprehendat, cum Theophilus ait, quod jus divinum morale nihil ferè aliud quàm jus Naturæ ſcriptum ſeu explicatum. Jus enim naturæ cordibus hominum eſt inſcriptum & ipſi naturæ humanæ concreatum. Jus autem divinum morale, ſeu Decalogus, præter quam quod mentibus humanis ſit impreſſus, etiam tabulis lapideis eſt digito Dei impreſſus. Unde Seldenus ait de J. N. & G. p. 99. *Decalogus continet juris Naturalis præcepta, excepto Sabbatho.* Ne verò non illius, cujus reum agit Theophilum, probationem in ſe ſuſcipere videatur, adducit legem illam Paradiſiacam, de vetitâ arbore ſcientiæ boni & mali. Qui ſi *Magni Theologi Calovii Syſtema*, quem aliàs ſæpè adducit, nec non *Balth. Meiſnerum Calixtumque* de Legibus legiſſet, illam legem merè poſitivam non tantum, ut ipſe fatetur, ſed & divino juri morali contra diſtinctam cenſuiſſet. Jus enim divinum dividitur in morale & poſitivum. Ut *Danhaſſerus in Hodoſ. & Selden. de J. N. & G.* aliique Doctores ſubinde docent. Deinde non negamus in Decalogo plura contineri, quàm quæ jus naturæ complectitur, unde *Defenſor unius* rectè p. 53. aſſerit: jus naturæ explicatius in Decalogo haberi, & poſſe eo exinde explicari. Sufficit ergò nobis, ſi ea omnia, quæ jus naturæ in ſe comprehendit, etiam habeantur in Decalogo quanquam etiam plura. Ibi enim præcipitur ſanctificatio 7. diei, quæ non ad jus naturæ, uti etiam ex eo non eſt conſpicua, pertinet, nec ad morale, ut *Carpz. in Iſag. ad libr. Symb.* docet, ſed eſt purè poſitivum, Judæis latum, non obſtante, quod & genti-

les quidam Septimum diem ex converſatione, commerciis, famâ Judæorum aut Septuagintavirali verſione feſtum habuerint, aut aliis de cauſis Aſtronomicis vel civilibus hunc diem obſervaverint. De quo *vid. Selden. l. 3. de J. N. & Gent. à c. 9. uſque ad* 20. prolixè. Et notanter ait *Clem. Alex. l. V. Strom.* τὴν ἑβδόμην ἱερὰν οὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι. *Septimum eſſe ſacrum diem non tantum Hebræi ſed & Græci ſciunt.* Obſervanda etiam ſunt, quæ *Theodoretus n Ez. ſect. ſcribit T. 1. Opp. p.* 569. Illud non mœchaberis, non occides, non furaberis, & alia cum his conjuncta alios quoque homines *naturæ lex* edocuit, ſed *Sabbathi ſanctificandi non natura Magiſtra, ſed latio legis.* In aliis igitur cum aliis communione juncti, in obſervatione Sabbathi propriam quandam videbantur obtinere Remp. (Judæi) *nulla enim alia gens hoc otium obſervabat*: neque circumciſio ipſos ita ab aliis diſtinguebat ut Sabbathum, quippe circumciſionem Idumæi quoque habebant &c. & poſt: Sabbathi obſervationem ſola Judæorum natio cuſtodiebat. Cœterum libentiſſime ſcire vellem, Noſter Anti-Polygynos quis, qualis, & quantus, ater an albus, noſtræ orthodoxæ doctrinæ addictus, an verò illorum, qui Chriſtum novum legiſlatorem (contra Joh. 1. *Lex per Moſen data, gratia autem per JeſumChriſtum facta*) in Novo T. conſtituunt, & novas leges tuliſſe aſſerunt, uti ſunt Pontificii, qui tres leges, aut ut alii vocant, tria conſilia perfectionis, votum nempe obedientiæ, continentiæ & paupertatis ipſi attribuunt, vid. *Brochm. T.* II. *Euang. q.* 13. *p.* 256. *Danh. Hodom. pap.* 1. *P.* 6. *p.* 1029. 1037. quibus ſe jungunt Sociniani & Arminiani, qui tres alias leges abnegationem ſui, Crucis quotidianam portationem & Chriſti imitationem effingunt: vid. *Dan. Hod. Pap. l.* 1026. *Brochm.* II. *de Euang. q.* 6. *Hulſ. in Form. Conc. p.* 460. *Caſ. Conſ.* c. 7. §. 1. 2. Sed noſter Anti-Polygynos novam & quidem tertiam ſortem Legiſtarum conſtituit & duas leges in N. T. baptiſmum & cœnam Domini comminiſcitur p. 9. quod quomodo cum Proteſtantium qualem ſe jactat doctrinâ conveniat, alii viderint. Interim meâ intereſt ſcire, qui cum mihi ſit negotium. Aliter enim agendum cum Atheo, aliter cum Anabaptiſta, aliter cum Arminiano, Sociniano, aliter cum aliis & novis hæreticis, ut *Giſbertus Voëtius* paſſim in ſuis *Diſp. Selectis* docet.

THESIS XVI.

PRimò enim *divinæ creationi* ſeu *primæ inſtitutioni conjugii*, non repugnat. Sicuti enim in quovis genere animalium par & par Deus creavit, ipſe vero non prohibuit, quo minus maſculus, e. g. aries cum pluribus ovibus, hœdus cum pluribus capris, bos cum pluribus vaccis miſceatur, ita Deus in genere quidem humano etiam primitus par creavit, ipſi verò quod diſpliceat, quando unus maritus cum pluribus uxoribus conſentiat, nuſpiam legitur. Sufficit quidem ad conjugium uti ad amicitiam ad minimum duo, ad collegium tres, nil vero prohibet, quominus in conjugio, in amicitia, in collegio poſſint eſſe plures.

Primæ Inſtitutioni Illa inſtitutio conjugii prima facta eſt non demum *c. 2. Gen.* (uti Anti-Polygami communiter, & præſertim Autor Legis Monogamicæ, aut potius Utopicæ utique quæſitæ & demum cap. 2. inventæ putat) ſed capite primo, ubi per τὸ *creſcite,*

ſcite, multiplicamini, & replete terram, & illam vobis ſubjicite; non poteſt non conjugium, &, quia antea nulla ejus mentio, prima ejus inſtitutio innui. Quia enim hoc primum caput præcedit ſecundum, & in primo de conjugio ſit ſermo, abſurdum eſſet dicere, illud demum c. 2. inſtitui, cum jam primo capite ejus fiat mentio: niſi velimus aſſerere primo capite de conjugio non agi, quod quàm abſonum ſit, vel pueri norunt. Nec, quia Chriſtus *Matth.* 19. allegat c. 2. Gen. & primum conjugium Adami conſequitur, eſſe tùm inſtitutum. Petrus allegat conjugium *Abrahami & Saræ*, quod illa juxta voluntatem Dei Gen. 3. vocarit maritum ſuum *Dominum*, quod hodiè præſertim in Gynæcocratumenis provinciis eſt rariſſimum. Quis verò propterea vellet aſſerere, conjugium tempore Abrahami aut c. 3. eſſe inſtitutum. *Paulus* allegat *fidem Abrahami* in Ep. ad Rom. Non tamen eà propter fides in Abrahamo, aut illius tempore demum inſtitui cepit; & Sethus, Henoch, Noachus, Abel, Adamus, fidem non habuerunt. Nec etiam, quia Chriſtus provocat ad exemplum (non tamen *exemplis ſed legibus eſt judicandum l.* 13. *C. de ſentent.* & interl) primi conjugii Adamitici *Matth.* 19. illud illicò erit totalis & adæquata norma omnium, quæ de conjugio in quæſtionem venire poſſunt. Sed ſicuti quæ de fide Abrahami Moſis, Gideonis, Davidis, Eliæ, Rom. III. Hebr. XIII. adjunctis etiam dictis omnibus de fide agentibus, afferuntur, ex illis omnibus poteſt natura fidei explicari, & quæ circa illam occurrunt, decidi, ita ex primo capite Geneſeos colligi poteſt inſtitutio conjugii, & numerus indeterminatus uxorum, quibus cum unus maritus ſe multiplicare vult & poteſt; ex capite ſecundo verò mutua adhæſio, & indiſſolubile vinculum conjugii, ex tertio capite dominium mariti in uxorem abſolutum, & illimitata uxoris ſubjectio, partus doloroſus in memoriam primi lapſus impoſitus, & patienter ferendus; ex quarto capite numerus uxorum pluralis Deo non ingratus & ſequentibus capp. Abrahami, Nahoris, Eſauvi & Jacobi exemplis confirmatus. Atque ſic deinceps non neglectis legibus Lev. 18. Deut. 17. c. 21. c. 22. & dictis, quæ in V. & N. fœdere occurrunt, poſſunt normari omnia quæ circa conjugium moveri ſolent. Unicum enim dictum vel exemplum non poteſt eſſe totalis & adæquata norma omnium de aliquâ re poſſibilium quæſtionum. Fruſtra verò eſt, cum Defenſor Legis Utopicæ aſſerit, non dari partialem normam ſeu regulam, partialem ulnam, partialem menſuram, Sed ſi debeat eſſe norma vel regula, non poſſit eſſe niſi tota; quaſi verò pars ulnæ dimidia non poſſit etiam menſurare non quidem totum, ſed dimidiam partem, aut totum binis vicibus uſurpata; & deinceps quod à Legislatore Cretenſi affertur, de normis & regulis corporalibus, materialibus, artificialibus & mechanicis procedere poteſt; ſecus verò ſe res habet cum rebus ingenii ſpiritualibus & immaterialibus, ubi hic vel ille locus & dictum ſcripturæ cum reliquis de eadem materiâ agentibus conjunctim normam conſtituere poſſunt. Exempli gratiâ. In Paradiſo ſtatim fit mentio Meſſiæ conculcaturi ſerpentem. Quis verò ex illo loco concludet, aut deducet, illum ex virgine Mariâ naſciturum, quod Eva, Lamech Noachi Pater cœterique Patriarchæ & fideles non ignari aliàs promiſſionis Paradiſiacæ uſque ad Eſaiæ tempora neſciverunt. Nemo etiam exinde colliget obumbratione Spiritus S. concipiendum, paſſurum ſub Pontio Pilato, aliaque quæ hodiè nos credere tenemur.

Sicuti enim in quovis animalium genere par & par creavit Hic miros triumphos canunt ante victoriam plerique Anti-Polygami, quod uti dicunt; Theophilus pari conditione beſtias ac homines proponat; Verum enim verò hoc ipſi nunquam neque per ſomnium quidem venit in mentem, eſſe omnimodam æqualitatem inter ipſos licet negari non poſſit eſſe aliquas convenientias & disconvenientias inter creaturas; ſed hoc tantum vult innui, ſi creatio paris facit univerſalem legem, ex quâ Monogamia excluſiva poſſit probari, non tantum Polygamia humana, ſed &, ut ita dicam, brutalis erit contra primam creationem, adeoque peccarent plerique omnes Patres familias, contra creationem, quando arieti, hœdo, Gallo plures oves, capras, Gallinas, admittunt, & propter ab-

abuſum hunc creaturarum, gementium ad Deum, juxta Paulum grave judicium in diè Pantocritico ſuſtinere neceſſe haberent. Vis ergò argumenti non eſt in comparatione beſtiarum & hominum, ſed in eodem modo ſe habente creatione Monagamicâ, contra quam non tantum ipſe Polygamus in propriâ perſonâ, ſed & pater familias ceu cauſa moralis Polygamiæ brutalis delinquerent. Interim inficias nemo ibit, beſtias in multis, præſertim quoad animam vegetativam & ſenſitivam nobiſcum convenire, & nonnullas etiam aliquam conjugii rationem habere. Etſi enim pleraque animalia vagam Venerem ſectentur, nonnulla tamen matrimonium quodam modo imitari videmus. Illa quidem promiſcuâ libidinè utuntur, quorum fœminæ alendis pullis ſufficiunt, nec ad hanc rem vicariâ ope indigent, non verò illa, quorum fœminæ ſolæ huic operi ſufficere non poſſunt. Hæc autem communis bipedum indigentia eſt, non quadrupedum, ideoque videmus omnium ferè avium mares uni fœminæ adhærere, & fœminas uni mari, atque inter eas eſſe matrimonii ſimulachrum, quia ad excludendos & excluſos pullos alendos alter alterius vicariâ operâ indiget; quadrupedibus verò vagam Venerem indulſiſſe naturam quia eorumfœminæ conceptum edere, & partum fœtum propriis viribus tueri poſſunt! At verò ſi hæc indigentia inter aves maris & fœminæ conjunctionem neceſſariam flagitavit, quidni & propter eandem rationem inter homines matrimonium perpetuum eſſe voluit natura? an non mulier vicariâ viri operâ indiget ad educandos, ſuſtentandos & erudiendos liberos? Quod & ipſe *Thomas* benè perpendit cum *l.* 4.*Sent.diſt.*26.*q.* 1.*a.*1.ita infit: *Unde dicit Philoſophus, quod filiorum procreatio communis eſt omnibus animalibus, tamen ad hoc non inclinat eodem modo in omnibus animalibus; quia quædam animalia ſunt, quorum filii ſtatim nati poſſunt ſibi ſufficienter victum quærere; vel ad quorum ſuſtentationem alter ſufficit, & in his non eſt aliqua determinatio maſculi ad fœminam; In aliis autem, quorum filii indigent utriuſque ſuſtentatione, ſed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio uſque ad tempus illud, ſicuti in avibus quibusdam patet. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum uſque ad magnum tempus, eſt maxima determinatio maſculi ad fœminam, ad quam etiam natura generis inclinat.* Et paulo ſupra. *A parentibus habemus eſſe, nutrimentum & diſciplinam: filius autem à parentibus educari & inſtrui non poſſet, niſi determinatos & certos parentes haberet, quod non eſſet, niſi eſſet aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit.* Quæ cum ita ſint, neſcio quâ fronte quidam Anti-Polygami defugiant comparationem hominis cum reliquis beſtiis, cum hæc ſit *optimum medium ſeipſum cognoſcendi*, maximi momenti & ampliſſima via ad magnam ſcientiam ſi benè inſtituatur; Sed quis hoc faciet? homo? ille eſt altera pars, ſuſpecta & ſanè bonâ fide non procedit. Quod vel ex hoc apparet, quod hic modum non obſervet, ſed modò ſuperiorem & Dominum omnium ſe conſtituat, reliqua omnia flocci pendat, & illis tantam facultatum & virtutum portionem aſcribat, quàm ipſi viſum fuerit; modò per deſperationem ſe miſeriorem omnibus creaturis conqueritur & naturam ceu iniquiſſimam novercam accuſat; Cum verò utrumque ſit contra rationem, veritatem & modeſtiam, & opus ſit, ut rectâ viâ inter duo extrema incedamus, primùm ſciendum, Politiam mundi non adeò eſſe inæqualem, difformem & in membris ſuis diſproportionatam, ſed unum magis alterum minus ad alterum àccedere, hominesque atque animalia habere quædam communia, quædam particularia. Quæ communia ſunt, generare nutriri, agere moveri, vivere mori. *Idem interitus hominis & jumentorum (Cohet. 4.) & æqua utriuſque conditio.* Multi tamen homines naturam matrem incuſant, quod homo naſcatur ſine tegumentis, nudus cum lacrymis, ſine armis, nec informatus in iis quæ ſunt ſalutaria; cum reliqua animalia habent ſuas cruſtas, pilos, lanam, dentes, cornua, & noverint natare, currere, volare, cantare & victum ſuum quærere. Verum enim verò hæ ſunt injuſtæ & falſæ etiam querelæ. Noſtræ cuti etiam proſpectum eſt ſe tueri contra injurias aëris, uti multæ nationes, quæ veſtibus non utuntur, teſtantur, & ipſi nos apertam gerimus tener-

tenerrimam faciem, manus, virgines etiam pectora. Præterea etiam multi fœtus animalium poſt nativitatem ingemiſcunt, & plangunt; Quod arma concernit, nos poſſumus membris noſtris & manibus melius uti, quàm beſtiæ ferè ſuis cornibus & dentibus. Et quid ſi in hoc ſuperemur à beſtiis, præſtamus in aliis. Nec dubito, quin infans depoſita infirmitate infantili adeptus facultatem ſe nutriendi, poſſit quærere ſuam nutrituram. Terra producit & illi offert ſatis ad neceſſitatem ſine ullâ cultura & artificio, quod teſtantur multæ nationes, quæ ſine agriculturâ, induſtriâ & ullâ ferè curâ Pancraticè vivunt. Quod loquelam attinet, poſſet dici ſi non ſit naturalis, quod etiam non ſit neceſſaria, verum illa eſt communis hominibus cum brutis. Quid enim aliud eſt quam loqui, cum illos videmus, gaudere, ſe invicem ad ſuppetias advocare, ad amorem invitare. Et quomodo nos loquimur per geſtus, motiones oculorum, manuum, capitis, ſcapularum, uti præſertim muti hîc excellunt, ita & faciunt beſtiæ, ut nos videmus in illis, qui nullam vocem edunt, & nihilominus ſibi præſtant mutua officia, & uti certo modo beſtiæ nos intelligunt, ita & illas nos. Illæ blandiuntur, minantur, auxilium efflagitant, & nos viciſſim. Nos loquimur ad illas, & illæ ad nos, & ſi nos non invicem nos perfectè intelligimus, cujus eſt culpa? illorum aut noſtrum? hoc divinandum. Illæ hos etiam ex eadem ratione poſſunt æſtimare pro beſtiis, quemadmodum nos illas. Nos multa animalia non intelligimus, & illa tamen ſe invicem, non tantum, quæ ejuſdem ſunt ſpeciei; ſed & quæ diverſæ. Equus ex latratu canis percipiet an ſit cholericus vel non. Quin videmus in bello, cum pugna initur, Elephantos, Equos, canes nobis cum eandem, ſi ita loqui licet, habere mentem: moventur ad noſtrum placitum, proſequuntur hoſtem, retrocedunt, participant de prædâ, ut in expugnatione Indorum videre licuit. Et hæc ſunt, quæ bruta cum hominibus quodammodo habent communia. Sunt deinde quædam differentiæ & *prærogativæ* unius præ altero, ut ita ex diſcordi concordiâ tota Politia mundi ſit concatenata. *Prærogativæ hominis* ſunt Excellentiſſimæ *facultates animæ, ſubtilitas, vigor activus* & aptiſſimus ſpiritus ad inveniendum, judicandum & eligendum *loquela articulata* ad expetendas & reddendas ſuppetias, *manus* promptiſſima ad exequenda ea, quæ mens excogitavit, aut ab alio percepit. Præterea etiam miraculoſiſſima efformatio corporis, ita ut ſua membra multis modis movere, & ad ſuum uſum adhibere poſſit. Nec deſunt etiam animantibus ſuæ prærogativæ; eæque vel certæ, vel quæ adhuc in diſputationem veniunt. Extra omnem diſputationis aleam poſitum, ſunt in duplici differentia, quædam generalia, quædam ſingularia. *Generalia* ſpectat *ſanitas*, quæ eſt multò melior & conſtantior in brutis, aer *ipſis* ita non nocet, non ſunt ita ſubjecta defluxionibus, ut homines tectis, veſtimentis & domibus vix poſſunt eſſe tuti ab ipſis catharris, à quibus tamen ferè omnes morbi proveniunt. *Moderatio appetitus & actionum, innocentia, ſecuritas, quies & tranquillitas, libertas plena & integra ſine pudore, timore aut* ceremoniis in rebus naturalibus, & licitis, (nam homo ſolus habet, quod occultet ſe in ſuis actionibus, quorum defectus & imperfectiones offendunt ſocios) exemptio à tot vitiis & inordinatis affectibus, ſuperſtitione, ambitione, avaritiâ & invidiâ. Particularia ſunt avium ſcilicet habitatio pura & ſana, eaque jucunda in aere; deinde aptitudo ad quaſdam artes, puta architectonicam ut rubeculæ & aliæ aves, fila conficere & conſuere ſciunt araneæ, Muſicam alaudæ. Sunt & quædam miraculoſæ & inimitabiles proprietates, uti remora magnam navim ſiſtit, ceu Antonio & Caligulæ accidit, Torpedo membris etiam remotis ſine attactu ſomnum inducit; Chamæleon omnes colores aſſumit. Aves ſciunt tempora abeundi & redeundi, & omnes matres ferè inter beſtias norunt ſuos pullos, & quidem meliores, unde cum ab injuriis vel aeris, vel milvi, ſalvandi, aut aliàs in nidum tranſportandi, à meliore incipiunt. In his omnibus homo multò eſt inferior, & in pleriſque prorſus nil valet. Cui adjici poteſt, ſi quis velit, longitudo vitæ in quibuſdam animalibus ſepties vel octies excedens longævitatem humanam.

Prærogativæ, quas homo prætendit præ beſtiis

beſtiis quidem, ſed à nonnullis adhuc diſputantur, ut *Facultates animæ rationales, diſcurſus, Ratiocinatio, diſciplina, judicium, prudentia*, ita ſunt comparatæ, ut non immeritò in quæſtionem veniat, à Magnis Philoſophis, Ariſtotele, Galeno, Porphyrio, Plutarcho, an in totum beſtiæ ſint privatæ omnibus iſtis facultatibus ſpiritualibus. Primò enim compoſitio cerebri, quo anima utitur in ratiocinando, eſt ferè eadem in beſtiis & hominibus, ut in anatomiâ videre licet. Beſtiæ etiam concludunt à ſingularibus ad univerſalia, ex uno homine viſo colligunt omnes ejuſdem κ' μμφλος eſſe homines, norunt conjungere & dividere, & diſtinguere bonum à malo pro ſe & ſuis pullis. Vulpes tranſitura flumen gelu obductum, aures applicat ad glaciem, ut ex curſu aquæ percipiat, ulteriuſne tendendum ſit vel non. Quod & Thraces dicuntur facere. Canis in trivio conſtitutus ut ſciat, quam viam Dominus vel animal, quod quærit, ingreſſus, per odorem & defectum veſtigiorum in duabus ſemitis, certior factus, quod hâc non tranſierint, tertiam ſine ullis ambagibus ingreditur. Mulus Philoſophi Thaletis, onuſtus ſale, & forte fortunâ cadens in aquâ quam pertranſibat, ſenſit decrementum oneris, ita ut deinceps ſemper trajiciens aquas, ſe tædioſo liberaret onere, ſed cum deinde lanam portaret, & cadens in aquâ incrementum oneris deprehenderet, ſine offenſione ulteriori poſteà tranavit. *Plutarchus* narrat, quod viderit in navi aliquâ *canem* lapillos in urceum injicientem, ut aqua aſcenderet, & ipſe bibere poſſet, quod & faciunt *corvi* in Barbaria. Ita *elephanti* ſuccurrunt unus alteri in foſſam lapſo, apportando ligna, & lapides, ut exire poſſit. *Boves Regii horti Suſæ* intelligentes, centum vicibus rotam ut circumire neceſſe habeant, antequam aqua ad irrigandum hortum extrahatur, nunquam voluerunt plures facere paſſus, nec unquam in numerando fefellerunt. Quæ ſanè omnia ſine diſcurſu, & ratiocinatione non poſſunt peragi. vid. *Juſt. Lipſ.* in duabus *Epiſtolis de Elephantis & canibus*, ubi ſtupenda leges. Nil jam dicam de optimâ *Oeconomia formicarum* grana ſiccantium, & ne germinent, in acumine arrodentium. Nil de Politiâ apum cum magnâ conſtantiâ diverſis ſub officiis mel conficientium. Et quanquam hæc omnia nonnulli referant ad *inclinationem* aliquam *naturalem*, ſervilem quaſi & coactam, attamen cum videamus in his actionibus brutorum opus eſſe enumeratione partium, comparatione ſimilium & diſſimilium, diſcurſu per compoſitionem & diviſionem inſtituto, conſequentiis etiam, ut in Scholis loquimur, neſcio quo pacto ſoli inſtinctui naturali aſcribi poſſit. Præterea ſi conceda tur, proprio gladio ſeipſos jugulant, ſiquidem multò melius nobiliusque eſt, magisque accedit ad divinitatem agere per naturam, quàm per artem, duci per manum Dei, quàm per propriam, ſua ordinare per naturalem & inevitabilem conditionem, quàm diſponere per libertatem fortuitam & temerariam. Et quid aliud illo *prætenſo inſtinctu naturali* agunt, quàm beſtias ut privare velint omni informationis capacitate, cum tamen illæ inſtituant, & inſtitui ſe patiantur, ut exempla avium, recubularum, alaudarum, canum, equorum, elephantorum inter animalia maxmè docilium monſtrant.

Quod illam humani ſpiritus facultatem quâ maximè gloriatur homo, concernit, quod res corporales & abſentes abſtrahendo omnia accidentia, eminenter & Spiritualiter concipiat, quia *intellectum eſt in intelligente ad modum intelligentis*, beſtiæ idem faciunt ferè. Caballus bello aſſuetus in ſtramine dormiens fremit & tumultuatur, quaſi ſit in pugnâ, concipit animo ſonum tympani, buccinæ & ſtatum pugnantis excercitus. Canis Venaticus Thracius anhelando ſomniat, caudam extendit & ſuras, ac ſi lepus eſſet præſens. Canes Oſtiarii murmurant in ſomno, mox latrare incipiunt, ac imaginantur peregrinum adveniſſe: Quid aliud exinde conſequitur, quam quod bruta etiam aliquid rationis habeant, utantur diſcurſu & judicio, ſed non tàm benè & perfectè. Et in hoc ſunt inferiora homine, non tamen ita ut nil participent de ratione, ſed ut unus homo altero eſt inferior; & inter beſtias etiam magna occurrit differentia, major tamen inter homines ipſos, adeò ut ſæpe magis diſ-

differat homo ab homine alio, quàm homo à bruto. Præterea iſta *pretenſa prærogativa intellectus & cæterarum facultatum ſpiritualium*, plus apportat mali, ſiquidem eſt ſcaturigo principalis omnium malorum, hominem inquietantium, vitiorum ſcilicet, paſſionum, morborum, hæſitationum, perturbationum animi, deſperationum, à quibus omnibus beſtiæ ſunt immunes, ut teſtatur porcus in navigio Pyrrhi, qui in maximâ tempeſtate omnibus præſentibus horrendâ tranquilliſſime demenſum comedebat. Quotuſquiſque non exiſtimet, illas animæ maximas facultates eſſe denegatas ipſis beſtiis aut ad minimum diminutas & infirmatas in ipſorum magnum commodum & tranquillitatem, homini verò in tormentum conceſſas. Nam per illas homo inquietatur & perturbatur, ægritudine afficitur ob præterita & metuit futura, ſiquidem ſæpe concipit & timet mala, quæ neque ſunt, neque futura ſunt. Animalia verò antequam ſentiant, malis non anguntur, & ab illis liberata vivunt in ſummâ tranquillitate; Quis non inde perſpicit, hominem per illa quibus putatur felicior, eſſe multò miſeriorem, & melius ſe forſitan habere, ſi non eſſet ornatus iſtis egregiis donis. Et ſanè videmus ſtupidos & debiles ſpiritu vivere tranquillius, & non affici tantoperè malis & contingentibus, ubi illi qui habent ſubtiliores ſpiritus & magna ingenia. *Altera prærogativa* ab homine præ beſtiis pretenſa eſt illud *dominium & poteſtas in animalia*, quibus ſe imperare putat. Sed hoc mera chimæra eſt, ſiquidem homines magis timent bruta, quàm bruta homines. Ubi eſt illud imperium in cetos, balænas & Elephantos, niſi per vim, per fraudes ſicut in cœteros homines arripiatur? Ubi eſt illa obedientia brutorum erga homines? Homines quidem ſanè excellunt in hoc ſupra bruta, quod præſint piſcibus maris, volatilibus cœli, beſtiis terræ, Gen. 1. ſed hoc provenit ab erectâ & ſublimi formâ quaſi Regiâ, uti & à ſapientiâ & ſpir tus excellentia, non verò exinde quòd beſtiis imperent, & illæ obediant. Ut Poeta canit:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.

Eſt & alia prærogativa priori proxima, quam homo prætendit, nempe *plena libertas*, cum beſtiæ ſervituti, captivitati, ſubjectioni ſint expoſitæ. Verum enim verò hoc magis quadrat in homines, ſiquidem videmus non tantum mancipia inter homines, quæ vi detinentur & reguntur, ſed & multos, qui ſponte ob obolum ſuam libertatem vendunt, aut propter aliqua commoda aliis, ut ancillæ uxoribus, milites Capitaneis permittunt, aut ex amore & animi voluptate aliis quaſi donant. Nihil verò horum reperitur in beſtiis; Illæ ſibi invicem non inſerviunt, aut ſervitutem quærunt, neque activè neque paſſive, & ſunt omnibus modis magis liberi quàm homines. Nec obſtat, quod homo venatum exiens apprehendat, interficiat, & manducet beſtias, ſiquidem & ipſe ſæpè capitur, interficitur, & devoratur à beſtiis in occurſu, & quidem multò nobiliore modo, Marte ſcilicet aperto, non per aſtutias & fraudes, quibus homo utitur; & ab illis non tantùm, ſed quæ res eſt horrenda, à ſuo ſocio, ab aliis hominibus. Beſtiæ nunquam congregantur ad nocendum, prædandum & alias ſibi ipſis ſimiles capiendas & in ſervitutem redigendas, ut faciunt homines.

Quarta & maxima prærogativa, quam homo prætendit, in Virtute conſiſtit. Sed de morali adhuc quæſtio moveri poſſet, ſiquidem recognitio, amicitia officioſa, fidelitas, magnanimitas, & tot aliæ virtutes, quæ in ſocietate & converſatione conſpiciuntur; ſunt ſanè multò intenſiores ſæpe, expreſſiores & conſtantiores inter bruta quàm vulgo inter homines. *Canis* Lyſimachi, *Hircanus* dictus, in lecto Domini mortui commoratus, neque edere neque bibere voluit, ſed in eundem ignem, quo Dominus fuit conſumtus, ſe conjecit, eodem cum Domino igne cremandus, quod etiam narratur de cane Pyrrhi. Sic ſæpe canes latrones ſuorum Dominorum prodiderunt, ut & alius, ſacrilegium templi Athenienſis detexit, ut ſcribit Plutarchus. Leo quidam noluit ſuum hoſpitem & Medicum Andradum ipſi ad devorandum objectum tangere, ut ipſe Appianus Romæ ſe vidiſſe dicit. Elephas quidam occidit ſuum Dominum; ſed pœnitentiâ ductus noluit am-

amplius vivere, bibere, & edere. Quid multis? non eſt in mundo animal, in quo injuſtitia, ingratitudo, proditio, perfidia, mendacia & diſſimulationes magis deprehenduntur, quàm in homine. Et cum virtus conſiſtat in moderatione appetitus & refrenatione voluptatum, beſtias multo moderatiores ſecundum & intra naturæ limites ſe continere in conſpicuo eſt. Illa enim non afficiuntur illis cupiditatibus *non naturalibus, ſuperfluis & artificialibus* quaſi, quæ ſunt ex omni parte vitioſæ & infinitæ, uti homines, qui maximam partem illis obruuntur & immerguntur; ac in *naturalibus cupiditatibus*, quæ cibum, potum & concubitum attinent, beſtiæ ſunt multo continentiores hominibus; Sed ut clarius perſpiciamus, quis ſit virtuoſior homo, vel beſtia, contemplemus propriiſſimam hominis virtutem à quâ nomen habet, *Humanitatem* ſcilicet, cui opponitur *crudelitas*. Beſtiæ non invicem bella gerunt. Major ſerpentum ferarumque concordia quàm hominum. Non pugnant niſi juſtam & prægnantem habeant cauſam, ut ſe ſcilicet & ſuos pullos defendant & conſervent & quidem armis naturalibus & apertis, adhibitâ ſolâ fortitudine, uti in duellis, non congregatim, nec multo conſilio adhibito; pugnæ earum ſunt breves, quando una beſtia eſt læſa, vel cedit, bellum eſt finitum, & contentiones, odia, ira terminantur. Sed homo non pugnat, niſi contra hominem ob cauſas non tantum leviſſimas, vaniſſimas & frivolas, ſed & ſæpè injuſtiſſimas, & armis quidem artificialibus, proditione, fraude aliiſque peſſimis mediis, magnis copiis & longo apparatu adhibitis, bellum etiam continuat longo tempore & ſine fine, ſæpè uſque ad mortem, & quando non amplius poteſt nocere, odium & ira perſeverant. Quid ergo gloriatur homo præ beſtiis. Eſto enim habeat aliqua dona præ illis, uti ſunt ſubtilitas ſpiritus, & intellectus ac nobiliſſimæ facultates animæ, etiam eſt mutationibus & mille malis obnoxius, à quibus liberæ ſunt beſtiæ, ut ſunt *inconſtantia, hæſitatio, dubitatio, ſuperſtitio, cura de futuris, ambitio, avaritia, invidia, curioſitas, detractio, mendacium.* Breviter homo nil aliud eſt quàm mundus (*κόσμος μυριόκοσμος*) malorum (conſer. Jac. III.6.) & inordinatarum ſuâ ſorte non contentarum cupiditatum. Spiritus ergo ille in quo gloriatur homo, mille mala ipſi apportat, præſertim, quando movetur & ſe intendit. Non enim tantùm nocet corpori, perturbat, diſrumpit & proſternit robur corporis, & actionum corporalium, ſed & inſuper ſeipſum impedit. Quid hominibns conciliat maniam, ſtupiditatem, ſtultitiam, quàm nimia agitatio ſpirituum? Sicuti ex intimâ amicitiâ naſcuntur Vatiniana odia & ex ſanitate vigoroſiſſimâ morbi incurabiles. Melancholici, dicit *Plato*, ſunt magis capaces ſcientiæ & ſapientiæ, ſed & ſtultitiæ. Et qui benè rem conſiderabit, reperiet quòd in maximis animæ elevationibus & abſtractionibus, ſint quædam, ut ita dicam grana ſtultitiæ; Sunt enim reverà res maximè vicinæ, uti in proverbio etiam dicitur; *Nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ eſt.* Secundum igitur naturam ſimpliciſſimo modo ut vivatur, beſtiæ habent plures prærogativas, vivunt liberius, ſecurius, moderatius, ſuâ ſorte contentæ. Et ille homo eſt prudens, qui hæc conſiderat, & cautus aliunde redditur, ac ſe componit ad *innocentiam, ſimplicitatem, libertatem, & humanitatem naturalem*, quæ in beſtiis quaſi relucet, & in nobis tota ferè eſt corrupta per illas artificiales inventiones, & diſſimulationes ac ſimulationes, dum abutimur illis, quibus beſtiis præſtamus, animo ſcilicet & judicio. Deus tamen benigniſſimus nos ſæpe in Scholam ad beſtias, *ciconias* puta, *hirundines, turtures, formicas, boves, aſinos* aliaſque remittit, ut diſcamus quæ nobis ſalutaria ſunt. Tandem in memoriam eſt revocandum, quando quidem eſt quoddam commercium inter beſtias & nos, ac quædam relatio & obligatio mutua, quod non aliunde oriatur, quàm quòd unum Dominum habeamus, & ſint æque opera manuum ejus ac nos, ac proinde crudeliter non eſt agendum cum illis, ſed ſicut juſtitiam debemus hominibus, ita benignitatem cœteris creaturis, qui hujus ſunt capaces. Atque hæc ex Rorario Scaligero aliiſque prolixè ideò excerpſimus, ut ſuperbi Anti-Polygami & ſuperbarum mulierculärum, quæ nolunt porcis, aſinis, bobus comparari, Patroni diſcant

ſcant in ſe deſcendere, ſuas infirmitates plus quàm beluinas in ſcriptis Anti-Polygamicis conſpicuas deponant ac memores illius gentibus noti & Delphico templo inſcripti aurei dicti: γνῶθι σεαυτὸν: humaniores mores aſſumāt.

3. *Deus in genere humano etiam primitus par creavit* Sapientiſſimus mundi creator voluit, ut ab uno ſanguine, unâ carne & uno homine quaſi, (quia mas & fœmina unum corpus & una quaſi anima) in quo Deo autore initium ſuum habuit conjugium, tota gens humana habitaret ſuper universâ terræ ſuperficie, *Act.* 17. 26. ideò meritò vocatur Conjugii præſul. Ambroſ. T. IV. l. 1. de Abrahamo c. 2. p. 173. Aliàs infinitos homines creare potuiſſet, ſicut ſtellas vel angelos, niſi prudentiſſima ejus voluntas hoc conſultius judicaſſet, ut homines forte-an ſibi invicem magis devinciret, & ad fraternum amorem eò arctius colendum obligaret, quanquam curioſè in ipſius rationes non eſt inquirendum, ſed potius viæ ejus impervestigabiles & imperſcrutabilis ejus voluntas, quæ ratio facti eſt eritque, cum Paulo Rom. XI. ſunt admirandæ, ſiquidem Deus noſter eſt Deus abſconditus, & cogitationes Dei atque viæ ejus juxta Eſaiam ab humanis differunt, quantum cœlum à terrâ. Hoc imprimis conſpicuum eſt in miraculoſiſſimâ hominis præmiſsâ conſultatione, ac evidenti Trinitatis declaratione ad ſui imaginem creatione, ut non malè *Triſmegiſtus* hominem vocet miraculum magnum, *Pythagoras* menſuram omnium rerum, Plato θαῦμα θαυμάτων, miraculum miraculorum; & Rabbini dicunt, quod minima pars hominis ſit præſtantior ſole, ſeu ut in Bereſchith Rabba effertur: *Caleaneus Adami obſcurabat ſpharam ſolis:* R. Elieſer ait, angelos invidere homini, quod non omnium animalium nomina ſcirent, ut Adam. conf. *R. Men. Ben Iſr. de Creat. p.* 29. *Euſeb. Præpar. Eu. l.* 1. *c.* 4. *Bernh. Serm.* 1. *de hom. Scal. Ex.* 254. *Voet. Diſp. Sel. l.* 756. *Aſlac. Phyſ.* 269. *Thyſ. Synopſ. Theol. Leid. d.* 13. *th.* 16. *Meiſn. Anthr. d.* 1. *q.* 2.

THESIS XVII.

QUod & ipſe Deus inſinuare videtur, cum ex coſta quarum plures ſunt in corpore humano, fœminam efformavit. Sicuti enim coſtarum pluralitas ad motum, meliorem proportionem, conſervationem & protectionem corporis, cordis, jecoris, pulmonum non tantummodo conducit, ſed fere eſt neceſſaria, ita & pluralitas fœminarum ſeu uxorum prodeſt non tantum ut ea, quæ ad mariti ſuſtentationem, reſpirationem & commodiorem defenſionem faciunt, conſerventur; ſed etiam eſt quodammodo neceſſaria non tantum *neceſſitate medii*, uti in Scholis loquuntur, ſed & *neceſſitate præcepti.*

1. *Ex Coſtâ fœminam efformavit* Reverà ex coſtâ Eva fuit à Deo creata, adeò ut erret Cardinalis *Cajetanus*, qui metaphoricè accipit, & *Rabbini*, qui ſimul cum viro creatam, dorſo conjunctam & deinde ſeparatam ajunt, illudque indicari volunt Gen. 2. 21. 22. vid. *Voet. Diſp. Sel. l.* 781. ubi etiam quærit, quomodo Adami coſta eximi potuerit ſine ſenſu doloris, & reſpondet, quod factum fuerit per ſuſpenſionem tactus quoad actum ſecundum, vel per obſtupefactionem ſenſuum. Sanè fuit ſomnus ſupernaturalis & veluti ἔκστασις, ubi Deus potentiam & benignitatem oſtendit ſuam formans Evam ſine operâ Adami, & nobis omnia beneficia largiens absque operâ noſtrâ.

ſtrâ. vid. Frid. Rappalt. diſp. de Somno, c. ult. Geſn. in Gen. Zanch. p. 3. l. 1. c. 1. p. 648. Aſlac. Phyſ. 396. Non verò fuit ſingularis aliqua coſta, quàm poſteri non habent. an verò ex ſiniſtro latere ob vicinitatem cordis ad indicandum conjugum amorem deſumta, incertum eſt. vid. Geſn. in Gen. d. 2. q. 17. Greg. de Val. l. 1. d. 7. q. 1. p. 2. Becan. p. 1. Theol. Schol. tr. 5. c. 1. q. 1. concluſ. 3. Zanch. p. 3. l. 1. c. 1. p. 649. Pareg. in c. 3. Gen. p. 459. Aſlac. Phyſ. 385. Voet. l. Select. Diſp. 781. confer & infr. th. 30. & ib. annot.

2. *Coſtarum pluralitas.* Similia licet nullam probationem conſtituant, maximè tamen rem illuſtrant, & eò uſque latiſſimè extendi poſſunt, quouſque non oriatur aliqua abſurditas. Non verò Theophilus ex hoc ſimili neceſſario colligit determinatum numerum uxorum, ſicuti eſt coſtarum, quod autor Victoriæ Cretenſis p. 161. ſomniat. Sive igitur ſint viginti, ſive viginti quatuor, ita ut ex utraque parte duodecim, aut ſæpè tredecim ex unâ, & undecim ex alterâ parte appareant, ut Barthol. Anat. l. 4. c. 17. & Andr. Veſal. de Corp. hum. Fabr. l. 1. c. 19. docent, perinde nobis eſt. Incertum quoque an Adamus in uno latere tredecim, aut in uno duodecim, in altero undecim habuerit, & an decima tertia lateris dextri, juxta Targum Jonathanis exemta fuerit.

3. *Pluralitas uxorum prodeſt* Monogamia ſæpè in cauſa eſt ut quis abhorreat à conjugio & ſcortationibus atque vagis libidinibus implicetur. *Maxima* enim *ſervitus eſt ſervire uni uxori*, præſertim his ultimi mundi fecibus, ubi mulieres ceremoniis & μετὰ πολλῆς φαντασίας ducuntur & ſumtuoſiſſimè ſuſtentantur, nec labore nec amore maritorum benevolentiam quærunt. Si verò plures eſſent, maritus eſſet verus Dominus ſuis uxoribus imperans, quæ diligendò, laborando, complacendo maritorum benevolentiam ſibi conciliarent. Quod in Monogamia non fit, ubi una eſt Domina, & imperioſa mulier vel vi vel clam, vel precariò ſuum imperium in maritum exercere noctesque diesque laborat. Matrimonium enim Monogamicum infinita affert incommoda & onus intolerabile vivendi ſemper cum eadem conjuge; niſi enim ſit ſumma animorum conſenſio, diuturna illa cohabitatio parit faſtidium, multæque offenſiones animum quaſi divellunt, & veluti antipathiam quandam ingenerant.

Quoquò te vertas ſingula plena malis. *Nulla enim* datur *electio uxorum, ſed qualiſcunque contigerit habenda, ſi iracunda, ſi deformis, ſi fœtida; quodcunque vitii, poſt nuptias demum diſcimus. Equus, aſinus, bos, canis & viliſſima mancipia, veſtes quoque & lebetes, calix, ligna & urceolus fictilis probantur prius & ſic emuntur. ſola uxor non oſtenditur, nec ante diſplicet quàm ducitur. Hieron.* contra Jovin. ſed *Clem. Alex. l. 3. Pædag.* egregias affert regulas, quibus beatum conjugium obtineri, ubi & ex Tragœdo citat hos verſiculos:

O Fœmina quàm in rebus humanis nihil
Non regna nec aurum, nec opum vis maxima
Tot voluptates, tot comitates afferunt,
Quot temperantis fœminæ & viri boni
Mens juſta, ſi non illa negligit virum.

Si verò plures ſunt, quæ virum non negligunt, ſed in magno habent æſtimio. multò beatior erit maritus, nec tanta erit promiſcua Venus, quâ uſæ Gindianes *Herod. l. 4. & Dapſilitges. Nicol. de mor. Gent. Alex. ab Alex. l. 1. c. 24.* (De Adamitis, Marcionitis & Anabaptiſtis nil dicam) nec tantus amor cœlibatus in memoriâ forteàn habentibus dicta quædam ſapientum Prov. 21. Syrac. 21. 26. 29. & illud Poetæ: θάλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνὴ κακὰ τρία. *Mare, ignis & mulier tria mala:* Menand. & alterius, ἄλυπον ἕξεις βίον χωρὶς γάμου. *Moleſtiis caret vita, quæ cælebs* eſt. ita Hipponactes apud Stob. *bini dies cum uxore ſunt jucundi, alter quô ducitur, alter, quo effertur.* Perpenderunt etiam forſitan conditionem & genia mulierum, quod ſint *rixoſæ* Ariſt. l. 3. de Nat. Anim. *avaræ, pauperes ad conſilia bonæ, artifices maximæ & optimæ malorum. Eurip. Med.* ſumtuoſæ, Menand. *ſuperbæ* dum nimis ſibi placent. Plaut. in Pen. *inconſtantes, variæ & mutabiles ſemper.* Virg. 4. Aen. latentes & verſutæ, aſtutæ & magneticæ, juxta illud Poetæ: *Mulieribus artes curæ, viri plus valent haſta.* Eurip. & ut ille Nobilis Romanus ejiciendo uxorem dixit, nemo ſentit,

ſentit, quâ parte calceus ſtringat pedem, niſi qui induerit, ita nemo novit ingenia muliercularum, niſi qui duxerit uxorem. *Plut. Mor.* Nonnullos etiam movent exempla eorum, qui à mulieribus ſunt decepti. unde Hieron. in Epiſt ad Nepot. *Non habites*, inquit, *ſub eodem tecto cum muliere, nec enim es Samſone fortior, Davide ſanctior, Salomone ſapientior.* Multi etiam *ſpernuntur* à ſuis uxoribus, ut apud Lycios, Spartanos, Romanos, de quibus lepidum illud *Catonis* dictum: *nos omnibus mortalibus imperamus, mulieres autem nobis.* Multi etiam odio habentur à ſuis uxoribus, ut apud Cares jurejurando interpoſito legem tulerunt, ne fœminæ poſthac cum maritis cibum caperent, aut etiam propriis nominibus appellarent. Herod. l. 1. Nec deſunt, qui ab uxoribus ſunt interfecti, uti quinquaginta filiæ Danai conſpiratione factâ unâ noctè totidem maritos interfecerunt *Guid. Bituric.* Præterea etiam conſiderant nonnulli incommoda quæ in conjugio occurrunt. *Uxore ducta ſervus eris*, Men. inquit. *aſtrictus nuptiis non amplius eris* liber. Idem. *ſi duxeris deformem, habebis ποινὴν, ſi duxeris pulchram, habebis κοινὴν.* inquit ille apud Gell. *difficile* enim videtur *cuſtodiri, quod plures amant & moleſtè poſſideri, quod nemo deſiderat poſſidere.* Dotatam heram accepiſti, ſervus eris, pauperem ducens ſervus etiam eris, victum utrique quærens. *pauperem alere* difficile, *divitem ferre tormentum.* Hieron. ad Jov. Unde Auſonius in Grammatici cujusdam infœlix conjugium eleganter ſcripſit:

Arma virumque docens, atque arma virumque peritus
Non duxi uxorem ſed magis arma domum.
Namque dies totas noctesque ex ordine totas
Litibus oppugnat meque meumque larem.
Atque ut perpetuis dotata in Marte duellis
Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Jamque repugnanti dedam me, ut denique victus
Surgor ob hoc tantum, jurgia quod fugiam.

Breviſſimè etiam matrimonii moleſtiæ incluſæ ſequentibus verſiculis:

Qui ducit conjugem, ſe nimis onerat,
A cujus onere mors ſola liberat,
Vir ſervit conjugi, & uxor imperat.
Sic ſervus factus eſt, qui liber fuerat.
Qui ducit uxorem ad jugum ducitur,
Et pœnam fugiens ad pœnam trahitur.
Uxorem capiens plus ille capitur,
Nam ſemper ſerviens ſervus efficitur.
Uxorem capiens, hîc mortem accipit,
Dum putat vivere, jam mori incipit,
Vivendi tædium in mente concipit,
Sed eâ mortuâ vir vitam incipit.
Qui eſt ſub conjuge, ſub jugo premitur
Et mori cupiens languere cogitur,
Hic dolor maximus & pœna dicitur
Ut rubus ardeat, qui non conſumitur.
Quid dicam breviter eſſe conjugium
Nil præter tartarum & purgatorium,
Non eſt in toro quies vel otium,
Nec dolor conjugis habet remedium.
Quis poſſet conjugis ferre moleſtias,
Labores varios & contumelias?
Labor & tædium reſtat poſt nuptias,
Uxorem igitur cum morte fugias.

Verum quidem eſt multa poſt lapſum eſſe in conjugio incommoda, uti omnis ſtatus, quicunque demum ſit, ſuis laborat imperfectionibus & moleſtiis, ſed à ſapiente viro facilè ſuperantur, mutantur, aut cum non aliter poſſit eſſe tolerantur. Nec propterea ipſum conjugium eſt poſthabendum aut negligendum. Sapientiſſimus Plato l. 4. de L. L. dicit in benè conſtitutâ Rep. primam rationem conjugii eſſe, & cœlibes puniendos inter mares & inter fœminas. Et non malè Oſiander: *Annoſa virgine, quæ ad eam ætatem pervenit, ut amplius concipere & parere non videatur, quid obſecro eſt monſtroſius, quin etiam contemtibilius?*

THESIS XVIII.

NEceſſitate *medii* quidem non abſoluta ſed *expedientiæ*, quia media vivendi neceſſaria marito magis affluent, melius conſervabuntur, & cuſtodientur, ſi habeat plures uxores exemplo coſtarum, quæ quo plures, eo melius corpus ſe movere, cor, pulmones atque alia viſcera interiora, ſine quibus homo, nec vivere nec reſpirare poteſt, tueri atque defendere valent. Iacobus nunquam ad tantam opulentiam perveniſſet, nec illam ſemel partam tam bene tueri & conſervare valuiſſet, niſi quatuor uxores duxiſſet. David in exilio non tam bene ſuſtentari potuiſſet, niſi occaſione data deinde cum uxore Abigail præter primam ſe conjunxiſſet. Salomon tantam ſapientiam, potentiam, rerum omnium affluentiam nominiſque celebritatem nactus nunquam fuiſſet, niſi cum pleriſque vicinis Regibus propter Filias, quas in uxores duxerat amicitiam intimam contraxiſſet. Comes **de Gleichen** ex captivitate Turcica & jugo illo Tyrannico quod gravius morte eſt, nunquam liberatus fuiſſet, niſi præter primam cum Turcica uxore conſenſiſſet.

1. *Media vivendi neceßaria Autor Victoriæ Cretenſis* negat Polygamiam opes conciliare, cum ibi plures, quàm in Monogamiâ paſcendi, veſtiendique ad quod longè lautior ampliorque res requiratur. Verum enim verò ubi plures ſunt paſcendi, veſtiendique, ibi plures etiam laborant. *Ruſtici Curlandiæ* quò plures habent liberos, eò melius ſe gerunt, & eò facilius Nobilibus operas ſuas præſtare poſſunt, non neglectis domeſticis laboribus. Si *Victor* ille *Imaginarius* ethnicus eſſet, ignarus providentiæ divinæ, quæ Turcarum & Ethnicorum ex Polygamiâ ortorum familias ſuſtentat & conſervat, ignoſcendum ipſi eſſet. Mahometani & Pagani aliquando reſurgent in die Pantocritico & hos Chriſtianos aç Deiſtas condemnabunt, Sanè, qui duo illa media à Deo ordinata *Ora & labora* obſervat, nulla penuriâ laborabit juxta *Pſ.* 37. 25. ubi *David* propriâ experientiâ edoctus ita infit: *Juvenis fui & jam ad ſenectutem perveni, nec unquam vidi juſtum* (NB. qui juſtis viis incedit, ſuum cuique tribuit, neminem lædit & juſta media uſurpat,) *derelictum, aut ſemen ejus panem quærentem.* Jacobus Patriarcha nil habebat præter baculum & quatuor ducebat uxores, nilque dotis à tenaciſſimo Euclione Laban obtinebat, & per hæc media antea laudata fiebat ditiſſimus, Tempore Davidis octodecimgami & Salomonis Millegami, aliorumque Polygamorum, qui ad exemplum Regum, ſe dubio procul in toto Regno componebant, tanta erat abundantia auri & argenti, ut æquarent lapides in plateis. Non nego per Polygamiam nobiles familias poſſe ad egeſtatem, modicas verò ad mendicitatem redigi, ſed per accidens, quia pietate deſtituuntur, & in otio & luxuriâ vitam forſitan totam tranſigere more ſolito cupiunt. Quin & hoc ſæpè videmus in Monogamiâ fieri, ubi eadem cauſa, defectus ſcilicet veri Chriſtianiſmi, otiique ac cupiditatum carnalium nimius amor militat. Quod verò de *Mauris* tritum adagium concernit eos *habere plurimum uxorum, nil opum*; illis opponimus ſupra laudata exempla, & aſſerimus, illos ſuâ ſorte eſſe contentos, non adeò inhiare divitiis, ut Chriſtiani ſæpè faciunt, qui aurum pro Deo habent. Nec *Clenardus l.* 1. *Ep.* 15. nobis obſtat,

cum

cum dicit, ſe didiciſſe inter Africanos hoſce Eraſmo ignotum adagium: *Opes* ſcilicet *Chriſtianos perdere litibus, Judæos feſtorum conviviis, Mauros nuptiis.* De abuſu enim loquitur, & exceſſivâ Polygamiâ, quæ non capacibus plus noxæ affert, quàm adjumenti. Qui enim non illa bona animi, corporis & fortunæ poſſidet, nec ſuis rebus adeò benè proſpicere poteſt, melius eſt, ut ſibi temperet, & duabus vel tribus uxoribus ſit contentus. Medio tutiſſimus ibis. Denique *Victor* ille *Phantaſticus* diſtinguit inter media licita & illicita parandi opes, & dicit non eſſe facienda mala, ut eveniant bona, comparatque Polygamiam cum aliis flagitiis, rapinâ, furto, fraude, proſtitutione corporis, mendacio, per quæ etiam ſæpè opes parantur; cum prius probandum ſit Polygamiam eſſe malum, eſſe flagitium, eſſe medium illicitum, illa omnia quæ recenſet, ſunt prohibita, ſed Polygamia nuſpiam, quæ ſanè non eſt poſtremum medium acquirendi, & ſuæ fortunæ conſulendi, ſi rectè adhibeatur. Unde & *Cardanus in Arcanis Politicis* inter media parandi opes collocat matrimonia. *Johannes Olorinus* in *Ethographia Mundi part.* 1. agit de communi mundi querela ſuper pecuniæ penuriâ (**von dem allgemeinen Welt-klagt und Welt-pflage den Geld-mangel**) viginti cauſas recenſet hodiernæ penuriæ, quarum *prima*, *Impenſæ nimiæ* Regum & Principum in Regias Coronationes, nuptias, deductiones, epulas baptiſmales & Pereginorum Principum adventus. 2. *Impenſæ exceſſivæ in ædificatione arcium*, caſtellorum, munitarum urbium juxta verſum:

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλὰ
ἀνεγείρειν
Ἐς πενίαν μέθοδός ἐστιν ἑ τοιμοτάτα.

Vid. *Conr. Diatr. Diſcurſus Polit. de Munit. & propug.* Tertia cauſa *impenſæ in Martem* & damna ex Marte oriunda. *Quarta nimius amor Bacchi*, quando quivis ſemper cum divite iſto Epulone in deliciis & gaudiis tempus terere geſtit, antiquos rythmos revocans.

Quicunque vult eſſe Frater
Bibat ſemel ter & quater
Bibat ſemel cum ſecundo,
Donec nihil ſit in fundo,
Bibat Hera, bibat Herus,
Ad bibendum nemo Serus
Et pro Papa & pro Rege
Bibamus ſinè Lege
Et Pro Rege & pro Papâ
Bibamus ſinè aqua.
Hæc eſt Lex potatica
Sociorum ſpes unica
Quicunque non potaverit.
Sanus eſſe non poterit.
Nihil proſint vina,
Niſi ſit potatio Trina,
Non ſolum trina,
Sed terna, quaterna, quina.
Aqualis lympha maledicta
Sit à nobis interdicta
Ponens aquam in Falerno
Sit ſepultus in inferno.
Et durat iſta regula
In ſempiterna ſecula.

Quinta cauſa *Anti-Chriſti avaritia.* Sexta *Alchymyſtarum verſutia.* Septima *advocatorum Proceſſus.* 8. Veſtimentorum *luxus.* 9. *Ludorum ſeu luſus amor.* 10. *Palatiorum ædificatio.* 11. *Mercatorum nequitia.* 12. *Judæorum uſuræ.* 13. *Chriſtianorum uſuræ.* 14. *Nuptiarum ſumtus.* 15. *aurifodinæ.* 16. Otium. 17. *Ordo Mendicantium.* 18. *Cingarorum ſeu Zigenorum fraudes.* 19. *Ruſticorum malitia.* Quibus cauſis omnibus, ſi quis Monogamiam, malaque exinde pullulantia adjungat, ſanè nullum committeret mendacium. Cœterùm terra adhuc magnis abundat divitiis, nec nobis eas invideret, niſi illis abuteremur. *Neander in Orb. Deſcr.* memorat, quod Mart. *Forbiſſerus* Anglus A. 1577. 26. Maj. mandato & impenſis Reginæ Eliſabethæ miſſus ſit cum navibus verſus Septentrionem ut novas provincias inquirat, & diu multumque in mari non ſine maximis periculis verſatus tandem in Septentrionalibus regionibus menſe Auguſto, tantam copiam auri offendit, ut *ducentis tonnis auro repletis* ſalvus & incolumis iterum 17 Sept. in Angliam tantis gazis abundans redierit. *Petrus Martyr in Sum. Ind.* de Americâ ſcribit, quod in Provinciâ *Cotboi* aurum ex terrâ oriatur & creſcat per modum fru-

fruticis, atque arbores amplexetur, & velut vites, adhæreat. *Petrus Hiſpanus p. 5. c. 12.* narrat de iiſdem locis quod ibi incolæ rete in mare projiciant, & veluti piſces aureas glebas capiant, præſertim prope fluvium Tencum, ubi quando pluit & aurea grana, quod inquilini benè norunt, beneficio aquarum eluantur; retibus aurum quantitatem ovorum excedens capiatur. In urbe S. Dominici aurum, veluti lapides, ceu *Ovetus Hiſt. l. 6. c. 8.* recenſet, effoditur, adeò ut ſæpè una gleba puri auri quingentos vel ſeptingentos nummos aureos pretiò exæquet. *Petr. Mort. Summ. Ind. c. 84.* meminit, quod nonnullæ glebæ aureæ quater mille aureos nummos exceſſerint, ubi etiam refert, quod fruſtum auri novem libras pendens Regi Hiſpaniæ ab Hiſpano quodam Nojeda allatum fuerit; ſimiliter prodit quod prope montes, quos libavos vocat, gleba aurea viginti quinque librarum inventa fuerit. *Surius* in Comment. ſcribit, quod Indiani A. 1558. Carolo Imperatori, ut ſe ab onerosâ lege à Cæſare ipſis præſcriptâ liberarent, tantam vim auri promiſerint, quantam omnes Principes Germaniæ ad defendendum longo tempore belli non poſſent præſtare, nempe unum & viginti milliones ducatorum, quam ſummam poſteà ejus filio Philippo alius Legatus obtulit; quin etiam memorat, quod ſeptuaginta milliones auri, & totidem milliones, quoad pretium, lapidum pretioſorum, adamantum, unionum & aliarum rerum ab Indianis in Hiſpaniam apportati fuerint. *Franc. Vaſquet* meminit quod in provinciâ Topira tanta auri copia ſit, ut auro loco laterum utantur, domos argenteis & aureis lateribus tegant, ac ex defectu ferri equos aureis calceis & clavis onerent. ſimiliter refert, quòd in urbe Pachalcami fons ex puro auro confectus reperiatur, qui per partes poſſet disjungi & conjungi, millionem ducatorum appretians. Sic & memoratur, quod ex Regis Peruaci urbe ad ejus vicarium unâ vice ducenti robuſtiſſimi viri auro onuſti ablegati fuerint, & quod ibi multæ domus aureis lateribus aureis, tectis, muris & parietibus, uti & Regis Atabalipæ gazæ tantæ eſſe dicuntur, ut tres domos integras auro repletas poſſideat, & in aliis quinque ædibus millia millium ex fruſtis aureis repoſita ſint, quorum quodlibet centum coronatis æſtimetur. Petrus Hiſpanus ſcribit, quod in Provincia Collao templum ſolis intus ſit totum aureum & argenteum. *Franc. Alvarez* meminit magni aurei altaris ab Helenâ Regina Mauritaniæ in Regno Gojamâ erecti. *Leander* teſtatur, quod Venetiis in templo S. Marci aurea tabula infinitis lapidibus pretioſis, ornata reperiatur. *Olaus Magnus l. 2. c. 5.* ſcribit, quòd in Septentrionalibus, ubi jam Upſala Academia eſt, olim fuerit templum tecto aureo, & intus columnis muris ex pavimento aureo ornatum fuerit, aurea catena miræ magnitudinis ad ſuperſtitionem faciens circumcirca totum templum ducta fuerit.

2. *Media vivendi neceſſaria conſervabuntur & cuſtodientur* Uxoris officium domi manere, inſtar cochleæ, ea quæ vir acquiſivit vel à parentibus ex hæreditate vel ex dote aut aliunde accepit, cuſtodire, ut ſupra Th. l. ann. 8. expoſitum. Unde Paulus ad Tit. 11. 3. monet, ut matronæ inſtruant juniores mulieres, *ut ſint caſtæ, ament viros & liberos, curent rem familiarem & ſint ſubjectæ ſuis maritis.* Et Raguel ſuam filiam Tobiæ elocatam adhortatur, ut *honoret parentes mariti, tanquam proprios, maritum adamet, familiam benè gubernet, rem domeſticam curet; & ſe caſtè gerat.* Tob. 10. 13. Et ut ad Ethnicos deveniam, Nobilis matrona Theano percunctanti, quo pacto ſe celebrem reddidiſſet; Reſpondit; *contexens telam & meum curans conjugium.* Senſit fœmina illuſtris, laudem maximam eſſe, ſi uxor non extravagetur, ſed domi remanens rei domeſticæ curam haberet. Ita *Lacæna captiva* interrogata, quid ſciret; Reſpondit; *benè gerere domum.* Plut. in Lacon. Idem *Plut. in Præceptis connub:* dicit mulieres non debere imitari *lunam*, quæ quò à ſole remotior, eò clarior; quo propinquior eò obſcurior & minor, ſed potius contrarium tenere, & præſente viro ſe conſpici patiantur, abſente verò domi maneant & ſe abſcondant. Ita apud *Moſcovitas* hodienum atque alios uxores abſentibus viris à peregrinis advenientibus non conſpiciuntur, nec colloquia ſuſtinent. Unde *Chilonis dicterium* fuit

fuit, uxorem humilem, viros fugientem, & non magno apparatu ducendam; ne pro uxore Dominam deducas in domum. Sat enim *dotata puella quæ pudicitiam & alia afferat* & ex Laconicis inſtitutis fuit, *virgines indotatas eſſe ducendas.* Sunt enim fideliores in re domeſticâ curandâ & cuſtodiendâ. *Dion. l.* 1. *c.* 4. Lycurgus interrogatus, cur virgines ſine dote nubere lege caviſſet, Reſpondit; *ne ob inopiam illæ relinquerentur innuptæ neque ob divitias expeterentur; ſed juvenum quiſque ad puellæ mores reſpiceret.* Atque eam ob cauſam fucos & ornamenta, quibus alias formam vel fingere vel commendare ſolent, ex urbe ſubmovit. *Plut.* Et *Phocyonis uxor* in complurium fœminarum cætu interrogata, cur ſola non uteretur aureo ornatu? Reſpondit: *uxori magnus ornatus viri ſui virtus eſt. Anton. in Melig.* l. 5. c. 33. Egregiè verò *Greg. Nazian. carm.* 56. *ad Olymp.* eam inſtruxit, quomodo ſe erga virum & alios gerere debet.

Primo Dei numen, poſt hæc venerare maritum.
Vitæ Oculum, & tua qui ſapiens conſulta gubernat.
Hunc & ſemper ames unum, læteris & uno,
Idque magis, flammas ſi ſenſeris illius in te
Ardentes, ſtabiliſque tui conſervet amorem.
Ne tibi ſit, quantam cupit hic fiducia tanta,
Sed quantum decet & fas eſt, namque omnia tandem
Tædia ferre ſolent animi. Non expedit autem
Conjugis ut ſaturum capiant faſtidia pectus.
In molem, mulier cum ſis, ne aſſurge virilem,
Nec genus & proavos memora, nec pulcher amictus
Sit tibi, vel vani ſapientia cauſa tumoris.
Legibus eſt thalami ſapientia cedere magna.
Cuncta etiam nexus communia reddit utrique
Conjugii. Tu cede viro, cum bile movetur.
Atque laboranti fer opem mollique loquela
Admonitiſque probis mœrentia pectora fulci.
Cum lea ſæva furit, rabidaque exæſtuat ira.
Robore corporeo domitor non comprimit illam,
Sed manibus mulcens domat hanc, & voce ſuavi.
Ne damnum improperes, quamvis irata marito.
(Pluris enim ille tibi eſt, quam commoda cuncta putandus).
Nec finem adverſum votis (namque haut decet iſtud,
Sæpe fit, ut non ſit prudentibus exitus idem
Conſiliis, verùm malè vertant optima cœpta)
Nec teneras vires, cum magnum robur in enſe.
Namque aliàs etiam ſit oportet fœmina ſimplex
Virque etiam, ſed plus mulier, majoribus ipſa
Debet in hanc etiam ſtudiis incumbere tandem.
Sint tibi lætitiæque omnes, ſævique dolores,
Sint tibi communes caro cum conjuge curæ.
Nam domus his veluti gradibus ſe tollit in altum:
Dic quoque quid placeat, ſed ſit ſententia victrix
Conjugis, hanc contra nimium contendere nolì.
Cum jacet in luctu paulum quoque contrahe frontem
Et ſociam luctus te da, nam mœror amici
Afflicto eſſe ſolet dulcis medicina doloris,
Protinus ad vultum ſumes cum mente ſerena
Mordaces animi curas, luctuſque revelle.
Nam mæſto eſt uxori ſtatio benefida marito.
Pro ſtudio arguto tibi ſit cum pectine tela,
Divinique tuam teneat meditatio mentem
Eloquii, conjux externa negotia curet
Limine, namque pedem niſi rarò efferre caveto,
Nec tu publica feſta, inhoneſtos nec pete cœtus.
Namque verecundis etiam de fronte ruborem.
Hæc adimunt, oculiſque procacia lumina jungunt.
Extincto porro ſubeunt mala cuncta pudore.
Ad functos autem jubeo te tendere cœtus,
Dum prudens matrona tibi ſe jungat eunti.
Egregium medio ſermonem ut pectore condas
Quo tua vel virtus creſcat, vel noxa necetur,
Urbs tibi ſint ædes, tibi ſint viridaria læta
Non cerni, excipio caros caſtoſque propinquos.
Atque ſacerdotem, ac ſenium juvenilibus annis
Utilius multo ac melius, quin, Nata, monebo,
Hoc quoque fœminei vites conſortia ſexus.
Si qua ſit extentâ cervice atque ore procaci.

Unde videmus Greg. Nazianzenum alioſque ſapientes maximè urgere ut uxor domi ma-

neat, domeſticarum rerum ſatagat, nec extravagando domum incuſtoditam, cum rei familiaris damno relinquat. Neque etiam extra domum habet, quod agat, cum ab omnibus publicis virilibus officiis remotæ ſint oportet, *c. dilect.* 4. *Extra. de arbitr. c. mulierem.* 33. *q.* 5. *c. infamis* §. 3. 4. 7. *d. l. ff. de Reg. Jur. d. l. neque fœmina ff. de proc. d. l. alienam* 18. *Cod. eodem.* ſed defendere eſt virile opus *l. fin. ff. de tut. d. l. alienam.* 18. *C. de procur.* § *patitur.* 2. *l. uxores Inſtit. de Injuriis.* Mulier enim non poteſt eſſe procuratrix *l.* 2. *ff. de Reg. Jur. l. neque fœmina.* 54. *ff de procur. l. alienam.* 18. *ubi DD. Bartol. Odofred. & Bald. n.* 1. *Caſt. n.* 1. *Salic. n.* 1. *Jaſon. n.* 2. *Alex. n.* 1. *gl. in c. cum dilecta. verb. procuratricem. Spec. tit. de procur.* §. 1. n. 1 Et hoc fit propter conſilii infirmitatem, quod aliis dare nequeunt *l. ſcire* 21. *ff. de Tut. & c. ur. d. l. pen. ff de edend. l. fin. ff de Tutel.* plerumque enim inveniuntur mulieres contra propria laborare commoda. *l.* 4. *in fin. de ſponſ. Joach. à Beuſt. in. l. admonendi* 31. *n.* 548. *ff de Jurej. Pariſ. Conſil.* 75. *n.* 30. *vol.* 3. *Nemo verò* aliis conſulere poteſt, qui ſibi ipſi conſulere nequit *arg. l. Titia.* §. 11. *ff. de Exc. tut.* §. *quâ conſtit. inſtit. eodem* Extravagantes verò ſunt illæ fœminæ & extraordinaria Exempla, cum in foro agere dicuntur uti *Valer. Max. l.* 18. *c.* 13. talia recenſet & nota eſt Arneſiæ, Corneliæ, Læliæ exemplum, uti Cicero teſtatur: *Auditus eſt nobis Læliæ Caji. filiæ ſemper ſermo.* In cauſis extrajudicialibus quidem hodiè communiter procuratrix eſſe permittitur *l.* 3. §. 1. *ff. de neg. geſt. Alb. & dd. in d. l. alienam* 18. *ubi Jaſon. n.* 2. *verſ. ult. limita &c.* præſertim ſi litem agat propriam *l. quia abſente* 4. *C. de proc. ibi dd. Bald. n.* 1. *Jaſon. n.* 2. *Reform. Norica tit.* 5. *l.* 5. § **aber in ſallſt nigυen ſahen/** *Ref. Worm. l.* 1. *tit.* 19. §. **doch mag ein jedwede Frau.** Sed mulieres habent ſuos tutores vel Curatores vel advocatos & procuratores, ut non opus ſit in præjudicium virorum ipſas in foro apparere. Unde non malè Owenus lib. ad Arbell. Ep. 257.

Perlege divinæ ſinuoſa volumina legis,
In nullo numero ſunt puer & mulier. Matth. 14. 21.
Civili puer & mulier prohibentur ab omni
Munere, non mulier non gerit arma puer.
Utuntur longâ tunica mulierque puerque
Imberbes pariter ſunt puer & mulier.
Fertur & in teneros puer & cito fœmina fletus
Blanditiis mulier decipiturque puer.
Cogitis in quantos hominum genus omne furores
Tu Venus, o Mulier, tuque Cupido puer.

THESIS XIX.

ITA videmus quantum expediat habere plures uxores. Expedit nempe *Maritis* ad jucundam & longævam vitam ducendam, ad rem familiarem augendam & conſervandam, ad honores acquirendos, ad ſpartam quam nacti ſunt, bene ornandam, ad uxorum infidelitatem præcavendam, ad liberos bene educandos, quando habebunt plures in domo, qui amando, complacendo, laborando, certabunt, & quaſi aliud agendo ad ſummum bonum obtinendum conſpirabunt. Expedit *juvenibus*, qui affectibus aut vino abrepti rem cum virgine præter opinionem habuerunt & commode conſcientiam proxeneta conjugio tranquillare poſſunt, uti & maturius ad conjugium ſe conferent, bene conſcii, quod ſi forte prius matrimonium non fuerit ad palatum, om-

omnia quæ in pejus ruere videbantur, ſecundo poſſint reſarciri & compenſari. Expedit *uxoribus*, quarum vitia communia, ſuperbia, ignavia, invidia, Zelotypia præpoſtera aliaque innumera decreſcent, augebuntur vero virtutes una cum ſanitate corporis & animæ. Expedit *virginibus*, quæ facilius ad matrimonia provenient, nec tantis periculis ſanitatis & vitæ ob intermiſſum conjugium, & famæ etiam atque honoris ob pudicitiam tentatam erunt obnoxiæ, ſed potius, ſi vel maxime aliquid præpoſtere actum fuerit ſubſequente matrimonio, quod nullus Chriſtianus polygamia introducta audacter recuſabit, redintegrabuntur. Expedit *mercatoribus*, *nautis*, *peregrinantibus*, qui in Indiam vel ad nundinas Francofurtenſes vel Lipſienſes, vel in alia loca excurrunt, & occaſione data ſe multiplicant, quod non ſine maximo Oeconomiæ Reipublicæ, & conſcientiæ incommodo ob interdictam Polygamiam occultare tenentur. Expedit *militibus*, qui paupertatis pertæſi caſtra ſequuntur, & divitem uxorem primæ domi relictæ ſuperinducere poſſunt. Expedit *multorum conſcientiæ*, qui occaſione itineris vel potus decepti facilius illam, cum qua rem habuerunt retinebunt, à qua alias Monogamia ſtabilita abhorrerent. Expedit *ſenibus* qui exemplo Davidis à juvencula Abiſag poſſunt caleſieri, & quaſi juveneſcere. Expedit *infantibus*, qui non tantum erunt ſaniores & longæviores, ſed & mortua vel abſente genuina matre ab altera uxore conſanguinea æque, imo melius quam ab ancillis pecunia conductis educabuntur. Expedit *parentibus*, qui tot difficultates in liberis educandis, promovendis, maritandis & locupletandis non ſentient. Expedit *ruſticis*, *civibus*, *omnibuſque Oeconomis*, qui multis adjutoriis in re domeſticâ augenda gaudebunt, & ancillis fruentur fidelioribus, quæ ſervitiis benevolentiam maritalem ad inſtar Hagaris, Bilhæ & Silpæ ſe promereri poſſe ſpem concipient certiſſimam. Expedit *Cæſaribus*, *Regibus*, *Principibus*, *Comitibus*, *Baronibus*, *Nobilibus*, *Divitibus* qui inſtar Salomonis in ſtatu ſuo permanebunt, & autoritatem, potentiam, opulentiam mediantibus multis fœminis conſervabunt. Expedit *Paſtoribus*, *miniſtris*, *Epiſcopis*, quorum miniſteria in copulandis hominibus & baptizandis infantibus augebuntur & quorum exinde manus ut ſcriptura loquitur, ad familiam ſuſtentandam implebuntur. Expedit *Eccleſiæ*, ubi tanta peccata Onanitica, ſcortationes, adulteria, infanticidia, uxoricidia, & alia innumera tam frequentia non erunt, ſtudium verò bonorum operum magis florebit. Taceo quod multi Gentiles, Turcæ, apud quos Polygamia viget ad Chriſtianam fidem ſint acceſſuri, ſi Polygamia apud nos non eſſet prohibita. Sicuti conſtat uti vir diffuſiſſimæ eruditionis Gisbertus Voetius teſtatur, quod totum regnum Conchinum una cum Rege ad Chriſtianam fidem fuiſſet converſum, niſi

Jeſuitæ in ſuis concionibus jamdum converſos à Polygamia dehortati fuiſſent, & Regi ipſi perſuadere voluiſſent quod ipſi omnes uxores excepta unica, ſi Chriſtianus fieri vellet, ſint deſerendæ. Quæ res adeo movit ipſum Regem, ut omnes illos Apoſtolos, uti audire volunt, cum Apoſtolica ſeu potius Chimærica doctrina ejecerit. De quo damno Eccleſiæ illi hoſtes non tantum Polygamias ſed etiam matrimonii reſpondebunt aliquando in extremo judicio. Expedit denique *Reipublicæ* plures eſſe cives ruſticos, qui terram colant. *Intereſt* etiam *Reipublicæ*, *ne quis ſua re male utatur*, quod Monogamus facit, quando cum prægnante concumbit, vel non concumbit. Et ut breviſſime rem complectar expedit plures eſſe cœlicolas & terrigenas; *in domo patris noſtri multæ ſunt manſiones* (inquit Salvator) quas diabolus hoſtis ἄνϖονος generis humani & procreationis ejusdem nobis invidet, & hanc ob cauſam odium matrimonii & polygamias maxime inſtillat. In terra etiam multa loca ſunt inculta, habitatoribus vacua. Terra plura producit, quam nos conſumimus. Nullus præterea eſt Rex, qui non plures deſideret ſubditos. Nullus Conſul, qui non plures deſideret cives. Nullus Nobilis qui non plures ruſticos. Nullus mecator opifex qui non plures deſideret emptores. Nullus miniſter, Paſtor, qui non plures auditores. Nullus Oeconomus qui non plura adjutoria.

1. *Quantum expediat habere plures uxores* ſcilicet in Oeconomia, Rep. & Eccleſiâ, quod mundus credere non deſiderat, etſi luce meridianâ clarius ſit oſtenſum & ex incommodis, quæ ex Monogamiâ excluſivâ ſcaturiunt, apertiſſimè conſpici poſſit, uti illa breviter complexus eſt Theophilus in Epitaphio Monogamiæ Excluſivæ, quod ſuo adverſario in clauſulâ Refutationis in diverſorio ἀνθοχίδιασι exaratæ ex parte tranſmiſit: verba ſic habent: *Atque Monogamia tuna ſic Excluſiva penitus ſepulta erit, non iterum in animis ſapientum, ut certò ſcio, revictura, cui ne ultimus honor deſit hoc Epitaphium inſcribo:*

Siſte Viator Gradum. Paucis Te volo.
Quæris quis hîc ſit ſepultus? Monogamia.
Quo Patre Nata? Phantaſo. Qua Matre? Agnoca.
Qua Patria? Umbria. Qua Nutrice educata? Moria.
Quibus Statoribus elevata? Gynæcocratumenis & Fratribus Ignorantiæ.
Quid egit in mundo? Nihil, riſit, luſit: Cucurbitas pinxit.
Enixa eſt etiam neſcio quos fœtus infandos atque nefandos,
Scortatores, Adulteros, Onanitas, Abactores, Sodomitas,
Maſtrupatores, Infanticidas, Uxoricidas, Divortiarios, Azelotypos,
Gynæcocratumenos, Cornutos, Abſtemios, Miſogamos, Opſigamos,
Atecnos, Ophitecnos, Extravangantes Bacchos & Sabajarios ſanctulos Monachos & Pygmæos, cæterosque Satyros, Cyclopas & Polyphemos.

Nec non monſtroſiſſimas Nymphas, Cupedinarias Lalages, Divirginatas Quartillas, moroſas Xantippes, transſubſtantiatas Amazones, Libidinoſas Pentheſileas, inſatiabiles Maſſalinas, improbiſſimas Carſanias, neſandiſſimas Populias, Bellicoſas Andromaches, Faſtuoſas Vaſthas, Imperioſas Semiramides, Veſthales mulieviras, Medeas veneficas, mari-

ci-

cidas Lamias, Abactrices Eudoxias, Abominandas Druſillas, exterminandas Livias, ſuffarcinatas Cantharas & inexplebiles Moniles, cæteraſque innominatas Furias, Tiſiphones, & Megaras.

Tandem in nihilum redacta hic ſepulta jacet
Si ergo nihil hic inveneris
Ne mireris, Viator,
Quia hic ſepulta eſt
Monagamia Utis

Additum etiam fuit

Epigramma.

Pauperis eſt numerare pecus. Quin præſtat habere
Innumeros nummos, innumeroſque libros.
Mancipium ſeſe duntaxat mancipat uni.
Unius ſervus num Generoſus erit?
Mille domus ſeptem præſtant & prædia mille.
Uxores cur non ducere mille { *licet?* / *decet?* / *placet?* }

2. *Expedit maritis* Recenſet hic Theophilus emolumenta & commoda ſingulorum ferè ſtatuum & perſonarum, quia *circa proprium commodum unuſquiſque attentus & aſſiduus eſſe præſumitur*, nec intermittere quidquam quod ad obtinendum illud ullo modo facere videatur. *Anti-Polygamus* quidem mea omnia tribus verbis refutare poſſe ſe putat, cum *Honeſtum utili ſit præferendum, nec facienda mala, ut eveniant bona*, ſed prius malitia & illegalitas Polygamiæ oſtendenda eſſet, antequam inter mala cenſeatur. Et annon *Honeſtum* illud, quod ad honorem Dei ab honeſtis hominibus, Patriarchis, Regibus in honeſtiſſimo populo non contra honeſtas leges in honeſtum finem, multiplicationem generis humani & promovendum conjugium à Deo ipſo inſtitutum uſurpatur.

3. *Ad jucundam vitam ducendam* Non tantum honeſta ſed & utilis & jucunda eſt Polygamia, quam ut in proverbio dicimus uti nullum peplum, ibi nullum gaudium, ubi vero plura pepla, ibi plura gaudia. *Adamus* ſanè ante Evæ adductionem tantâ lætitiâ non fruebatur, ſed cum illam primitus conſpiceret, exultabat omnibus fibris & præ gaudio, lætitia pleniſſimus exclamabat: hoc eſt os de oſſibus meis. &c. In ædibus *Lamechi*, bigami omnibus gaudiis diffluebant, ibi Muſicalia organa audiebantur. Et nemo dubitabit de *Salomonis* millegami tripudiis, choreis & conviviis. Unde ſcriptura comparat uxorem viti, navi oneroſæ mercibus, aſpectu jucundiſſimis. *prov.* 31. *Pſ.* 148. confer *Syr.* 26. ubi loquitur de amicâ & amabili atque ſuaveloquenti uxore quanta bona conferat marito. vid. & prov. 11. Cum vero quis moroſam poſſidet uxorem; emaciatur animo & omnes perdit vires, ante tempus ſeneſcit & moritur, ac intolerabilem ejus diſplicentiam perferre non valens, extra domum vagatur, cellas vinarias & cereviſiarias inquirit, ut moleſtiarum domeſticarum oblivifcatur, & lætitiâ aliquâ perfruatur. Quod non tàm facilè fieret, ſi tribus aut quatuor gauderet uxoribus, ubi unius σκυθρωπία, alterius affabilitate & comitate affatim compenſaretur, aut etiam corrigeretur. Taceo alia commoda, quæ maritis obvenient, ſi pluribus fruuntur uxoribus. Conſtituentur veri Domini, quando ſimul imperabunt pluribus, & communis illa mundi, provinciarum, urbium & domorum peſtis γυναικοκρατία ſcilicet non erit, quod certò auguror, tàm frequens. Notum eſt quanta mala Reip. illa inferat, & quid exinde ſequatur, ad regimen admittantur, ſi fœminæ, uti *Tacitus de mor. Germ.* refert, quod in judiciis adhibuerint mulieres, & *Plut.* de Spartanis in *Lycurgo* notat, quod in graviſſimis rebus mulierum judicia & ſententias admiſerint. *Lampridius in Heliogabalo* narrat, quod Romæ ſingularis curia & ſenatus fuerit in quo ſolæ fœminæ convenerint. *Virgil.* de Didone ſcribit 1 Æneid.

Jura dabat legeſque viris.

Nil dicam de *Penthesilea, Amazonibus, Libuſſa & Valaſca, Sarina, Senobia, Eudocia, Irene, Theodora, Venda, Margarita*, de quibus *Joh. Olorinus Ethogr. p.* 2. *p.* 29. prolixè, ubi imperii muliebris iniquitatem oſtendit ex autoritate divina & humanâ, ex lege naturæ, petulantiâ & inſolentiâ muliebris ſexus, & exemplis malè adminiſtratæ Reip. à muliebri ſexu. Notanter B. *Lutherus* dicit in *Colloqu. de Conjug.* 322. *Imperium muliebre ab initio mundi nil boni at-*

attulit. Uti dicitur in proverbio: Fœminarum regimen raro optatum finem aſſequitur. Cum Deus Adamum Dominum omnium rerum conſtitueret, omnia bene cedebant, & recte adminiſtrabantur, ſed cum fœmina accederet, & ſe his immiſceret, peſſime res cedebant. Nullus inter Reges Iſraëlis tam male ſe geſſit quam *Ahab*, & ideo quidem, *quia ab uxore Jeſabele ita perſuadebatur.* 1 *Reg.* 21. 25. Conſilium quod uxor Hamanis *Seres* marito ſuppeditavit, in patibulum ipſum adegit. *Eſth. III.* 1. *V.* 14. *VII.* 9. Ante ſexcentos ferè annos tempore Imperatoris Henrici IV. *Adelheit* uxor Friderici Ducis Saxoniæ in cauſâ fuit ſuo intempeſtivo conſilio, ut maritus balneis forte occupatus, Ludovicum Thuringiæ Landgravium in ipſius territorio & ſylvis feras inſequentem adortus interfectus fuerit. Chron. Erneſti *Broburf. l.* 2. *c.* 23. *Kunigunda* uxor Ottocari Regis Bohemiæ conſilio peſſimo effecit, ut à Rudolpho Imperatore maritus Ottocarus regno exutus miſerrimè in pugnâ contra ſuum Feudatarium periret. *Coſmogr. Munſt. l.* 3. *Cleopatra Regni* Romani cupida *Antonium ad* bellum permovit, ſed exuta regno Ægypti venenum ſumſit, marito ſibi ipſi manum inferente. *Chron. Hed. p.* 2. De *Eudoxia* uxore Imperioſâ Arcadii Imperatoris Johannem Chryſoſtomum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui faſtum & imperii aviditatem in Imperatrice taxabat, exilio punientis: vid. *Rivand. Prompt. p.* 119. Uxor Juſtini Cæſaris regiminis avidiſſima totam Italiam perdidit, & Lombardis quaſi tradidit *Rivand. Prompt. p.* 326. Antonius Varius *Heliogabalus* ſpurius & ſucceſſor Baſſiani Imperatoris matri ſuæ Semiamiræ locum Romæ in Curiâ inter Senatores conceſſit. Sed poſtquam ille cum illâ interfectus eſt, decretum ne in poſterum fœmina in ſenatum veniret. *Coſmogr. Munſt. l.* 2.

4. *Ad uxorum infidelitatem præcavendam* Non tam multi erunt Cornuti in mundo Polygamiâ permiſſâ, ſiquidem uxorum altera alteram accuſabit aut timehit, maritusque facilius indagabit, & communis opinio, quaſi maritus teneatur ſingulis momentis cum placuerit, debitum reddere uxoribus, eradicabitur, ſi viderint tantùm liberorum quærendorum causâ maritum ſuarum rerum ſatagere. uti *l. liberos* 20. *ff. de Verb. ſign.* dicitur *Parentes qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt.* Unde *Zaſius Catal. antiqu. Leg. f.* 40. refert quod viduæ intra annum poſt mariti mortem iterum nupturæ ſecundum *legem Juliam Miſcellam* jurejurando ſe obſtringere adactæ fuerint, ſe non voluptatis, ſed liberorum quærendorum causâ ad ſecunda tranſire vota. Tale juramentum etiam *Carbilius* cognomento *Ruga* Nobilis Romanus Anno Urbis 523. Attilio & Valerio Coſſ mandato Cenſorum præſtitit. *Ulpian. tit.* 3. § 3. *p.* 71. etiam ſcribit quod per *legem Juniam Norbanam* mandatum fuerit, ut mariti ad teſtificandum, ſe liberorum quærendorum cauſa uxorem duxiſſe, filium anniculum ad judicem deferant, & hanc prætextam cauſam conteſtentur, atque ita jus civitatis Romanæ cum filio & uxore acquirant, & quod hæc verba contractui matrimoniali fuerint inſerta, teſtatur *Gothofredus* ex Tacito *l.* 2. *ad d. l.* 220. *Quod & confirmat Auguſtinus ſerm.* 244: *Uxor*, inquiens, *non propter libidinem ſed propter filiorum procreationem accipitur, denique ipſæ tabulæ matrimoniales hoc continent, liberorum procreandorum cauſâ.* Sic Spartianus laudat Feſcenninum Nigrum, quod tantum ob liberos procreandos uxorem duxiſſet. Et hoc Cenſorum apud Romanos inter alia erat officium, ut more majorum à maritis de uxoribus ſolenne juramentum exigerent, cujus verba ita concepta erant: (ut ex hiſtoria Carvilii jam modo citatâ apparet:) *Et tu ex animi tui ſententia uxorem liberorum quærendorum cauſâ habes* vid. Brovver. de Jur. Conn. p. 174. Si verò non procreationis ſed libidinis ergò & ut uxori ſatisfiat, ducitur uxor, quid hoc aliud eſt, quàm ut Polygamiæ muliebri integra aperiatur feneſtra. Nam ut Ovvenus lib. 11. c. 135. ait:

Debitor uxoris quis non? Solvendo quis autem?
Uxori ſolidum ſolvere nemo poteſt.

Solvendo eſſe non intelligitur, niſi qui ſolidum poteſt ſolvere. Sabol. de verb. ſign. l. ſolvendo. Et quid inde aliud proveniet, quàm ut nemo uxorem ſolus habebit, quod Mar-

Martialis l. 6. ep. 3. objicit Candido:

Prædia ſolus habes, & ſolus, Candide, nummos,
Aurea ſolus habes, myrrhina ſolus habes.
Maſſica ſolus habes & opimi Cæcuba ſolus.
Et cor ſolus habes, ſolus & ingenium.
Omnia ſolus habes, hoc me puto velle negare,
Uxorem ſed habes, Candide cum populo.

& Ovvenus Colbæ l. 1. ep. 91:

Totus es uxoris, non ſolus Colba lamellæ:
Sola tua eſt; at non tota Camilla tua eſt.

Benè quidem educatæ & mariti amantes fœminæ de hoc communi libidinis vitio ſibi cavebunt, ne Deum adulteriorum acerrimum vindicem irritent, & ſibi atque toti familiæ æternum ac temporalem accerſant interitum, nec cauſam ullam ſuppeditabunt, quo mariti ad zelotypiam provocentur, quam etiam ipſi, ſi ſapiunt ſummopere vitare ſolent, ut *Owenus* innuit libr. ad Arbellam Sluartam. *ep.* 157.

Zelotypus conjux es, Pontiliane, ſapiſti.
Zelotypus non es, Pontiliane? ſapis.
Fruſtra obſervatur conjux, ea ſola maritum,
Quæ (quamvis poſſit) fallere nolit, amat.

Et ſanè omnino fruſtranea eſt omnis obſervatio, ſi uxor uon ſit ſuipſius propria cuſtos, præſertim ſi ſit formoſa, ut *Owenus* iterum canit Monoſt. ep. 20.

Ægrè formoſam poteris ſervare maritam,
Nunc prece nunc auro forma petita ruit.
Sit formoſa aliis uxor, tibi ſit bona, neſcis,
Quam noceat caſtæ forma pudicitiæ.
Qui fidis formæ, populat quam morbus & ætas,
Multis cauſa mali candida forma fuit.

Rarò enim conveniunt & in unâ ſede morantur pulchritudo animi & corporis, quod quidem in Cynthia optat Ovvenus l. 1. ep. 119:

Sint utinam ſimiles formæ tibi Cynthia mores,
Sitque tibi tam mens candida quam manus eſt.

5. *Ad liberos benè educandos* Unica fœmina ob debilitatem corporis & animi non eſt par, præſertim in familiâ ampla, toti domui proſpicere, & liberorum educationi conſulére, ideoque ſi plures adſint una poterit eſſe in culinâ, altera aliis negotiis cum liberis etiam alterius uxoris quando illa eſt in templo vel apud parentes, vel in foro, ex amore viri, ad quem omnes infantes pertinent, occupabitur. Nihil enim magis prodeſt Reip. quàm ſi liberi benè in timore Dei & omnibus virtutibus educentur. Et nil magis nocet patriæ, ſi negligatur. Unde proverbium, *Heroum filii noxæ.* vid. *Senec. ad Mart. ep.* 12. *Valer. Max. l.* 3. *Eraſm. prov. chil.* 1. *cent.* 6. *prov.* 23. adeò ut *Ælius Spartianus* aſſerat, vix unum ex magnatibus probum & aptum reliquiſſe filium, ſed omnes ferè fuiſſe *inutilia pondera terræ*, tantum *fruges conſumere natos.* Sic denegeres filii fuêre *Romuli, Numæ Pompilii, Camilli, Scipionis, Catonis, Cæſaris, Tullii. Auguſtus* inter omnes, cum electionis jus ad ipſum devolutum, nullum aptum invenire poterat. *Trajanus* in electione etiam decipiebatur. Quis *Marco* felicior, niſi *Commodum* hæredem reliquiſſet? Quis fortunatior *Severo Septimio*, niſi *Baſſianum*, qui novercam interfecit, matrem in uxorem duxit, Papinianum celeberrimum Juriſconſultum, Fratricidium approbare nolentem interemit, procreaſſet? *Periclis* Athenienſis Herois filii *Paralos & Xantippus* bardi & blenni erant. *Plat. in Alcib. Germanici* prudentiſſimi filius *Caligula* piger, libidinoſus & ſtolidus erat. *Suet. Valeriani* virtuoſiſſimi filius *Galienus* ob muliebrem animum & nefandam pigritiem, effecit, ut triginta tyranni territorium ipſius devaſtarint. *Trebell. Pollio. Carolus Magnus* inter tot unicum filium alicujus pretii *Ludovicum Pium* habuit. *Avent. l.* 4. *Æmil. l.* 2. *Henrici II.* Imperatoris filius *Henricus III* patris veſtigia non preſſit. *Egnat. l.* 3. & Ariſtoteles docet Heroum filios, ſi degenerent, lurcones, Tyrannos & inſanos ferè evadere, uti *Alcibiadis & Dionyſii, Socratis, & Hippocratis l.* 2. Rhet. c. 15.

6. *Expcdit juvenibus qui affectibus abrepti cum virgine* Itali in proverbio habent: Tira piu un pelo de donna che cento paradi buovi. i. e. *plus trahit unus pileus puellæ, quam centum juga boum.* Præſertim ſi formoſa, ut *Helena, Thargelia, Synope, Lais, Meduſa, Thais, Flora, Semiramis, Aſra, Glycerium,* fuêre, Quia tamen & vulgò

For-

Formoſis levitas ſemper amica fuit,
Lis eſt cum forma magna pudicitiæ,

Ut exemplis *Lucretiæ & Virginiæ* conſtat, ſapientes pulchritudinem corporis non adeò æſtimarunt, Vana eſt pulchritudo, dicit ſapientiſſimus Salomon *prov.* 31. 30. *& prov.* 11. 22. Pulchra fœmina ſine virtute eſt veluti porcus aureo armillo Unde Socrates pulchritudinem vocat *modici temporis tyrannidem*, Theophraſtus *tacitam deceptionem*, Theocritus *eburneum detrimentum*. Verum quia pulchritudo eſt inſigne donum Dei, ut Ovidius Ethnicus agnovit:

Forma Dei munus

Et Plato vocat *Naturæ privilegium*, Homerus *naturæ dona glorioſa*. Non eſt adeo contemnenda, præſertim ſi virtus & probitas acceſſerit, ut Poeta canit:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.
Item: *Quam gratioſa forma, cui comes modeſtia.*

Huc accidit, quòd pulchritudo corporis oriatur ex optimo temperamento, & ſanitate, ſummo hominis bono, & maximopere hominem commendet & conciliet aliis, adeo ut pulcher homo habeat aliquam præeminentiam & prærogativam præ aliis. Nihil eſt quod magis fidem & autoritatem etiam apud barbaros hominibus conciliet. Illa ſeducit & præoccupat judicium & magna imprimit aliorum cordibus. Qui enim pulcher facie & ſtaturâ, videtur quoddam in nos habere dominium, oculos noſtros convertit in ſe, noſtros affectus allicit & nobis invitis etiam ſibi ſubjicit. Uti Cyrus, Alexander, Cæſar, Scipio ſuis exemplis docuerunt. Ipſæ beſtiæ trahuntur pulchritudine *Charron de la ſageſſe.* l. 1. c. 11. unde non mirum, ſi juvenes affectibus arrepti ob pulchritudinem decipiantur, à quo ne quidem liberi fuere illuminatiſſimus *Adam*, Fortiſſimus Heros *Simſon*, potentiſſimus Rex *David* & ſapientiſſimus Monarcha *Salomon*. Unde non malè Ovvenus canit in Monoſt. ep. 6:

Tutior in Silvis Baſiliſcum audire frementem
Quàm pulchros cantus, fœmineumque melos

Cæterum in viris ſi invenitur, maximam conciliat gratiam, ut exemplo *Saulis* & *Davidis* conſtat. In *Meroë* nullus ad regimen admovebatur, niſi alios robore, ſtatura & pulchritudine excelleret. *Alex. ab Alex. l.* 4. *c.* 23. *Catei* in India neminem in Regem eligunt, niſi cœteros pulchritudine ſuperet. *Id. ib. Strabo l.* 26. *Homerus* narrat hinc & inde de Græcorum Heroibus *Hectore* & *Achille*, quod fuerint pulcherrimi. *Xerxes* Rex Perſarum etſi trecenta milla hominum in exercitu ſuo habuerit, illos tamen omnes ſtaturâ & formoſitate antecelluit. *Herod. l.* 7. *Demetrius* Poliorcetes Antigoni Regis Aſiæ filius tantæ pulchritudinis fuiſſe dicitur, ut nullus Apelles vel Protogenes ipſum delineare vel ſculpere potuerit. *Plut. in Demetr. Scipionis* pulchritudinem Barbari in Hiſpaniâ admirati: *Plut. in Scip.* De *Carolo M.* ſcribit *Paulus Æmil. l.* 3. quod Regiâ ſtaturâ, robuſto corpore, pulcherrimâ facie, Majeſtatico vultu & eximâ formâ præditus fuerit. De *Rudolpho* 1. *& Sigiſmundo* Impp. narrat *Cuſpinianus*, quod robuſto corpore, & egregiâ facie à natura donati fuerint. Idem refert de *Maximiliano* 1. quòd Majeſtas pulcherrima ex eo eluxerit, ita ut intra 30 Principes potuerit dignoſci. Ubi igitur egregia & pulchra facies, ibi & optimus animus eſſe præſumitur, & ubi deforme corpus, ibi & plerunque male moratus animus. *Tiraquell. Leg. Conn. l.* 2. *n.* 55.

7. *Maturius ad conjugium ſe conferent Plato l.* 6. *de LL.* in bene conſtitutâ Rep. vult initio de nuptiis leges ferendas, operamque dandam eſſe, ut quiſque non jucundiſſimum duntaxat ſibi, ſed & Reip. utile matrimonium contrahat, unde illos puniri voluit ſingulis annis aliquot drachmis & infamiâ notari, qui trigeſimo anno adhuc cœlibes eſſent. Deus ipſe ante lapſum, Protoplaſtis adhuc in juventute conſtitutis conjugium inſtituit. Homo eſt animal primum ſociale, deinde civile, domus prior civitate, & eam ob cauſam homo prius de ſociâ & matrimonio cogitare debet, quàm de aliis rebus. Secus quàm hodiè fit in inverſo mundo, ubi nemo de matrimonio ferè cogitat (decet, & ſi facit, omnem ferè gratiam & promotionem amittit) niſi prius habeat officium aliquod civile Politicum aut Eccleſiaſticum, cum Apoſtolus requirat, ut Diaconus, miniſter, Dei, Epi-

Epiſcopus jamdum ante electionem ſit uxoratus, & ex ejus regimine domeſtico colligatur, an etiam præfici poſſit regimini Eccleſiaſtico. Qui enim ſuæ propriæ domui non benè præeſt (quia in proprium commodum quilibet attentus eſſe præſumitur,) quomodo proſpiciet Eccleſiæ, aut illam reget? Qui cælibatum fovent aras & templa Dei deſtruere videntur, dicit *Dion. l.* 56. *Lycurgus* Ethnicus ad ludos, ſpectacula & convivia publica cœlibes non admiſit. *Plut. in Lycurg.* actio dabatur contra illos, qui prorſus non aut nimis ſero matrimonium contraherent. *Jul. Pollux. Onom.* Cenſorum notis erant obnoxii apud Romanos. *Val. Max. l.* 2. *c.* 9. Cæſar Auguſtus cœlibis teſtamentum rejiciebat. *l.* 7. *c.* 7. Contra verò uxorati immunes erant (præſertim qui filios habebant) à Legationibus, in Sententiis dicendis erant primi. In petitione Magiſtratus aut officii alicujus numerus liberorum prævalebat, *Appian. l.* 2. *de bell. civ.* in theatris honoratiorem locum occupabant. *Suet.* Auguſtus voluit, ut ſingulis annis acciperent munera. *Herod. l.* 3. immunes erant ab excubiis apud Spartanos, ſi tres haberent filios, ab omnibus publicis officiis, ſi quinque. *Ariſt.* 7. *Polit. c.* 7. *Ælian. l.* 6. *c.* 5. à tutelis & curatelis apud Romanos & quidem Romæ, ſi tres, in Italiâ ſi quatuor, in provinciâ ſi quinque haberet filios. *Inſtit. l.* 1. *tit.* 25. *de Excuſ. l.* 10. *C. l.* 1. *de his, qui liberi.*

8. *Expedit uxoribus* Uxores nolunt ita appellari, quòd intrantes domum mariti poſtes adipe ſuillo aut lupino (NB: cur ex his duobus animalibus adeps? Hieroglyphicum fortean, quòd natura muliebris maximè eò inclinat) attingebant, ne quid mali medicamenti inferretur; ſed *paſſivè*, quod ad Regale & ſacerdotale munus *unctæ* quaſi ſint. Uti talis modus ungendi 1 Sam. 10. 1. 16. 13. Exod. 29. 7. apparet. Quandoquidem & illa ſibi, ut putant, concredita munera exercere cupiunt & ubique in domo, etiam in Eccleſiâ & Politiâ regere deſiderant, & conciones ſuas legales erga familiam non tantùm, ſed & erga maritum detonare aſſolent, ita ut ubique *vel vi vel clam vel precariò* ſint ſuperiores. uti Itali in proverbio dicunt: Le donne vano per tuteo di ſupra ſe non nel lecto. i. e. *Fœminæ ſemper tenent locum ſuperiorem, præter quam in lecto.* Unde & eò laborant, ut etiam ſapientiores maritis, qui ſæpe negotiis, affectibus, vino abripiuntur, habeantur. Veluti iterum Itali dicunt: La donna ſa una puncto di piuche il diabolo. i. e. *Fæmina ſcit unum punctum plus quàm Diabolus.* Ideò ſæpè literis incumbunt, quod tamen *Juvenali ſat.* 6. non placet:

Dicendi genus, aut curſum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes.

Et *Euripides in Hippolyto:*

Σοφὸν δὲ μισῶ μὴ γαρ ἐν γαρ ἐμοῖς δόμοις
Εἴη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρή.

i. e. Sapientem (fœminam) odi. Non enim ſit in meâ domo mulier, quæ viro ſit ſapientior.

Fuêre quidem & olim & hodie multæ fœminæ in literis ſatis verſatæ, uti apud veteres celebres ſunt *Aſpaſia*, *Sappho*, *Praxilla*, *Corinna*, *Teſilia*, *Æcyle*, *Erynne*, *Cleobolina* & *Steſichori filia.* Baronius ſcribit *Probam* multos centones ex Virgilio in honorem Chriſti, ſed plures adhuc in vetus & N. T. compoſuiſſe, quanquam alii hanc laudem *Eudociæ* Theodoſii Junioris uxori, attribuant, quæ etiam eximium Poema de bello Perſico confecit. *Socr. l.* 2. *c.* 13. Neque oblivione ſepelienda eſt *Elpis* celeberrimi Boethii uxor, in literis egregiè verſata, ut ex carmine ejus apparet, quod ita ſe habet:

Aurea luce & decore roſeo
Lux lucis omne perfudiſti ſeculum,
Decorans cœlos inclyto martyrio.
Hâc ſacrâ diè, quæ dat reis veniam,
Janitor cœli, Doctor orbis pariter
Judices cæli, vera mundi lumina
Per crucem alter, alter enſe triumphat,
Vitæ ſenatum laureati poſſident.
O Felix Roma, quæ tantorum Principum
Es purpurata pretioſo ſanguine
Non laude tuâ, ſed ipſorum meritis
Excedis omnem mundi pulchritudinem.

Mater Alarici Amalaſionta in Græcâ & Latina L. aliiſque Ethnicis ita verſata fuit, ut cum omnibus diſputare poſſet doctis. Eandem laudem adepta *Sylvia*, ſoror Conſulis Ruffini, quæ quemlibet ſcriptorem ſepties percurrit *Pallad c.* 33. Nec *Cornelia* Gracchorum ſilentii ſyrmate involvenda, de quâ Cic. teſtatur, quod illius Epiſtolas legerit & filios in linguis & artibus informarit. Nec tacenda *Roſuitta* Germana, quæ Ottonis 1 facta deſcripſit. Celebris etiam eſt *Olympia Fulvia Morata* in Græcâ & Lat. LL. uti ipſius opera per Cœlium S. C. ſunt publicata. Nil dicam de Anglâ Doctiſſimâ, *Eliſabetha Joanna Weſtonia* quæ, inter alia invictiſſimo Cæſari Matthiæ II. in Coronatione A. 1612. 13. Jul. ita gratulata eſt:

Hungara te dudum tellus Moravusque Sleſiusque
Suppliciter petiit, fecitque Bohemia Regem.
Et nunc multiplici Germania grata labore
Principibus dives te toto ex agmine lectum
Præficit imperio, Mundi ſtatuitque Monarcham:

Conſul Romanus Sylla tres habebat filias, inter quas Lælia Sabina non quidem tàm pulchra ac ſorores, ſed inter omnes Romanas fœminas ſapientiſſima, ita ut Romæ publicè Græcè & Latinè ex cathedrâ doceret. Illa ipſa Patrem ornatâ oratione in Senatu, cum 3000 Romanos capite plecti mandaſſet, à morte liberavit. *Aretha* Philoſophi Ariſtippi filia in Græcis & Latinis ita enutrita, ut anima Socratis in ipſam immigraſſe dicta fuerit. Publicè Athenis 25 annos docuit, 40 libros conſcripſit de vitâ Socratis, educatione liberorum, Bello Athenienſium, infelicitate uxorum, de Tyrannide, agriculturâ Veterum, miraculis montis Olympi, prudentiâ Formicarum, artificio apum, vanitate juventutis & ſenectuti miſeriâ, de 110 Philoſophis ceu diſcipulis gloriata, & 77 ætatis anno mortua, cujus ſepulchro inſcripſerunt Athenienſes hoc Epitaphium:

Hic jacet Aretha, Magna Pelaſga
Lumen totius Græciæ;
Pulchritudinem Helenæ,
Integrum Candorem Thermæ,
Induſtriam Ariſtippi,
Animam Socratis,
Linguam Homeri
Ex aſſe poſſidens.

Sed talem uxorem literatam Owenus l. 2. ep. 46 non deſiderat, cum ad amicum ſcribit:

Græco-Latina, ſagax, ſapiens tibi quæritur uxor,
Quæque figuratè ſyllogizare queat.
Quæ cum Majorem præſumſerit atque Minorem,
Ex malè præſumtis urgeat Ergo ſequi.
Verſata in parvis quæ naturalibus olim
Virgo, Magiſtra artis nunc ſit in arte ſuâ,
Et Reſpondeat opponentibus omnibus una
Cumque ſuo De omni diſſerat ente proco.
Tàm rationalis mihi ſi contingeret uxor,
Mutarem tecum, ſi tua Bruta foret.

9. *Zelotypia præpoſtera* In fœminas propriè Zelotypia non cadit, ſed ſit voluntate viri, qui eſt caput, in omnibus, contenta, uti nec ſacrificium Zelotypicum ipſis eſt præſcriptum. Oritur autem Zelotypia illa præpoſtera ex æquali illo jure, quod fœmina cum marito poſſidere dicitur ratione debiti conjugalis ex malè intellecto loco 1. Cor. 7. unde rara eſt Sara quæ marito ancillam ſuppeditat, ut Owenus canit l. 1. ep. 143.

Quæ velit ancillam concedere nupta marito,
Res eſt hæc noſtro tempore rara Sara.

Plures autem qui plures ſibi aſciſcunt & maritis cornu indeclinabile imponunt, ut Owenus iterum canit, l. 1. ad Henr. ep. 108.

Uxorem jam Feſſe ſenex vis ducere? doctam
Angligenæ Silii conſule Grammaticam.
Illic invenies indeclinabile cornu:
Hunc ſcopulum pauci præteriere { *Senes.* / *viri.* }

Et hoc ex Monogamia maximam partem oritur, dum uxores non liberorum quærendorum causâ ſed voluptatis ergò nubunt, & ſibi tantam poteſtatem & licentiam, quantam vir habet imaginantur, & maritos eò adigunt, ut ad ipſorum adulteria taceant, quod ſupra laudatus Ovvenus cuidam Cornelio objicit l. 2. ad Henr. 11. ep. 110:

Cornutum te Corneli ſcis eſſe taceſque
Non Cornelius es tu modo, ſed Tacitus.

Quan-

Quanquam aliæ aliis nationibus ſint hâc in re taciturniores & faciliores in ferendis ejusmodi cornibus, ceu iterum Poeta innuit l. 2. ad Henr. ep. 38:

Cur Itali longè gravius, quam Gallus & Anglus,
Uxorum luſus oſcula furta ferunt.
Beſtia pejor ave eſt, cui nupſit adultera conjux,
Italus eſt quadrupes, Gallus & Anglus aves.
Gallus & Anglus aves, quadrupes eſt Italus. Ergo
Ex tribus his ſolus cornua fert Italus.

Ital. Becco cornuto. hircus Gall. un Cocu. Angl. a Cuckold. cuculus Certè non tàm magna Cornutorum eſſet copia ſi illud inæquale jus & uxorum & maritorum etiam animis eximeretur, præſertim cum natura ipſa maximam inæqualitatem in naturis ipſis maſculinâ & fœminina oſtenderit. Fœminæ naturâ, ut ſupra monſtratum, debiliores animo & corpore adeoque imperfectiores, ut Conſtantius Varelius Medicus Bononienſis ſcribit in ſuâ Anat. p. 89. *ut commodè*, inquit, *à viro pateretur, opus fuit eam eſſe longè imperfectiorem, ex ratione enim materiei eſt, ut reſpectu agentis imperfecta ſit, cum ab æquali nulla actio proveniat. Quare qualitate & gradu caloris innati mulier eſt valdè remiſſior viro. Hinc minor corporis moles magisque inconcinna, & minus proportionata illius diſpoſitio, hinc ut plurimum major albedo, mollities, robur exiguum, timiditas, in omnibusque egregiis rebus cum cognoſcendis tum peragendis imbecillitas, ut jure ac meritò divinus Hippocrates Dionyſio ſcribens, dixerit*, Mulierem ſemper moderatore indigere. Et Balthaſar *Caſtilionius* de aulico ſcribit p. 235. *Illud dico homines ſapientiſſimos reliquiſſe ſcriptum, naturam, quoniam ſemper propoſitum ei ſit, facere quæ magis ſint perfecta, perpetuò ſi poſſet producturam eſſe mares, cumque producat fœminas, deficere ipſam aut errare, ejusque quod facere velit, facere contrarium, quemadmodum fieri cernimus, quando vel cæcus quis naſcitur, vel claudus, vel cum vitio corporis alio, quando item multæ, quæ nunquam matureſcunt, arborum profunduntur baccæ; Per idque mulier animal dici poteſt fortuito productum, ac caſu: quod ut comperias eſſe verum, tam viri quam fœminæ ad actiones refer animum, & quæ utriuſque perfectio ſit, cape documentum.* Quod ipſum etiam confirmat Martinus Weinrichius de monſtris p. 66. part. 2. cum ita ſcribit: *Omnes benè Philoſophi poſteriores fœminam animal occaſione natum, dixerunt, quaſi mutilum & imperfectum, ac vix inchoatum. Vult ſemen in maris ortum abire, non poteſt autem ob imbecillitatem cauſa particularis. Idem Ariſt. l. 4. de Gen. c. 6. ſunt fœminæ ſua naturâ debiliores, frigidioresque & ſexum fœmineum quaſi læſionem naturalem & detrimentum eſſe putandum eſt.* Quæ omnia ſufficienter docent, veteres Philoſophos communiter ſtatuiſſe *mulierem* eſſe *animal imperfectum, occaſionatum & ob defectum caloris vel ſeminis ortum;* Quin etiam nonnulli eò devenerunt, ut inter monſtra aut non homines collocarent, unde lepide ceu aſſolet *Owenus* ait, quod tres nationes ſolos viros, non mulieres vocent homines, nempe Galli, Hiſpani & Itali cum canit *l. 1. Ep. 85.*

Gallo, Hiſpano, Italo parvi cur penditur uxor
Gentibus his mulier nulla videtur homo.
Hommes, femmes, Homines, mulieres,
Huomini, Donne:

Et quod mirandum, in Concilio *Matiſconenſi*, inter alia graviſſima diſceptatum fuit; an mulieres ſint homines? Cum enim inter tot ſanctos Patres Epiſcopus quidam in magnâ quidem autoritate conſtitutus, ſed nimiâ devotione dementatus ſtatueret, non poſſe nec debere mulieres vocari homines, res tanti eſt habita, ut in timore Dei publicè ibi ventilaretur, & tandem poſt multas vexatæ hujus quæſtionis diſceptationes concluderetur, quod mulieres ſint homines. Quis igitur iſtud animal non diceret eſſe imperfectius homine mare, quod in diſceptationem venit, an ſit homo à Deo creatus, an verò bipes vel crinitus erinaceus. *Turon. l. 8. c. 20. L. Oſiand. c. 6. l. 4. c. 15. p. 284.* Acrius ferè res agitata eſt in Concilio Toletano 8. a. 671. habito, ubi actione 9. talis querela auditur: *Pervenit ad totius Concilii*

ſacrum auditum, quoſdam ſacerdotes & miniſtros obliviſcentes majorum & veterum inſtitutorum, aut uxorum aut quarumcunque fœminarum immunda ſocietate & execrabili contagione turpari. Tantum verò abeſt, ut mulieribus inter non homines locum aſſignemus, aut illarum matrimonialem ſocietatem execrandam & immundam dicamus, ut nihilominus illas multò imperfectiores, imbecilliores & frigidiores maſculis eſſe aſſeramus. uti *Ariſt. l.* 4. *de Gen. c.* 6. ſcribit, quod mulieres viris frigidiores & *Galen. l.* 3. *de uſ. pulſ.* idem teſtatur, quod in illis abundet humidum & frigidum, quod Owenus etiam innuit, cum ſcribit. l. 1. ep. 68. Eſt mare frigidior mulier, tamen urit amantem, Sic calx in gelidam jacta caleſcit aquam. Et proinde ſunt etiam plenæ rimarum. Jud. 16. 1 Reg. 21. Gen. 27. & loquaciores, ut Itali dicunt in proverbio:

Quel che ala Donna, ogni ſecreto fida
Nonne manco, che far publica crida. i. e.
Qui uxori ſuæ arcana aut concredita revelat,
Minus non eſt, ac ſi buccinaret rem tuba publicâ in foro.

Item.

Queſtei è ſecreta come la Gallina, quando à fratto loovo.
Iſta eſt ſecreta, ſicut gallina, quando facit ovum.

Et quod Italis cum Germanis commune: *Tres mulieres & tres anſeres faciunt unum mercatum*, ſeu *ubi ſunt mulieres & anſeres, ibi non ſunt pauca verba.* Quæ cum ita ſint, non poſſunt ad officia & conſilia publica adhiberi, præſertim cum illis deſit conſtantia & prudentia, cujus rationem more Poëtarum dedit *Owenus l.* 1. *Ep.* 68.

Cur minor uxorum, marium prudentia major
Eva fuit coſtæ filia, non capitis.

Adeò ut dedecori ſit maſculis, ſi ab illis in conſiliis adhibeantur, uti de *Numa* dicitur, quod in gratiam & nutum ſuæ uxoris *Egeriæ* multas leges publicarit. *Ovid. l.* 3. *Faſt:*

Illa Numæ conjux, conſiliumque fuit. Quod & *Livius l.* 1. *Plut. in Num. Flor. l.* 1, *c.* 2. *Cic. lib. de Leg.* teſtantur. Ita *Cyrus* Rex Perſarum uxorem *Aſpaſiam* ſæpè conſuluit, & in arduis rebus ejus conſilia ſecutus. *Ælian. l.* 12, *Livia* Auguſti uxor in oratione elegantiſſimâ marito conſilia ſuppeditat, quo pacto hoſtibus obviam iri, & damnum inferri poſſit. *Diod. l.* 55. *Theodora* Juſtiniani Cæſaris uxor in prægnantiſſimis rebus à marito conſulta fuit, *Joh. Magnus Goth. hiſt. l.* 13. uti ipſe fatetur *Novell. Conſtit.* 8. *Hæc omnia apud nos cogitantes, & hîc quoque conſilii participem ſumentes eam quæ à Deo* data eſt *nobis. Reverendiſſimam conjugem, ad hanc ſacram venimus legem.* Unde factum, ut tàm multæ uxoriæ leges in præjudicium virorum in Corpore Juris inveniantur. *Lacedæmonii* etiam in publicis conſuluerunt fœminas eaſque in curiam ſecum duxerunt, cum res arduæ fuêre tractandæ, ac ſecundum earum beneplacitum decreta & leges confecerunt. *Ariſt. l.* 2. *Polit. c.* 7. *Athenienſes* itidem mulierum ſuffragia collegerunt, *Varro.* Apud *Gallos* itidem cum de bello & pace fuit conſultum, mulierum judicia admiſerunt. *Plut. de virtut. mul.* Quæ omnia quantum ignominiæ afferant ipſis viris, aliis arbitrandum relinquo. Multo verò turpius eſt, ſi imperium in maritos exercent fœminæ, uti hoc ſugillat non immeritò *Owenus l.* 1. *Ep.* 149.

Conjugis obſervat nutus, ut Numina Quintus,
Verba putat leges, imperiumque preces.
Ducit, agit miſerum, quo vult Quintina maritum,
Ut dubites, habeat non, habeatque virum,
Contra naturam & mores, legeſque loquendi
(Grammatici fugite hinc) *hæc Vir & hic mulier.*

Et in alio loco:

Eſt mulier tanquam generalis Regula. Quare
In multis fallit Regula. non mulier.

Argute etiam hoc expreſſit Jacobus Friſchlinus in Dial. Gramm. Bellicoſo:

Proceſſus thalami quiſnam ſit in orbe jugalis?
Dic: duc: fac: & fer: *quatuor iſta docent.*
DIC *ambos ſtabili nodo conjungit amantes:*
Perpetuam ſacrâ DUC *dat in æde fidem.*
FAC *tribuit multos ſtudio ſudante labores,*
FER cogit Dominæ tradita juſſa ſequi.

DIC,

DIC: DUC: FAC: & FER: *quiſquis cupis eſſe maritus.*
Semper erunt vitæ regula certa Tuæ.

Per Dialogum aliter idem in alio loco explicat:

SPONSUS:

DIC *mihi, ſi placeo, num ſis mihi coſta futura?*
Jam matura viro, ſponſa pudica, bono.

SPONSA.

DUC *me, ſi placeo, tibi nunc, o ſponſe, marito*
Sum tua, ſi dices: tu mihi ſola places.

SPONSUS.

Ergo tibi dicam, ſi fies tu mihi ſponſa,
Subdita: tu ſola es; *quæ mihi ſponſa places.*

SPONSA.

FAC *ergo officium quodcunque eſt: ſponſe viciſſim*
Et quacumque potes parte placere, place.

SPONSUS.

Hoc faciam: panem vultus ſudore requiram.
Tu verò impoſitum *FER* patienter onus

CONCLUSIO.

Cum FACE *præcedat ſponſus* DUCE *ſponſa ſequatur.*
Proceſſus thalami talis ubique fere eſt.

10. *Aliaque innumera vitia decreſcent* Ut taceam alia infinita, quæ in fœminis conſpiciuntur, de quibus liber ſupra laudatus Jo. Olorini ſub nomine *malus Mulier* editus, qui non eſt jam ad manus. Propria illis eſt *hypocriſis*, & non tantum conſpicua in virginibus quæ ſe ſimulant probas, affabiles, caſtas, omnis luxuriæ, moroſitatis & rixoſitatis expertes, & ut uno verbo dicam, ad nutum futuri mariti compoſitas, & teſtudinis inſtar domus cuſtodes & curatores, diſſimulant verò omnia corporis & animi vitia. Quando verò matrimonium eſt conſummatum, catervatim ſine ullo pudore vitia manifeſtant atque oſtentant, certiores factæ, quod jam ſemel ductæ & per benedictionem ſacerdotalem confirmatæ non poſſint facilè repudiari, ſed mariti teneantur ipſas invictas, moroſas & incurioſas, deliciis lautitiis & luxuriæ atque prodigalitati editas retinere. Durante verò matrimonio ubique in omnibus ferè verbis & factis fucum faciunt, dum ſe ſimulant ægrotas, prægnantes, dolore capitis, dentium, ventriculi, uteri affectas, ut, eò magis à maritis adamentur, ac omnibus officiis ac ſervitiis infimis etiam adhibitis adorentur. Sæpe etiam plorant ſine causâ, ut mariti amorem probent, & ad commiſerationem adigant. juxta Poetam:

Ut flerent oculos erudiêre ſuos:

Crocodili lacrymas ita temperant, ut Jovem jurares lapidem, non eſſe niſi ex intimo corde profectas. Verum tamen manet vetus Italorum veriverbium: Le Donne quando piangeno, perſanò una malitia. *Mulieres quando plorant, cogitant aliquid mali.* Præterea illis maxime propria eſt libido, & appetitus lanceæ carnalis, uti Itali iterum dicunt: La femine ſono come le peccore, chi ſi Caſſa manezorla lana. i. e. *fœminæ ſunt ſicut oves, quæ permittunt, ut tangatur illis lana.* Item La femine non è tanto malada, che non poſſe tener la ſchema à baſſo. i. e. *fœmina nunquam adeo ægrotat, ut non poſſit jacere ſuper dorſum.* Formula illa apud Romanos Cenſores conſueta, ut liberorum quærendorum cauſa ineatur conjugium, apud ipſos inter leges abrogatas numeratur, dum nil magis cum illis Romanis fœminis, ex hiſtoria Papyrii prætextati notis, in optatis habeant, quàm ut illis liceat duos vel plures habere maritos, quod lepidè, ut ſolet, expreſſit Ovvenus l. 1. Ep. 145.

Vir ducatnè duas, an nubat virgo duobus,
Quæritur: hanc litem ſolvere Paula volens.
Una viris, inquit *magis apta duobus*: in unâ
Conſiſtent aliter quomodo carne duo?

Breviter Mulieres ſunt intus & in cute Machiavelliſticæ, etſi nunquam illum legerunt, edoctæ tamen optimè regulam illam Julii Cæſaris. *Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.*

11. *Expedit viduis* Addendæ hæ uxoribus, nec ſilentii ſyrmate involvendæ, cum Deus illarum maximam habuerit curam, ipſarum Pater audire velit, & ſingularia privilegia

ipſis, ne lædantur, concesserit. Sunt enim veluti vinea aut hortus ſine ſepe & muro, homo ſine capite, oves ſine paſtore, populus ſine Rege, unde à J C tis *relictæ* dicuntur, i. e quæ ab omnibus ſusque deque habeantur & omnibus injuriis exponantur, quod *Owenus* etiam innuere videtur. Cum ad Paulum J CTum ſcribit libr. *ad Arbell. Stuart. ep.* 251.

Cur viduam Jus, Paule, vocat commune relictam
Vox hodiè nuptis convenit illa magis.
Nil opus uxori mortem expectare mariti.
Cumbat ut in triſtì ſemiſupina toro.

vid. *Menger. Scrut. Conſc.* p. 698. confer & p. 860. 863. ubi de miſeriâ viduarum ex *Guev. Horol. Princ.* c. 39: *Ingens, inquit, jactura eſt domi, cum ex eâ materfamiliâs, à quâ gubernabatur, tollitur, Mox enim maritus curam omnem deponit, liberi hinc inde vagantur, miniſtri pigritiâ torpeſcunt, famulæ pudorem abjiciunt, amici illius obliviſcuntur, domus corruit, veſtes deteruntur, fortunæ pereunt. In ſummâ: In ædibus vidui multi ſunt qui furantur, pauci qui laborant.* Ita Flamen Dialis à Numâ conſtitutus inſigni veſte ſellaque curuli ornatus mortuâ uxore ſacerdotio ſe abdicabat, quod (uti prodit Tejus) dncentis uxorem οἶκος τέλειος i. e. integra domus eſt, ejus autem, qui ductâ ſit exutus, οὐκ ἀτελὴς, ἀλλὰ καὶ πεπηρωμένος non imperfecta tantum, ſed decurtata omnino & oblæſa. Nam & funus hinc τέλεια dicitur apud Æſchylum Cœl. Rhod. l. 28. c. 13. Unde Pacuvius, Tragicus Clariſſimus, flens dicit Ario ſuo vicino: Amice, arborem infelicem in horto meo habeo, de quâ prima mea uxor ſe ſuſpendit, poſtmodum ſecunda, nunc etiam tertia. Cui Arius: Miror te in tot ſucceſſibus lacrymas inveniſſe, & iterum: Dii boni quot tibi diſpendia arbor illa ſuſpendit. Et iterum: Da mihi de arbore illâ aliquot ſurculos quos feram. Unde Martialis ad Phileratem l. 10:

Septima jam, Phileros, tibi, conditur uxor in agro
Plus nulli, Phileros quam tibi reddit ager.

Maximiliani tamen fortuna cum uxore in venatione mortua mutata. Cuſpin. Cum itaque tam miſer ſit non tantum viduorum ſed & viduarum ſtatus, & beneficio Polygamiæ facilius ad ſecunda tranſire poſſunt vota viduæ, ſicuti etiam in Vetere teſtamento lege cautum fuit, ut frater ſive cœlebs ſive uxoratus fratris viduam ducere teneretur, uti infra de Jure Leviratus audiemus; aliàs difficulter nubere iterum poterant, ſiquidem & Pontifici Maximo erat prohibitum ducere viduam. Et apud veteres Germanos, ut ſupra th 11. 14. ex Tacito percepimus aliosque populos non facilè ducebantur viduæ, partim quia aſſuetæ moribus prioris mariti non tam facile novos edoceri poterant, partim etiam, quia ſæpe ſuſpectæ de beneficio, prioris mariti pertæſæ, ut ad alia vota eò facilius pervenire poſſent; unde etiam ſecundæ nuptiæ odioſæ, quibusdam etiam prohibitæ, Patribus & Conciliis: quo pertinet illud Poetæ:

In qua quis periit, non bibo dixit aquam:
Et Owenus l. 1. Ep. 65.

Uxorem viduam qui ducit, idem facit ac ſi
In longâ veſtem quærat ematque viâ.
Platea Londini detritorum emendorum.
Altera veſtis uti magis eſt, minus altera trita
Sic viduarum aliæ plus aliæque minus.

Quò itaque ab his deterrentur vitiis uxores, maximæ difficultates circa ſecunda movebantur vota: Virgines verò ducere honeſtum & laudabile, ſicut & Heſiodus illud præcipit:

παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ἵνα ἤθεα τέκνα διδάσκῃς.

Interim Deus viduarum Patronum maximum ſemper egit. *Ex.* 22. *Deut.* 24. *Pſ.* 131. & 143. *Eſ.* 1. *Jer.* 22. *Syr.* 35. *Matt.* 23. *Luc.* 7. *Jac.* 1. Uti & viduarum curam Concilia Eccleſiaſtica jam olim commendatam eſſe voluerunt. Extat hâc de re Canon Concilii *Ratisbonenſis* 11. *can.* 20. & *Carthag. IV. can.* 101. 102. Gloſſa quoque ſuper illa verba Pauli. 1. Tim. v. *viduas honora* ſubjungit, ſumtibus Eccleſiæ ſuſtentando & ſolatiis fovendo. Accedit quod dicitur *diſt.* 87. c. 1. *ex Gelaſio Papa*; Viduis & orphanis Eccleſiæ præſidium implorantibus Epiſcopi debent adeſſe & contra improborum violentias protectionis patrocinium eis negare non debent. Unde *Chryſoſt. l.* 3. *de ſacerd.* inter alias cauſas cur fugerit Epiſcopatum, quaſi onus

onus ſuos humeros ſuperans, hanc affert, quòd oporteat Epiſcopum curare viduas ac iis providere. 1. Tim. v. 3. quin *Cauſ.* 23. *q.* 5. *cap. Regiam.* Regibus imponitur onus defendendarum viduarum, in hæc verba: Regum officium eſt proprium, facere judicium & juſtitiam & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos & peregrinis pupillisque ac viduis, quod facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. Præterea tradit *Panorm. in cap. ſignificantibus, de offic. delegati; & in cap. licet ex ſuſcepto*, *de foro competenti.* Poſſe viduam laicum trahere ad judicium Eccleſiaſticum juxta antiquum morem,& poſſe etiam in favorem ſuum ſequi domicilium mariti præmortui. Unde apud *Athenienſes* conſtituti erant viduarum defenſores, qui χηρῶν ἐπίτροποι dicebantur. *Hieron. Ep. ad Ageruchiam* ſcribit in V. T. ſemel maritatas filias ſacerdotum, ſi & quamdiu viduæ fuerint uſos ſacerdotalibus cibis, mortuisque ſic à Patre exhibendum inferiarum officium. Exempla punitorum oppreſſorum viduarum vid. ap. *Joh. Vaſæum in Chron. Hiſp. A.* 922. *de* Epiſcopo Compoſtellano Hermigildo viduæ 8. liberorum, vaccam unicam auferente; & *Conſtantinum Manaſſen in Annal.* vid. *& Eptorem ſerm. de morte* & *Chryſoſt. homil. de* Macchabeorum matre 2 Macc. 7. quam *Eraſmus* Carteriam & Euſebiam à fortitudine & religione, alibi Salomen appellat, Abraa *Joſephus*, Annam *Genebrardus.* conf. & *Cyrill. Hieroſ. catech.* 10. *Amphiloch. de occurſ. Dom. Damaſ. or.* 2. *de nat. Virg. Auguſt. l.* 9. *Conf. c.* 9. *Hieron. in Epitaph. Marcellæ. & Ep. ad Furiam.*

12. *Expedit Virginibus* Virginitas & olim & hodiè in magno fuit pretio, ubi Owenus canit:

Virginitas animi murus, victoria carnis,
Pectus honeſtatis, ſancta pudicitia.

Ita & Nazianzenus:

Salve Virginitas divino tradita dono,
Mater inoffenſæ vitæ, bona maxima fundens
Chriſti pars, & ſpiritibus ſociata ſupernis;

Apud Sinas, teſte Magaliano, etiam Hodie eliditur puellis nervus pedis, ne domo exeant. Catullus in Epithalamio ſcribit:

Ut flos in ſeptis ſecretis naſcitur hortis
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ
Idem cum tenui carptus defloruit ungue
Nulli illum pueri, nullæ optavêre puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tum chara ſuis: ſed
Cum caſtum amiſit, polluto corpore florem
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.

Ita tamen comparata eſt virginitas ut ſuos terminos & annos habeat, ſiquidem annoſæ virgines maximè erant contemtui, uti Th. XVII. 3. vidimus. Et hanc ob cauſam nubiles ab *Indis* in forum deducebantur à parentibus, ut eligerent ſibi juvenes, quos vellent, (vid. *th. XIV.* 6.) & apud Spartanos cameræ obſcuræ includebantur cum juvenibus, ut quamcunque quis forte fortuna acciperet, teneret. Memini etiam me in ſcripto quodam legere de rebus matr. non ita pridem edito, & mihi furto ſublato, cujus autor jam non ſuccurrit, quòd integro regno uſitatum ſit, virgunculis modo nodis ſericeo filo clauſtrum virginale ſubtiliſſimè conſuere, quò excrementa liberè poſſint exire, atque ita relinquere, uſque dum à ſponſo die nuptiarum ea ſutura ſolvatur, quo pacto virginitatem ſalvam ad matrimonium afferunt. Nec alia fuit cauſa *Spartanorum*, qui maturè virgines ad matrimonia promovebant & indotatas eſſe volebant. (v. *th. XVIII.* 2.) *Solon* lege cavit, ne ultra tres veſtes & quædam utenſilia viliſſima mobilia ex Patris domo ſponſa ad maritum afferret. *Plut. in Solon.* Apud populum ſuum Deus voluit, ne maxima dos excedat 50. ſiclos Deut. 22. quod juxta *Bodinum l.* 5. *de Rep. c.* 2. æquipollet tredecim florenis aureis. *Veneti* conſtituerunt, ut nobilis virgo ultra mille florenos in dotem non acciperet. *Maſſilienſes* ſponſæ centum florenos aureos & veſtem nuptialem quinque florenorum in dotem conſtituerunt. *Strab. l.* 4. *Caſimirus* R. Poloniæ ſerio cavit legibus, ne Comes vel nobilis filiæ, præſertim ſi haberet vivos filios, ultra centum marcas dotis loco traderet. *In Comitiiſſ. Viſſic. A.* 1368, *l.* 4. *Stat. c.* 6. *& Hartm Piſtor. obſ.* 99. *p.* 957. *n.* 18. teſtatur, quòd

quòd inter nobiles Liberos in Germania conſuetudo recepta, quòd ultra mille Florenos non facile in dotis vicem filiabus aſſignarent. Et ſanè verum eſt illud *πολυθρόλλητον: dotem accepi, libertatem vendidi.* Quod & *Plato l. 3. de Rep.* confirmat, inquiens: *Sæpè in coujugibus fit noxia, ſi nimia eſt dos.* A que hoc pacto facilius atque citius ad matrimonia pervenient, & virginitatem integram ſervabunt, præſertim cum ſciant, infringi atque diſſolvi poſſe matrimonium, ſi quis pro virgine corruptam accipit; eſt enim talis error, qui non nudæ qualitatis eſt, ſed circa aliquid verſatur, quod ad ipſam conjugii ſubſtantiam pertinet, aut ſaltem ad qualitatem intrinſecam, adeoque naturalem, & de virgine tacitè ſubintellectam. vid. *Gerh. l. de Conj. §. 109. ſeq. Weſenb. tit. de rit. nupt. n. 18. Andr. Gerh. ICTus in Ex. Inſtit. dec. 2. q. 7. Alber. Gent. l. 6. de nupt. c. 13. Phil. Hoenon. d. 2. e. 7. q. 2. Sig. Finckelth. obſ. Pr. obſ. 30.* Quod etiam ipſa jura noſtra volunt. Nemo enim reſpectu fornicationis antecedentis ſponſalia ψευδοκόρην maximè ſi imprægnata fuerit, retinere tenetur. *Finck. l. c.* prolixè: reſpectu verò ſponſalia ſubſequentis ſtupri utique clarum, quod verum in ſponſam committatur adulterium *l. 13. §. 3. ff ad L. Jul. de adult. Struv. Ex. 48. th. 28. & diſp. de Ven. ill. th. 3. Matth. Berl. part. 4. concluſ. 27. n. 140. Heig. p. 2. q. 28. n. 16. Schnob. diſp. ad ff 24. th. 17. Wilh. Ludw. diſp. ad Inſtit. 18. th. 4.* Nec de hoc dubitatur in Electoratu Saxonico propter ſanctionem Eccleſiæ. *rub.* **von Eſſahen tit von der Straſſe der unzucht und Esbruchs §. würde aber auch.** *& ord. matr. de A. 1624. punct. 4.* §. **würde auch jemeds** Sponſi verò ante ſponſalia commiſſa & poſt comperta fornicatio nullam præbet cauſam repudio à ſponsâ vel uxore inſtituendo, uti hoc rectè ob diverſitatis rationem, quæ etiam in correlatis diverſum jus inducit, aſſerit. *Cyprian. de ſponſal. c. 13. §. 67. n. 21.* cum pluribus aliis. Quanquam enim ſponſus & ſponſa, maritus & uxor ſint correlata, & correlatorum videatur eſſe eadem natura & diſciplina *Alex. l. 5. conſ. 131. n. 2. Nicol. Boër. deciſ. 48. n. 3. &* diſpoſitio de uno ex correlatis locum quoque videatur habere in altero, *Everh. l. de Correl. n. 31. Ludolph. Schrad. de Feud. part. 10. J. g. n. 228.* aliter tamen ſe res habet cum his correlatis, in quibus eſt maxima inæqualitas, ita ut, quod uni licet, alteri ſtatim non liceat. Sicuti enim ſervo non liceat plures quærere Dominos (nec enim poteſt duobus ſervire Matth. 6.) Domino verò liberum eſt plures aſciſcere ſervos. Filio non licet (neque etiam poteſt) plures habere patres. Pater verò poteſt (& licet quoque) plures generare liberos: ita etiam marito licet plures uxores habere, uxori verò non plures maritos. Et quamvis caſtitas (quæ *ſola Deo potis eſt cum fiduciâ hominum animas præſentare Novell. 14. §. 1.*) ab utraque parte deſideretur, & iniquum videatur, ſponſum à ſponſâ pudicitiam exigere, quam ipſemet non exhibuit, *l. 13. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult.* quia tamen ſecundum jus divinum etiam cum pluribus fœminis caſtitatem poteſt ſervare, ſi in matrimonio habeat, majore libertate gaudet, & libido in fœminâ multò eſt deteſtabilior & iniquior, quàm in viro. *arg. l. 1. C. de mul. quæ ſerv. propr. junct. l. ult. C. de manum. adeoque* etiam major caſtitas in fœminis, quàm in maſculis requiritur. *Gloſſ. in l. 42. §. 12. ff de rit. nupt. Jo. Goedd. ad l. 101. n. 4. ff. de V. S. Libor. à Bodenſtein in diſp. de Jur. div. quod maritus pecul.* habeat. ſi quidem fœminis (præprimis quas *morum honeſtas mentisque ſolertia commendat, l. 2. §. 1. de his, qui veniam ætat.*) caſtitatis obſervatio præcipuum debitum conjug. *l. 5. C. de SCt. Orfic.* quia alioquin magna per inſitionem ſtirpis adulterinæ tali familiæ, nedum ipſi ſponſæ vel marito infertur injuria. *l. 6. §. 1. l. 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. Matth. Weſenb. ad ff eadem n. 4. in* viro verò illud periculum ſuppoſitionis partus non eſt; ſunt enim ipſius liberi in toro ipſius & ad ipſius: mulier verò non habet torum. *Bernh. Schot in Ex. Jur. p. 149. Carpz. Juriſp. For. part. 4. Conſt. 20. defin. 13. n. 10.* adeoque patet maxima diverſitas inter ſponſum & virginem ſponſam, maritum & uxorem, uti præterea apparet illa inæqualitas ex ſingulari poteſta-

te,

te; quæ ſponſo in ſponſam, marito in uxorem competit, uti hoc teſtatur *Struv. Ex.* 29. *th.* 56. *& Ex.* 3. *th.* 7. *Hahn. ad Weſenb. de rit. Nupt. n.* 6. *Amadeus Eckolt ff. de Nupt.* §. 6. Habet autem maritus hanc poteſtatem ex ipsâ naturâ. *Grot. l.* 2. *de J. B. & P. c.* 9. §. 8. naturale quippe eſt imperium, quo præſtantius dominetur inferiori & deteriori. *Can. eſt Ordo* 33. *q.* 5. jam verò ex ordine maritus corporis præſtantiâ, ingeniique dotibus uxorem longè ſuperat; *Ludov. Viv. de Off. mar. c.* 3. *circa fin.* ſiquidem in ſexu maſc. natura intellectualis adeoque dignior, prævalet præ fœminino, qui & ſequior exinde dicitur ſenſitiva & inferior. *Schilter. Manud. ad Juriſpr. c.* 4. §. 21. unde non immerito ab Apoſtolo vocatur *debile vas* 1 *Pet.* III. 7. ut pote, quæ non tantum extra, ſed & poſt partum multas infirmitates habeat, maximè fragilis ſit, & leviſſimè affectibus ſuis fibulam laxet. Juxta illud *Owen. l. ad Arbell. ep.* 43.

Ecclipſin rarò patitur ſol, luna frequenter:
Eſt magis ad lapſum fœmina prona viro.

Perturbationibusque animi minus reſiſtere poteſt, *Carpz. Pract. Crim. part.* 2. *q.* 53. *n.* 17. Adeo natura & naturales dotes docent illam, quòd ſit inferior & ſubjecta viro. Quamvis enim quod jus civile attinet, uxor maneat in poteſtate Patris §. 2. *Inſtit. d. SCTo.Tettull. l.* 5. *C. de candit. inſert. l.* 12. *C. de Collat.* nihil ominus tamen eo jure etiam marito obſequium atque reverentiam exhibere jubetur. *l. un.* §. 7. *C. de rei ux. act. l.* 14. *ff. ſolut. matr. Petr. Gudel. de Jur. Nov. l.* 1. *c.* 7. unde etiam à maritis *Domini* vocantur. *l.* 67. *ff. de don. inter vir. & ux. l.* 88. §. 2. *ff. de Leg.* 2. *l.* 8. *de inoff. don.* mandato Dei *Gen.* 3. & Saræ exemplo *Gen.* 18. 12. Præterea etiam habet hanc ſuam poteſtatem ſingularem in uxorem vir Jure Canonico. *Can. eſt Ordo. & Can. quod Deo; Can. Satis. Can. cum. Caput. Can. mul.* 33. *q.* 5. & conſuetudinario. *Weſenb. de rit. Nupt. n.* 6. *ibique Hab.* quæ conſuetudo in Jure divino fundatur *Gen.* 3. 16. *Num.* 30. 9. *& ult.* 1. *Cor.* 11. 3. 1 *Petr.* III. 8. *Eph.* V. 23. *Col.* III. 18. Ut igitur virgines ſibi gratulari neceſſe habeant, nec tergiverſari, ſi à maritatis in uxores invitis etiam primis uxoribus adoptentur, & virginitas fortean ex affectu nimio amiſſa per ſubſequens matrimonium redintegretur quaſi & compenſetur.

13. *Periculis ſanitatis & vitæ* Virgines niſi nubiles opportuno tempore nubant, variis incommodis & morbis ob menſtrua ſunt obnoxiæ, quæ non alio pacto quàm per matrimonium videntur poſſe ſanari, de quâ re argutè more ſolito *Owenus. l.* 2. *ep.* 45.

Virgo puellari morbo Burgunda laborans
Jam deſperata ſæpè ſalutis ope.
A Medicis Mentam conſultis juſſa minutam
Sumere, quæ multis utilis herba fuit.
Quam per peccatum vel vivere, maluit (id quod
Peccati pretium debuit eſſe) mori.

Certè rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno, cum pleræque non expectent, uſque in morbos incidant, ſed præſervativo hoc in tempore utantur, nec ſæpe cum Quartillâ Petroniana recordentur, quando hoc remedium primitus adhibuerint, & vernum virginitatis florem amiſerint. Quæ ut conſervetur in ſtatu integro in Marianâ Eccleſiâ philtris & Alexipharmacis, illis quidem ad amorem conciliandum, his ad opprimendum utuntur. **Schimpff und Ernſt** *Jo. Pauli Diſcalceatorum Ord. l.* 3. *c.* 49. *p.* 164. *Dilling. apud Sebald. Maier. a.* 1557. narrant de Monacho Mendicantium, quod amoris pomum dederit filiæ prætericns. Quod mater videns & meliùs intelligens filiâ projecit in plateam, ubi *porcus devorans* monachi prætereuntis cucullo ſemper inhæſit, ante monaſterium apparuit, nec ipſum amare deſiit, aut ex monaſterio exire ſine ſummâ amoris teſtificatione permiſit, uſque dum necatus è medio tolleretur. Uti autem media ad excitandam Venerem, ita & *Alexipharmaca Anti-pathica* ad ſuffocandam uſurpant, uti apud *Athenæum* refertur, quod quidam cicutam ad extinguendam Venerem biberit. Alii in peculiaribus herbis jacuerunt. *Phil. Camer. hor. ſucc. q.* 1. *p.* 2. in quo excellunt Jeſuitæ, uti *Elias Haſenmullerus* ipſe Jeſuita antea teſtatur: *Variis herbis & pharmacis*, inquiens, *in cibo & potu Jeſui-*

ta utuntur, quibus naturæ vim enervant, & ſobolem, ut ita dicam, intra viſcera propria occidunt μισάνθρωποι & a Deo ordinatæ propagationis humanæ hoſtes. Et. *Haſenm. hiſt Jeſ.* c. 6. *p.* 99. ubi jocoſam, ſed tamen veram hiſtoriam narrat de *opifice* quodam qui apud Jeſuitas laborans comedens & bibens *uxori benevolentiam debitam non potuit reddere*, ſed apud alios vel aquam bibens virum ſe valuit præſtare, eamque ob cauſam non voluit, ut amplius Jeſuitis inſerviret, uti & poſtea Landsbergenſes prohibuerint in Bavariâ, ne amplius *cereviſiam* apud Jeſuitas emerent. *Id. ib.* Aliàs *Agnus Caſtus* uti vocatur herba vel frutex, multum prodeſſe diciur ad caſtitatem ſervandam. *Hieron. Boeck. c.* 59. *p.* 3. *f.* 400 &c. Inter alia media caſtitatis ſervandæ uſurpatur etiam *glacies*, uti *G. Rutha* Auguſt. Ord. demum A. 1628. Canoniſata, etſi mira multa circa illam contigere, ſcilicet, uti narratur, quod ſine dolore nata, & apes cum melle ſuavi os ejus involarunt, & iterum exierunt, & ab ipſius Patrono J. Baptiſtâ Auguſtiniani Ordinis, & S. Nicolao Tolentino per clauſas januas in monaſterium S. Magdalenæ Auguſtin. introducta, & juxta angeli cujuſdam revelationem ad magnam ſanctitatem pervenerit, nihilominus cum à Satanâ ob caſtitatem tentaretur, nudam ſe in *glacie* volutarit, uſquedum tentari ceſſaret. *Mariæ Liber.Geneal.* 30. *Jan. p.* 140. Sed cum in monaſteriis non ſemper tales foſſæ glaciales habeantur, non poteſt ubique uſurpari, S. *Franciſcus*, quem *Manbard. Part.* 2. p. 144. ſpiritualiter pauperem Patriarcham vocat, cum frater ipſius aſinus ſeu, uti explicabat, Adamitica caro noluerit domari tamdiu *nive* volutatus fuit, uſque dum tentatio ceſſaret, ubi ex niveis globulis uxorem & filios formavit dicens: *Ecce uxor & filii tui. Conform. Franſc.* quod *Luth. in Dipnoſ. p.* 454. refert. Eleganter hâc de re *Buchananus*.

Forte furens male morigeri petulantia membri
Urebat patrem ſæpius igne pium.
Quid faceret? peteret ſanctarum clauſtra ſororum
Clauſtra procul. Nuſquam ſancta propinqua ſoror.
Quocircà in gelidâ ſtratus nive membra volutat
Et fingit globulos, perterebratque nivem.

Sic *Petrus Damianus* noctu tentatus ſurrexit, & frigidâ corpus ſuffudit, quod ipſi requiem & ſomnum conciliavit, quod præſertim præſtat aqua benedicta quæ ſi haberi non poteſt, cummunis adhibenda. *Mariæ Lib. Geneal.* 22. *Febr. p.* 241. Multò verò certius remedium *totalis inundatio.* uti S. *Bernhardus* Gloria Ciſtercienſium ac Abbas Claræ vallenſis dicitur expertus, qui aliquando mulierem aſpiciens (Matth. 5.) illicò frigidam uſque ad collum intravit, uſque dum ferè frigefactus mulieris oblitus. *Leg. Bernh. in vit. l.* 1. *c.* 3. *in Opp. Bernh. l.* 1469. *edit. Antv.* 1616. *Lib. Geneal. Mar.* 20. *Aug.* 226. Quod & Patres familias circa Gallos & Gallinas obſervant. Alphonſ. de Vargas c. 12. p. 35. teſtatur Patrem Forerum etiam ejuſmodi immerſione opus habuiſſe. Ità *in Leg. Ign. Loj. l.* 5. *c.* 2. legitur, quòd cum quidam Lutetiæ pellicis amore nefario teneretur, neque ab illâ *Ignatius* hominem poſſet ullâ omnino ratione divellere, aliquando reſciverit, illum extra oppidum iturum, eò fortaſſis, ubi turpes ejus deliciæ eſſent. Ignatius in lacum frigidiſſimum viæ, quâ tranſiturus erat, adjacentem ſeſe conjecit, corporeque gelidis aquis immerſo caput tantùm exerens ad illum jam appropinquantem: *perge*, infit, *perge miſer ad tuas fœdiſſimas voluptates. Impendentem capiti tuo ruinam non vides. Inſtantem peſtem non perhorreſcis. Hic egome pro te tamdiu macerabo, donec juſtiſſimum Dei furorem, tibi imminentem avertam.* Exterritus homo, & hoc tam inſigni charitatis exemplo perculſus reſiſtit, pedem refert, & familiaritatem illam ſcelere copulatam ſtatim diſcindit. De *Benedicto* in ejus *Leg.* ed. ab *Anton. Koberg. p.* 361. Norib. 1488. (vid & *Luth. Dipnoſ. p.* 454. de reb. matr.) narratur, quod pulcherrimâ fœminâ in juventute tantùm visâ & poſteà ſæpè cogitationibus ipſius obviâ tentatus voluerit ordinem relinquere, ſed illuminatione divinâ reſtiterit tentationibus,

&

& ſe volutaverit *in ſpinis & vepribus*, uſque dum ſanguis undique efflueret, & cupiditates ceſſarent; ad cujus Patris exemplum poſtea multi Benedictini ſe compoſuere. Uti de *S. Audomaro* Conſtantienſi legitur, quod in *ſpinis & urticis volutatus cæcus* factus fuerit. Ita Sanctuli illi amore æternæ caſtitatis non tantum oculos, ſed omnes 5 *ſenſus*, ſed *ſextum* etiam de quo *Scal.* ſpeculationes affert nonnullas, amiſerint. *Lib. Geneal Mar.* 9. *Sept. p.* 306. *Vincent. l.* 23. *c.* 108. *L. Oſ. cent.* 7. *l.* 3. *c.* 5. *p.* 181. Sic etiam *Pacuvius Abbas* per *ſpinas* ambulavit, & ſanguinolentis rediens pedibus in cellam, magis gaviſus eſt de tentatione ſuperatâ, quam de doloribus conqueſtus. Simili pacto *Stephana Soncinnas Galla* legitur tertio ætatis anno maturo judicio Deo & Mariæ virgini æternam caſtitatem voviſſe & ſeptimo ſponſalitia cum Chriſto ſolenniter celebraſſe, ubi Chriſtus ceu ſponſus. Dominicus, Thom. Aquinas, Catharina Senenſis viſibiliter apparuerint & ipſe Chriſtus annulum pronubum digito impoſuerit, quo facto Stephana putavit, fore ut amore nimio periret, & fortean factum, niſi per S. Andream etiam præſentem crux ipſius impoſita humeris, & ne ullis inordinatis affectibus Chriſto diſplicere ſpinis volutata, melius quàm per Paſſavicam artem à telis Satanæ præſervata fuiſſet. *Lib. Geneal. Mar.* 18. *Sept. p.* 362. Aliud medium caſtitatis æternæ ſervandæ nempe *zonam ferream* adhibuit Eliſabetha Piciverda Servita, quæ à teneris Deo devota omnes ſponſos & procos repudiavit & zonam ferream quatuor digitorum latitudine ſemper portavit, atque ita jecur atque omnia proxima compreſſit. *Lib. Gen. Mar.* 19. *Febr. p.* 227. Sed *Radegunda* Regis Chlotarii uxor *ferreum circulum* geſſit, atque tanto monaſticæ vitæ amore exarſa eſt, ut Medardo judicii divini ſeveriſſimas pœnas fuerit minata, niſi more monialium ipſam inauguraret. Quo facto ſeveriſſimam ibi vitam degit, & præter alia pœnitentiæ opera *ferream laminam* circa corpus portavit, quæ bis quia carni accreta, & quaſi innata fuerat, fuit execanda & extrahenda. *Lib. Gen. Mar.* 13. *Aug. p.* 192. Quo loco non poſſum non mihi in memoriam revocare *feras* quaſdam ejuſmodi laminis ornatas & notatas, ſi parva iſtis magnis miraculis comparare, & profana iſtis ſacris miſcere licet. *Plinius* enim teſtatur ab *Alexandro M. cervos* aureis collaribus poſt centum annos captos, eosque à *Diomede* ita inſignitos; ſicuti & cervum ejus æreo collari indutum *Agathocles* Rex Siciliæ cepit. Et *Arceſilaus* vidit cervum cum collari cui hic verſiculus erat inſcriptus:

Νεϐρὸς ἐὼν ἑάλων ὅτ' ἐς Ἴλιον ἦν Ἀγαπήνωρ.

Hinnulus fui captus, cum in Ilio eſſet Agapenor.

Ex quo concludere voluerunt, cervos longius elephantis vivere. A. C. 1497, Lupus magnus piſcis captus fuit cum Græcâ inſcriptione, quæ Latinè ita ſonat; *Ego ſum piſcis ille huic ſtagno omnium primus impoſitus, per Imp. Friderici II manus*, A C. 1230. *Conr. Geſn. Hiſt. Anim. l.* 4.

Nec tantum externa media ad caſtitatem æternam ſervandam adhibuerunt, ſed & ſibi ipſis *vim intulerunt* ne virginitatem amitterent. Ita legitur de *Euphemiâ* à parentibus deſponſatâ, quod ſibi *naſum & labia amputarit*, & totam faciem deturparit, ne à ſponſo diligeretur, ſed virginitatem ſervare poſſet. *Maria Lib. Geneal.* 24. *Dec. p.* 803. 831. *A-C.* 1289. Sultano 60000 Equitibus & 160000 pedibus Ptolemaidem obſidente nulla virgo etiam monialis fuit tuta. *Sorores S. Claræ* itaque ſibi amputant *nares*, inter quas *Abbatiſſa Ebba* prima fuit, ſequuntur reliquæ, & retinent quidem virginitatem, ſed non vitam, ſiquidem omnes à militibus interfectæ. *Surius A.* 1253. *Mar. Lib. Geneal.* 12 *Aug. p.* 197. & 5. *Dec. p.* 751. Ulterius progreſſa *Euphraſia Nicomedenſis*, quæ militi aſſignatur, ut libere cum ipsâ agere poſſet, & jus vitæ & necis, virginitatis etiam pro libitu uſurparet. Virgo ſe eſſe in hoſtis arbitrio animadvertens, amicis verbis ipſum adorta dicit ſe velle ipſi *artem Paſſavicam*, uti dicitur, mediante unguento docere, ſi vellet illam intactam permittere, & ne dubitaret, ſe permittere, ut in ipſius corpore probaretur, oleo collum inungens concedit militi, ut experiatur, & cædat, atque ita caput amittit, quô viſo miles ſe deceptum

animadvertit. *Mar. Lib. Geneal.* 13. *Mart.* 322. 323.

14. *Ob intermiſſum conjugium periculis famæ atque honoris* Omnis ἄγαμος, ſive juvenis ſive virgo, ſi ad annos nubiles perveniant, & matrimonium non ineant, in ſuſpicionem laſciviæ & impudicitiæ cadunt, adeoque facilè diffamari poſſunt. In Marianâ quidem Eccleſia, præter jam recenſita adminicula alia adhuc media invenerunt, quibus æternam virginitatem contra Dei voluntatem ſervarent moniales quas æque ut omnes homines ad generationem creavit, & ſub præcepto primo Catholico; *Creſcite & multiplicamini*; concluſit. Illæ tamen nihilominus maximopere omnem movent lapidem, ut ſuperſtitionem ſuam continuent, & virginitatem cuſtodiant. Ea propter *S. Clara* de monte Falco S. Auguſt. Ordinis *nudam manum* nulli moniali aut monacho porrexit, & Abbatiſſa facta hanc legem dedit omnibus ne membrum unum nudum alterum *nudum* tangeret, neque nocte neque interdiu ſed ſemper chirothecis utantur. *Mar. lib. Geneal.* 17. *Aug. p.* 213. Socrates de Confeſſore Ammone narrat, quod ſe nunquam *nudum conſpexerit*, eò quod monacho ſuum ipſius corpus nudum videre inconveniens eſſet, ne ad libidinem provocaretur. *Socrat.* 4. *Hiſt. p.* 23. Inter omnia verò adminicula ἀειπαρθενίας & caſtitatis æternæ ſervandæ putant eſſe optimum remedium *ſpiritualem illam & miraculoſiſſimam deſponſationem monialium cum Chriſto, & Monachorum cum Mariâ*, quæ mediante annulo & datione dextræ ſub juramento fidei æternæ inſtituitur, cum laici tantum per Baptiſmum deſponſentur. *Hoſ.* 2. ſicuti de *Stephana Goncinnâ Gallâ* nuper audivimus, quod Chriſtus ipſi viſibiliter apparuerit, annulum annulari ipſius junxerit, quo proxenetâ ad tantum amoris & honoris gradum pervenerit, ut *Mariam ſocrum* ſuam vocarit, & beneficio hujus tàm ſanctè vixerit, ut nullum inordinatum motum ſponſo ſuo inimicum ſenſerit per omnes vitæ dies. *Mar. Lib. Geneal.* 18. *Sept. p.* 363. Talis deſponſatio etiam cum *Brigittâ* contigiſſe dicitur, propter quam ipſa *Maria ſe ſocrum Brigittæ* vocavit. *Mar. Lib. Geneal.* 8. *Oct. p.* 468. Sic de *Mariâ Rozzâ* Dominicani Ordinis legitur, quod Maria ipſam Regiâ coronâ impoſitâ, *Reginam cælorum* conſtituerit, & aureo annulo digito impoſito, ſuo *filio æterno Regi* deſponſârit. *Lib. Geneal. Mar.* 19. *Maj.* Similiter ſcribitur de *Suſannâ de Mantuâ* etiam Domin. Ordinis, quod Chriſtus illi aureum annulum digito indiderit, & in æternam virginitatem ſibi illam deſponſarit. *Mar. Lib. Geneal.* 18. *Jan. p.* 731. Nec intra hos limites ſubſtiterunt, ſed quædam Chriſtum puerulum oſculatæ atque ſic virginitatis perpetuæ. imò vitæ certiores factæ. *Lib. Geneal. Mar.* 19. *Mart. p.* 305. Sic de prædictâ *Suſanna de Mantua* legitur, quòd Chriſtus non tantum interveniente annulo illam ſibi deſponſarit, ſed & quod Maria Jeſulum Suſannæ brachiis, ut Simeoni ad oſculandum & amplexandum dederit. *ex Anton. Balong. Mar. Lib. Gen.* 18. *Jul. p.* 732. Quid inde aliud quàm ſingulare caſtitatis ſcilicet donum ſequitur, præſertim cum à teneris devoventur, uti Stephan. Goncinna ſupra laudata 3. ætatis anno deſponſata, & ſeptimo, interveniente annuli impoſitione, in præſentiâ S. Dominici, Thomæ Aquin. Catharinæ Sen. Chriſto & Mariæ plenarie confirmata fuerit. *Lib. Gen. Mar.* 18. *Sept. p.* 362. Quæ deſponſatio non in ſpeciem fieri dicitur, ſed realem effectum, dona peculiaria & ſingulariſſimam aſſiſtentiam ſecum aſſerre contra omnes impuritates cenſetur, uti de moniali S. Ludgarda de Tungern refertur, quod tanto erga Chriſtum amore incenſa fuerit, ut cum corde Chriſti ſuum commutare nollet, ne cor Chriſti in ipſius corpore coinquinaretur. Suum verò cor cordi Chriſti inſerebat, in quo ipſo ſubmerſo, uti gutta in magno dolio ut diceret, *Unum cor nobis ſufficit.* Ex quo nullas inordinatas cogitationes habuit. Et cum Viſitator, more in Monaſteriis conſueto, oſculum pacis in diſceſſu dare vellet, Chriſtus manus interpoſuit. Tanti ſcilicet effectus eſt, cum Chriſto monialium more eſſe deſponſatam. Quis Monachus poterit vel audebit ejusmodi monialem, licet ſit in more poſitum, oſculari. *Lib. Geneal. Mar.* 16. *Jun. p.* 723. Atque hæc quidem deſponſatio monialium cum Chriſto aliquam ſpeciem, ob generalem omnium fide-

fidelium cum Servatore deſponſationem, habere videtur. Quis verò fucum inveniet ad incruſtandam deſponſationem Monachorum cum Mariâ, de quâ ſummoperè gloriantur Mariani. *Surius* ſcribit in vita *Roberti* Ciſter-cienſis O. quod matri ipſius prægnanti Maria bis cum annulo aureo in manu apparuerit, dicens: *hic filius, quem in utero geſtas, volo, ut in æternum mecum per hunc annulum deſponſetur. Mar. Lib. Gen.* 29. *Apr. p.* 530. 22. *Ian. p.* 115. Sic de *Edmundo* Archi-Epiſcopo Cantelburienſi dicitur, quòd ſanctiſſimas, monaſticas puta cogitationes habens curaverit ſibi fieri annulum pretioſum, cui affabrè inſculptum: *Ave Maria* & quod unà cum ſuo Confeſſore ante Mariæ imaginem in genua devolutus, ſeipſum deſponſarit illi publicè in perpetuam virginitatem, in cujus confirmationem digito Mariæ annulum indiderit, & quod ſimiliter in ſuo digito cœlitus miraculoſum annulum pronubum cum *Ave Maria* notatum acceperit, quo ipſe poſteà multa miracula præſtitit, ita ut omnia per ſuam conjugem Mariam, quæ voluit, impetrare potuerit. *Lib. Gen. Mar.* 16. *Nov.* 642. & 22. *Ian. p.* 116. Similiter de *Alano* Prædicatorum O. qui pſalterium Mariæ renovavit narratur, quod Maria ipſi apparuerit, & *annulum ex ſuis crinibus* confecerit, & Alani digito in ſignum æternæ deſponſationis impoſuerit *ex Bzovio Lib. Gen. Mar.* 22. *Jan. p.* 115. Ita novitio cuidam Franciſcanorum ex Diaboli inſtinctu Monaſticæ valedicturo vitæ, & mundanis ſe immerſuro Maria, à quâ veniam prius petere voluit, poſt largam increpationem ſigillum, cui Jeſuli & Mariæ imago impreſſa, in manus dedit ceu anditotum contra ejuſmodi tentationes. *Lib. Geneal. Mar.* 3. *Jun.* Nec intra hos limites manſit hæc ſuperſtitio, ſed ulterius progreſſa. Ipſa Maria dicitur erga Religioſos amore capta, ut illa illos oſculata fuerit. Ita *Abundus Religioſus Villars* in Brabantiâ, quod non tantum Mariæ deſponſatus, ſed & ita ab illâ amatus, ut dignum haberet, qui manus ipſius benedictas oſcularetur; imò illa ipſa ſuo ore benedictiſſimo iterum illum *oſculata eſt*. ex *Chron. MSC. Liber. Gen. Mar.* 20. *Mart. p.* 354. Sic de Religioſo laico *Stephano* Minimorum Franc. de Paulâ, quod ipſi *exeunti è templo* Maria deſponſata in occurſu *baſium* dederit. *Cat. D. V. Mar. Geneal.* 17. *Sept. p.* 360. Et quod adhuc magis, Maria Monachis deſponſatis *ubera* præbuit, uti dicitur dediſſe *S. Bernhardo lac ex uberibus*, Unde ſcripta & vita plena ſuavitatis, ut melleus Doctor appellatus. *Leg. Bernh. Mar. Geneal.* 20. *Aug. p.* 226. *Gabriel* Ammonitarum Eremita *ubera* Mariæ ceu infans ſuxit, quæ ipſi apparuit, quoties voluit. *Chron. Ord. Mm. l.* 4. *c.* 12. *Lib. Gen. Mar.* 9. *Dec.* 775. *Illa ipſa* Religioſi ſibi deſponſati in agone conſtituti *labia lacte ex uberibus conſperſit*, quo ipſe ſtatim ſanatus in ſignum divinæ gratiæ *aliquot guttas in labiis* retinuit. *Petr. Dam. VI. Ep.* 29. *Mar. Geneal.* 26. *Maj. p.* 255. Utut verò ejuſmodi ſigna non exhibet omnibus, habet & alia ſigna amoris: ſiquidem *Andr. Corſeno Carmelitæ* (qui primitus A. 1629. à Papâ Urbano VIII. numero ſanctorum aſcriptus) in primæ miſſæ celebratione cum multis angelis apparuit dicens: *ſervus meus es tu, quia elegi te*, & *in te gloriabor. Lib. Gen. Mar.* 6. *Ian. p.* 45. 46. Sic S. *Norberto* Præmonſtratenſium *album habitum* (veſtimentum Præm) ipſi in ſignum æterni amoris & angelicæ caſtitatis *indu to Mar. Lib. Gen.* 6. *Ian. p.* 686. Sic Epiſcopo Avernienſi *Bonito* (quem verè bonum nominarunt) *pulcherrimum* ex ſubtiliſſimo linteo confectum *habitum miſſaticum* donaſſe dicitur, hodienum adhuc ibi conſpicuum. *Geneal. Mar.* 15. *Jan. p.* 79. *Surius.* 15. *Jan.* Epiſcopo Toletano *Adephonſo* ex ſui filii theſauro nitidiſſimum *miſſalem* habitum ex ignoto puriſſimo linteo confectum, ubi adhuc monſtrandum miſit. *Geneal. Mar.* 23. *Jan. p.* 118. *S. Thereſiæ* Abulenſi *niveam tunicam* ob inventum novum Orbem induit. *Gen. Mar.* 5. *Oct. p.* 494. *S. Roſæ* Viterbienſi in Italiâ *Franciſci habitum* induendum imperavit. *Geneal. Mar.* 4. *Sept.* 290. Singulari verò amore trahitur erga Jeſuitas Sanctiſſima Virgo. A. 1603. in Peru Maria *Petro Anaſco Amaſio* conſuluit, ut ſe Deo conſecraret in ſocietate, quod & fecit, & in ſocietatem receptus ſemper in ore habuit: *Maria huc me duxit, hic me ſervavit, Maria ſit benedicta. Geneal.* 12. *Apr. p.* 456. Sic & *Sebaſt. Barradius* 1615 Conimbricæ mor-

tuo imperavit, ut ſocietatem intret. Inde cum aliquando profuga & Muſalmannus ad ipſum veniret, tentationem illius his verbis ſæpè repetitis ſedavit: *Maria mater me juſſit huc intrare. Geneal.* 14. *Apr. p.* 462. quod & juſſit Angelicum juvenem *Aloyſium Gonzagam:* innuens Dei eſſe voluntatem ut intret, & hoc ſuo confeſſori indicet. *Geneal. Mar.* 21. *Jan. p.* 744. Quis ergò dubitet de illorum æternâ virginitate, præſertim cùm in teneris etiam ante partum conſecrentur. *Geneal. Mar.* 29. *April. & Conſalvus Silverinus* Soc. J. in utero matris adhuc conſecratus dicitur. *Geneal.* 15. *Mart. p.* 329: ipſa *horâ partus* verò inauguratus Mauritius Prædic. *O. Geneal. Mar.* 31. *Mart. p.* 416. Scilicet à teneris aſſueſcere multum, præſertim cum parentum cura accedit, uti *Alexandri Bertii* Florentini M.. uxor *Violanta* nil aliud optarit, quàm ut filius ordinibus initiaretur, quod votum Mariæ tantopere placuit, ut per honeſtam mulierem ipſi nuntiarit, quòd vellet *ſuum filium cum ipſius commutare*, illius filium à teneris educare, ut evaderet talis, qualem in Jeſuitico ordine deſideraret. Sicut nunc prior deſponſatio muliebris non ſine effectu, ita nec hæc. De *Conradino Bornato* Brixienſi Prædicatorum O. narratur quod Maria ipſius deſponſati humeris *unguentum* affuderit, poſtea verò nullas inordinatas cupiditates amplius ſenſerit. *Geneal. Mar.* 28. *Febr. p.* 269: Talem Gratiam *P. Ripa Tranſon Franc.* habuit apud Mariam, ut ejus pectori Maria puriſſimam virgineam impoſuerit manum dicens: *accipe puritatem cordis longe deſideratam. Geneal. Mar.* 14. *Jan. p.* 77. 78. *Chron. Min. l.* 4. *c.* 10. Ita Maria Religioſum laicum Franc. de Paul. nomine *Stephanum Juſtinum* mortificatione ſubjecturum ſpiritui carnem *oſculo* ab hâc tentatione liberavit. *Geneal. Mar.* 17. *Sept.* 359. Similem gratiam Maria juveni ad concupiſcendam Domini ſui uxorem incitato (cui Confeſſarius ſuaſerat, ut ſingulis diebus 500 Ave Maria, quæ uno anno conficiunt 182500 per integrum annum continuando contra hanc tentationem oraret) exhibuit & apparuit dicens; *ſe illas precatiunculas compenſaturam*, inquiens *deſideras meum conjugium*; Cum verò ille ſe indignum judicaret, Reſpondit Maria: *ero tua uxor & dabat ipſi oſculum*; quod oblivionem omnium carnalium induxit. *Geneal. Mar.* 24. *Apr. p.* 507. Uti & ipſa Jacobo Ulmenſi octuagenario hoc pacto virginitatem conſervavit *Geneal. Mar.* 11. *Oct. p.* 484. Et licet quandoque carnales oriantur cogitationes, Maria non permittit, ut fœdius frangant, ſed monſtrato annulo pronubo omnia mala impedit. Uti etiam juveni cuidam mundum amplexuro & mulieri jam deſponſato cauſa fuit, ut primâ nocte ſponsâ relictâ in lecto ſurrexerit, in deſerta abierit ſpiritualem vitam amplexus. *Geneal. Mar.* 18. *Jan. p.* 88. Exempla etiam dantur illorum qui ad matrimonia à parentibus fuere coacti, ſed precibus ſponſarum mortem obtinuerunt, æternamque ſervarunt caſtitatem, uti legere eſt de *Oportuna Abbatiſſa* atavis Regibus editâ, quæ ſuis lacrymis effecit ut ſponſus ante conſummationem matrimonii fuerit mortuus. *Geneal. Mar.* 22. *Apr. p.* 497.

15. *Expedit mercatoribus, nautis, peregrinantibus* Quamvis enim itineribus & peregrinationibus occupati de loco in locum moveantur, in loca tamen extramundana non deveniunt, ſed in mundo manent; ubi diverſas virgines ancillas, ſolutas & liberas perſonas offendunt, & affectibus abrepti illarum conſuetudine utuntur. Neque etiam cum Monachis Monaſterio incluſis gloriari poſſunt, quod non ſint in mundo. *Eraſmus* quidem *in Epiſt. Hieron. ad Heliod. de Vit. Eremit. diſputat* an Monachi & Religioſi ſint in mundo? inquiens: *Si mundum vocas affectus à Chriſto alienos, puta faſtum, avaritiam, invidiam, libidinem, hic mundus intra te eſt, & à teipſo fugias oportet, ſi mundum fugere velis. Alioquin. & in Monaſteriis quantumlibet ſemotus mundum invenies.* Et in Meth. Theol. p. 198. *Monachi non aliter ſunt extra mundum, quàm renes extra corpus animantis.* Nec obſtat, quod ſæpe moniales devirginatæ præſertim ob prætenſam & imaginariam virginitatem ſuperbæ, ut exempla in *Geneal: Mar.* 17. *Mart.* dantur, quærant advenientes? *quid agitur in mundo?* Verum enim eſt quod in libro Benhardi Weſterodi dicitur. *Monachi ſunt mundo ipſo mundaniores & vanitate ipſa vaniores.* Et *Lutherus in Dipnoſ.*

de

de Monach. c. 30. p. 370. dicit *Monachum eſſe malum & in ipſo nil eſſe boni ſive ſit in monaſterio, ſive extra.* ſicut Ariſt. dicit de igne, illum urere ſive ſit in Æthiopiâ ſive in Germaniâ, innuens naturam non mutari circumſtantiis loci & temporis. Quod quomodo conveniat cum eo, (quod *Bernhardinus Roſar. ſerm.* 27. ait: *Religioſus in quâlibet minimâ operatione ſuâ etiam dormiendo, comedendo & quieſcendo magis meretur, quàm ſecularis etiam in maximis bonis operibus, etiamſi totum mundum præ amore Dei pauperibus erogaret*) alii arbitrentur. Et licet nunc mercatores, nautæ, peregrinantes, in loca quaſi extramundana, quod tamen non fiet, pervenerint, mundum tamen, i. e. mundanos & humanos affectus ſecum afferent, nec ab omnibus animi perturbationibus erunt immunes. Neque etiam gloriari poſſunt cum Monachis, quod ſint ἄνευ παθῶν, ἀναίσθητοι & affectibus nullatenus dediti, de quibus *Lorinus in Pſ.* 147. p. 934: *Nos qui ad ſanctius vocati vitæ inſtitutum ſumus, poſſumus & debemus, ſed ea, qua par eſt, grati animi modeſtia agnoſcere dignitatem & privilegium noſtrum, quod non ſimus ſicut cæteri hominum, quod non fecerit Deus taliter ulli nationi.* Dicunt etenim, quod etſi monachi non ſint omnes pares, multi tamen ſine ullis cupiditatibus inveniuntur, de quibus, ut de Bonaventurâ Præceptor ejus *Alexander ab Alexandro* ait: *in hoc Fratre Adam non peccavit, in hac ſorore Eva non peccavit. Oſiand. cent.* 13. *l.* 3. *c.* 5. *p.* 353. *Geneal. Mar.* 15. *Jan. p.* 61. In hoc tamen maximè excellunt Jeſuitæ præ omnibus Capucinis, Franciſcanis aliisque ordinibus.

Illorum autor *Ignatius Lojola*, cui Chriſtus & Maria trigeſies apparuiſſe dicuntur, in carne fuit purus ſpiritus, qui unâ nocte ſummum puritatis gradum à Mariâ adeptus dicitur. *Geneal. Mar.* 31. *Jul. p.* 120. 121. ſicut & *Petro Ribadeneræ* confeſſus, ſe undecim annis ne verbo quidem lapſum. *Vit. Ignat. l.* 5. *c.* 6. Ita Indianorum Apoſtolus Fr. *Xaverius*, qui uno anno dicitur 400000 baptizaſſe, angelicam virginitatem poſſedit, ita ut cum aliquando aliquid obſcœni ſomniavit, ſudorem maximum emiſerit, & ſanguis ex naribus effluxerit, ſicuti & in teſtimonium virginitatis ipſius diu corpus ejus calce conditum, pulchrum tamen & inviolatum permanſit. Unde *Stella Societatis J. Speculum Paſtorum & Religioſorum. Lux Novi mundi & totius Chriſtiani Orbis, Turſellino* vocatur. *Vit. Xaverii l.* 6. *c.* 6. *p.* 524. *Geneal. Mar.* 2. *Dec. p.* 736. Ita *Jacobus Laines* primarius Ignatii ſocius & Ordinis Generalis eandem laudem cum Bonaventura habuit ex Vitâ per *Petr. Ribaden. & Andr. Scholtum deſcriptâ*, & *Hiſtor. Soc Jeſ. Geneal Mar.* 19. *Jan. p.* 97. 204. Sic *Aloyſius Gonzaga* Angelicus juvenis tribus Gratiis à Deo ipſi communicatis donatus dicitur: 1 quod in aulâ degens nullas tamen inordinatas concupiſcentias & membrorum motus ſenſerit. 2 nullum peccatum mortale commiſerit. 3 nullas diſtractiones in precibus animadverterit. *Geneal. Mar.* 12. *Aug. p.* 740. *Thomas Sanchez* Soc. J. perpetuam virginitatem & innocentiam baptiſmalem in cœlum abſque peccato mortali transportavit, ex Apographo literarum, quas Ludovicus Panzæus ad Suareſium dedit & ex præfatione Coll. Granat. præfixo *Tom.* 1. *Operis Moral. Thomæ Sanchez*: *Joh. Crombiz l.* 2. *de Stud. perf. c.* 32. *q.* 12. *Geneal. Mar.* 19. *Maj. p.* 619. Idem dicitur de *Jacob. Ledeſma*, quod uſque ad mortem caſtus fuerit *Geneal. Mar.* 18. *Dec. p.* 661. Magis verò laudatur *Jo. Berchmannus*, quod per dies vitæ nullum peccatum ſcienter & volenter perpetraverit. *Geneal. Mar.* 13. *Aug. p.* 198. & quod adhuc magis mirabile de *Joſepho Anchieta* dicitur, quod 47 annos inter nudos vivens virgo manſerit ex *Petro Raderigio* & *Sebaſt. Pirrario* conſtat. *Gen. Mar.* 9. *Dec. p.* 699. Et hoc ferè commune omnibus Jeſuitis eſſe dicitur, uti *Elias Haſenmullerus Hiſt. Jeſuit. c.* 9. *p.* 99. narrat, quod *Bonaventura* Rector Jeſuit. Ingolſt. ad ipſum dixerit; *Tot habemus juvenes & adoleſcentes forma, vultu & robore præſtantes, tantæ tamen ſunt continentiæ, ut ne igniculum quidem carnis in ipſis per confeſſiones animadvertere poſſimus.* Vid. & *Apolog. Soc. Ieſ. Viſtelmcier* p. 148. Ingolſt. 1594. Igitur *Ozorius tom.* 4. *Conc. de Sanct. in Conc. Pat. Ignat. p.* 166. Societatem vocat *inſtitutum Virorum planè perfectorum.* Quæ ſpecialis

Ga-

Gratia Societati conceſſa ab Ignatio oriri dicitur, qui hoc *privilegium non peccandi mortaliter* 100 *annis* à Deo precibus obtinuit, quod *Xaverius ducentis annis* auxit. *Alph. de Vargas Relat. Soc. I. p.* 39. Quod proprium utut quaſi ſit Jeſuitis, in aliis tamen ordinibus quandoque etiam invenitur, uti de *Phil. Nerio* Autore Congreg. Orat. quod poſt victoriam contra impudicam fœminam, quæ ſe ægrotam ſimulavit, & abſolutionem deſideravit, ſed ad impudicitiam ſtimulavit; triginta annis ne minimum cupiditatum calcar ſenſerit, illique perinde fuerit mulierem vel lapidem tangere vel aſpicere. Nihilo minus mulieres brevioribus & forte auſterioribus verbis abſolvit, veritus ne ſuaviloquentiâ & confeſſionibus mellifluis lapidem emollirent. *Geneal. Mar.* 26. *Maj. p.* 615. Similiter *Wilhelmus* Præmonſtr. qui 1588. vixit, tantæ puritatis fuiſſe dicitur, ut exactiſſimè ſcrutatus conſcientiam nil haberet, quod confiteretur, adeo ut *P. Julius* Priſcillianenſis S. J. ſæpè confitenti dixerit: *Vade fili mi in pace, nil habes.* O Sancta innocentia & innocens ſanctitas. *Geneal. Mar.* 28. *Mart. p.* 387. Ita etiam laudatur ob puritatem uſque ad finem vitæ *Euſebius* in Leg. Sanct. Norimb. per *Anton. Koberger. p.* 115. Sic *Socrates* de Monacho *Iſidoro*, quod 40 annis peccata quidem ſenſerit, ſed *nunquam conſenſerit*. quin de *Adelhelmo* ex Bedâ *V.* 19. *Oſiand. c.* 7. *l.* 4. *c.* 3. *p.* 228. quod cum *monialibus* concubuerit, illæſo virginitatis illarum permanente pudore. Sic de *Aſella* moniali perhibetur, quod in matris ventre virginitati conſecrata nil ſenſerit. Unde *Antonius part.* 3. *tit.* 16, *c.* 13. §. 1. *Homo in religione vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, quieſcit ſecurius, irroratur frigidius; purgatur citius, moritur lætius, recompenſatur copioſius.*

16. *Expedit militibus* Milites quidem geſtant *ferreas thoraces*, clypeos aliaque ferrea inſtrumenta ſed non contra tela Veneris & cupiditates, ſed contra *hoſtes*. De Monachis vero & monialibus audivimus ſupra th. 19. not. 14. quod *zonas ferreas & laminas atque circulos ferreos* contra luxuriam carnis portarint. Petrus de Morono *ferream thoracem* contra tela Veneris portaſſe legitur, de quo etiam ſcribitur, quod 3. ætatis anno per acutum lignum *oculum* amiſerit, ſed ob interceſſionem matris à Mariâ iterum obtinuerit. Illi ſæpe Maria & Jo. Euangeliſta apparuiſſe perhibentur, & coram ipſo cantaſſe. Hoc tantam devotionem in ipſo excitavit, ut 4 *quadrageſimas* per annum ſervaret, & tres tantum aquâ, pane, herbis & radicibus conſummarit. *Geneal. Mar.* 17. *Maj. p.* 608. Abbas *Stephanus* Fundator Grandimontenſium in Aquitania forſan à Paulo edoctus Eph. 6. 11. 13. *integram Panopliam ferream* portavit. Ille a. 1676. adhuc mundanus poſtea Mariæ æternâ virginitate devotâ aſſumit ſecum annulum in eremum & conſecrat animam, corpus & omnia S S. Trinitati & Mariæ, abdicat ſe Diabolo, proteſtatus ſe in nullum peccatum conſenſurum, imponit annulum capiti, procumbens in genua, & ſubmiſiſſime orans atque exorans confirmationem hujus profeſſionis, & ut hoc votum eò melius ſervare poſſet, ſeveriſſimè exercuit pœnitentiam; Semper enim in terrâ diſcubuit. ut & genua inſtar lapidis obduruerint, & à perpetuis oſculis terræ datis naſus incurvatus & dilatatus fuerit. *Iacobus Ammonitanus* Minorita Neapolitanus in flagellato & concionibus ac jejunio emaciato corpore portavit *fereeum induſium* (non diſputabo, quomodo factum ſit. qui ipſi hoc conſuluit, adjuvit, alias multa miracula fiunt in Mariana Eccleſiâ, quæ in diſputationem non debent venire, ſiquidem alias factum, ut ferrum inſtar ceræ fuerit emollitum.) & tamen additur, quod nihilominus à ſpiritu immundo fortiter oppugnatus fuerit, ita ut à Mariâ auxilium petierit, ſed hoc reſponſum accepiſſe; *ante tuum finem humilitatis profundioris & coronæ majoris ergò quidem liberaberis, & tua voluntas intereà divina virtute confirmabitur, ut in nullum peccatum conſentias, pugna fortiter, indomita carne in otio & voluptatibus vix puritatem obtinebis, ſed corporis caſtigatione, labore & Mariæ auxilio.* Geneal. *Mar.* 24. *Nov. p.* 684. 685. Nec ferrea hæc inſtrumenta ad ſervandam caſtitatem deputata inter Chriſtianos Monachos ſubſtiterunt, ſed inter Turcarum Monachos, cum alius alio videri velit ſanctior, præſertim *Colendarii* (qui non tanti ſcortatores

res; quàm Geomalii) æternum caſti in adminiculum perpetuæ virginitatis ſervandæ in membro virili portant annulum æreum, pondere trium librarum, *Barthol. Georgeewidt de Turc. mor. p.* 22. & *Nicolaus Nicolai l.* 3. *c.* 16. *f.* 66. annotarunt. Etſi non legi, quod hæc in Marianâ Eccleſiâ uſurpentur, poſſet tamen utilius prioribus adhiberi, ſicut in Italia ſuſpicioſi uxoribus aureas aut ferreas laminas induunt, quæ loco circulorum & annulorum apud moniales, quod ſine præjudicio dictum ſit, ſecurius adhiberi poſſent, uti & in Italia mularum æterna caſtitas annulo per foramen impudicum tracto ab equiſonibus ſervatur: Huc referri etiam poteſt illa conſuetudo, in regno integro obſervata, nuper adducta, quâ virgunculis recens natis ſericeo filo per pudenda tracto clauſtrum virginale uſque ad diem nuptiarum, à ſponſo ſolvendum duntaxat, clauditur. Habent præterea & alia media, quæ ſervandæ perpetuæ virginitatis ergo excogitarunt. *S. Clara d'Aſſis* Fundatrix Claræ Marianitici ordinis ſemper in cute virgineâ cilicium ex crinibus equorum, & porcorum geſtavit, uti & eâ nocte, quâ à parentibus ad conjugium cogenda, aufugit, & à S. Franciſco monialiter induta raſum caput parentibus iratis oſtendit & ambabus manibus altare amplexa eſt. *Geneal. Mar.* 17. *Aug. p.* 194. Talem veſtem *ex ſetis porcorum* etiam S. *Rutha* Auguſt. Ordinis portaſſe dicitur, nunquam depoſitam; niſi flagellanda. *Geneal. Mar.* 3. *Jan. p.* 141. Nonnulli ad domandam carnem lecti mollis loco *ſacco ſtramineo* aliisque rebus uſi. Sic **Franc. Wilhelm von Wündelheim** Præmonſtratenſis ſtudioſus adhuc Dillingenſis dicitur nunquam in lecto, ſed ſemper in veſtibus, in *ſacco ſtramineo* aut *aſſere* dormiviſſe, *Geneal. Mar.* 28. *Mart. p.* 390. Ita *Stephanus* Abbas Fundator Gradimontenſis in Aquitaniâ non tantum ferreum portavit thoracem, ſed & ſemper in aſſeribus dormivit. *Geneal.* 21. *Mart. p.* 361. Similiter *Eliſabetha* Regina Hungariæ ſemper in terrâ nudâ dormiviſſe dicitur. *Geneal. Mar.* 19. *Nov.* 668. Hoc Capuccinis, Carthuſianis aliisque adhuc hodiè in uſu, quod non niſi in veſtibus extra lectum ligno vel lapidi, ut Jacob, incumbant. Alii lectum in arbore vel ſtatuâ, ſtando uno vel duobus pedibus elegerunt, ut eò meliùs carnem frenare poſſint. Sic in vitt. Patrum legitur, quod *Simeon* uno integro anno uno pede in altiſſimâ ſtatuâ neque comedens neque bibens, ſed ſemper orans ſteterit, uſque dum vermes in ipſius pedibus nati, qui decidentes in gemmas transmutati: *Luth. II Jen. Germ. f.* 303. Ita de aliâ *S. Jacbelinâ* legitur, quod novem annis in altiſſimâ arbore nidulum extruxerit & nunquam deſcenderit. Sic ſcilicet itur ad aſtra. *Cantiprat. l.* 2. *c.* 29. *p.* 3. *Geneal. Mar.* 22. *Mart. p.* 368. multò mirabilius de quodam eremitâ narratur, quòd 49 *annis* lacrymis, vigiliis, jejuniis, orationibus emaciatus ſteterit in anguſtâ ſtatuâ *ex viridario Matth. Ruderi Geneal Mar.* 27. *p.* 651. Atque hæc remedia omnia etſi parum faciant ad perpetuam virginitatem ſervandam à Deo etiam non mandatam, ſed certis annis, nubilibus ſcilicet, determinatam & aſtrictam, illorum tamen ſtudium in retinendâ caſtitate deprehendimus, quæ cum in militibus ſperanda quidem non ſit, conſultius eſſe puto, ſi vel occaſione datâ in bello ſcortati fuerint, mediante matrimonio illud, quod malè inceptum ad bonum perducant finem, quàm ut virginitatem ablatam non reſtituant.

17. *Expedit multorum conſcientiæ* Tenerrima ſanè res eſt conſcientia, nec, ut Italus ille dicebat, occidenda eſt, nec occidi poteſt, ſed quamvis ſæpe in impiis ad tempus dormire videatur; ſuo tamen tempore teſtis ille in corde evigilat, & cruciatus maximos excitat, quando in memoriam ſibi revocat illa communia principia nobiſcum nata, Honeſtè quòd ſit vivendum, nemo lædendus, ſuum cuique tribuendum, nec remittatur peccatum niſi reſtituatur ablatum. (vid *Buſenbaum Theol. Mor. de Reſtit.*) Quod fieri non poteſt, ratione virginitatis ablatæ, niſi matrimonio interveniente Quomodo autem tranquillari poſſit conſcientia, ſi illud matrimonium & illa reſtitutio per prohibitionem Polygamiæ impediatur, equidem non video. Neque enim ſpoliatio virginitatis & ſcortatio pro ludo & joco aut peccatillo eſt habenda, ut hodiè communiter fit, & in Marianis cœtibus conſpicitur. Extat enim antiquus Canon

non Pontificius & Jeſuitarum praxi confirmatus, atque hactenus inſtar ſanctionis Pragmaticæ habitus: *Sacerdos ſi fornicetur aut domi concubinam foveat, tametſi gravi ſacrilegio ſe aſtringat, gravius tamen peccat, ſi contrahat matrimonium.* Quam regulam *Fr. Coſterus in ſuo Enchir. tit de Cælib. ſacerd, c. 17. prop. 9. p. 528. & 567. edit. Col.* 1612. adducit, & *Jac. Grezerus* hunc Canonem ceu pure Catholicum ſpiritualem & Jeſuiticum publicè defendit *Hiſt. Ord. Jeſ.* 115. Ea propter dementiæ accuſandi eſſent, ſi tantas moleſtias cum uxore & liberis exantlandas, ut orthodoxi Prædicantes faciunt, ſuſtinerent, cum concubinas habere poſſint. Et ne pro privatâ habeatur opinione, in *Concilio Tolet.* 1. in ſpiritu (fornicationis ſcilicet) congregato ſolenniter decretum fuit, quòd loco uxoris concubina haberi poſſit. *Conc. Tolet. l. can.* 17. Et quod hæ ſanctiſſimæ ſcilicet ſanctiones non diſpliceant, confirmatur hiſtoriâ tempore Greg. XIII. vulgatâ. Ubi Gubernator ad PP. dixit Italicè: *Padre ſanto, un miraculo, Padre ſanto, un miraculo.* Pontifex reſpondit: quid miraculi. *Gran miraculo, dicerta Gubernatore, un frate, un monacho, ha gravidato, un monacha* Reſpondit Pontifex: *Queſto non e miraculo, ſe la monacha haveſſe ingravidato lo monacho, queſto ſarebbe miraculo. Franc. Albo. Anat. Pontif. c.* 16. *p.* 194. Unde Collatores non adeo rigoroſi in concedendis concubinis, uti *Albanus* de ſacrificulo monacho narrat, quòd collator ipſi concubinam interdixerit, ipſe verò in tranſitu collatoris induſium propriâ manu laverit, & eapropter àCollatore iterum libertatem concubinam, ſed nonniſi 36 annorum habendi acceperit; Quam cum invenire non poſſet, duas conduxit, quarum quælibet 18 eſſet annorum atque ſic numerum à Collatore determinatum, implevit. *Alb. Anat c.* 16. *p.* 187. & ne hoc ſit ſcandalo, in jure Canonico decretum, & ita lege cautum: *Propter majus malum vitandum fornicatio non eſt multum exaggeranda. Decret Ind. forn.* 32. *q.* 2. *f.* 334. *col.* 3. Cujus rei cauſas habent, quia *in C. Etſi clerici* §. 4. *de Jud:* adulterium computatur inter crimina minora. Nam *ut Manh. Colerus ad Hiſt.* 2. *n.* 26. *ait*, circa impoſitionem ſuper fornicatione & adulterio ad verſus clericos tantò fuère mitiores Canones, quanto norunt iſtud crimen à Canonicis tanquam otioſis & validis mendicantibus crebrius frequentari. Ipſi Gentiles variis figuris homines à luxuriâ, libidinibus & ſcortation bus abſterrere voluerunt, uti Trimaleion apud Petronium meminit, & *Phil. Cameror. in Hor. ſucciſ. cent.* 1. *c.* 12. *p.* 75. repetit. Figuram verò pro libidinoſo ita pingi poſſe putarunt: *Ponatur lectus ardens, cujus columnæ ſint Dracones ignei, meras flammas ſpirantes. tegumentum ſuperius ſit monſtrum aliquod Diabolicum ignem deſpuens, ſtragulum ſint ſerpentes venenatiſſimi undique capitibus & linguis impetentes. In hoc ſtragulo ponatur homo libidinoſus, nudus pandens brachia, diſtendens pedes, & Diaboli ponantur ad ſingula membra, ea vellicantes & mordentes, membrum virile deglutiens infernalis aliquis horrendus caper.* Adjicit etiam figuram pro immiſericorde, quæ licet huc non pertineat, tamen quia eſt ingenioſa lectu, non dividiæ erit lectori ſi hic apponatur: Figura igitur *pro immiſericorde* poſſit eſſe hæc: *Ponatur homo, cui evellatur cor à Dæmonibus, cum aſcriptione,* Putabamus te excordem *& illud incudi imponatur, quod Diaboli malleis contundant cum inſcriptione INTRACTABILE ſic tractandum; deinde ponatur fornax, in quam Diaboli cor illud ad emolliendum quaſi* (VEL TANDEM MOLLESCE) *immittant, ut poſtea ſub incude fiat tractabilius. Deinde ex ferventibus ollis infundatur binis oculis immiſericordis pix & ſulphur inferni ardens eum inſcriptione: IMMISERICORDIA,* vel nunc claude oculos, *manus verò protrudantur in flammam ignis cum inſcriptione:* ITA ABLUITUR INIUSTITIA.

18. *Expedit ſenibus* Quia ſenectus eſt ipſa morbus & calor naturalis in ſenibus deficere videtur, non poteſt melius reſtaurari, quàm ſi media interna, medicamenta, aromata & generoſa adhibeantur vina, & externè per animalia viva calore nativo abundantia, uti ſunt canes, pueruli, puellæ vires quodammodo refocillentur, & ſi non prolongari poſſit vita, aut diutius conſervari in bono ſtatu, faltem ad tempus quodammodo ſuſten-

ſuſtentetur. Quià enim hæc media non ſunt prohibita, nil video cauſæ, cur non exemplo Davidis in imitationem poſſent trahi, non obſtante, quòd mundus immundus non præter ſolitum omnibus bonis rebus ſcandalizetur.

19. *Expedit ruſticis, civibus omnibus quæ Oeconomicis* adde & artificibus & opificibus, Apothecariis, Chirurgis, piſtoribus, braxatoribus, bibliopegis, bibliopolis, typographis, diſtillatoribus, laniis, ſartoribus, ſutoribus, tabellionibus, aurigis, hortulanis, vitrariis, aurifabris, hoſpitibus, fabris lignariis, ferrariis, murariis, linariis, pictoribus, molitoribus, ſcriniariis, figulis, lanariis, quorum omnium commoda augebuntur ſi multitudo populi ex Polygamiâ orta non impeditur. Ut per partes, ſi opus eſſet, conſpici poſſet.

20. *Expedit Eccleſiæ* Hoſtis ἄπονδ☉ generis humani non potuiſſet aptius ad ſuum regnum promovendum, & commodius medium ad noxam Eccleſiæ veræ inferendam invenire, quàm quòd eo rem perduxit, ut conjugium ſacerdotibus & Polygamia omnibus prohiberetur. Hinc infinita peccata & inaudita ſcelera propullularunt, & inenarrabilia damna in Eccleſiâ orta ſunt, ut non ſatis deplorari poſſit miſerrimus & corruptiſſimus Eccleſiæ ſtatus, uti jam ſuo tempore nempe Anno Chriſti 1352 de hâc re conqueſtus *Amandus Seuſſius* in libro *de novem Petris*. A. C. 1512 Auguſtæ Vindelicorum impreſſo, cujus epitome videri poteſt apud *Arnold. Mengeringum in Scrut. Conſc. p.* 1500. Conferatur etiam egregius liber ſub tit: *Onus Eccleſiæ*, impreſſus. & liber *Jo. Valent. Andr.* ſub tit: *Libera Penna de miſero ſtatu Eccleſiæ in Germanicam linguam verſus & impreſſus Francof.* 1678. vid. *Luciferi Epiſtola ad Papam Romanum* & ejus aſſeclas ſacerdotes, ante aliquot centum annos ſcripta & legenda in *Catalogo teſtium veritatis*, peculiariter autem in Germanicam converſa linguam & Witeb. impreſſa *A.* 1605. Item *Gerſonis liber* ſub tit: *Deſectus & Infirmitates Clericorum.* uti & *Joh. Valent. Andreæ Menippus & Mythologia Chriſtiana* legi merentur. Et quæ Papa *Hadrianus* ſponte ſua in Comitiis Norimbergenſibus *A.* 1523. per Legatos ſuos confeſſus, *ap. Sleidan. l.* 4. *p.* 55. item quæ Deputati Cardinales ad Papam Paulum III. ſcripſerunt, apud *Sleidan. l.* 12. *p.* 302. conf. de moderno Statu Eccleſiæ *Frid. Breckling. Myſterium Babylonis & Sionis & Speculum Paſtorum* aliaque ejus ſcripta. Imprimis vero lectu digniſſimus liber *Nicol. de Clemangis* Ælmſtadii editus *A.* 1620. uti in principio ſumma Vitiorum tempore Nicolai in Eccleſiâ regnantium exprimuntur hoc pacto: *Vana Religio, Negotiatio, avaritia, ſuperbia, luxuria, vita beſtialis, abuſio, transgreſſio, perverſitas, invaſio, occupatio, ambitio, ſtudium carnale, turpe lucrum, vana gloria, ſuperfluitas, enormitas, hypôcriſis, everſio caſtimoniæ, præcipitatio, neglectio, fornicatio ſpiritualis, ſimonia, perjurium, mendacium, apoſtaſis, prævaricatio, deſtructio templi, impoſtura, ſacrilegium, inobedientia, injuria, impudentia, ſolitudo, exceſſus, medicina carnalis, ſtultitia, dolus, infamia, præventio mortis, rapina, homicidium ſpirituale, idololatria.* Horrenda ſanè, quæ Eccleſiæ tantum non interitum minantur, unde non immeritò in principio iſtius libri, Quidam nomine *A. Monentius* Lectori ſcribit: *Docebit hic te liber, quibus rationibus res Eccleſiaſtica creverit & decreverit pietas. Flebis Lector, niſi ſaxeus es, imò potius, quando nil flendo proficitur, Deum Optimum Maximum precaberis, ut ſuam à nobis iram avertat, cæcas nimirum mentes & pectora cæca.* Notatu digni ſunt etiam verſus ipſius Nicolai calamitatem Eccleſiaſticam deplorantes:

Chriſte, graves ſponſæ ſemper miſerate labores
Averſos refer huc oculos, & reſpice tandem
Deſertam, laceram, funeſtâ clade jacentem.
Jam ſatis ærumnæ, ſatis eſt perpeſſa malorum,
Tempus & afflictis ejus miſereſcere rebus.
Tartaream ſuperis aliquando pellere regnis
Alecton dignare, Pater, poſt facta nefanda.
Ocyor ut ſtygias ſe condat rurſus in umbras,
Quæ dudum elato lucem terrasque pererrat
Vertice, & æthereas corrumpens inficit auras,
Suſtulit hæc, nobis quæ munera cara dediſti.
Supplicium ad dirum properans, pacemque relinquens

Solvit amicitias, fraternaque fœdera rupit,
Et face vipereâ ardenti phlegetontis ab undâ
Nititur, & ſtimulis odiorum incendit amaris.
Ingerit illa dolos, fictis rumoribus aures
Imbuit, exacuit rixas, convitia jactat,
Jurgia ſæva gerit, bellis quatit undique regna,
Seditione premit, civilibus inſtruit armis,
Proditione replet, annona vexat ademptâ,
Peſtibus aſſiduis conſumit, fraudibus angit
Occultis, magis inſidiis quàm robore gaudet.

Quid diceret optimus ille Nicolaus, ſi jam è mortuis reſurgeret, & maximè deplorandum ſtatum Eccleſiaſticum contemplaretur, qui ex enormitate vitiorum, impunitate peccatorum & negligentia officiorum oritur, ut meritò antiqui Rythmi ex antiquâ ſcripturâ nobis in memoriam revocandi, qui ita ſonant:

Receſſit hoc tempore
Lex à ſacerdotibus,
Juſtitia à Principibus,
Conſilium à Senioribus,
Fides à populo,
Amor à parentibus,
Reverentia à ſubditis,
Charitas à Prælatis,
Diſciplina à Literatis,
Studium à Scholaribus,
Religio à Monachis,
Devotio à monialibus,
Honeſtas à juvenibus,
Timor à ſenioribus,
Fidelitas à militibus,
Concordia à civibus
Comitas à ruſticis,
Veritas à mercatoribus,
Largitas à divitibus.
Caſtitas à Virginibus.
Mæror à viduis
Pudicitia à conjugatis.

21. *Multi Gentiles & Turcæ* Quæritur aliàs inter Orthodoxos, an infidelibus Polygamis ad Chriſtianiſmum converſuris Polygamia ſit concedenda, & reſpondetur, quia in Eccleſiâ Judaicâ & Chriſtianorum primitivâ fuerit permiſſa, & multi periculoſiores errores in primis ad Chriſtianiſmum converſis diſcipulis fuerint tolerati, poſſe etiam admitti. vid. *Gerh. de Conjug. p.* 344. *Brochm. tom.* 11. *p.* 5090. uti & miniſterium Belgicum miniſtris in Indiâ degentibus ad ipſorum quæſita Polygamiæ permiſſionem novis Chriſtianis non denegandam inſinuaſſe dicunt ur. Quâ quæſtione quidem non eſt opus, ſi, uti revera etiam eſt aſſeratur, Polygamiam in peccatorum numero non eſſe habendam. Cardinalis *Bellarminus de Matr. c.* 12. ob ſolam Polygamiam infideles à baptiſmo & toto Chriſtianiſmo arcendos ſuadet. Et *Lancellottus* in *Inſtit. Can. Jur. l.* 2. *tit.* 12. §. 8. dicit omnes eſſe dimittendas uxores infidelibus convertendis uſque ad primam, quæ poſſit retineri. Uti & Apoſtoli illi Mariani in Regno Tunchino convertendo hoc urſerunt, ſed à Rege ejecti hoc reſponſum audierunt: *Vultis ut mei ſubditi tantum habeant unam uxorem & ego volo ut habeant plures, ut poſſint producere filios qui mihi ſint fideles ſubditi. Non amplius prædicate ſimilem doctrinam.* Quo ipſo converſio totius regni fuit impedita. Scilicet hoc eſt, ut Chriſtus ait, culicem alere & eam clam deglutire. Quo ipſo non poſſum non in memoriam mihi revocare illa notatu digniſſima verba, quæ *B. Lutherus in præfatione tractatus de digamiâ Epiſcoporum* nobis reliquit: *Satanæ commentum eſt*, inquit, *peccatum facere ubi nullum eſt, & juſtitiam negare, ubi vera eſt.* Quod præprimis fit in Marianâ Eccleſiâ, ubi ex omnibus ſuperſtitionibus peccata fiunt mortalia, & conſcientiis laquei inexplicabiles nectuntur. vid. *Luth. t. IV. Jen. f.* 502. Ita, peccatum mortale conſtituunt, ſi quis die ſolis olera vendit, aliaque minora etiam exercet. Si ita coarctanda eſt conſcientia melius eſſet per totum ſolis diem dormire, ſi quidem nemo vivere poteſt, qui non habeat aliquid quod agat, & nihil agendo malè agere diſcimus juxta Comicum. Similiter pro peccato mortali habetur, ſiquis jejunia à Mariana Eccleſiâ præſcripta non obſervet, *Pinellus l.* 4. *de pænit. præc.* 3. *Concilium Tridentium ſect.* 4. *decret* 1. vult ut pari pietatis affectu & reverentiâ cum libris Canonicis V. & N. T. traditiones Marianæ obſerventur, & pro peccato mortali habent, ſiquis laicis lectionem Bibliorum

bliorum permittit, benè conſcii, quod Chriſtus & Apoſtoli ab ipſorum partibus ſtare nuſpiam videantur. *vid. Theol. Tubing. præfatio in Crameri BibliorumExegeſin. B. 2.* (*Lutherus V. Jen. f.* 93. dicit *Si iſtæ aniles, ridiculæ & ſuperſtitioſæ ceremoniæ de aſino palmari & S. Nicolao & puerulo Jeſu pueris & infantibus fuiſſent relictæ, res eſſet in ſalvo, ſed cum Epiſcopi in palliis ſuis feriò id agant, & articulos fidei ex iis conſtituant; hoc Diabolicam ſapit doctrinam. Aventinus* ſcribit: non poſſe ſatis deplorari blaſphemiam Chorepiſcorum, qui Epiſcopatum trecentis fortean florenis à Papa emerunt, inter Turcas, Gentes aliosque infideles adminiſtrandum, & juramento ſe obligant, quòd vellent ſuarum partium ſatagere, cum ſæpè nec locum, qui ſæpè numerò in chartis Geographicis non invenitur, aut in cinares eſt redectus jamdudum, norunt, nec animum habent, ut illuc proficiſcantur, & ſpartam concreditam ornent. Quæ res nefanda ante trecentos vix annos originem ex avaritia Antichriſti cepit. Et quid illi Pſeudo-Doctores prædicent fidem Catholicam, cum ſæpè ne minima quidem de Conjugio, jejunio, atque aliis rebus intelligant, ſcribit iterum *B. Lutherus tom. 5. Jen. Germ. p.* 298. *credant, per me licet, ſcilicet & confiteantur eſſe peccatum, ſi ſacrificulus alba indutus ſtola crepitum emittat, & eſſe anathematiſandum, ſic oram altari hoc faciat; ſtatuant etiam, quod ſacrificulus aqua os eluens & guttulam degluttiens non poſſit miſſam celebrare, eo die aut qui oris aperti oblitus muſcam advolantem admittat, non eſſe aptum & dignum ut ſacramentum accipiat* Egregii ſane articuli fidei. *Perduxerunt ſcilicet impiiſſimas ſuperſtitiones in eas anguſtias, ut reperiantur paſſim ſacrificuli, qui peccatum mortale arbitrentur, ſi ſine ſtolâ, ſine manipulo aut aliâ obſervatione omiſſa ſacrificent. Luth. t. 2. Lat. p. 3.* Gravius homicidio & adulterio peccatum æſtimant, ſi quis in verbis cœnæ particulam *Enim* omittat, (cum tamen ipſi Euangeliſtæ non eadem uſurpent verba) aut ſi quis aliis, quàm unguento conſecratis digitis & linguis attingat. Pro peccato etiam mortali habent, ſi quis aliter, quàm *in azymis* ſacramentum adminiſtret, *Baldw. C. C. p.* 448. *Hugo* alioquin Excellentiſſimus Doctor ſcribere non veretur, ſi quis *ſyllabam in Horis Canonicis omittat & non ad finem perducat, illi reddendam eſſe rationem in extremo judicio. Luth. Dipnoſ. p.* 370. In ſumma nullum peccatum eſt tàm grave in Mariana Eccleſia, quàm ſi quis preces illas horarias & boatus clauſtrales intermittat, cum tamen ab hominibus per ἐθελοθρησκείαν ſint inventæ. *Luth. II. fol.* 31. Ita *campanæ* in Eccleſiâ Marianâ tantâ ſanctitate gaudent, ut non poſſint pulſari, nec debeant, quamdiu cœtus aliquis aut Eccleſia banno eſt ſubjecta, uti *Bonifacius VIII. & Gregorius IX.* hoc decretum ſanxerunt. *Boniſ.* 8. *in c. Alma mater §. Adjicimus. Dagentius in* 6. *& Gregor.* 9. *c. Ea permittimus in Decretal.* Sententia Excommunicationis vid. *in Apiario Marnixii. p.* 16. Ubi etiam adducit, quòd campanas baptizent, & compatres admittant, qui funem cui eſt alligata campana, teneant, & ad illa, quæ ſuffraganeus campanam rogat, *Amen* dicant. Deinde ornant campanam novâ tunicâ; & adjurationibus conſecrant, ut omnem Diaboli potentiam avertat & in ſalutem ſeparatarum animarum ſerviat. Breviter ſcriptura horum ſuperſtitioſutorum & blaſphemorum ingenium depinxit, cum dicit, *non quærunt, quæ Chriſti, ſed ſua, ſuum lucrum, honorem.* De quibus etiam loquuntur antiqui verſus:

Proh dolor, in mundo video miranda, quod ipſi
Qui præſunt, ut nos conſervent, ſint in eclipſi
Multò majore quam nos. Prædatur ovile
Præſul ſub ſpecie paſtoris. At ille ſedile
Ut pater uſurpat, qui nec Pater eſt neque Paſtor,
Imo lupus, ſylvæque lupis me judice major.
Excoriat Præſul, eviſcerat Officialis,
Scriptor & aſſeſſor, & quiſque miniſterialis.
Nam ſolet activè dici paſtor, quaſi paſcens
Sed nunc paſſivè fertur, quia paſcitur hiſcens
Turpiter ad dona Prælatus, nec ſatiatur

Cuncta vorando bona. Quid turpius eſſe putatur.
Væ Væ prælatis. quorum ſunt facta profana,
Cunctis penſatis, & converſatio vana.
Diviſere reges ſua gardaque concomitando
Cum pompâ Reges, extra ſua clauſtra vagando.
Unde vacare magis curant regalibus ipſi,
Qui populi plagis bona vaſtantes Crucifixi.
Quicquid habent ultra victum, veſteſque probatur
Furtum: pauperibus, quod habent, ut diſtribuatur,
Ergò ſunt fures, quoniam nil pauperibus dant.
Theſaurizantes ſemper magis, ut ſibi condant.

22. *Ad Chriſtianam fidem ſint acceſſuri* Autor Victoriæ Utopicæ non præter ſolitum ſugillat hæc verba & dicit, Turcas non ad Chriſtianiſmum, ſed ad atheiſmum acceſſuros; atque atheiſmum definire videtur per abominandam verbi divini cum Turciſmo mixturam, uti verba ejus (potius ad atheiſmum atque adeò abominandam verbi divini cum Turciſmo mixturam) hoc inſinuant. Verum enim verò non video, quomodo hæc definitio recto incedere talo poſſit, cum Atheiſmus non ſit Syncretiſmus cum Turciſmo, ſed omnis religionis, ſive illa ſit Chriſtiana, ſive Judaica, ſive Turcica, ſive Gentilis, abnegatio, & omnis cultus divini intermiſſio voluntaria pariter & malitioſa. Deinde ſi Polygamia facit atheum vel Turcam Patriarchæ, Reges & tota Eccleſia Judaica fuit atheiſtica, aut etiam Turcica. Quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt. Matrimonium & ejus ſpecies Polygamia neque ad atheiſmum, neque ad Turciſmum, neque ad Judaiſmum, neque ad Chriſtianiſmum quà Chriſtianiſmum pertinet, ſed ad jus naturæ Gentibus, Judæis, Chriſtianis & Turcis commune. Neque enim eſt articulus fidei vel Turcicæ vel Chriſtianæ vel Judaicæ matrimonium. Si enim hoc eſſet tantùm in illâ religione, in quâ eſt articulus fidei, reperiretur matrimonium. Jam vero invenitur in omnibus religionibus. Chriſtianiſmus autem quà Chriſtianiſmus complectitur articulos fidei Chriſtianæ, Turciſmus quà Turciſmus capita fidei Turcicæ continet. Judaiſmus quà Judaiſmus articulos fidei Judaicæ ſpectat. Matrimonium vero ad nullos articulos pertinet, ſed antecedit, ut ita dicam, omnium religionum articulos, ſicut lumen naturæ antecedit lumen gratiæ, & ipſa gratia homini à Deo exhibenda præſupponit ipſam naturam. Quod enim non eſt, quomodo poteſt illi gratia communicari. Homo prius eſt homo, antequam fiat per baptiſmum homo Chriſtianus, aut per circumciſionem Judæus Matrimonium verò ad hominem quà hominem (ejuſque naturam humanam conſervandam & continuandam) non quà Chriſtianum vel Judæum vel Turcam ſpectat, adeoque Chriſtianiſmus per Polygamiam non profanatur, ſiquidem ad ipſum non pertinet; nec Chriſti leges pervertuntur, cum Salvator noſter nuſpiam Polygamiam prohibuerit. Deinde verò cum *Autor Victoriæ Cretenſis* ait propter humanas quaſdam commoditates & emolumenta, (ſcil Polygamiæ, uti Theophilus recenſuit) de religione ad religionem non eſſe migrandum, alias falſum & verum æquali haberi æſtimio, & non verum Deum ſed mentis propriæ ſomnium coli & haberi; tantum abeſt, ut propter Politica quædam commoda mutandam eſſe religionem aſſeramus, ut tamen non negemus, illa multum ſæpè adjumenti afferre ad veram religionem amplexandam. Niſi *Lutherus* in ſuâ Reformatione miniſtris Eccleſiæ matrimonium reddidiſſet, & Magiſtratui tanta beneficia (de quibus Jo. Smid in Diſput. Jubilæa de Beneficiis Magiſtratui per miniſterium Lutheri exhibitis) ſuppeditaſſet, & à jugo Pontificio & Epiſcopali, ejuſque fulminibus liberaſſet, nunquam tantos feciſſet progreſſus. Quanquam enim hoc infirmitati humanæ ſit aſcribendum, cum homines per ſe ſine reſpectu alicujus commodi moveri deberent ad bonum; adeoque non maximopere laudandum: nihilominus tamen cum homines ſimus & nihil humani à nobis alienum eſſe ſciamus, tolerandum & imbecillitati humanæ condonandum. Interim eò cuivis laborandum, ut imperfectiones illas deponat & ad perfectiorem gradum indies perveniat. *Ille*, inquit Bernhardus, *non eſt*

eſt probus, qui non indies probior fieri concipit, nec ille ſanctus, qui non ſanctior, nec ille juſtus, qui non juſtior evadere cogitat. Nihil verò minus quàm juſtus eſt ille *autor Victoriæ Ovidianæ*, cum Theophilo falſa attribuens dicit, *eum probare ſcortationes juvenum & militum, qui vino aut affectibus & occaſione bellicâ decepti illam ipſam continuent.* Sed hoc Theophilo nunquam venit in mentem, ſed hoc tantùm vult, uti ſi forſitan à ſcortatione factum ſit initium, ad matrimonium conſummandum deveniant, & delictum prius per ſubſequens conjugium quaſi obliterent; ſicuti ſæpe infans à ſponſâ ante ſponſalia & nuptias conceptus, & ſecundum vulgarem morem infamiâ aliqua notatus, per concomitans matrimonium ab illâ notâ liberatur, ut in numerum ſpuriorum non veniat. Falſum itaque eſt, quod Theophilus ſcortationis continuationem, ut ipſi impingitur, approbet, aut quando Patribus familias utilia eſſe plura adjutoria aſſerit, ex uxoribus *mancipia*, per metamorphoſin quandam Ovidianam, Victori Cretenſi uſitatam, faciat. Falſiſſimum vero eſt, eum, qui habet plures uxores, eſſe atheum, aut qui ex ſcripturâ ſacrâ Polygamiæ æquitatem & juſtitiam intrinſecam ſolidè demonſtrat, eſſe atheum, uti quidem *Anti-Polygamicus* quidam *tenebrio* in famoſiſſimi ſui libelli titulo Theophilum ſceleſtiſſimè nuncupavit. Ipſe potius indirectè & participativè (vid *Voet. Diſp. Sel.* 1. *p.* 178.) in atheiſmum ad modum Scepticorum, Pyrrhoniorum & novorum Academicorum inclinat, & more profano Lucianico claram ſcripturæ literam ſatis jam explanatam in dubium vocat, atque ipsâ profeſſione, uti ingenium ipſius Theophilo aliiſque ſatis notum, omnem pietatem atque caritatem erga proximum abnegat. Cæterum de atheiſmo poſſunt legi *Voetius T. l. Sel. p.* 143. & ſeq. prolixè; *Kloz.ius Theol. Nat. p.* 352. *Calov. Syſt.* 1. *p.* 122. 11. 40. *Colbius Diſp. de Fulcris Atheiſmi, & in iis* multi alii cumulatim citati. Atque hactenus commoda ex Polygamiâ propullulantia recenſita ex parte fuêre ſapienti lectori ulterius amplianda; quamvis non negemus, dari etiam quædam incommoda (juxta verſiculum: *Omnis commoditas ſua fert incommoda ſecum*) & difficultates in liberorum educatione, re domeſticâ adminiſtrandâ, quibus Polygami ſæpe, imprudentes tamen urgentur. Sed hæ difficultates omnes ſunt nugatoriæ & ſatis à *Graſwinkelio*, viro in omni ſcientiarum genere incomparabili in *Strictur. ad cap.* 5. *libr.* 2. *de Jure B. & P.* refutatæ. Neque enim quod difficultatibus premitur ſtatim injuſtum & iniquum eſt, ſed id quod rectæ rationis dictamen & ſcripturam ſacram non admittit. Nec propterea Polygamia injuſta eſt habenda, quia ſæpe ex intemperantiæ vitio naſcitur. Quid enim ſecundæ nuptiæ, ſuntne iniquæ? at dixit Tertullianus, neminem niſi ex intemperantiæ vitio ſecundum ambire matrimonium, idque ſpecioſum adulterium vocavit Athenagoras. Quod ſi quis, uti Patriarchæ, pluribus uxoribus commiſceretur, *non concupiſcentiâ recipiendæ voluptatis, ſed providentiâ propagandæ ſucceſſionis*, ut *Auguſt. C.* 7. *cauſ.* 32. *q.* 4. *non ardore vagæ accenſus libidinis, ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ ſobolis*, ut *Ambroſius* loquitur *l.* 3. *cauſ.* 32. *q.* 4. ideone injuſta non eſſet Polygamia. Multi certè ex Patribus gravidâ & lactante cum uxore cubare improbant, pecora imitanda præcipientes, ne *poſtquam venter intumuit, infans afficiatur.* l. 5. *cauſ.* 32. q. 4. *diſt.* 5. c. 4. & *ne matrix*, ut Priſcianus loquitur, *ipſius agitationis uſum non ſuſtinens abortiat.* cujus opinionis ſi quis eſt, uti omnes eſſe debemus, poteſt quis abſque luxuriæ nota pluribus ſe jungere uxoribus. vid *Lypræus l.* 1. *c.* 13. §. 97. *de Jur. Connub.*

THESIS

THESIS XX.

DEinde *ratione præcepti divini*, quod maximum eſt, Polygamia etiam eſt neceſſaria. Habentur enim expreſſa verba in imperativo propoſita, & Adamo, Noacho ex arca poſt deletum genus humanum egredienti, omnibus eorum poſteris communicata, quæ ſic habent: *Creſcite & multiplicamini & replete terram, & vobis illam ſubjicite, quæ verba non tantum ſunt benedictoria, ut Coccejus Com. in Gen. autumat, ſed ſimul (quæ enim neceſſitas cogit à nativo ſenſu recedere) imperatoria, ex quibus ita argumentor.*

Quicunque jubentur creſcere, ſe multiplicare & replere terram, illi jubentur facere modo optimo & convenientiſſimo, legitimo puta, ſeu Scripturæ Sacræ, quæ ſuprema lex eſt, non contrario.

Atqui primi noſtri parentes, Adamus, Noachus atque ſub Illis ceu ſtirpibus omnes eorum poſteri juſſi fuerunt creſcere, ſe multiplicare & replere terram.

E. juſſi fuerunt facere modo optimo & convenientiſſimo.

Et porro quod hic modus ſit optimus probatur quia eſt legitimus hoc pacto.

Quicunque modus eſt legitimus, ille eſt optimus. Quid enim melius poteſt eſſe eo, quod ſecundum leges inſtituitur.

Atqui Polygamia eſt modus legitimus, quia convenit cum illa lege prima & Catholica: Creſcite & multiplicamini, nec eſt contra ullam legem Dei ut deinceps probabitur ulterius illius legalitas.

1. *Deinde Ratione præcepti divini. Plato in l. 6. de Legg.* vult ut in bene conſtitutâ Rep. primum de nuptiis leges ferantur, & opera detur, ut non tantum jucundiſſimum ſibi, ſed & utile Reip. quiſque contrahat matrimonium. Eapropter Optimus & ſapientiſſimus Legislator Deus in Republicâ mundanâ conſtituenda ſtatim poſt creationem primi hominis legem de conjugio tulit, uti & ipſi Judæi hoc primo capite comprehenſum præceptum pro primo & maximo Catholico habent præcepto (*Luth. tom. 11. Jen. Germ. p.* 163. dicit non tantum eſſe præceptum ſed pluſquam præceptum) quod baſis & fundamentum ſit, cujus gratiâ reliqua omnia ſint tradita præcepta. Cui enim darentur cœtera præcepta (quorum numerum Judæi quidam 613, quidam 620 eſſe volunt, & quidem affirmativa 248 juxta numerum membrorum corporis humani, negativa 365 juxta numerum venarum in homine, aut dierum anni ſolaris) ſi homines non propagarentur & mundus non eſſet habitabilis, ob quem finem hoc inter omnia præcepta eximium & præcipuum eſt datum, & quidem, ut homo teneatur omni loco & tempore operam ei dare, quamprimum conſecutus fuerit terminum ætatis, à Magiſtris definitum ducendæ uxori aptum, ut ex Rabbi *Levi tradit Hatting. de Jur. Hebr. p.* 6. Dicunt etiam trangreſſorem hujus legis, qui non operam dat præcepto multiplicationis & fructificationis, ſimilem eſſe ei, qui ſanguinem effuderit, ex Rabb. *Eliezere.* Atque hujus Generaliſſimi præcepti fundamentum in capite primo & quidem in illis verbis: *Et benedixit eis Deus atque*

dixit

dixit: Fructificate & multiplicamini: conſtituunt ipſi Judæi, non verò in *Capite* 2. aliquam legem conjugalem multò minus Monogamicam excluſivam admittunt, ut ex omnium Rabbinorum, quantum conſtat, libris videre eſt, niſi forſitan in illis libris habeatur, quos οὐρανοπετεῖς & θεοπέμπτους Adamum accepiſſe Arabes dicunt, quorum Beſſæus viginti & unum fuiſſe ait, Arabibus cum primis venerabiles, & multa decreta, leges, ſtatuta Dei, promiſſiones item ac minas aliasque res in mundo poſt eventuras complexos. (vid. *Hotting. hiſt. Orient. p.* 22.) aut 2. ex illis libris quinquaginta cœlitus in gratiam Sethi delapſis, qui etiam dicitur gladium primum, οὐρανόθεν contra Cainum ejusque poſteros, quibus cum ἄσπονδον gerebat bellum, miſſum habuiſſe, & ex turri altiſſimâ eam ob rem extructâ prædicaſſe dicendo: *Non eſt Deus, niſi Deus Adamì.* uti ex Beſſæo, Parricide, Elmacino, aliisque adducit prolixe *Hotting. Hiſt. Or. p.* 27. aut. 3. in illis quinquaginta voluminibus Enochi, qui Edris etiam ab Arabibus dictus ob multiplex ſtudium, & omnigenam liberaturam, ſiquidem primus calomographus & Aſtronomus fuiſſe dicitur ab Arabibus. vid. *Hotting. Hiſt. Or. p.* 32.. Quos libros ſi fortean muſteus ille inventor novæ legis Monogamicæ, cap. 2. contentæ legerit, & inde ſuam ſcientiam hauſerit, nil magis in votis haberem, quàm ut nobis communicet. Certè antiqui Rabbini in primo capite conjugii inſtitutionem conſtituerunt, & ſecundo capite paradigma matrimonii, in primo generaliter inſtituti, & in ſecundo ulterius per indiviſibilitatem conjugum explanati eſſe voluerunt. In tertio vero capite reſpectus differentiam inter conjuges per *dominium viri in uxorem abſolutum & à nutu mariti in ſolidum dependentem obedientiam* delineatam eſſe dixerunt. In IV. Capite primum exemplum Polygamicum conjugio Adami Monogamico non contrarium, Deoque nullatenus ingratum oſtenditur. Quanquam enim ad eſſentialia conjugii, adeoque Monogamiæ, numerus binarius ſit neceſſarius; quia tamen Polygamia multas includit Monogamias, dum maritus cum qualibet uxore ſingularem init contractum, nil video cauſæ cur Polygamia præjudicare debeat Monogamiæ, & contra: ſiquidem *Monogamia* non ſimpliciter & ut in ſe eſt, ſed excluſiva, quæ excludit plures uxores, Polygamiæ opponitur. Monogamia enim & Polygamia ſe invicem reſpiciunt, ut latius & anguſtius, ſimplex & compoſitum. Poſt Polygamiam verò *Lamechi* nulla mentio fit neque Monogamorum, neque Polygamorum, in Antediluvianis, utut de ipſorum Polygamia ſupra aliquid allatum. In Poſtdiluvianis primum, *Abrahami* Polygami Patris fidelium exemplar occurrit, illiusque uxor & concubinæ recenſentur. Deinde *Iſaaci* Monogami, quantum conſtat, uxor *Rebecca*, nominatur cui tenerrimè à parentibus educato, in deſertis ſub tregario viventi, & ab uxoribus gentilium abhorrenti, deſuêre occaſiones plures uxores ducendi, & diſplicuêre forſitan etiam ancillarum matrimonia, benè memori moleſtiarum & controverſiarum in domo Parentum ob *Hagaris* contubernium ortarum. Quo ipſo innuitur, eum qui ſe non capacem & aptum ad plures ducendas, regendas, ſuſtentandas exiſtimat, habere liberum arbitrium ducendi unam. Hic enim ante omnia obſervandum, *tria eſſe bona, & iis oppoſita totidem mala, quæ viri & mulieres in conjugio ineundo aucupantur & fugiunt, animi nempe, corporis & fortunæ;* Animi bona, animi dotes ſunt, pudicitia ſcilicet, temperantia, caſtitas, modeſtia, iisque oppoſita mala, animi vitia & affectiones pravæ ſunt uti moroſitas, intractabilitas, luxuria, impudicitia, avaritia; quibus & annumerari poteſt de Deo & religione impia opinio, *Corporis bona* ſunt, pulchra corporis moles, decora facies, & ad honeſtatem compoſita, bona valetudo: ejus mala cenſentur deformitas, adverſa valetudo: *Fortunæ munera* ſunt, divitiæ, nobilitas, honeſta fama, ejus incommoda, paupertas, abjectum nomen, læſa fama. Verùm animi affectiones bonæ vel pravæ, vera mala vel bona ſunt, ſed corporis & fortunæ incommoda, commodave, ratione præſentis vitæ bona vel mala duntaxat dici poſſunt. Cum enim in ſe ſpectentur, neque bona neque mala ſunt, neque in eorum ſerie à quovis ſapiente numeranda, dicendave,

cui ea tantum mala ſunt, quæ crimine mentem implicant & conſcientiam ligant. *C.* 6. *cauſ.* 15. *q.* 1. Sicuti igitur omnes matrimonium inituri illa tria in alterâ perſonâ cum quâ contrahere cupiunt, maximè conſiderant, ita præprimis vir conjugium auſpicaturus in ſeipſum deſcendit, τὸ γνῶθι σεαυτὸν obſervat, & ſi non invenit in ſeipſo vires animi ad regendum, corporis ad ſatisfaciendum, ut vulgo loquuntur, aut potius ad generandum, & fortunæ, ad ſuſtentandam familiam intermittit vel unam ducere, viribus ſuis ſcilicet diffiſus. Qui verò unâ ductâ benedictionem divinam, præter ſpem ſentit, & vires ſuas citra priſtinam opinionem augeri animadvertit, ille facile ad bigamiam & trigamiam perducitur. Uti videmus in *Jacobo* quadrigamo & Eſavo bigamo, & trigamo, qui poſtquam primam duxerunt, & ſuas facultates per Polygamiam non minui perſpexerunt, facilè occaſione oblatâ ad Polygynæciam ſe induci paſſi ſunt. Neque dubitandum, cum populus Judaicus tùm antè, tùm poſt ingreſſum in Ægyptum tàm citò creverit, *duodecim Patriarchas*, quorum uxores more ſolito reticentur *Gen.* 46. 26. eorumque liberos plures unâ duxiſſe uxores, præſertim cum gentilium filias neceſſitate inducti in matrimonium accipere tenerentur, & legibus Ægypti Politicis non prohiberentur, uti ex hiſtorica *Abrahami* & *Iſaaci* in Ægyptum migratione non obſcurè colligere eſt, Ægyptios à Polygamiâ non abhorruiſſe. Nullius verò inter liberos *Jacobi* quantum memini, fit mentio, quàm *Simeonis*, qui concubinam habuit. In Ægypto *Moſis* bigamia, cum in ſcriptura non reperiatur, nititur tamen fide hiſtoricâ humanâ *Joſephi* ſcilicet. Poſt egreſſum ex Ægypto, *Caleb, Gideon, Jair, Elkana, Satil, David, Salomon* memorantur Polygami. Qui omnes tantum abeſt, ut præcepto divino contraiverint, ut potius voluntatem Dei in præcepto Primo & Catholico amimadverterint, & liberis creandis operam dederint. Præceptum autem illud conjugii quærendum eſt in primo capite Geneſeos non in *exemplo Adami*, quod non poteſt eſſe *norma totalis & adæquata regula omnium circa matrimonium occurrentium controverſiarum*, ſiquidem ex eo duntaxat mutua adhæſio & indiſſolubilitas apparet, in primo capite verò finis primarius conjugii, propagatio ſobolis inſinuatur, in ſecundo verò mutuum adjutorium ex indiſſolubilitate reſultans, in tertio dominium viri in uxorem, in quarto ampliatio conjugii per binas uxores primævæ Dei inſtitutioni non contraria, ſatis ſuperque monſtratur. Ex quo manifeſtum unicum dictum & exemplum conjugii non ſufficere ad totam matrimonii naturam exhauriendam, ſed omnia ſimul conjungenda, ut inde quid juſtum vel injuſtum ſit, probè cognoſci poſſit.

2. *Creſcite* Non hîc audiendi ſunt Patres nonnulli, qui ajunt, hoc dictum ſaltem ratione multitudinis liberorum pertinere ad tempora ante Chriſtum, non ad nos, qui in alio vivimus ævo. *Hieron. ad Euſtoch. Ep.* 22. *it. ad Gerontiam, nec non contra Helvidium ſub fin. Tertull. de pudic. c.* 16. dicit: *mundum jam non deſiderare illud creſcite & multiplicamini.* Paria habet *Chryſoſtomus de Virg. c.* 17. *Cypr. de diſciplinâ virginum* §. 84. nec non *Sedul. & Oecumenius in* 1 *Cor.* 7. *Bernh. in Cant. ſerm.* 59. huc trahit verbum illud: *Vox turturis audita eſt*, quam dicit eſſe prædicationem continentiæ, eos qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum, ſpectantem, cum ab initio vox iſta non ſit audita ſed magis: *creſcite & multiplicamini*, ſterilitas etiam maledictioni fuerit ſubjecta, Polygamia conceſſa & jus Leviratus introductum. *Tertull. de Monag. c.* 7. *& Exhort. ad Caſtit. c.* 6. *& Aldhelmus de Laud. Virg. c.* 8. addunt inſuper cauſam, quia hodiè repleto mundo non tàm ſit neceſſaria, quàm olim. Sed hæc ſententia Patrum orta eſt ex nimiâ commendatione & æſtimio virginitatis & continentiæ (ſemper & ubique certis annis determinatæ) quam ex malè intellectis verbis Chriſti (multi ſe caſtrant propter regnum cœlorum, & qui poteſt capere) & Paulinis (utinam omnes eſſent ſicut ego. Qui non nubit, melius facit) ſupra ſatis enucleatis & adhuc infrà explicandis hauſerunt; Neque etiam ullo modo ſunt hîc admittendi illi, qui dicunt, præceptum hoc eſſe ex affirmativis, quæ non ſemper obligant, & ſingulos tantùm obligant, cum pauci ſunt mortales, & uti ad-

dit

dit *Zazeman.* adverſ. *Keller.* **Greuel Offenbahr** 11. 796. *Gerb. Conſ. C. app. ad. c.* 39. *p.* 337. & in *L. de Conj.* §. 490. cum quis dono continentiæ caret, ita ut extra conjugium caſtè vivere non poſſit. Manet enim hoc præceptum *Catholicum* omnes etiam dono continentiæ, uti Adamus in ſtatu integritatis, præditos obligans, *non tantum naturale benedictorium & effectivum*, quo Deus naturalis procreationis donum re & actu ceu Metaphyſici loquuntur, conferebat piſcibus, brutis hominibusque eorumque poſteris uſque ad finem mundi, ſed & morale & voluntarium ad homines non tantum in V. T. Protoplaſtos & Noachidas, ſed & ad nos in N. T. ſpectans, Si enim hæc verba ratione naturalis benedictionis omnes concernit uſque ad finem mundi (uti *Apol. A. Conf.* dicit, naturam hominum formari hoc verbo, ut ſit fœcunda, non ſolum initio creationis, ſed tantiſper dum hæc corporum natura exiſtet, non video, cur non etiam ceu præceptum morale obliget, & in ſolis Patriarchis, Noachidis & Iſraelitis vim obtinere dicatur. Non poſſum verò non mirari novam *Victoris Utopici* humilitatem, qui cum antè in *Theophilo* hominis & bruti comparationem ſugillaret, nunc eandem inſtituat, cum dicit *p.* 80. homines N. T. haut aliter ferè eo obligari, quàm animantia bruta, nempe, ut neque procreationi operam dando boni quid faciant, neque eam omittendo malè, (ſicut in edendo, dormiendo, ſtando eſt comparatum Cor. 8.) loquitur tamen cum addito, dum ne eâ omiſſione ſeipſum necet, aut aliud mali & flagitii committat. Verumenimverò quis non ex ſuperioribus novit, hoc *præceptum eſſe univerſaliſſimum, omnes homines omni loco & tempore obligans*, & ſuam familiam, mundumque ipſum, quantum in ſe eſt, deſtruere, ac internecionis cauſam eſſe omnem, qui procreationem omittit; *Qui non operam dat liberis, eſt homicida* dicunt Rabbini, & inſuper omittendo etiam peccatur, ut *Jacobus* ait, *qui ſcit bona facere & non facit, peccat*, & Jeremias, *Maledictus qui opus Domini facit negligenter*; Jam verò conjugium eſt opus divinum à Deo autore proveniens, uti & apud *Lutherum* ſupra laudatum bigamia vocatur opus Dei *tr. de big. Epiſc.* Idem Imperativus Moſaicus ſeu potius divinus, habetur etiam 1 *Cor.* 7. *unuſquiſque ἐχέτω habeto*, quamvis a datur: *ob ſcortationes:* Paulus enim loquitur poſt lapſum, uti quilibet homo ἄγαμος quamvis ſanctiſſimè vivens, incurrit ſuſpicionem ſcortationis & impudicitiæ. Qui enim benè edit, bibit, dormit, non poteſt impedire procreationem ſeminis, atque inde oriundum pruritum atque exitum, & falſum quidem eſt, quod in N. T. accedens ſupernaturalis gratia iſtud naturale donum procreationis ſupprimat & evacuet, adeoque homines in N. T. continentiæ dono carentes tantum obligari. At enim quis adeò cœcus eſt, qui non videat, illos omnes non intelligere, quid ſit donum continentiæ, & quid propriè continentia. Scilicet *continentia* eſt virtus, quæ conſiſtit in medio, & neque in exceſſu, neque in defectu peccat; Sicut igitur qui in totum per omnes dies vitæ abſtinere vellet ab omni cibo, potu, mictu & aliis rebus naturalibus, ille non gauderet verâ, ſed vitioſâ continentia, ita qui ab omni Venere abſtinet, ille etiam vitioſam incurrit conſcientiam; Ille itaque verè eſt continens & ſuorum affectuum Dominus, qui à *nimio* potu, cibo, Venere ſe continet, & illis etiam utitur, cum natura eſt conveniens. Et ſi verum eſt, uti volunt, quod fideles N. T. poſſint à Deo precibus obtinere continentiam ab omni Venere, nil video cauſæ cur non etiam pauperes Chriſtiani poſſint obtinere precibus abſtinentiam ab omni cibo, potu, quod ipſis, qui ſæpè nil habent, unde vivant, magis eſſet neceſſarium. Ab actu quidem Venereo externo poteſt quis ſe continere, ſed non ſine periculo ſanitatis, ut Medici norunt, (uti abſtinentia ab omni cibo, potu, aut ſaltem neceſſario morbos infert) ſed totam naturam humanam ad procreationem ſeminis aptam extinguere & annihilare non poteſt, nec Deus etiam vult. Fruſtrà ig tur adducitur illud dictum Chriſti *Matth.* 19. *de caſtratione propter regnum cœlorum.* Chriſtus enim tantum recenſet, non laudat, aut commendat, alias ſequeretur quod etiam laudaret caſtrationem naturalem ex defectu

teſtium vel frigiditate conſpicuam, cum tamen ſterilis & frigidus inter defectus numeretur, & maledictione divinâ prematur, nec Eunuchus intrare Eccleſiam poterat. Sequeretur etiam caſtrationem violentam à principio extrinſeco, homine ſc. ortam, laudari, cum tamen Deo non placeat, nec exectus poterat cœtui divino intereſſe. In uno verò contextu omnes tres caſtrationis ſpecies habentur, & ſi una laudatur, altera etiam laude privanda non eſſet, quod fieri non poſſe, ſatis aſtruximus. Nil ergò ſupereſt, quàm ut dicatur, nudè duntaxat recenſeri, illas caſtrationis ſpecies, & ex aliis locis colligendum, an ſint probandæ vel improbandæ. Scriptura enim per ſcripturam eſt explicanda, & quidem ita, ut alteri, cum nulla ſit contrarietas in totâ ſcripturâ ſacra, non contradicat. Fruſtra etiam Paulus hîc in ſubſidium trahitur cum dicit 1 *Cor.* 7. *Vellem omnes homines eſſent, ut ego. Qui non nubit melius facit.* ſcil. propter perſecutiones & non habebit tanta incommoda cœlebs, inſuper innuit, quod qui laſciviam carnis ſine conjuge ſanctè & piè domat, etiam in matrimonio conſtitutus, melius agat, quàm qui uxoris id agat remedio. De ſeipſo verò cum ait: *Vellem omnes homines* non loquitur de cœlibatu & ſtatu extra conjugium. (Impiiſſimum enim & profaniſſimum votum eſſet, quo vellet, ut mundus totus centum annis interiret, quod Paulo tribuendum non eſt) ſed de caſtitate, quæ etiam eſt in conjugio, ſiquidem ipſe Paulus habuit conjugem, quam ſalutat *Phil.* 4. 3. & vocat σύζυγον γνήσιον conjugem germanam, candore & integritate conſpicuam, & ſororio amore amplexandam. Et hanc fortean plerumque Philippis reliquit, aut non ſemper ſecum circumduxit ut Cephas & cœteri Apoſtoli, nec opus eſt ut cum *Martino Schoockio in Auct. deſp. C. P. p.* 38. cenſeamus, tunc temporis, cum hæc ſcriberet, viduum fuiſſe, ſed hoc tantùm ex eo exſculpi poteſt, quòd non ſemper ſecum circumduxerit, quod maximè tædioſum & moleſtum, quandoque etiam difficile, cum uterum gerunt, & in periculoſis itineribus ferè impoſſibile. Interim *uxoratum* Paulum fuiſſe ex hoc loco *Phil.* 4. 3. *Chemnit. Ex. Conc. Trident. de Cœlib. ſac. colligit*, & jam ante *Ignatius ad Philadelphenſes Epiſtolâ* ſtatuit, quem etiam *Clem. Alex. Euſebius* atque alii ſecuti, uti de ejus filiâ Tecla etiam multa narrantur, quicquid ſit quod *Gomarus part.* II. *Op. p.* 209. dicat, dum negat illum uxorem habuiſſe. Ex quibus omnibus hactenus allatis ſatis apparet, eandem eſſe obligationem hujus Præcepti de multiplicatione in Vet. & N. T. cui etiam tota Eccleſia ſuffragatur; quæ illa ipſa verba *Gen.* 1. in copulatione Sacerdotali prælegi hactenus conſuevit. Quod ſanè ſupervacaneum, & tantum non ludicrum eſſet, ſi ad nos non pertineret. Sed quia Eccleſia judicavit, Præceptorum divinorum, ſive ſint moralia ſive myſtica (*Lancellot. Inſt. l.* 1. *tit.* 2. maximam ſemper debere eſſe curam, etiam hoc præceptum morale, ne oblivioni tradatur, omnibus maritandis commendavit.

3. *Ex quibus ita argumentor* Quanquam Theophilus, tanquam negans; Polygamiam eſſe peccatum, ab omni probatione potuiſſet abſtinere, cum affirmanti incumbat probatio *Calov. Script. Philoſ. p.* 836. *Danh. Id. Bon. Diſp. p.* 91. *Hulſem. de ſacrif. c.* 1. §. 4. ex abundanti tamen, ne lucem fugere videatur, condeſcendit, & probationem in ſe ſuſcepit. Nonnulli quidem Anti-Polygami & in ſpecie Dormitantius ille putat, ſe in illâ controverſiâ de Polygyniæ æquitate, eſſe in poſſeſſione, & ſine crimine poſſe uti Methodo illâ *Verronianâ*, à Cardinali *Perronio in replicâ ſuâ contra Regem Angl.* primùm inventâ, & poſtea à *Gunthero* in Colloquio Durlacenſi interpolata & uſurpatâ, ac tandem à *Verronio* (quem refutavit Vedel. in Rat.) magis illuſtratâ & corroboratâ, quâ onus probationis, cum Mariani in poſſeſſione ſint vel quaſi ſuorum dogmatum, in Orthodoxos devolvere ſatagunt, & continuationem dogmaticam longiſſimi temporis præſcribere obligationi de reddendis rationibus, firmiter ſtatuunt. Verumenimverò quod hæc ſententia ſit falſiſſima & monſtroſiſſima apparet luce meridianâ clarius 1. Ex defectu privilegii illius exemptionis. 2. Ex contrariâ diſpoſitione juris divini in actione cum ignorantibus, 3. Ex Methodo agendi cum contradicentibus de veritate Theologicâ informandis & falſitatis convincendis, vi dicto-

dictorum 1 *Cor.* 3. 2. 1. *Pet.* 3. 15. 4. Ex ſpeciali mandato agendi cum hæreticis *Tit.* III. 10. 5. Ex exemplo Chriſti, Apoſtolorum & Patrum 6. Ex præjudicio evidenti in exemplo Salvatoris *Matth.* 5. 21. 7. à re judicata. 8. ab objecto poſſidibili & præſcriptibili, de quo acutè agit *Hulſ. diſp. de Præſcr.* Neque enim objectum intelligibile, quale hoc, nec credibile, ſive ex lumine naturæ ſive ſcripturæ ullo tempore præſcribitur. vid. præter *Vedelium, Hulſemanum &* modo citatos *Voet. Deſper. Cauſ. P. l.* 2. *S.* 2. *c.* 25. *Rivet. Cathol. Orth. in præf & lib. Verroin Exploictant. Danh. Dial. Sacr.* 63.

4. *Quicunque jubentur* Quòd τὸ *Creſcite & multiplicamini* in N. T. illos quoque qui caſtè ſine matrimonio vivere poſſunt, obliget, jamdum eſt evictum in prioribus, ut perperam agat *autor VictoriæCretenſis p.* 187. dicens non peccare omittendo illud, ſed potius laudem mereri illos, qui ſine matrimonio caſtè vivere poſſunt, cœteros autem vi quidem effectivâ horum verborum genti humanæ implantatâ urgeri ad quærendum conjugium, tanquam libidinis medicinam, non liberorum ad multitudinem, quippe quæ donum corporale modo exiſtens & phyſicum quærere quis modo permittitur, non jubetur. Ad quæ ipſa reſpondetur 1 quod naturalia & corporalia phyſica natura ipſa jubeat, e. g. edere, bibere, evacuare excrementa neceſſitas, quæ non habet legem, niſi velimus perire, imperat, & cum etiam conjugium ad naturam, non ad articulos fidei pertineat, à naturâ injungitur, ut ſemen, quod etiam à nonnullis inter excrementa numeratur, non Onaniticè aut per nocturnas pollutiones excernatur; ſed per coitum in conjugio evacuetur, & cum multa incommoda aliàs, morbos etiam in corpore humano ſine congruâ evacuatione remanens, pariat, adhibeatur ad procreationem, quæ eſt primarius conjugii finis, omnes etiam in N. T. obligans, quamvis poſt lapſum per accidens conjugium in libidinis remedium etiam, ceu finem contingentem quæratur & imperetur. Deinde etiam ipſa natura docet ſeipſum conſervare, quod, cum individua moriantur, commodè per aliorum ſubſtitutionem mediante conjugio fieri poteſt ut relicto filio non videatur pater mortuus, adeò ut ipſa familia non duntaxat, ſed & totus mundus per creationem continuatam ſeu generationem conſervetur. Quamvis igitur à naturâ ipſa imperetur, Deus tamen ceu autor naturæ & Natura Naturans, uti barbarè in Scholis loquimur, hoc primum ſuum ſcriptum præceptum idque Catholicum eſſe voluit, ne homines ob moleſtias forteau conjugii abſterrerentur; & cum in illâ conjunctione maris & fœminæ apud hominem, qui eſt juxta *Ariſtotelem* animal. λογικὸν & πολιτικὸν, *rationale & ſociabile*, hoc brutis non commune reperiatur, ut ſit contractus Politicus indiſſolubilis, Deus tanquam Fundator Politiæ Antelapſariæ & Poſtlapſariæ conjugium ritè homini ineundum novo mandato ſeveriſſimo eoque ſcripto inſinuare voluit. Quod ulterius docet, quando jubet, ut homines mediante matrimonio terram replere, illamque ſibi ſubjicere debeant. Unde nova argumenta pro Polygamia, ſi opus eſſet, poſſent extrui hoc pacto:

Quicunque debent replere terram, & illam ſibi ſubjicere, illi citius & commodius faciunt per Polygamiam, ſi aliàs non eſt prohibita (uti invincibilibus argumentis eſt evictum) quod utique repetendum eſſe, vel ſemel Anti-Polygamos monuiſſe ſufficeret, niſi deditâ operâ malitioſè hac in re agerent. Homo Dominus non tantùm ſed & colonus terræ debet illam replere & ſibi ſubjicere, quod ſolus præſtare non poteſt, ſed opus adjutoriis, quæ quò ſint plures, eò melius ſuarum rerum ſatagere poſſunt, non enim Deus vult nos eſſe otioſos, ut Monachi in monaſteriis talem agunt vitam, quanquam priſci etiam labore manuum victitarint, uti *Renat. à Valle in Hipparch. n.* 94. *docet*, & ipſum *Corpus Canon. in Inſtit. Lancell. l.* 3. *tit.* 4. §. 3. ab iis requirit, ex quo loco prolixè deducit *Marc. Anton. de Dom. de Rep. Eccl. l.* 9. *c.* 5. *n.* 51. impropriationes decimarum & Eccleſiarum, factas cœnobiis & monachis, fuiſſe contra monachalia inſtituta, Monachoſque debere potius penu Eccleſiæ ſuorum laborum fructibus augere, quàm ab ipſo aliquid, ut ſibi jure debitum, accipere. Quicquid vero ejus ſit, negari non poteſt,

nos omnes eſſe terræ filios ad terram colendam, nobisque ſubjiciendam natos, & ut hoc præſtemus commodè, multorum adjutoriorum indigos. Horum enim pluralitas plus poteſt in effectum deducere, quam ſi nullum aut unum ſit. *Jacobus* Patriarcha, niſi tot habuiſſet adjutoria, uxores puta, filiosque ex illis prognatos, tantam terram colere, tot boves & oves, quæ terræ jugera depopulabantur, & terram arando ad fructificandum aptam reddebant, nutrire, homines in terrâ viventes Sichemitas ſibi ſubjicere, iis terrorem incutere, de Ægyptiis & Cananæis in poſteris ſuis exPolygamiâ natis triumphare non potuiſſet. *Rehabeam*, ut eò melius terram benedictam, aliàs rebellioni proximam, ſibi ſubjicere, & illam regere poſſet, ſuos filios ex 18. uxoribus & triginta concubinis natos hinc & inde in civitatibus, oppidis, caſtellis, tanquam, Vice-Reges, ut hodie loqui ſolemus, conſtituebat. *Salomon* tantâ ſubjectione & amore Regum & Principum non gaviſus fuiſſet, nec à tot Monarchis vicinis pariter & remotis adoratus quaſi fuiſſet, niſi beneficio tot uxorum illos ſibi devinxiſſet, & quaſi ſubjeciſſet, & quanquam tres tantum ab eo prægnati recenſeantur, nil tamen abſurdi eſt, ſi plures ipſum, cum in hiſtoricis non liceat negativè argumentari, habuiſſe non negemus. Pſalmiſta prædicat illos beatos, qui pharetram plenam filiorum habet, illisque promittit, quod ab inimicis non tàm facilè, ut aliàs fieri ſolent, quod peſſimum inter humanas calamitates cenſetur, ſint ſuperandi. Non quidem diffitemur, per Monogamiam terram etiam ſubjici poſſe, cum tamen tàm benè celeriter & commodè fieri non poſſit, nil video cauſæ, cur Polygamiâ, præſertim cum non ſit prohibita, uti nolimus. Neque enim filii ex Polygamiâ nati ſecundum verbum Dei ſunt ſpurii, ut infra videbitur: neque Ambroſius ab autore Victoriæ Ovidianæ *p*. 186. citatus de illis loquitur, ſed de ex adulterio natis. Neque verum eſt, quod Occidens ob Monogamiam & continentiam, ut *Bodinus* putat, *de Rep. l.* 5. *c.* 1. populorum multitudine abundet, ſed ob naturam locorum & cœli temperaturam & copiam aquarum atque marium, ex quorum ſalitâ aquâ juxta PœtasVenus ſine Baccho & Cerere frigens eſt nata, ſicuti videmus Zonas temperatas eſſe fœcundiores, & loca aquis irrigata plus graminis & fructuum producere, quàm calidiſſima in Oriente loca. Neque etiam 2. ſemen in Polygamiâ reddetur infœcundum, ſi moderatio & continentia virtuoſa procreationem ſolum admittens obſervetur. Neque 3. Gothia vel Scaria, quam *Tacitus* Germaniæ Monogamæ accenſet, & *Jornandes de Rebus Geticis* officinam gentium & vaginam populorum vocat, beneficio Monogamiæ eum ſibi titulum acquiſivit; ſiquidem ſuprà ſatis ſuperque ex Tacito ipſo monſtravimus, expreſſis verbis ibi aſſeri Germanosque eosque nobiles plures unâ duxiſſe uxores. Ruſticorum & plebejorum nuptiæ, cum non ita in oculos incurrant, non poterant Tacito Romæ degenti eſſe adeo notæ.

5. *Legitimus* Ubi nulla lex, ibi nulla transgreſſio legis. At lex ea de re nulla illis temporibus extabat, inquit *Hug. Grot. de J. B. & P. &* citat *Chryſoſtomum* de Sarâ ita loquentem: *Ipſa viciſſim ſtudebat ſterilis conjugii ſolatium ex ancillâ quærere, nondum enim talia tunc vetita erant* vid. eundem in 1 *Tim.* 3. *Auguſt. de doct. Chr. l.* 3. *c.* 12. Erat uxorum plurium ſimul habendarum inculpabilis conſuetudo. Similia itidem. *c.* 8. *& c.* 12. Multa enim ſunt, quæ illo tempore officioſè quæ modo niſi libidinoſè (à mundo, qui ἐν πονηρῷ jacet) fieri non poſſunt. Et *l*, 16. *de Civ. D. c.* 38: quoniam multiplicandæ poſteritatis cauſâ plures uxores lex nulla prohibebat. Ex quo conſequitur cum nulla lex in tota ſcripturâ ſacra reperiatur, quæ interdicit Polygamiam, non eſſe illegitimam, qui eſt modus optimus Polygamiæ legalitatem colligendi àPaulo ipſo *Rom.* 7. uſurpatus & in aſtruendâ concupiſcentiæ iniquitate adhibitus. Fruſtrà ergò eſt *autor. ementitæ Victoriæ* quando Theophilo *p.* 118. hic circulum affingere conatur. Neque enim idem per idem probat, ſed ex defectu legis prohibentis & convenientiâ cum lege primâ Catholicâ Polygyniæ juſtitiam intrinſecam aſtruit. Mirâ verò ſubtilitate quæ tandem in ſubtilia aranearum fila ſeu in nihilum redigitur, cum ait *Theophi-*

philum in hoc Sylllogiſmo: *quicunque modus multiplicandi eſt legitimus, ille eſt optimus:* argumentari à non diſtributo ad diſtributum, à conceptu determinabili ad conceptum determinantem. Quaſi verò ſub multiplicatione in genere imperata tanquam diſtributo, non poſſet ſubſumi aliqua multiplicationis ſpecies, quæ eſt ſcilicet Polygamia. Neque hoc ipſum abſurditatis accuſandum, uti ipſe quidem ſomniat, & verè quidem ſomniat; Vigilantem enim illum hoc ſcripſiſſe, vix adducor, ut credam, ſed dubio procul fuit cœcus, mutus & ſurdus, uti ſomniantes & dormientes ſolent, cum hanc abſurditatem videret. Ariſtoteles quidem ait Doctos ab indoctis etiam in ſomniis differre, aliaque eſſe Doctorum, alia ruſticorum ſomnia; ſed an ſemper & ubique hoc procedat, aliis arbitrandum relinquo: certe hîc non apparet.

6. *Optimus* Nec hoc verbum Victor ille Cretenſis vellicare more canum intermiſit, dum dicit in legitimis & licitimis unum altero melius eſſe ut non illicò unum poſſit dici optimum. Verum quis neſcit ſuperlativum ſæpè poni pro poſitivo, & præterea nil video cauſæ cum Polygamiæ Monogamia, aliave ſpecies, ſi daretur, matrimonii præferri non poſſit, cur modus Polygamicus non poſſit dici optimus. Sicuti enim plura prædia, domos, proventus, pecunias, habere melius eſt, quàm habere pauca, ita etiam pluralitas uxorum nullibi prohibita melior eſt.

THESIS XXI.

QUod vero Polygamia ſit convenientiſſimus modus ſe multiplicandi hac ratione evinci poteſt.

Per quemcunque modum maſculus uno anno plures poteſt procreare liberos ille eſt convenientiſſimus modus ſe multiplicandi.

Atqui per Polygamiam maſculus uno anno plures poteſt procreare liberos.

E. eſt convenientiſſimus modus ſe multiplicandi. Vel etiam hoc pacto:

Quicunque modus ſe multiplicandi apprime quadrat naturæ maſculinæ & fœmininæ, ille eſt modus convenientiſſimus.

Atqui Polygamia eſt talis modus, qui apprime quadrat imo multo melius quam Monogamia, naturæ maſculinæ & muliebri, ut ſupra §. 2. &. 3. fuit oſtenſum.

E. eſt modus convenientiſſimus.

Modus multi plicandi Dicunt quidam Anti-Polygami, illum modum eſſe nobis commendatum & à Deo præceptum, uti fingunt, qui in primâ creatione ſit obſervatus, ubi Deus tantum duas alloquitur perſonas, & iis injungit, ut creſcant & ſe multiplicent. Sed idem dici poſſet etiam de brutis, quorum par & par hunc benedictionem etiam ſuo modo à Deo perceperunt, Verùm cum illorum comparationem cum homine, de quâ ſupra, mundus ſuperbus cane pejus & angue fugiat, de illis aliquid referre ſuperſedemus, ſed dicimus, quod Deus cum non determinaverit modum præciſè ſive Monogamicum, ſive Polygamicum, in medio reliquerit. Ubi enim ſcriptura non determinat, &

& limitat, noſtrum non eſt, fingere aliquam certam detetminationem. Neque obeſt quòd Deus ad duos tantum hæc verba protulerit. Idem enim ille Deus qui ad *Adamum Monogamum* dixit: *Creſcite & multiplicamini*, idem dixit etiam ad *Jacobum Quadrigamum*, adeoque in hoc exemplo poſteriori Quadrigamiam nobis commendavit. *Gen.* 34. Et ſi exemplum conjugii Adamitici, à Deo autore confirmati in duabus tantùm perſonis, norma erit conjugii non niſi cum unâ uxore ſervandi, etiam exemplum quietis divinæ ſeptimo tantùm die habitæ ad quod inſtitutionem Sabbathi orthodoxi referunt, erit norma feriandi tantùm illum diem excluſis omnibus reliquis feſtis, quæ Deus tamen poſteà etiam mandavit, uti ſunt Paſcha, Encœnia, Neomenia. Sicuti igitur pluralitas feſtorum à populo Dei oculiſſimo celebratorum non præjudicat unitati diei ſeptimæ à Deo inſtitutæ, ita nec unitas Uxoris Adamiticæ pluralitati uxorum, non à Diabolo ſed à Deo ipſo ſanctiſſimis Patriarchis Abrahamo, Jacobo, Davidi adductarum ullum præjudicium afferre poteſt.

THESIS XXII.

TAndem quod hic modus ſit optimus ſeu legitimus & legalis ſeu Scripturæ Sacræ, quæ ſuprema lex eſt, non contrarius, hoc pacto evincitur:

Quicunque modus ſe multiplicandi neque per claram generalem legem in Decalogo propoſitam, neque per ſpecialem generalis legis explicationem in libris Moſis, Prophetis, Pſalmis & Apoſtolis expreſſam, neque in exemplis eorum, qui illo modo uſi ſunt, eſt prohibitus, & neque verbis neque pœnis coërcitus, ille non eſt contrarius Scripturæ Sacræ.

Atqui Polygamia eſt talis modus ſe multiplicandi qui neque per claram generalem legem in Decalogo propoſitam, neque per ſpecialem illius Generalis legis explicationem in libris Moſis, Prophetis, Pſalmis & Apoſtolis expreſſam eſt prohibitus, & neque verbis neque pœnis coërcitus:

E. Non eſt contrarius Scripturæ ſacræ.

Quicunque modus multiplicandi Victor ille Epimenidæus p. 120. & *Autor Polygynias p.* 116. impingunt Theophilo quod deſideret clarè & expreſſiſſimis verbis ex ſcriptura afferendam eſſe prohibitionem Polygamias hoc pacto: *non aſſumes plures uxores, aut non habebis niſi unam*, cùm tamen hæc ipſius mens nunquam fuerit, ſed hæc eſt ejus ſententia, quod neque in terminis terminantibus ſeu κατα ῥητὸν neque κατὰ διάνοιαν, quæ omnino admittenda. *Gloſſ. Phil. Sacr. p.* 286. *Danh. Herm.* 164. neque generaliter, neque ſpecialiter, neque per legem, neque in exemplis taxetur Polygamia; Falſiſſimum enim eſt, quod quicunque niſi per diſpenſationem (hoc fingitur, non poteſt probari, ut infra videbitur,) legis Protoplaſtis datæ, ultra unam uxorem habeat, mœchetur, nec poteſt hoc probari ex adductis locis *Matth.* 19. 1. *Cor.* 7. *Eph.* 5. *Lev.* 18. *Mal.* 2. *Prov.* 5. ut ſuo loco docebimus. Idem urget alius Anti-Polygamus, Autor ſcil. colloquii perverſi *q.* 36. dicens, quod Jura & eorum Interpretes Juriſconſulti aſſe-

aſſerant, *leges de omnibus & ſingulis non ſcribere, l.* 12. *& ſeq. ff. de Leg.* ſed ſufficere, ſi ex mente legislatoris colligatur, licitumne ſit nec ne. *l.* 6. §. 1. *ff. de V. S.* Putat verò ex eo, quod adulterium in 6. & 10. expreſſè ſit prohibitum, conſequi Polygamiam etiam eſſe prohibitam. (ita Patriarchæ & populus Judaicus in perpetuo vixiſſent adulterio: quod quam abſurdum nemo non videt) Adeo ut non neceſſaria fuiſſet ejus peculiaris denominatio, quam Spiritum S. prudenter omiſiſſe cenſet, ne non tàm prohibere, quàm admonere videretur, ſicuti *Cic. pro Roſc. Am. de Solone* infit; quod propterea in legibus nullam parricidii mentionem fecerit, & putat *Petr. Mat.* famoſus Hiſtoricus, quod propterea duella etiam non ſint interdicenda dans *l'hiſtoire de Henri IV. tom.* 1. *l.* 1. *narr.* 1. *art.* 4. *je crois, que la permiſſion quoyqu' injuſte, eſt plus utile que la defence. La permiſſion emouſſe aiguillon qui ſe acerre par la defence.* Præterea dicit, Patres V. T. ſi legem naturæ & primæ inſtitutionis non rectè intellexerunt, & dubitarunt, tanquam ſubditos obligatos fuiſſe interrogare vel Deum, cum quo multi familiariter locuti, vel ipſius Prophetas, *l.* 9. *l. ult.* §. 1. *C. de Leg. L. ult. C. de prec. Imper. affer.* ſicut in N. T. Judæi recurrebant ad Chriſtum *Matth.* 19. 3. *c.* 22. 24. *Marc.* 10. 2. *Luc.* 10. 39. *Joh.* 8. 5. Sed quis neſcit, Judæos non conſilii petendi, ſed tentationis ergò ad Chriſtum veniſſe. Et Patres certò ſciverunt, ſe rectè intelligere legem naturæ & primæ inſtitutionis, aliàs interrogaſſent Deum vel prophetas, ſed Deus ſi vidiſſet eos in errore verſari, obligatus fuiſſet, ceu legislator vi caritatis & juſtitiæ ſuæ illis hunc errorem eximere, nec per prophetas ſuos legis Monogamicæ, ſi quæ fuit, explicationem omittere: ſiquidem tum temporis uſitata & recepta erat in populo Judaico, nec tàm inaudita, quàm tempore Solonis Parricidium, adeoque neceſſaria fuiſſet peculiaris Polygamiæ ſpecificatio, nec propterea fuiſſent admoniti Judæi, aliàs Polygamiæ ſatis aſſueti. Prophetæ verò nuſpiam neque κατ' ῥητὸν neque κατ' διάνοιαν Polygamiam taxarunt, & ſub adulterio comprehendi oſtenderunt, ſicut cum Polyandriâ fecerunt.

THESIS XXIII.

MInor probatur, quia neque in vj. neque in x. præcepto Decalogus Polygamiam prohibet, quod patet, quia Patriarchæ, Reges, Prophetæ & Apoſtoli non ita illa præcepta intellexerunt, nec ita explicarunt mentem legislatoris, ſed factis potius atque exemplis, exemplorumque approbatione, intermiſſa reprehenſione Polygamiæ legalitatem oſtendunt. Tenetur vero Deus ceu ſummus Legislator vi juſtitiæ & bonitatis ſuæ videns ſubditos non recte intelligere legem à ſe propoſitam, vel ipſe vel per alios ſubdelegatos ita clare enucleare & explicare legem, ne ſubditi ſe ignorantia excuſent, & reiterando cauſam lapſus in legislatorem conjiciant.

Neque 6. neque 10. præcepto ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία inquit Johannes, & quicquid eſt peccatum morale in 5. & N. T. illud directè & contra Decalogum. Jam verò in Decalogo nulla alia præcepta inveniuntur, contra quæ poſſit eſſe, niſi ſextum & decimum. In his autem multinubentiam fœminarum ſeu Polygamiam muliebrem prohiberi & ſub adulterio taxari ſcriptura hinc & inde docet. Polygamiam verò virilem etiam ſi-

ſimul in his præceptis interdici nuſpiam legimus. Fruſtra igitur, cum hîc non prohibeatur, fingitur aliqua diſpenſatio Dei contra ſextum præceptum, cum Decalogus ſeu *lex naturæ*, ut ſupra deduximus, *eſt immutabilis & indiſpenſabilis.* Pontifex Romanus quidem, qui ſe omnibus divinis præceptis opponit, & ſupra Deum ſe collocat, contra ſextum præceptum diſpenſare non veretur. *Sigfr. Saccus Concionator Cathedralis Magdeburg. Poſtill. de poſſ. C. p.* 75. meminit indulgentiarum Pontificiarum quas ipſe vidit: *Vidi tales literas apud ſacrificulum, qui antè aliquot annos hic mortuus, quas Româ attulit, in quibus contra ſextum præceptum diſpenſatum, & permiſſum, quod in impuritate & ſcortationibus vivere poſſit quando & quoties velit.* Hic ſcortatio diſpenſante Papâ non eſt peccatum, uti hoc expreſſe additum fuit, non eſſe peccatum laſciviam *ſi illas literas Indulgentiarum ſecum portet.* Et nemo hoc miretur; Papa habet poteſtatem diſpenſandi contra omnia Dei præcepta (atque ſic etiam contra ſextum,) contra ſymbolum, contra quatuor Euangeliſtas. Uti in *Auguſtino de Anconâ* hoc defenditur, quod omnia, quæ Papa dicit, ſimpliciter & ſine conditione pro juſto ſit habendum, etſi contrarietur ſcripturæ & ſiquis 12. aureos nummos in Cameram pœnitentiariam deponat, habere licentiam peccandi in futurum. Majorem autem *efficaciam tribuunt Indulgentiis in pergameno ſcriptis, & plumbeâ bullâ obſignatis,* quas *Jo. Tezelius* vendidit pro pecuniâ cum tantâ efficaciâ, ut ſi vel maximè (ſit venia dicto blaſphemo) quis *matrem Dei devirginarit*, illæ valeant, uti *Luth.* 75. 9. *contra Indulg.* meminit & hoc dogma ceu furioſum & inſanum habuit. Quod tamen *Jo. Tezelius* in ſuis poſitionibus oppoſitis quas *Conr. Wimpina* compoſuiſſe dicitur (*Luth. t.* 1. *Jen. p.* 14.) defendere ſatagit e. 99. & 100. dicens: *ſi peccatum in filium hominis, qui major Maria eſt, remitti poteſt, etiam peccatum in Mariam remittetur.* Ubi aſſerit contrarium ſtatuentem eſſe furioſum, erroneum, ſtultum, inſanum. Et 101. *ſi quis, quod tamen impoſſibile, Mariam ſemper virginem devirginaret, poſſe per indulgentias abſolvi.* Scilicet peccata 6. præcepti nihili ferè æſtimant, & levidenſi pœnitentia dimittunt. Jam *libro Genealogico Mariæ* 18. *April. p.* 483. legitur quod inceſtuoſa pariter ac infanticida à Diabolo accuſata fuerit, & cum non multum temporis reliquum haberet, quo comparendum erat coram judice, ſolâ impoſitione orandi unum *Pater N.* fuerit abſoluta. Spiritales, qui tantopere non peccant, unico *Ave Maria* poſſunt abſolvi. Quandoque tamen pœnæ illæ Eccleſiaſticæ ſolent augeri. Ita narratur quidam cum ſorore rem habuiſſe, & à fratre deprehenſum veritum fore, ut à fratre proderetur, ideo & fratrem & demum etiam Patrem occidiſſe. Cum verò hoc confiteretur, non uno *P. N.* aut *A. M.* ſed multis precibus coram Mariæ altari deponendis abſolutum. *Gen. Mar. p.* 2. 14. *Dec. p.* 791. 792. Ita legitur quidam famulus ad adulterium cum Domini ſui uxore incitatus à Confeſſario ita abſolutus eſſe, ut integro anno ſingulis diebus 500 *Ave Maria* contra hanc tentationem oraret. Quod per annum facit 182500 *Geneal. Mar. p.* 1. 24. *Apr. p.* 507. quod largè recompenſatum, ſiquidem ultimo die Maria ipſi apparuit dicens: *ego recompenſabo tibi tot A. M. deſideras me conjugem.* Cum verò ſe indignum tanto conjugio judicaret, *Maria* oſculatur eum dicens, *ero tua conjux*; & curat, ut aſcenderet equum & evaneſceret. Sic *Catharina de Senis* dicitur ob leviculum peccatum, aſpectum ſcilicet juvenis, à Maria & D. Paulo duriter increpata, ut effuſè fleverit dicens, ſe libentius coram toto mundo confundi velle, quàm adhuc ſemel ita increpari. *Gen. Mar. p.* 1. 30. *Apr. p.* 534. Mitigantur etiam ſæpe pœnæ plerumque cum clericis ſunt imponendæ, circa quos olim fuere rigoroſæ. *Can. Apoſtolicus; ſacerdos ſi fornicatus fuerit, ſuſpendatur. & in J. C. diſt.* 82. *c. Presbyter. Si fornicationem fecerit:* ſed hic rigor temperatus juxta autoritatem Sylveſtr.; ſi ſcilicet in vitio perſeveraverit. Nihilominus decennalis pœna rigoroſa impoſita, ſed hodiè ſuſpenſio & pœna illa eſt abrogata. Quia hodiè fragiliora ſunt corpora noſtra, quàm olim erant, ut *Gloſſa in C. diſt.* 82. quod Epiſcopi & confeſſionarii benè ſciunt, & ſat pœnarum eſſe cenſent, quod cum concubinis rem habentes nec miſſam, nec Euangelium & Epiſtolam legere poſ-

poſſint. Quod ſi ruſtici ſcirent, non audirent, ut *J. C. diſt.* 32. *c. nullus* utut *Gloſſa in l. diſt.* non approbet, quòd concubinarii ideò cavendi, dicens: *hunc canonem fuiſſe quandoque latæ ſententiæ, ſed hodiè non eſſe*, fortean, quòd hodiè etiam fragiliora corpora; ſed olim rigoroſe in concubinarios animadverſum eſt, *diſt.* 82. *c. Eos qui poſt.* Quod in æternam ſervitutem ſint conjiciendi, ſed hodiè ad ſex ſeptimanas relegati recipiuntur in gremium. Ita etiam olim rigoroſi erant in ſpurios ejuſmodi *d.* 82. *c. Propoſuiſti.* Quia generati filii parentes ſuos (ſive diaconos, ſive presbyteros) incontinentes eſſe vel fuiſſe produnt, unde in Gloſſâ talis definitio ſpuriorum invenitur, quod ſit *argumentum ambulans de incontinentiâ Patris. Gloſs. diſt.* 82. ſed hodiè non adeò vilipenduntur. Vidi enim ipſe breviarium, ubi ſacrificulus inſcripſerat hæc verba: *Nativitas omnium meorum A.* 1590. *Jacobus natus.* 1592. *Thomas natus. A.* 1595. *Johannes. A.* 1598. *Anna. A.* 1608. *obiit mater filiorum* 3. *Jan.* Ex quibus omnibus ſatis ſuperque videmus Pontificem Romanum ſuis diſpenſationibus, indulgentiis, pœnarum mitigationibus & elevationibus ea omnia quæ Deus præcepit, evertere, & quæ interdixit, in ſolium collocare. Nec mirum hoc eſt, cum ejus baſiatores ei hanc poteſtatem tribuant. *Andrad. l.* 2. *Defenſ. Syn. Trident.* laudat Thomam, quòd dixerit, *Pontificiæ poteſtatis eſſe ſymbolum ordinare & augere*, quæ poteſtas etiam tribuitur Papæ *Seſs. ult. Synodi Florentinæ.* Quid quod prætendunt, Eccleſiam ſeu Papam *poſſe refingere Dei legem, & ea quæ à Chriſto ſunt inſtituta immutare.* Eſſe enim Eccleſiæ, id eſt Papæ judicare, quæ Dei præcepta ſint diſpenſabilia & mutabilia. Neque Eccleſiam Inſtitutioni Chriſti aſtringi, ſi quid judicaverit eſſe accommodatius ad uſum populi Romani & ad pietatis incrementum. Hac poteſtate uſa eſt Eccleſia R. in arcendo populum à participatione calicis, fatente Cardinali *Perronio* adverſus Regem Angliæ *l. ult. c. de Commun. ſub utraque ſpecie.* Et *l.* 2. *c.* 3. *p.* 674. prolixè probare conatur, Eccleſiam, id eſt Papam habere poteſtatem mutandi ea, quæ jubentur in ſcripturâ ſacra. Hac poteſtate etiam utitur Papa, quotieſcunque reſcindit vota Deo nuncupata, & ſolvit vincula, juramenta, permittens perjuria; & quando liberos, etiam impuberes liberat à poteſtate parentum & ſubditos à ſubjectione juratâ Regibus & Principibus. Eadem poteſtate uſa eſt Synodus Tridentina *Seſſ.* 5. ubi pronuntiat, Paulum nec verè nec propriè locutum eſſe, quando concupiſcentiam lege vetitam peccatum appellavit. Decretales Paparum & Gloſſæ Canonum perſperſæ ſunt his ſententiis quaſi gemmis interlucentibus. *Gloſſ. Can. Lect. diſt.* 31. *Papa diſpenſat contra Apoſtolum.* Item *Et ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure ſupra jus poſſumus diſpenſare, de Conceſſ. prælim. tit.* 8. *c. Propoſuit.* Quem in locum gloſſa annotat; *Papa diſpenſat contra Apoſtolum.* it. *Contra Vetus Teſtamentum.* It. *in votis & Juramentis.* Et gloſſa *Canonis: Sunt quidam. Cauſ.* 25. *q.* 1. *Papa diſpenſat in Euangelium, interpretando ipſum.* Nam (ſi fides *Toleto Inſtit.* 1. *c.* 68.) non omnia, quæ Apoſtoli inſtituerunt, jure divino ſunt inſtituta. Quare *Eſthius Comment. in Tim. l.* 2. & *Baron. Annal. A.* 58. §. 17. *docent Apoſtoli præceptum, quo vult, Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, non eſſe legem perpetuam, ſed id datum neceſſitati illorum temporum, quibus perpauci cœlibes inveniebantur ad Epiſcopatum idonei.* Unde *Bellarminus l.* 4. *de Rom. Pontif. c.* 5. tàm blaſphemus ut dicat: *Si Papa erraret præcipiendo vitia & prohibendo virtutes teneretur Eccleſia credere, vitia eſſe bona & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.* Et *contra Barclaj. c.* 31. *In bono ſenſu dedit Chriſtus Petro* (& proinde etiam Papæ) *poteſtatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.* Et *Andrad.* dicit *Defenſ. Concil. Trident. l.* 2. *liquet, minimè eos erraſſe, qui dicunt, R. P. poſſe non nunquam in legibus diſpenſare à Paulo & 4. primis Conciliis.* Unde clariſſimè apparet, Papam arrogare ſibi poteſtatem diſpenſandi in lege Dei, id eſt, gratiam faciendi obſequii, & liberandi à neceſſitate parendi Deo. Diſpenſat enim, uti dixi, in juramentis & votis & in gradibus conſanguinitatis, ſolvit matrimonia ritè ſociata, liberat filios à ſubjectione parentum, & ſubditos

à fide Regibus juratâ, quæ omnia è diametro verbo Dei adverſantur. Et hæc eſt nota Antichriſti, qui ſe evehit adverſus Deum. 2 *Theſſ.* 2. 4. Oportet autem ſit major Deo, qui poteſt homines ab obedientiâ Deo debitâ liberare. Deus ipſe uti immutabilis in eſſentia, ita & in voluntate, nihil mutat in ſuâ lege, aut diſpenſat circa Decalogum aut legem naturæ in Decalogo comprehenſam, tanquam immutabilem aut indiſpenſabilem. Videtur quidem aliquando lex naturæ aut moralis mutari, quando ſcil. res aut materia, de quâ lex quid conſtituit, mutationem recipit, & extrahitur quaſi è numero eorum, quæ lex comprehendebat; ſed videtur tantùm, quia ſine ullâ legis naturæ verâ mutatione lumine rationis dictante id eodem jure naturæ juſtum eſt, quod alias regulariter non attentâ illâ circumſtantiâ injuſtum eſſet. E. g. Lex jubet ſolvere quod debeo. At quando creditor acceptum fert, quod debeo, ego quidem non ſolvi, nec tamen obligor amplius ad ſolvendum, non quia lex mutata eſt, ſed quia id, quod debebam, deſiit deberi. Quia igitur jura naturalia & moralia Decalogica ſunt immutabilia rectè concludit *Franc. à Victoria relect.* 4. *n.* 1. Papam non poſſe mutare, diſpenſare aut abrogare decreta & canones Conciliorum, qui neceſſariam & manifeſtam habent connexionem ad legem divinam ſeu naturalem pertinentem ad bonos mores. Quo etiam ſpectat, quod ſcribit *Martinus ab Azpilcueta Navarr. tom.* 3. *miſc.* 64. quod Papæ diſpenſatio ex ſuâ ſolâ voluntate ſine aliquâ juſtâ causâ procedens excuſet quidem à malitiâ transgreſſionis canonis, ſed non ab aliâ fractionis legis naturalis vel divinæ. Audacior adhuc *Greg. Sayrus in clav. Reg. l.* 6. *c.* 12. *n.* 26. peccare dicit Papam, qui diſpenſat ſine causâ, nec tutum eſſe taliter diſpenſatum in conſcientiâ.

THESIS XXIV.

SIcuti vero in x. præcepto Polygamiam ſimultaneam muliebrem perſpicue prohibuit, ita etiam Polygamiam ſimultaneam virilem potuiſſet prohibere, ſi peccatum eſſet. Quod vero in x. præcepto nullatenus ne quidem virtualiter prohibeatur, ſole meridiano clarius apparet. Ibi enim concupiſcentia rei alienæ tanquam alienæ, ſive quatenus alium Dominum habet, prohibetur, ita ut fundamentum illius legis ſit illud dictum Salvatoris: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Nunc vero maritus eſt Dominus Gen. 3. reſpectu uxoris, non vero uxor reſpectu mariti. Habet quidem uxor aliquod jus in corpus mariti reſpectu debiti conjugalis, ſicut ſervus reſpectu ſalarii ſervilis, illud tamen nec eſt, nec dici debet dominium, ſed obligatio conjugalis, ſive ut Apoſtolus loquitur, εὔνοια γαμική.

1. *Sicuti verò in decimo præcepto* Rabbini hoc præceptum ita explicant, *Ne cogitationibus quidem locum dandum ſtudio accipiendi, quod alterius eſt ex fratribus noſtris;* & rationem præcepti ita ſuppeditant, quod cogitatio illa mala cauſa exiſtat, multarum offenſionum. Poſtquam enim homo cogitatione ſuâ deſtinavit auferre ipſi aliquid, irritante deſiderio illo nil penſi habet. Si renuerit proximus, cogit, ſi eſt potens, aut occidit, uti videmus in Uriâ, qui propter uxorem interficitur, & Naboth, qui propter vi-

vineam, quam Rex deſideravit, occiſus. Plura præſertim media contra pravam cupiditatem vid. hinc & inde in *Gemarâ & Medraſchot.* ubi peccatorem dicunt eſſe inſtar transgreſſoris mandati Regis bene dicti, cui multi ſunt miniſtri ad ſumendam de eo vindictam. *Maimon. Hil. Gezel. c.* 11. Ea propter eò laborandum ne malis iſtis cogitationibus aures vacuas præbeamus, aut patulam aperiamus feneſtram. *Qui enim hoc agunt, perinde faciunt, atque ii,* ſcribit *Oſiand in Jac. l.* 15. *qui hoſtem in arcem intromittunt, & tum demum eum profligare volunt. Hoc admodum difficulter fit, & varò obtinetur. Itaque quantò citius prava deſideria oppreſſerimus, tantò facilius vicerimus.* Cogitationes verò malæ iſtæ conſiderandæ ſunt, in quantum primùm ſunt ſubitæ. Scholaſtici vocant *Propaſſiones ſeu Ante-paſſiones*, qui ſunt ſubiti animi motus, & affectus non moroſi, germaniſſimi corruptionis noſtræ originalis fructus, tametſi, quia ſuut leviſſimæ, & nobis non percipientibus prætérfluunt, non adeò gravia vel grandia cenſeri debent peccata *Alſted. in Theol. Caſ. p.* 459. Et hos etiam *Bellarminus* ceu fructus & effectus peccati Originalis agnoſcit. *l.* 6. *de Stat. Pecc. c.* 9. Quod multa inania, levia, inepta volvimus animo, vel inviti etiam alieniſſimo tempore; Deplorant hanc miſeriam Sancti Patres paſſim, atque inter cœteros S. Hieronymus: *Nunc celerrimè in oratione meâ aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero.* Et S. Auguſtinus: *Cum in hujusmodi rebus ſit conceptaculum cor noſtrum, & portet copioſæ vanitatis catervas, hinc & orationes noſtræ ſæpè interrumpuntur, atque turbantur, & ante conſpectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, neſcio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta procedit.* vid. *Chemn. p.* 2. *L. C. p.* 630. *Gerb. tr. de pecc. act.* §. 34. Deinde hæ cogitationes malæ conſiderandæ in quantum ſunt *permanentes* aliquantum & moroſæ. De quibus S. Ambroſius: *Non in poteſtate noſtrâ eſt cor noſtrum, & cogitationes noſtræ, quia improviſo offuſæ mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu propoſueris. Ad ſecularia revocant, mundana inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſoque in tempore, quo elevare mentem paramus inſertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque dejicimur. Quis autem tàm beatus, qui in corde ſuo ſemper aſcendat? ſed hoc ſine divino auxilio fieri qui poteſt? Nullo projectò modo.* Cent. Magdeb. 4. p. 1158. Greg. l. 3. Moral. *Magno ſtudio ſuperfluæ cogitationes amputandæ ſunt, ſed tamen amputari funditus nequaquam poſſunt.* Semper enim caro ſuperfluè generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſollicitudinis reſcindit. *Tertio* iſtæ malæ cogitationes conſiderandæ ſunt, quando non percipiuntur tantùm à nobis, ſed etiam nos quodammodo titillant & delectant, quanquam illis tamen non aſſentiamur, imò procul etiam à nobis repellamus. De quâ re egregiè Ambroſius l. 1. de vocatione Gent. c. 2. *Ita humana,* inquit, *natura in prima hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei ſemper in deteriorem proclivior eſt voluntatem, cui committi non eſt aliud quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad efficiundum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cœca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum avidior, famæ quàm conſtantiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his, quæ concupiverit, quàm carendo, nihil in ſuis habet viribus, quàm periculi facilitatem.* Quartò cogitationes etiam conſiderandæ ſunt cum non tantum iis titillamur, & delectamur, ſed etiam quaſi vincimur, adeò ut illis planè aſſentiamur. Et tales impuræ cogitationes de rebus turpibus animum inquinant, præſertim ſi alienam uxorem concernunt, & carnem aliàs labilem ad peccandum irritant. Ubi notandum, quod *Meffret* 1. *p.* 8. *ex vitis Patrum* adducit, *Frater quidam à ſpiritu fornicationis tentatus dixit Seni: Pater occidit me ſordida cogitatio: Dixit ei Senex: Mulier, quando ablactare vult filium ſuum, amarum aliquid ſuperungit uberibus ſuis, ut eum venerit infans ex conſuetudine ſugere lac ſentiens amaritudinem reſugiat. Sic tu pone in anima tua amaram cogitationem mortis & tormento-*

rum, quæ in ſeculo futuro peccatoribus præparantur, ut cum Diabolus venit ſuggerendo lubricas cogitationes, aliquid amarum ſentiat, & ſic fugiat, unde libereris.

2. *Nemo poteſt duobus Dominis* Quidam imperitus ſacerdos, minorum gentium Anti-Polygamus ex hoc l. polygamiam vult infringere, forſitan ipſe γυναικοκρατούμενος ſuæ dominæ contra verbum Dei expreſſum. *Gen.* 3. quod alios docere, (ſed *turpe eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum*) & exemplo domi monſtrare deberet, ſervit ſub mancipatu deterrimo & abominandiſſimo in ſcripturis pœnæ loco gentibus à Deo inflicto & aſſignato. Quò verò iſte Anti-Polygamulus, qui uxori ultrò ſceptra concedit, ſciat, quod dominatus non uxori in virum, ſed viro id uxorem competat, audiat, ſi ſcripturæ credere non vult, aut illam non rectè intelligit, B. Lutheri Epiſtolam, quæ quia hîc utramque paginam implet, integra hîc apponetur. Legitur autem illa *Tom.* 4. *Jen. Germ. fol.* 355. ubi ad Amicum quendam ita ſcribit: **Gnade und Fried in Chriſto/ ſambt gebührlicher gewalt über einer Weib. Es iſt mein lieber Herr N. Eure gnädige Frau noch nicht zu mir kommen/ über welchem gehorſam gegen euch noch nicht wohl zu frieden bin/ zu dem bin ich über euch nun welch etwas unwillig/ daß ihr derhalb/ da ihr ſo viel muths nicht hatt/ eben durch Chriſtliche plicht/ damit ihr euren Weibe zu dienen ſchuldig ſeyd/ ſie zur Tyrannin gemacht/ und bisher darin geſterckt/ das es nunmehr das anſehen hatt/ als ob euer ſchuld ſey/ daß ſie ſo thumkühne wieder euch alles wagen und führnehmen darf. Warlich/ da ihr merckt/ daß der Eſel von Fuer wolt geil werden/ das iſt/ da euer Weib durch euer einräumen und nachhängen anfieng trotzig zu werden/ ſolt** ihr bedacht haben/ das (ihr Gott mehr ſchuldig werck zu gehorchen denn ihr) das iſt/ daß ihr des Mannes herrſchafft/ die Gottes ehre iſt/ wie S. Paulus ſagt/ 1 Cor. 11. 7. von ihr nicht hättet laſſen veracht/ und mit Füſſen getreten werden/ denn es iſt genug/ daß dieſelbe Herrſchafft/ die Gottes Ehre iſt/ ſo fern ſich euſſere/ das ſie Knechts geſtalt an ſich nehme/ das ſie aber ſolte gar aufgehaben/ außgetilget und zu nichte werden/ das wehre zu viel. Geht derhalben zu/ daß ihr (Gottes befehl nach) ein Mann ſey/ und eures Weibes ſchwachheit ſo traget/ das ihr ihre bosheit nicht ſtärckt/ und wo ihr euch in ſchuldigen dienſt gegen ihr zu tieff herunter lieſſet/ Gottes ehre die in euch iſt/ nicht verunehret/ anderen zum ärgerlichen ſchädlichen Exempel. Ob es aber ſchwachheit oder boßheit ſey/ iſt leichtlich zu unterſcheiden. Die ſchwachheit trägt Mann/ der boßheit ſteuret und wehret Mann ſchwachheit läſt ihr ſagen/ und ſich gerne unterweiſen/ und folget zum wenigſten in 12. ſtunden einmahl/ boßheit aber hatt eine halſtarrigkeit in ſich/ zu wiederſtrebet und nicht nach zu laſſen/ ſondern darinn zu verharrn und fort zu fahren/ wenn ſie aber mercken wird/ daß ihr ihre boßheit vor eine ſchwachheit haltet/ was iſt denn wunder/ wenn ſie gar raſend würde. So thut ihr denn durch euer eigen ſchuld dem Satan Thür und Fenſter auff/ das er euch in den armen ſchwachen gefäs (euren Wei-

Weibe) nach aller ſeiner luſt un gefallen verſpatte erbittere / auf alle wege und weiſe plage und martere. Ihr ſey ein weiſer verſtändiger Mann / werdet euch hierin wohl wiſſen zu halten / auch wird der Herr gnad geben / das ihr vernehmet / was ich rede / und merckt / daß ich von hertzen gern beyde euch und ihr rathen wolt / und dem Teufel wehren; Gehabt euch wohl in Chriſto. *Hactenus Lutherus.* Quem quia non omnes nationes in Germanicâ linguâ intelligunt, placet propter exteros Latinis exprimere verbis, quamvis non ſciam, an nervus phraſium ita exactè poſſit traduci, cum quælibet lingua habeat ſuos idiotiſmos. Sed quid tentare nocet. Ita autem fortean in Latio verba poſſent proponi: *Gratiam & pacem in Chriſto nec non dominium congruum in Tuam uxorem. Nondum*, Amice integerrime, *gratioſiſſima tua uxor ad me venit, quam erga te inobedientiam ægerrimè fero animo. Prætereà etiam nunc aliquo modo tibi iraſcor, quòd ea propter, cum tantum animi non geras, per Chriſtianum debitum, quo uxori obligaris, ad tyrannidem perduxeris, inque ea confortaveris, ut nunc ipſe in culpa eſſe videaris, quòd tàm audacter ergà Te omnia tentet. Certè cum ſentires, uxorem Tuam per conniventiam & indulgentiam Tuam præpoſteram criſtas erigere, ad animum tibi revocandum fuiſſet, quòd* Deo magis ſit obediendum, quàm uxori. *Hoc eſt, quòd Viri dominium, qui honor Dei juxta Paulum* 1. *Cor.* 11. 7. *ab ipſa contemni & pedibus conculcari non debuiſſes permittere. Satis eſt, quòd illud dominium, qui honor Dei eſt, tantopere ſe ſubmittat, ut ſervilem quaſi formam induat, illud verò omnem excederet modum, ſi in totum tollatur, eradicetur atque annihiletur. Vide ergò ut juxta Dei mandatum Vir ſis, uxoris & infirmitates ita portes, ne in malitia ipſam confirmes, & ſi nimis te ipſi inſerviendo ſubmittas, honorem Dei, qui in Te eſt, dehoneſtes, aliisque ſcandaloſiſſimum & damnoſiſſimum exemplum præbeas. An verò infirmitas ſit vel malitia, facilè potes ſubodorari. Infirmitas tolerari poteſt, ſed malitia debet ſufflaminari. Infirmitas correctioni & informationi apta eſt, libenterque benè monentem ſequitur. Malitia verò pertinax eſt, obnititur ſummis viribus; & in malo propoſito perſeverat. Si igitur animadvertit, quod ipſius malitiam pro infirmitate habeas, mirum non erit, ſi præ furore inſaniat. Quamobrem Tua propria culpa Diabolo patulam aperis feneſtram, ut Te per vas illud debile* (uxorem puta) *ad beneplacitum ſuum irrideat, irritet & omnibus modis excruceti. Cæterum cum ſis ſumma intelligentia & prudentia præditus, benè Te hac in re geres, Deusque ſuam gratiam Tibi concedet, ut intelligas, quæ loquor, & ſentias, me nihil magis in votis habere, quàm ut Tibi uxorique conſuli, Diabolusque inhiberi poſſit. Benè vale in Domino.* Huc uſque Lutherus. Ex quo apparet, quàm indecorum, imò voluntati Dei ejusque ordinationi è diametro oppoſitum, ſi maritus vel ex amore nimio, vel alias ob cauſas ita ſe mancipet uxori ſuæ, ut ab ipſa regatur, & in omnibus ad nutum ipſius vivat, veluti mancipium, correctiones non tantum ac exveſperationes, ut barbarè loquar, ſed & caſtigationes reales ſuſtinens, adeo ut nil regerere aut aliquid ordinare aut imperare audeat, ſed ſileat, & uxori dominium, gubernationem atque omnia pro lubitu exercenda permittat, uti Achab fecit 1 *Reg.* 19. ubi vid. *Oſiand.* Hoc non tantum inhoneſtum & coram mundo probroſum, ſed & in oculis Dei abominatio, ut pote qui maritum *Dominum* conſtituit uxoris *Gen.* 3. 16. *Eph.* 5 22. 1. *Tim.* 11. 12. eaque propter, uti ejusmodi imperioſa mulier contra ordinationem divinam peccat, & conſcientiam onerat, ita ejuſmodi Vir uxorius & γυναικοκρατȣ́μενος ob ſui dominii maritalis à Deo ipſo conceſſi deſertionem, & ut ita dicam, translationem, in conſcientiâ ſuâ coram Deo culpabilis, & nullo modo excuſabilis. Vid. *M. J. Ellingeri Diabolum Veſtiarium. c.* 5. 6. 7. prolixè. *Menger. Scrut. Conſc. p.* 809. conf. & *Seld. J. N.* & *Gent.* 5. c. 1. *p.* 693.

THE-

THESIS. XXV.

IN ſexto præcepto prohibetur adulterium,quod juxta Bocerum de adult. eſt crimen publicum, quo per concubitum viri cum aliena uxore torus conjugalis violatur. Jam vero in Polygamia uxores illæ plures non ſunt alienæ, ſed illi marito propriæ, cujus torus violatur, cum quis cum ejus uxoribus rem habet, non vero cum ille cum aliis ſolutis rem habet. Mulier enim non habet torum, adeoque ejus torus non poteſt dici violari, niſi reſpectu mariti, de cujus toro quodammodo participat.

1. *In ſexto præcepto* Hoc prohibet congredi cum alterius uxore. *Ex.* 20. 14. *non mœchaberis* aut ſimpliciter, *non ſcortaberis.* R. Levi נאף ita explicat: vox hæc abſolutè & ſimpliciter notat congreſſum cum uxore viri alterius, quemadmodum Rabbini dicunt: Non dicitur ניאוף niſi de uxore viri. Ratio verò hujus præcepti eſt, juxta Rabbinos, *ut incolatur mundus ad voluntatem Dei. Voluit autem Deus benedictus, ut omnes creaturæ mundi ſui fructus proferant ſecundum ſpeciem ſuam, neque ſpecies cum ſpecie commiſceantur. Idem etiam obtinere voluit in ſemine humano, ut conſtet cujus quodvis ſit, neque hoc cum illo confundatur. Inſuper plures reperiuntur corruptiones in adulterio, quæ cauſæ exiſtunt violationum plurium mandatorum. Præcepit nobis Deus honorare parentes: At illi filiis non innoteſcunt. Eſt etiam offendiculum plurimis eorum, quæ juſſi ſumus. Sic prohibemur congredi cum ſororibus, & aliis uxoribus multis. At omnia adulterium tollit, quod non norint homines propinquas ſuas.* Præterea adulterium, ubi cum proximi uxore res habetur, eſt ſpecies rapinæ, multàque ex adulterio homicidia facile oriuntur, uti oſtendit *R. Levi*, qui etiam pœnam adulterii exprimit, quando inquit: *Et ibi in Sanhedrim explicatur adulterum* (id eſt maritum) *cum alterius conjuge congredientem utrumque ſuſpendi: virum cum virgine deſponſata rem habentem lapidibus utrumque obrui. Quod ſi filia fuerit ſacerdotis, illa comburitur, huic verò gula frangitur. Interdictum autem adulterii ex præceptis eſt, quæ omnes homines concernunt, ſive Iſraelitæ fuerint ſive Gentiles.* vid. *Sanhedr. & Gemar.* conf. & *Maimon. Hil. Iſur biah. c.* 3.

2. *Adulterium* Ipſe *Defenſor unius* non unicæ uxoris, putat tantùm (non eſt certus in ſuâ ſententia, ut Theophilus ſequens mandatum Pauli: *quilibet ſit certus in ſua ſententia*) ſub adulterii prohibitione directè prohiberi in ſexto præcepto etiam Polygamiam, & quia adulterium & ſcortatio juxta ipſum pertinent ad primum gradum juris Naturæ (ubi ſunt ea omnia quæ ſunt de primâ ejus tabulâ, uti τὸ dicere falſum teſtimonium, adulterium committere, ſcortari, quæ Deus nec velle nec præcipere, nec ſuadere unquam potuit aut voluit) pertinebit etiam eò juxta illum Polygamia. At ſi has obſervationes ἄνευ πάθων perlegat, non amplius putabit, ſed certus erit, hanc meam Sententiam eſſe veriſſimam, (quod ſcil. Polygamia nec adulterium ſit, nec ad illud referri poſſit) illius verò opinionem eſſe dubiam & apparenter veram, (de quâ apparenti veritate *Iſaac Leichnerus Prof. Erfort. Celeberrimus pecul. tr.* ſicuti nullus dubito, quin perlectis his notis ſententiam ſit mutaturus, in mea caſtra deſcenſurus & Polygamiam ab omni iniquitate abſoluturus, nec amplius adulterium, multò minus adulterium continuatum vocaturus.

3. *Aliena uxore* Quia enim jure contractus matrimonialis illa uxor ita addicta eſt ſuo viro, ceu Domino, ut alterius non ſit, ne-

nemo poteſt ſibi illam alienam rem ſeu uxorem vindicare, ni velit incurrere in crimen non tantum adulterii ſed etiam rapinæ & furti; nec fides illa conjugalis in contractu interpoſita ab uxore violanda, ſed ita ſervanda, ut ſui corporis poteſtatem alicui præter maritum ſuperſtitem non permittat; qui quidem illud jus acquiſitionis dominii indultu Numinis omnium rerum & perſonarum ſupremi & univerſalis Domini poſſidet, ita ut maritus illam rem puta uxorem alienare non poſſit nec debeat, illa etiam in illam alienationem conſentire non valeat. Ex quo conſequitur quid de communione illa uxorum, ſive Platonica ſive Papiſtica cenſendum, uti *Clemens* 1 *Papa Romanus* dixit: *Amicorum omnia communia, in omnibus autem dubio procul etiam ſunt uxores. Clem.* 1. *Epiſt.* 5. *in Tom. Concil. Colon. à Petr. Grabb. Carolo V.* dedicatis, quod in *ſecunda editione Colon. & Veneta omiſſum.* Idem invenitur *Epiſt.* 3. *Decret. cauſ.* 12. *q.* 1. *c. dilect. Chryſoſt. in c.* 1. *Marc. hom.* 1. *p.* 6. Plato & Zeno communes omnibus faciunt conjuges, nudas ad palæſtram virgines ducunt. *Euſeb. de præp. Eu. l.* 13. *c.* 17. *Plat. Lex ponenda, ut mulieres omnibus viris communes*, ita *Nicolaus* (unde Nicolaitæ Apoc. 3. nomen ſortiti) ſtatuit uxores debere eſſe communes, in *Decret. c* 24. *Eraſm. in Hieron. T.* 1. *c.* 1. *f.* 7. Ita Illyrici dicuntur monachis uxores communicare ex ſingulari devotione *Sebaſt. Franck. p.* 90. Ita dubio procul longius proſpexit qui communionem ſanctorum & ſanctarum propoſuit, de quo *Marcell. Paling. ſacrif.* 118. canens:

Sed tua præcipuè non intret limina quiſquam
Frater vel Monachus, vel quavis lege ſacerdos.
Hos fuge, peſtis enim nulla hac immanior, hi ſunt
Luxuriæ atque gulæ autores.

Et *Jo. Kaiſersberger Conc. S. Annæ. domin.* 7. *Trin.* dicit: *Clancularios & occultè ſe inſinuantes Monachos fuge & procul arce. Nam loculos tuos excutere vel vitium uxori Tuæ inferre volunt, atque cogitant, alioqui nec aſpectu ſuo te dignaturi. Et ſi ædes tuas mundas habere volueris, à monachis, ſacrificulis & columbis tibi caveas.*

Thesis XXVI.

IN libris Moſis, Prophetis, Pſalmis etiam & Apoſtolis nullum jota extat contra Polygamiam, ſed potius ex omnibus locis, ubi de matrimonio eſt ſermo, argumenta pro Polygamia poſſent deduci, ſi opus eſſet. Quod enim hoſtes Polygamias opponunt, Deum unicam Evam Adamo adduxiſſe, nullam hac in parte ἀπόδειξιν præbet. Adamus enim cum videret, in examine illo rigoroſo quod Deus cum ipſo ad concreatam ipſi inſignem ſapientiam probandam & mediante animalium ὀνομαθεσίας explorandam inſtituerat, animantia omnia copulari cum ſui ſimilibus, de ſocia etiam cogitare cœpit, & à Deo deinde donatus Eva ex coſta creata fuit. Cum vero paulo poſt mediante Eva omnibus bonis animi, corporis & fortunæ fuerit ſpoliatus, dubio procul aliquod odium contra Evam hujus mali non minimam cauſam concepit, & nullam præterea ipſi Evæ ſimilem deſideravit, metuens ne plura mala incurreret. Invito vero non obtruditur beneficium. Eſſe vero mu-

lierem aliquod beneficium apparet ex ipſis verbis Dei dicentis: *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, ſeu abſque muliere. E. eſt bonum eſſe cum muliere.

1. *UnicamEvam.* Anti-Polygami quidam & in ſpecie *Defenſor unius. p.* 62. & *autor perverſi Colloquii p.* 6. dicunt in exordio mundi maximè fuiſſe neceſſarium, multas creare uxores, ut terra impleretur, Deumque ſi juſta fuiſſet Polygamia, dubio procul feciſſe. At enim eodem ferè pacto fuiſſet neceſſarium multos creâre Adamos & mares. Sed Deus dicit per prophetam; *meæ cogitationes non ſunt veſtræ, & meæ viæ* (imperveſtigabiles & imperſcrutabiles) *non ſunt veſtræ.* Sed quantum alitudine cœlum terram ſuperat, tantò etiam viæ meæ & cogitationes meæ ſunt altiores veſtris. Revelavit tamen Deus aliquo modo cauſam hujus creati binarii *Act.* 17. quia ſcil. voluit ab uno ſanguine totum humanum genus oriri, in cujus voluntatis rationem non amplius inquiremus, ſuo loco aliorum judicio relinquentes illorum ſententiam, qui dicunt, ideò factum, ut omnes ſint conſanguinei, proximi, fratres ab uno atavo editi; nec examinabimus an mulier etiam conferat aliquid ad generationem, an habeat ſemen conjungendum cum ſemine mariti, an habeat ova, an ex ovis ſimus prognati, de quo vid. *Rainerus de Grâve; Johannes de Horn.* & *Kirchringius de organis mulierum.*

2. *Invito non obtruditur beneficium.* Secundum Jus civile invitus non tantum dicitur is qui contradicit, ſed & ille qui conſenſiſſe non probatur. Etſi igitur Adamus Polygamiæ non apertè contradixerit, in plures tamen uxores, (uti in primam dicens: *hoc eſt os de oſſibus meis*) conſenſurus ſi Deus adduxiſſet, vix probatur melius informatus ac ille à *Matthæo de Crim.* laudatus, qui quatuor duxerat uxores, optimâ ſpe fretus, fore ut ſecundam primâ, aut tertiam prioribus duabus offenderet meliorem, ſed cum ſpes ipſum ſemper decollaret, quaternarium numerum excedere & plurimis malis ſe immiſcere noluit. Quod benè perſpexit Adamus & ad ſecunda vota tranſire noluit, optimè gnarus, inter mille, ut Salomon loquitur, vix inveniri unam fortem & probam mulierem. Sicuti à veritate non alienum videtur, Adamum nunquam Evam iterum recepiſſe, niſi Deus ſingulariſſimè ipſum direxiſſet. Si enim Judæi ob rem turpem, puta adulterium non tantum, ſed & ob aduſtum edulium, panem non decimatum, aut fermentatum, colloquium cum alio viro, *it.* ſi mulier clarâ voce, ut vicinæ exaudire potuerint, debitum conjugale à marito poſtulaſſet, aliasque minutias ſuprà allatas potuerunt repudiare uxores ſuas; Quid Adamum cum ſuâ uxore feciſſe putas quæ cum Diabolo locuta pactum quaſi implicitum iniit, à queDeo creatore ſuo atque ſponſo ſpirituali receſſit, & maritum ſuum Adamum ad incitas redegit, ſi Deus, in cujus manu omnium hominum corda ſunt, itaut flectere poſſit veluti rivulos aquarum, hoc non impediiſſet. Certè ſi fides Rabbinis eſt habenda, Adamus poſt occiſum Abelem continentiam vovit, & ſeparationem quaſi quoad torum iniit cum uxore ſua, uti hoc ipſum uxoresLamechi, ceu *Theophilus* hoc adducit *th.* 34. Adamo objecerunt, & ipſi docenti, quòd occiſo licet Caino à marito ſuo abſtinere non deberent, cum culpa illum ipſum redargueret, ruborem incuſſerunt. Sicuti & *Moſes Ægyptius in doctiß. ſuo ſcripto ſolutione ſc. perplexorum ſeu dubiorum l.* 1. *c.* 7. hanc traditionem nempe Hebræorum memorat, per integros illos 130 annos, *Gen.* 5. 3. quibus Adam quaſi rejectus fuit, meros genuiſſe Dæmones, quæ fabula etiam repetitur in *Bereſchith Rabba S.* 20. & 24. *à Salom. Jarchi in Pſalm.* 89. 33. vid. *Hotting. Hiſt. Or. p.* 24. qui & *p.* 29. lacrymarum Adami meminit, & ex Rabbinis atque Arabibus refert, Caini fratricidium ex controverſo inter ipſos connubio ortum, dum Cainus illam deſideravit in uxorem, quam ſibi Abel jamdum elegerat. Si igitur Adamus, dicentibus Rabbinis, poſt fratricidium Caini ſe ab uxore quoad torum ſeparavit, multò ma-

majorem & prægnantiorem habuiſſet cauſam divortii cum uxore faciendi, poſtquam illa cauſa eſſet lapſus Adamitici, uti ipſe ad Deum hoc refert dicens: *mulier, quam mihi aſſociaſti, dedit mihi de arbore vetita, & comedebam.*

3. *Invito non obtruditur. Autor perverſi Colloquii. p.* 6. 7. 8. dicit Deum Adamo inſcio, (quod non negat *Theophilus* benè gnarus Adamum non ſciviſſe omnia Dei conſilia) creaſſe ex coſta Evam, & exinde porrò concludit (quam conſequentiam non video, nec capio) Dei voluntati contrarium fuiſſe, ſi plures una haberet Adam. At verò Deus etiam inſcium (non tamen invitum, quæ ſunt diverſiſſima & δὶς διὰ πασῶν diſtant) Adamum collocavit in Paradiſo, & inſcium quoque Dominum conſtituit omnium beſtiarum, piſcium & avium. Præstereà Deus omnia gradatim fecit, ſicuti dicitur in canone: *Deus & natura non faciunt ſaltum.* Potuiſſet Deus uno die omnia creare, potuiſſet millena millia hominum condere & in omnibus quatuor partibus terras hominibus implere. Voluit primùm unam Adamo adjungere, non conſultum ducens (ut Laban etiam putabat) uno die ipſum multis uxoribus onerare & tot beneficiis mactare, ne exclamare cum illo Eremita neceſſum haberet: *Dominè, retrahe beneficia, totum me obruis.* Deinde ſugillat etiam *Theophilum* autor inverſi colloquii *p.* 9. quaſi confeſſarius fuerit Theophilus Adami, cogitationes illius tàm benè nôrit, & de deſiderio Uxoris Adamitico, ejus diſplicentiâ ergà Evam, & multò magis erga plures uxores tàm argutè loqui ſciret, ipſique autor eſt, ne in poſterum concredita in confeſſione effutiat, nê velit rigoroſiſſimè puniri & in monaſterium detrudi. *c. Sacerdos.* 3. 4. 7. *c.* 12. *extrem. de pœnit. & remiſſ.* Verum enim verò hoc pacto etiam Doctiſſimi & Celeberrimi Theologi. *Joh. Gerhardus, Salom. Glaſſius, Albertus Graverus* aliique qui in *Bibliis Erneſtinis* edendis deſudarunt, ſub nomine Confeſſariorum Adami traducuntur, qui in paraphraſi ſua verba Adami: *hoc eſt os de oſſibus meis*: ita explicant: *Ego tandem inveni, quod quæſivi, quod optavi, nempe talem ſociam, quæ mecum una caro & unum os, id eſt, unius familiæ.* Ex quibus patet illos ejusdem cum Theophilo eſſe opinionis, quod Evam ut uxorem & ſociam deſiderarit & præoptarit. Deinde ſcire velim libenter, *autor inverſi colloquii quis, qualis & quantus eſſet*; (video enim ipſum leges Pontificias approbare) ut me ritè hac in re gerere poſſim. Aliter enim agendum eſt cum hæreticis, aliter cum paganis, aliter cum Judæis, aliter cum Turcis, ſi quæſtio aliqua in controverſiam venit, uti doctiſſimè monſtrat in *ſuis Diſputationibus Selectis Giſbertus Voetius.* Præterea notum eſt Teophilum nondum eſſe quinquaginta annorum, adeoque non potuiſſe videre Adamum, aut ejus Confeſſarium agere. *Confeſſio* etiam *auricularis* tempore Adami nondum fuit, ſed demum longe poſt Chriſtum ſequioribus temporibus introducta, adeòque non eſt juris divini, ſed humani, non in omnibus Eccleſiis Orthodoxis uſurpata. Atque eodem pacto etiam *ſigillum confeſſion s* juris humani eſt, ſæpè Eccleſiæ Patrono autore interruptum & à miniſtris Eccleſiæ ob publica commoda fractum. Pontificii quidem ſuperſtitioſè nimis & impiè ſuum propugnant ſigillum confeſſionis, de ea non detegenda, ne in cauſâ quidem majeſtatis, & præſenti Regis ac regni periculo. Acta narrant Anglica, Comitem Nortinghamiæ pro tribunali ita interrogaſſe Jeſuitam *Garnetum*: *ſi quis confiteretur apud ipſum ſe die ſequenti Regem pugione trans fixurum, an putaret, rem ſibi occultandam*? Garnetum id affirmaſſe. *Binetus* ex eodem ordine hiſce verbis Caſaubono confirmavit id ipſum: *Præſtare Reges omnes perire quàm ſi ſemel confeſſionis ſigillum violaretur.* Et alius in Galliis Jeſuita auſus eſt profano & impio ore aſſerere; *Si Dominus noſter Jeſus Chriſtus in terris verſaretur morti obnoxius, & aliquis ſibi in confeſſione dixiſſet, velle ſe illum occidere; prius quàm confeſſionem revelaret, paſſurum ſe ut Chriſtus occidatur.* Caſaub. ad *Franc. Ducæum & in Reſp. ad Card. Perron.* Sic & *Henricus Henriquez in Summ. Theol. Moral. de pœnit. l.* 3. *c.* 19. §. 5. diſertè ſtatuit, *non revelandam eſſe confeſſionem, quamvis ageretur totius Orbis ſalus, aut ipſius pœnitentis utilitas, nec pro vitando ullo da-*

mno graviſſimo innocentis, aut quod eſſet totius orbis conflagratio, aut perverſio religionis & omnium ſacramentorum intentata demolitio Add. *Caſaub. in Epiſt. Dedic. & in Exerc.* 16. 131. *Thom. Hurtad. tr.* 4. *c.* 8. *Reſol.* 27. *n.* 255. 257. *& tr.* 6. *reſol.* 30. *n.* 143. *uti reſol.* 27. *n.* 933. dicit, nec Papam diſpenſare poſſe circa hoc ſigillum, cum tamen aliàs & in juramentis & in votis infinitam ei tribuere ſoleant diſpenſandi poteſtatem. Quousque autem uti liceat notitiâ per confeſſionem acquiſita in ordine ad externum regimen, exponit idem *Hurtado reſol.* 32. per tot. à num. 149. ſeq. & quàm facile præter intentionem ſub verbis prorſus generalibus violari poſſit à Confeſſore ſigillum, prolixè refert *Mart. Azpelcuet. Navarr. t.* 3. *c.* 8. Quæ omnia quantum violent pietatem in Deum & ſuperiores, charitatem in proximum, & cum Eccleſiæ tum Reip. ſalutem, nemo non videt. In Orthodoxis quidem Eccleſiis etiam obſervatur, ut miniſter Eccleſiæ, quod ſibi in confeſſione à confitente revelatum & in ſinum ejus repoſitum fuit, inſtar arcaniſſimi depoſiti habeat, nec id revelare porrò teneatur illi, nec quidem Magiſtratui id exigenti, quia ſcilicet confeſſio non fit homini ſed Deo. Et idcircò, ſi quis manifeſtaverit ea, quæ ſibi in confeſſione concredita fuêre (ſed ſunt peccata præterita) teſtimonium ejus nil quicquam operatur. *Baldw. Caſ. Conſc. l.* 4. *c.* 10. *cas.* 7. *Carpzov. in Juriſpr. Conſ. l.* 3. *def.* 25. *Gail. l.* 1. *Obſerv* 100. *n.* 8. *Vinc. Carocc. de juram. lit. deciſ. quæſt. princ.* 9. *q.* 4. *n.* 8. *Graven.* 1. *Concluſ.* 100. *Conſid.* 2 *Joh. Franc. Ripa de peſt. c.* 8. *n.* 99. *Didac. Spino à Caceres in ſpec. teſt. gloß. rubr. p.* 12. *n.* 33. Sed enim, quia Pontificii etiam à futuris peccatis adhuc perpetrandis & animo jam deſtinatis abſolvere ſolent, non in eum finem, aut ſub eâ qualitate, ut à cœpto crimine deſiſtat pœnitens, & in novitate vitæ ambulet, ſed ut nihilominus iſtud pergat & efficiat, quod ita deſtinatum eſt, & animam tamen indemnem ſervet,) quod quâ ratione fieri poſſit, ipſi videant) aut etiam quia aliàs ex confeſſione reverà pœnitentium de periculoſa aliorum in Remp. machinatione certiores fieri poſſunt, meritò rejicitur hoc ſigillum confeſſionis, præſertim ſi ex peccatis adhuc perpetrandis aliquod inde metuendum Reip. ſit periculum. Fruſtra ergò eſt ille Anti-Polygamus, quando crimen violati ſigilli Theophilo intentat, eumque Confeſſarium Adami conſtituit; in ipſum potius quadrant ea, quæ Theophilo impingit. Quid enim aliud agit, quàm ut ſe Confeſſarium non quidem Adami, ſed ipſius Dei, ut ita dicam, conſtituat? Unde novit arcana Dei, cur unicam uxorem Deus Adamo adduxerit; In ſcripturâ non revelatur, quòd propter Monogamiam excluſivam factum fuerit, ne ſcilicet plures una in poſterum homo duceret. Quid aliud ſequitur, quàm ut ex peculiari manifeſtatione & confeſſione quaſi hauſerit & effutierit. Theophilus verò titulum Confeſſarii deprecatur & alteri neutiquam invidet, nihilominus tamen putat, Adamum, etſi ejus Confeſſarius nunquam fuerit, Polygamiam pro peccato non habuiſſe. Nec obſtat, conjugium in ſtatu integritatis inſtitutum, ceu indiſſolubile unius maris & unius fœminæ vinculum, quâ etiam Adamus, cum incorruptâ adhuc gauderet ratione, fuit contentus. Hîc ante omnia enim tenendum, Theoſophos pleroſque omnes ſtatuere, parvo tempore, & fortean modò per unum diem illum fuiſſe in ſtatu integritatis & Paradiſo, & juxta quoſdam primo die lapſum. Poſt lapſum verò multis perturbationibus animi dubio procul fuit correptus, cum ſe mirâ quadam metamorphoſi in eum ſtatum, in quo nos jam ſumus, detruſum videret. Jam ſi inſpicimus nos ipſos, noſtramque conſcientiam ſcrutamur, & quotidianam experientiam conſulimus, non obſcurè apparet, nos omnes ita eſſe comparatos, ut ſi malam mulierem, quæ adjutorium potius Diaboli, quàm mariti, quæ cauſa ſit interitus & perditionis mariti, ſimus nacti, abhorreamus ab eâ, & ſi per Magiſtratum & mulierum Patronos liceret, daremus illi libellum repudii. Unde videmus, plurimos poſt nuptias conſummatas ob onera matrimonii cruce repleri, & calamitates ſæpè ex malitiâ & inſcitiâ ignaviave mulierum ortas, diris devovere diem nuptiarum, ad uxores deferendas promptiſſimos, niſi aliis cauſis, famâ; putâ, honoribus, officiis & rebus etiam immobilibus detinerentur.

THE-

Theſis XXVII.

QUod vero 2. dicitur, Deum in ſingulari dixiſſe *adhærebit uxori ſuæ* (non uxoribus) Reſpondetur ſingularem non ſemper involvere aliquam ſingularitatem vel unitatem excluſivam, alias etiam poſſem dicere, cum Deus inquit: *diliges proximum Tuum* (in ſingulari) *ſicut teipſum*; unicum hominem tantum diligendum quod abſurdum eſſe, nemo non videt. Sicuti igitur proximus non unus, ſed quicunque tibi occurrit, eſt diligendus, ita etiam uxor, quæcunque tibi contigit, ſive una, ſive plures, quas uxorum nomine habere velis, eſt illa cui adhærebis. Quod enim in ſingulari illud effert hoc ipſo libertatem homini quodammodo concedit ducendi unam vel plures, quodcunque ſcilicet ſuæ naturæ putarit eſſe conveniens, attamen, ut illud primum Catholicum præceptum affirmativum (quod ut omnia præcepta affirmativa Dei intenſive eſt intelligendum) *creſcite & multiplicamini & replete terram*, obſervet, & ſummo ſtudio propagationi ſobolis incumbat. Hîc etiam repetendum ſupra allegatum dictum Jeremiæ, *Maledictus qui opus Domini facit negligenter.*

1. *Adhærebit*. Arctiſſimo amoris amplexu, & quaſi de cute ad cutem agglutinatus, uti id emphaſis verbi דבק daback, quod L x x. per προσκολλᾶσθαι reddiderunt, exprimit. vid. *M. Polus in Synopſ. Crit. ad h. l. Chemn. Ex. Concil. Trid. de matr. Seſſ. 7. p.* 425. Vult autem hinc *Dormitantius*, ſcilicet Anti-Polygamus quidam Monogamiam excluſivam ſtabilire, quòd, qui uni agglutinetur, non poſſit agglutinari alteri. Verum enim verò non opus, nec poſſibile etiam, ut ſemper de cute ad cutem maritus agglutinetur ſuæ uxori, ſed quandoque pro lubitu ad procreationem ſobolis, atque ita poteſt pluribus corpore combinari, conternari, conquaternari, ut *Jac.* vel commillenari, ut *Salomon*, non quidem ſimul & ſemel, ſed diverſo tempore. Quanquam τὸ adhærere non tantum de combinatione corporum, ſed quoque & quidem præcipuè de animorum harmoniâ ſit intelligendum, uti Chriſtus ipſe *Matth.* 19. de indiſſolubilitate præcipuè animorum explicat, quod maritus uxori adhærere debeat, corpore quandoque, mente verò ſemper, quia conſenſus, qui eſt actus animi, & quidem indiſſolubilis facit matrimonium, quod uti *Danh. in Hodoſ.* explicat, eſt unio animorum, corporum, & fortunarum. Frivola verò eſt inſtantia, quam *Dormitantius* affert, quòd nemo poſſit duobus Regibus ſervire, quia Rex eſt Dominus, uxor verò non eſt Domina mariti (excepta fortean uxore Dormitantii, quæ ſuo marito inequitat) ſed multò inferior ſuo marito. Inferior verò non poteſt duobus diverſis Dominis ſervire; Superior verò ſeu Rex poteſt habere plures inferiores.

2. *Uxori ſuæ, non uxoribus. Autor colloquii inverſi p.* 10. 15. & *Victor ementitus, p.* 32. inauditas hîc victorias ſibi fingunt, & pingunt; ſed ad hoc dudum reſpondit *Chemnit. Ex. Conc. Trid. de matr: non poterat*, inquiens, *dici uxoribus, quia tempore Adami unica tantum erat, nec poterat dici, tres quatuor erunt in carne unâ, quia tùm non erant niſi duo.* Et quanquam quædam in hâc narratione primarum nuptiarum Adamiticarum ſint generalia non tàm de Adamo

(ut relinquere Patrem & matrem, quæ de Adamo, qui ἀπάτωρ & ἀμήτωρ dici non poſſunt) quàm de omnibus ſubſequentibus conjugandis loquentia, hæc tamen verba (*uxori* ſuæ, *duo* erunt) maximè ad ſpeciale Adami conjugium pertinent, vel ſi mavis ad omnia etiam conjugia applicare, vox (*uxori ſuæ*) uxor in ſingulari poſita diſtributivè ſumitur de omnibus uxoribus quas unus maritus poſſidet. Et vox (*duo*) reſpicit conjugium *ſimplex*, quod *prius eſt compoſito*, Polygamiâ ſcilicet, in quâ etiam duo ſunt in carne unâ, ſiquidem cum qualibet uxore peculiariter contrahit Polygamus, uti *Struv. ſupra laudatus egregie* docet *Synt. Jur. ex.* 29. *d.* 52. *Poteſt vir*, inquiens, *plures uxores æquali amore conjugali proſequi & ſingula uxor ex iſtis pluribus virum iſtum, ac poteſt vir pluribus fœcundandis liberiſque alendis ſufficere. Unde nec primæ inſtitutioni à Deo factæ contrariatur, ſed continet Polygamia hæc plura conjugia & cum qualibet uxore conſtituit ille unus maritus ſocietatem conjugalem, & tantum ob unitatem alterius conjugis apparet ac ſi unum eſſet conjugium, quod benè re conſideratâ diſtinctum eſt, & tot ſunt conjugia, quot uxores cum quibus contraxit.* Deinde ſingularis numerus (uxori) non ſemper excludit pluralem, uti manifeſtum ex 9. & 10. præceptis, ubi omnia ponuntur in ſingulari, *non concupiſces domum, uxorem, ancillam, bovem, aſinum.* Quis exinde vellet concludere pluralem, *concupiſcere nempe domos, uxores, ancillas, boves*, licere, & ſingularem tantùm eſſe prohibitum, ſicuti Anti-Polygami ex his verbis *adhærebit uxori* volunt exſculpere Monogamiam excluſivam, id eſt ſingularem tantùm eſſe permiſſum *adhærere uni uxori*, pluralem verò *adhærere uxoribus* eſſe prohibitum. Sicuti igitur à prohibitione ſingularis (non concupiſcendæ domus, uxoris, ancillæ, bovis) non licet argumentari ad permiſſionem pluralis, ità nec à permiſſione ſingularis (*adhærebit uxori,*) valet conſequentia ad negationem ſeu prohibitionem pluralis. Ita in tertio præcepto jubemur Sanctificare *Sabbathum* (in *ſingulari* etiam) num unum Sabbatum tantum, nullave feſta? In ſecundo præcepto *nomen* Dei etiam ponitur in ſingulari, cum tamen nulla nomina Dei in vanum debeant aſſumi. In quarto præcepto *pater & mater* etiam in ſingulari ponuntur, cum tamen nulli patres, neque ſpirituales, Paſtores puta, neque Politici, Magiſtratus nempe, neque naturales ſint dehoneſtandi. In quinto præcepto juxta Rabbinorum explicationem, etiam in ſingulari dicitur: non occides *hominem*: in ſeptimo, non *furtum* facies, (in *ſingul.*) in Octavo: non dices *falſum teſtimonium.* (in *ſingulari* etiam). Quis verò inde inferre velit, ſingularem tantum eſſe prohibitum, non pluralem, ſicuti ibi de matrimonio exſculpunt, ſingularem (unam uxorem) eſſe permiſſam, non pluralem. Manet ergo verus Canon à *Theophilo* adductus: *Poſitio ſingularis non eſt negatio pluralis.* Sicuti enim in illis dictis tantum, cum Deus (in *ſingulari*) ponitur, non poſſet inferri *unitas Dei excluſiva* niſi in aliis dictis expreſſe dicatur, *non eſt Deus, niſi unus, non eſt Deus præter me*, præter unus, præterquam unus, ita ex poſitione ſingularis (*adhærebit uxori*) non poſſum exſculpere quod non debeam adhærere uxoribus. Alia igitur dicta expreſſè hoc prohibentia ſunt afferenda. Nec obſtat quod *Mazzius de Contract. p.* 214 affert; *Unius incluſio eſt excluſio alterius*, ſtatim enim ſubjungit, *quando non apparet de contraria voluntate diſponentis.* Patet verò voluntas Dei in ſuis Patriarchis & ſuo populo, quem Deus ob Polygamiam non taxavit, & hoc ipſo teſtatus, ſibi ſuisque legibus illam marium multinubentiam non eſſe contrariam. *Simon Barboſa princ. Jur. tit.* 1. *n.* 17. cum illum canonem: *Unius incluſio eſt excluſio alterius*: adducit, ſimul addit: *ſi id quod excluditur, nulla lege vel manifeſta ratione non includatur.* Ad nauſeam verò oſtenſum hic nullam legem contrariari Polygamiæ, ſed potius defectum legis rationes manifeſtas docere ſingularem hic non excludere pluralem. Neque ſemper etiam, ut *Dormitantius* autumat, in ſingulari mulier aſſociatur viro in ſcripturis. ſiquidem Salomon propria experientia edoctus dicit, *Prov.* 31. 3. *ne des mulieribus tuas facultates.* Hic enim uxores ſucceſſivè ductas,

ductas, & à marito in hæreditate diſtribuendâ cum filiis prætereundas intelligi *Autor colloquii perverſi*, facilius dicit, quàm probat. Siquidem hic nulla hæreditatis aut mortuarum mulierum fit mentio, & Salomon loquitur de ipſa Polygamiâ à ſe Rege, & ſubditis, qui dubio procul ad exemplum Regis ſe componebant, maximè frequentatâ. Et hoc dictum (ne des mulieribus facultates animi, corporis & fortunarum, mediocritatem auream ſerves in omnibus & *uxorem* juxta Paulum *habeas*, *tanquam non habeas*) etiam Chriſtianos obligat, adeò ut veritati non ſit conſentaneum, quod *Victor Cretenſis p.* 203. ait, nullum ſcripturæ ſacræ dictum, ſaltem quæ nos Chriſtianos obligat, ſive in V. ſive in N. T. plures uxores uni adjungere viro, ſed ſemper unicam uni adjungi. Cum contrarium jam ſit clariſſimè demonſtratum, etſi vel maximè nullum habeatur dictum, dantur tamen exempla, à Deo nuſpiam taxata, quæ plus movent, quàm dicta & præcepta. Sicuti igitur uni Domino multi opponuntur ſervi *Matth.* 25. *Eph.* 5. ſervi Chriſti *Act.* 16. ſervi Dei vivi, & *Act.* 11. *Effundam ſuper ſervos* &c. *Luc.* 17. dicitur de confidentibus in opera ſua, quod ſervi inutiles ſint ſi vel maximè omnia Dei præcepta ſervarint. Sicuti etiam in alterâ ſocietate Politicâ, paternâ puta, multi filii uni poſſunt patri adjungi, ita etiam in tertiâ, aut potius primâ ſocietate maritali plures uxores uni poſſunt aſſociari marito, adeo ut ſi vel mille quis habeat, nihilominus de qualibet dicere poſſet: *hæc eſt mea uxor*, verumque maneat illud in primis nuptiis inculcatum: *adhærebit uxori*, huic & illi & tertiæ ex cœteris, diſtributivè ſcilicet ſumtâ vocula uxoris in ſingulari poſita. Sicut enim τὸ proximus (*diliges proximum*) in ſingulari poſitum diſtributivè ſumitur, & uni ſæpè multi proximi adjunguntur *Pſalm.* 38. 12. *Ez.* 22. 12. *Jer.* 29. 23. *Pſ.* 28. 3. ita ut nil video cauſæ, cur uxor etiam diſtributivè exponi non poſſit de omnibus & ſingulis uxoribus, à Deo uni viro conceſſis.

3. *Primum Catholicum præceptum (multiplicamini) obſervet. Lutherus T. V. Witeb. Lat. f.* 120. conjugii neceſſitatem omnibus impoſitam ita proponit, in ſermone, quem de matrimonio habuit: *Deus igitur mare & fœminâ conditis benedixit eis, inquiens:* Creſcite & multiplicamini. *Ex quâ ſententia certi ſumus oportere coadunari maritum & uxorem, ut ſe multiplicent. Quocirca ut non eſt in viribus meis ſitum, ut vir non ſim, tàm non eſt etiam mei juris, ut absque muliere ſim. Rurſus ut in tuâ manu non eſt, ut fœmina non ſis, ſic nec in Te eſt, ut absque viro degas. Nec enim libera eſt electio aut conſilium, ſed res naturâ neceſſaria, ut marem fœminæ & fœminam mari ſociari oporteat. Verbum enim hoc* creſcite & multiplicamini *non præceptum eſt, ſed pluſquam præceptum, divinum puta opus, quod non eſt noſtrarum virium, ut impediatur vel omittatur, ſed tàm eſt neceſſarium, quàm ut maſculus ſim, magisque neceſſarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emumgere, ſomno & excubiis intentum eſſe. Inſita eſt natura & indoles, æque ac membra, quæ eò pertinent. Quare uti nemini Deus in mandatis dat, ut ſit maſculus vel fœmina, ſic nec ut ſe multiplicent, præcepit, ſed homines ita condidit, ut mas & fœmina ſint, utque generationi ſtudeant. Quod ſi quisquam prohibere molitur, egregiè ut eſt perdurat, ſuumque meatum ſcortatione, adulterio & διὰ ἀφόνων παρασπωμάτων quæritat. Eſt igitur naturæ neceſſitas, non arbitrii libertas.*

THE-

Thesis XXVIII.

Quod vero 3. regeritur ex verbis illis *erunt duo* (non tres, non 4. 5. 6.) *in carne una*, ſciendum eſt primo, Deum inſinuare his verbis quod duo ad minimum faciant conjugium, ſicut duo amicitiam, tres collegium ad minimum. 2. notandum numeralia, duo, tres aliaque non ſemper excluſive ſumi in Scriptura, alias ſequeretur, quod cum dicitur (*in ore duorum eſt veritas*) in ore 3. 4. 7. 12. non poſſit haberi veritas. Aut cum dicitur: *ubi duo congregati ſunt in nomine meo, ſum in medio eorum*, quod ubi 4. 8. 10. 100. 1000. ſint congregati in nomine Dei Deus non velit eſſe in illorum medio. 3. apparet ex verbis Apoſtoli dicentis, quod omnis ſcortator ſive cœlebs ſive maritatus ſit unum & in una carne cum ſcorto ſuo; tres nempe maritum, uxorem & ſcortum eſſe unum & in una carne, ita quidem ut cum ſcorto ſit una caro de facto furtim, illegitimè & per carnalem cohabitationem, cum uxore vero eſt & manet una caro non tantum de facto & per copulationem carnalem, ſed præcipue ratione inſtituti divini quod ſcortationi deeſt. Ex quo conſequitur, verba inſtitutionis, uti communiter hæc ipſa dicuntur, non repugnare Polygamiæ. Quanquam verius dicendo illis verbis: *creſcite & multiplicamini*, quæ Polygamiam ceu probatum eſt, ſtabiliunt, inſtituatur conjugium, reliqua vero pertinent ad narrationem primarum Nuptiarum Adamiticarum, & oſtenditur maſculum ſimul & ſemel cum pluribus non poſſe maritari, ſed ad exemplum Jacobi unam poſt alteram ducendam.

1. *Duo*. Sicuti ſingularis non excludit ſemper pluralem, ita nec duo, tres, quatuor, quinque ſemper excludunt plures. Tres faciunt Collegium, ſed ſex, octo. triginta etiam poſſunt ineſſe. In Collegio Electorali olim fuêre ſeptem, jam ſunt octo, & ſi Imperio Romano viſum fuerit, poſſunt deinceps eſſe plures. Si Princeps fundat aliquam Academiam, in Collegio Profeſſorio poteſt primum ordinare 12. poſtea 16. pro arbitrio tandem 24, ut in Academia Witebergenſi & Upſalienſi. Cœnam Dominicam Deus inſtituit inter 12, ſed inter plures benè poteſt etiam adminiſtrari. In Paradiſo ipſo in Protoplaſtis inſtituti ſunt *Status Politicus & Oeconomicus*, uti qui de Politicis & Oeconomicis ſcripſerunt, præſertim Theoſophi in ſuis ſermonibus originem horum ſtatuum ad Paradiſum referunt. Quis verò tàm veſanæ mentis, qui dicat, in familiâ & Politia non plures eſſe debere, quàm duo, quia inter duo tantum ſunt incepti & inſtituti illi ſtatus. Et quanquam non negetur, hæc omnia differre à matrimonio, (quoad materiam, quia omne ſimile eſt diſſimile, quoad nervum tamen argumentandi non diſcrepant, quòd Anti-Polygami aut non intelligunt, aut Zoilorum inſtar non volunt intelligere, ne nihil agere vel ſcribere videantur, & imperitioribus imponant) in hoc tàm conveniunt, quòd numeralia *unum, duo, tria, ſex, ſeptem non ſem-*

ſemper ponantur excluſive eo quòd in rerum auſpiciis ex inſtitutionibus à minimis incipiatur, ita ut in matrimonio ad minimum duo requirantur, quæ faciant conjugium ſimplex, cum pluribus autem quando jungitur uxoribus, oritur *conjugium multiplex* & tot ſunt contractus, quot uxores, cum quibus contraxit. Uti præclarè *Struvius* loquitur ſuprà laudatus in *not.* 2. *th.* 27. Nec notis præjudicat, quando *Victor Utopicus p.* 204. aliqua loca adducit, in quibus vox excluſiva *tantùm* etiam non eſt adjecta, & tamen excluſivè ſit intelligendum, uti 1 Joh. 3. *tres ſunt qui teſtimonium &c. Ex.* 20. *Sex dies opus facies &c.* ſed hîc res, contextus & tota ſcriptura ſacra docent, excluſivè eſſe numerale capiendum, Quia enim in ſeptimanâ non ſunt niſi ſeptem dies, unus verò Deo conſecratus, non remanent niſi ſex, in quibus tantum *opera ſervilia* ſunt facienda, ſeptimus enim eſt eximius, in quo ejus modi *opera manuaria* exulare jubentur, non tamen prohibentur *opera neceſſitatis, pietatis, caritatis, & moderatæ recreationis.* Ita 1 *Joh.* 5. recenſentur tres teſtes in cœlo & nullibi plures, ſed ſemper tres perſonæ denominantur *Matth.* 28. *Eſ.* 6. *&c.* 64. ac proinde excluſivè poteſt colligi, non dari plures, quia eſt ſummus articulus fidei, in quo non plures, quàm tres enumerantur perſonæ. Secus ſe res habet cum matrimonio, ubi exempla non tantùm habemus Monogamica eorum, qui unam uxorem habuerunt, ſed & Polygamica eorum, qui pluribus gaviſi. Nec obſtat quod dicatur, numeralia eſſe in N. T. ſemper excluſiva, quando articulus demonſtrativus additur, uti hic: *hi duo erunt in carnem unam.* Et in aliis locis *Apoc.* 11. 4. *Gal.* 4. 24. *Eph.* 2. 15. *Phil.* 1. 23. *Matth.* 21. 31. 25. 17. 27. 21. quanquam hic canon, ſi univerſaliter capiatur tàm facile rejici quàm admitti poſſit, ex abundanti tamen concedere poſſumus duo etiam hic, cum de nuptiis Adamiticis eſt ſermo, excluſivè intelligi & articulum demonſtrativum oſtendere præſentes perſonas, quarum plures non erant, quam duæ, uti & deinceps dicitur, & hi duo erant nudi, unde *Chemn.* ſupra laudatus in *Ex. Conc. Trid.* dicit, *non poterat dici, adhærebit uxoribus, quia unica uxor tantùm erat præſens, nec: tres erunt in carne una, quia duæ perſonæ tantum erant præſentes.* Quando verò hæc verba omnibus Adamigenis applicantur, etiam, ſi accuratè velimus loqui, duo ſunt tantum in carne unâ, quia duo contractum peculiarem contrahunt, nec plures admittunt, in illo contractu ſponſalitio & matrimoniali; poteſt tamen maritus cum aliis etiam contrahere, ſed contractu diſtincto à priori, utut videatur eſſe unus idemque contractus, ob unitatem mariti contrahentis, re tamen ritè penſitata, *tot ſunt contractus, quot uxores, cum quibus convenit,* ut eſſent in unam carnem, id eſt in una carnali operatione, quandocunque marito placuerit, perpetuò verò unitate animi conjuncti. Non igitur capio, quô pacto Anti-Polygamus ex *Matth.* 2. 14. 15. *Matth.* 19. 2. 1 *Cor.* 7. 2. probare poſſit numerum binarium hic ſumi ita excluſivè ut maritus non poſſit cum pluribus contrahere. Certe in illis locis ne gry quidem habetur de Monogamiâ excluſivâ, ut ſuo loco videbitur, Et ſicut Adam & Eva erant una caro, ita Jacob, Lea, Rahel, Bilha, Silpa erant etiam una caro, id eſt Jacob erat unitus illis quatuor, unitate carnis, quando ipſi viſum fuerit, unitate ſpiritus verò ſemper. Nulla enim exinde, uti Anti-Polygamus putat, injuria fit primæ uxori, ſiquidem, ut ad nauſeam dictum & probatum eſt, marito jus plures ducendi, invita etiam atque inſcia prima uxore, in ſolidum competit.

2. *In carne una ſeu una caro* τῇ φύσει, τῇ συμπνοίᾳ, τῇ ἑνώσει, τῷ βίῳ, τῷ τρόπῳ, κεχωρισμένοι δὲ εἰσι τῷ χήματι, καὶ τῷ ἀριθμῷ uti explicat *Clemens Conſtit. l.* 7. *c.* 3. *Karæi* vetuſtiores maritum & uxorem dicebant eſſe unum unitate perſonali, ſeu unam perſonam, unde apud recentes vocantur *Magiſtri inſiti* ſeu *unione conjuncti*, בעלי הוסף vel etiam מרכבים *inſerentes* aut *unione conjungentes*, quoniam conjugum perſonam alteram in alterius ſic inſeri ſeu utramque in unicam conflari voluerint. vid. *Selden. Ux. Hebr.* 1. *c.* 3. Judæi quidam ex צלע, quod modo coſtam, modò latus ſignificat, colligunt, *Adamum fuiſſe Androgynum,* & ita exponunt: Deus ædificavit

vit Evam ad latus Adæ, ut illi duo unum individuum fuerint, ſed verba textus hoc non admittunt. vid. *Geſn. in Gen. c. 2. Zanch. p. 3. l. 1. c. 1. p.* 649. *Aslac. Phyſ.* 398. *Chriſtian. Ravium ſpecim. ad tit. verſion. Gen. Pauli Schlevagti diſp.* 21. *de Creat. primi hominis contra Hebr. à* §. 14. *ad. fin.* Alii fabulantur *Adamum* fuiſſe *Gigantem omnium maximum* à terra ad firmamentum attigiſſe, ſed poſt lapſum aliquantiſper diminutum, quam quæſtionem moverunt & quidam Patres, nonnullus etiam Pontificius Pictor affirmavit ex *Job.* 14. 15. deceptus ignorantia Hebraicæ linguæ, ſiquidem vox *Adam* ibi non ſumitur pro perſonâ primi parentis ſed pro gigante quodam magno hujus nominis. vid. *Jo. Lucid. l.* 1. *Emend. temp. c.* 4. *Perer. l.* 4. *Gen. n.* 99. 100. *Voet. Diſp. Sel.* 1. *p.* 780. *Hieron. Ep. p.* 374. *Jo. Bened. Carpz. de Gigant. c.* 3. ubi & de ſpelunca Adami, de luctu per 100 dies, lecto & ſpeculchro in Hebrone, & præſertim narrat, quòd *Lundus Mallonius, Salianus, Paulus Scherlogius* aliique de omnibus Anti-diluvianis aſſerant, fuiſſe Gigantes. Sed relinquimus Judæis ſuas fabulas & dicimus marem & fœminam eſſe unam carnem, unitate ſpiritus & corporis, & ut Chryſoſt. in Eph. 5. μία σὰρξ διὰ τῆς συνεστίας, & de Sarâ & Hagar dicit κοινωνῆσαι τῆς εὐνῆς vid. *Rittershuſ. Sacr. Lect. l.* 3. *c.* 19. *Theodoret. quæſt. in Gen. q.* 30. ad unam carnem ſeu prolem progenerandam, quo ſenſu etiam explicant *Salomon Jarchi* & ejus Simia *Nicol. de Lir. ad h. l.* ſed *Aben Ezra. ad h. l.* pro longè petitâ explicatione æſtimat. *Biblia Erneſtina* de vinculo indiſſolubili ex parte amborum rectè explicat. Scortator quidem cum ſcorto 1 *Cor.* 7. 16. 18. etiam una caro dicitur, ſed non legitime ſed per ſcelus in actu carnali, unitate corporis ſæpè non reiterabili, ad tempus tantùm, non unitate animi perpetuâ & indiſſolubili, uti cum uxore eſt unitus. Non poteſt autem illud cum ſcorto veſticontubernium, ita eſſe comparatum, ut diſſolvat matrimonium, & inde oriatur adulterium, alioquin in Polygamia idem contingeret, quod dici non poteſt de Jacobo, Davide & Salomone. Quanquam *Autor Perverſi Colloquii p.* 19. Polygamiam pejorem ſcortatione & adulterio judicet & naturæ conjugii magis contrarium æſtimet, ſecutus forſitan Conſtitutiones Criminales Caroli V. parvâ ſcripturæ ſacræ, quam ad ſuum forum non pertinere perperam forſitan arbitratus, ratione habitâ. In provinciis quidem inferioris Germaniæ capitali pœnâ Polygamus non affligitur, uti ſecundum Conſtitutiones Carolinas in ſuperioribus, Deus tamen qui adulterum & adulteram capite plecti juſſit, in nullo Polygamo id monſtravit, aut monſtrare voluit. *Victor Epimenidæus p.* 202. *τὸ una caro* ita explicat, quod maritus relinquendo patrem matremque aliosque omnes mortales ſit adhæſurus uxori, non animæ, (cur non? Anima enim non tantum eſt, ubi animat, ſed ubi amat; poſteà verò hoc vertumni inſtar affirmat, quod hic negat, neſcius, cum à vero ſemel deviatum fuerit, quo ſe vertat.) Sed corporis communione nexuque. Quare præter communionem animorum, quæ piis omnibus etiam eſt communis, uti *Act.* 4. dicitur, *credentium erat unum cor & una anima* (hic affirmat, quod antè inficiatus. Neque enim tres partes hominis ſtatuit animum, animam & corpus, ſed pro ſynonymis habet animam & animum) requiritur & communio bonorum ac corporum. Huc facit, quod *Owenus* ad duos amantiſſimos ſcribit. ep. 134.

Non eadem eſt vobis anima, at mens una duobus.
Unum non iſtis corpus, at una caro.
Nomine diverſi vir & uxor, re tamen unum,
Diverſi ſexus eſtis, at unus homo.)

Unde *Arabs* vertit: *erunt ambo corpus unum*, non ob indiviſam & æqualem alterius in alterum poteſtatem, quod de ſcorto dici non poteſt, nec etiam de licitâ conjunctione conjugio, ut pote in quo eſt maxima inæqualitas, ſed ob conjunctionem corporum ad procreationem ſobolis inſtitutam, (quæ in Polygamia etiam ſpectatur) ſalvo manente vinculo cum priore uxore. Non enim qui rem habet cum ſcorto, meretrice aut alterius uxore, vel plures etiam ſuperinducit uxores, frangit vinculum cum ſua vel prima uxore, ita ut prima ipſum repudiare poſ-

poſſit ob adulterium quod *Matth.* 19. 3. eſt perfecta divortii cauſa, ceu Anti Polygamus autumat, qui ſcripturam & verbum Dei allegat, quomodo Diabolus *Gen.* 3. *Matth.* 4. non quidem aliquid omittendo ſed ſenſum alienum inferendo ac proprium verumque invertendo. Non enim *adulterium* ex parte mariti, ſed *ex parte uxoris eſt juſta divortii cauſa*, quando ſcilicet uxor rem habet cum alio, ſive ligato, ſive ſoluto, tum poteſt maritus eam ejicere. De hoc enim quærebant Phariſæi, an maritus poſſit conjugem ſuam repudiare, non verò, an uxor marito poſſit libellum repudii mittere; hoc enim inauditum & inſolitum erat, ut infra ex Joſepho docebitur. Neque enim æqualem habent poteſtatem maritus & uxor (ceu ſupra demonſtratum *Th.* 1. *n.* 3. 4. 5. uti falſiſſimè ex 1 *Cor.* 7. 4. vult extorquere, adeò ut veteratoriè dicat, maritum, cum ſcorto, alterius uxore, aut nova propria uxore quando rem habeat, non manere unam carnem cum ſua, aut priore uxore, eſſe adulterium, ſuo excidere jure, ſolius uxoris jura adhuc ſalva, ut poſſit ipſum, ſi velit repudiare, vel gratiam faciendo delictis, redintegrare unitatem ruptam. Quæ omnia ſi juxta leges quaſdam humanas (juſtas injuſtasve, non diſputabo) intelligeret, poſſemus quædam concedere, ſed quia ceu Theologus, de jure divino loquitur, & ad theſin ſuam ſtabiliendam omnia ex ſcriptura adducere ſatagit, non ſatis deploranda mentis ἀῤῥωσίᾳ qua γυναικοκρατέμενος tantam libertatem ἄγραφον mulieribus concedit atque aſſignat. Aliter ſane & recte quidem *Decret.* 2. *cauſ.* 32. *q.* 7. *dicitur*, quamdiu vir vivit, licet ſit adulter, Sodomita & flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, de facto, maritus tamen eſt reputandus ejus, cui alium virum accipere non licet, uti Paulus *Rom.* 7. 2. 1 *Cor.* 7. 39. affirmat, quod vir quidem ducere poſſit aliam, non mulier.

THESIS XXIX.

QUod verò Deus non plures adduceret. Adamo, ipſe erat in culpa, quia non plures deſiderabat; quanquam infallibiter ſciri non poſſit, Adamus an habuerit plures uxores. Non enim ſequitur, quia non ſcriptum, ideo non factum, alias etiam ſequeretur, quod, quia non ſcriptum, Adamum poſt lapſum comediſſe, Cainum & reliquos fuiſſe uxoratos. E. non ederunt, biberunt, uxores non habuerunt; quia non fuerunt recenſitæ eorum uxores. Quantum enim volumen eſſet, ſi omnium uxores & infantes & omnia eorum facta fuiſſent enarrata. *In articulis* quidem *fidei licet negative argumentari*, ita ut dici poſſit, quicquid non eſt ſcriptum, non eſt credendum. *Sed in hiſtoricis*, uti conjugium Adami eſt, *non licet negative argumentari.* Hoc eſt verum & indubitatum Adamum Evam habuiſſe, an vero plures habuerit, neque affirmare neque negare audeo, ſed quia Scriptura tacet, etiam *ego* ἐπέχω.

Potuit vero Deus ex coſta una & altera peccato inquinata plures uxores creare. An vero fecerit non narratur. Sicuti etiam non narratur, quod creaverit Crocodilum, Elephantum, mures. Saltem hoc apparet

ex conjugio Adami nullum argumentum contra Polygamiam deſumi poſſe.

1. *Adamus an plures habuerit.* Rabbini multa fabulantur de *Lilith* uxore prima Adami cum ipſo ex terra æquali modo creata, quod noluerit ſe ſubmittere Adamo, ſed pennis aſſumtis avocarit, nec ab angelis inſequentibus revocari potuerit, ſed multos infantes occiderit, ut prolixè narrat *Buxt. in Syn. Jud. p.* 37. *c.* 2. Neque hic etiam Novus Scepticus *Iſaacus Peyrerius* cui per metamorphoſin quandam, cor Zenodoti, jecur Cratebis Chryſippique, Cocubuleji caput contigiſſe dicitur, audiendus eſt, qui in ſuo libro de Præadamitis cum nonnullis recutitis ſomniat, adhuc alios fuiſſe ante Adamum homines & quidem nominatim. *Jambuſor, Tragith, Roanem & Lilitham.* Sed quia inſulſum hoc caput *Mareſius*, *Heideggerus*, *Danhauerus*, *Urſinus* aliique ſandalio jamdum demulſerint, actum non agam ne me *Criſpini ſcrinia lippi Compilaſſe putes.* Adam, Cain, Abel, Seth, fuêre πολύτεκνοι adeò ut non opus ſit ἀντὶ γραφῆς Præadamitas aut Synadamitas in reliquis mundi plagis à Deo creatos cum Adamo ſtatuere. Adam (ἀνατολὴ, δύσις ἄρκτος, μεσυμβρία literis primis conſtituunt Adam) omnes quatuor mundi plagas Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem debuit uno ſanguine *Act.* 17. replere.

2. *Cainum & reliquos fuiſſe uxoratos.* Anti-Polygamus Victor ſcilicet ille Utopicus hic invenit non quod pueri in faba, & Theophilum vult mendacii arguere cum *Gen.* 4. dicatur: *Cain cognovit uxorem ſuam.* Verum enim verò Theophilus loquitur de nominibus uxorum expreſſis, quæ ſilentio involuta; aliàs cum habuerint liberos, neceſſe eſt, ut habuerint etiam uxores.

3. *In articulis fidei licet negative argumentari.* Hic Canon deſumtus eſt ex *Joh.* 21. 25. ubi Euangeliſta infit: *Sunt & alia multa quæ Jeſus fecit, quæ ſi ſcripturâ conſignari omnia deberent, vix mundum capere poſſe tot libros conſcribendos autumo.* Quæ autem ſalutem noſtram concernunt, omnia ad ſufficientiam ſunt relata, ita ut nihil omiſſum, quod ullo modo ad fidem noſtram augendam vel confirmandam facere Deus judicavit. Hiſtoriam verò quod ſpectat, verum equidem eſt, ob ſcriptoris ſilentium in re hiſtorica non quodvis eſſe negandum, cum multa poſſint eſſe geſta, quæ minus ſunt annotata, maximè ſi illud quod ſiletur, ſit res vulgaris vix memoratu digna. Unde non immeritò *Lucianus de conſcribendâ hiſtoriâ* quendam ridet, qui maximam pugnam deſcribendam vix ſeptem attingit verbis, viginti autem menſuras, aut etiam amplius aquæ conſumſit in frigida & nihil ad rem pertinente narratione, de emendis piſcibus & aliis leviculis, quæ niſi tàm diligenter tradidiſſet, res magnas ignoraturi eramus, *inquit Lucianus. Victor* quidem ille *Cretenſis p.* 149. diſtinguit inter res inuſitatas & extraordinarias ignotas, quas, ſi ab hiſtoricis non narrentur merito negari dicit. Atque his annumerat Polygamiam, ſi qua fuerit, Adami, Caini aliorumve, quod hæc res non merè ſit hiſtorica, ſed Theologica, originem omnium hominum docens & ſola revelatione, non natura, nota. Deque hoc rerum genere valere regulam Theologorum: *quod non eſt ſcriptum non eſt ſentiendum*, ſive ut *Tertull.* exprimit: *Negat ſcriptura quod non notat.* Verum enim vero ſcriptura ſatis originem omnium docuit hominum, cum Adami & Evæ conjugium deſcripſit, & quod ab hoc uno ſanguine omnes oriantur mortales. *Act.* 17. reliqua ſequentium conjugia ſive ſimplicia ſeu Monogamica, ſive compoſita ſeu Polygamica, ut prolixè, niſi aliquid ſingulare circa illa contigerit, deſcriberet, non judicavit neceſſarium: ſiquidem Conjugium non eſt res merè Theologica, ſed ad naturam pertinet, non tàm à Deo in verbo ſuo revelato, quàm à natura ipſa monſtrata atque præcepta, ita ut quiſque ſecundum ductum ſuarum virium vel ſimplici vel compoſito utatur conjugio. Ut ex *Luthero*, ſupra *th.* 22, *n.* 3. *audivimus.*

THE-

Thesis XXX.

QUin potius omnia, quæ ibi habentur, Polygamiam aſtruunt. Docet enim Moſes in Geneſi, quod fœmina ſit adjutorium (*faciamus ei adjutorium*, dicit Elohim) ſit ſocia (*fœmina, quam mihi aſſociaſti* ait Adamus in ſua excuſatione ad Deum) ſit facta ex coſta. Quæ omnia tria nobis ſuppeditant argumenta, ſed brevitatis ergo in unum contrahemus hoc pacto:

Quodcunque eſt inſtar ſocii, coſtæ, illius pluralitas præſtat unitate. Præſtat enim habere coſtas, ſocios, adjutoria. 4. ſocii, famuli, equi, imperiales, jacobini plus adjuvant quam unus.

Atqui fœmina reſpectu mariti eſt inſtar adjutorii, ſocii, coſtæ, vitis Pſ. 128. *navis prov.* 30.

Ergo illarum pluralitas præſtat unitate. Quanta utilitas ſit tot coſtarum in corpore humano docent Medici. Et ruſtici norunt, quod 4. boves, vel caballi currum facilius promovere poſſint. Plures milites defendent felicius uno civitatem. Triplex vel quadruplex funiculus non facile rumpitur. Faſciculus 80 virgarum Sciluri non poterat frangi.

1. *Adjutorium.* עלר כנגוו Eſer Knegto, quod emphaticè notat aliquod ad genituram & mixtionem adjutorium, quod non tantùm ἀντίστοιχον & ἀντίτοπον, ſed quod individuâ aſſociatione & converſatione ſemper coram eo & circa eum ſit. vid. *Matth. Polus Synopſ. Crit. & Calov. ad h. l.* Malè verò ex ſingulari (adjutorium) Monogamia excluſiva colligitur, uti Anti-Polygamus ille, Dormitantius ſcilicet hoc didicit à Tertulliano Montaniſta & extremo conjugii oſore, cum ſcriberet de *Monog. c.* 4. *ſi pluribus uxoribus deſtinaſſet, dixiſſet, faciamus ei adjutoria.* Sed peſſima adjutrix fuit Eva, Diaboli potius quàm Adami, adeò ut Adamus de aliis adjutoriis idem præſumeret, eaque propter à pluribus abhorreret, juxta Poetam ſcilicet.

> *Fœmina nulla bona, vel ſi bona contigit ulla,*
> *Neſcio quo pacto res mala facta bona.*

Autor perverſi Colloquii autumat, argumentum ex *adjutorio* deductum magis ſtabilire Polyandriam, ſeu jus mulierum nubendi pluribus viris, quia mulier vas debile, & laboribus non tàm aptum, nec poteſt rebus ſuis proſpicere, & ut *Cic. in Conſul. ait*, eò miſerior illarum ſtatus, quo mollior natura, & ad propulſanda incommoda calamitatesque perferendas infirmior, & *Cæcina* vocat non tantùm imbecillem, ſed & imparem laboribus ſexum. *Tac.* 3. *Ann.* 33. Verum enim verò, quia mulier vas debile, & impar curis domeſticis præſertim amplioris familiæ, maritus plura adjutoria poteſt aſciſcere, quæ priori poſſint ſuccenturiari & maritum amplius juvare, præſertim cum ille impoſſibilia & importabilia non velit uxoribus imponere, unde Deus dicit: *faciamus ei adjutorium*, & vocat mulierem *adjutorium* ſeu inſtrumentum viri, qui non poteſt non eſſe fortior & agilior inſtrumento ipſo, muliere puta, quæ ſi ſe imparem ſentit laboribus domeſticis perferendis, poteſt proprio motu viro aliam ſuppeditare ſociam, quæ in coadjutorium aſciſcatur. Ipſa verò ut plures habeat adjutores, neceſſe, nec profi-

ficuum nec poſſibile, ſiquidem duobus Dominis non poteſt ſervire, ac obedientiam præſtare nec à duobus fœcundari. Maritus verò pluribus imperare, ex pluribus liberos tollere & multis melius adjuvari poteſt. Nec obſtat *Hadriani* dicterium apud *Dion. Caſſ. in Hadr. Teraq. de nobil. c.* 30. p. 426. *Multitudo Medicorum me perdidit.* Siquidem multi Medici, ſi conſpirant ad ægrum ſanandum, plus adjumenti & conſilii afferre poſſunt. Plus enim vident oculi quàm oculus.

2. *Aſſociaſti.* Socia & comes eſt uxor, quæ ſi jucunda & facunda eſt, in via hujus vitæ, alias calamitoſæ pro vehiculo eſt. Non enim bonum hominem eſſe ſolum, quod generale dictum de omnibus in ſolitudine ambulantibus & viventibus eſt intelligendum, unde apud Pontificios non malè inſtitutum, ut nullus Monachus vel ſacerdos ſolus exeat, ſed ſemper cum ſocio deambulet, uti Chriſtus ex ſeptuaginta diſcipulis miſit binos & binos. Ita *Lucius Papa* 1. ordinavit, ut ſemper duo ſacerdotes & tres Diaconi quemlibet Epiſcopum comitentur. *Platin. Vit. Luc.* 1. 57. *Friburg.* 1603. Et hæc *deambulatio ſocia* in Marianâ Eccleſiâ tàm ſtrictè obſervatur, ut nec ad ægrotantes mulieres ſoli eant, cum ſæpè inſidiis ſint obnoxii. De *Vincentio Ferrerio* legitur, quod ad fœminam ægrotantem & ipſius amore captam vocatus, ad confeſſionem aut amorem potius detegendum, cucullum potius cum caſtiſſimo Joſepho quàm honorem reliquerit. Ex *Surio* & *Caniſii Martyrolog. vid. & Mar. Geneal. librum* 5 *April.* 423. Sicuti autem in plateis ſocio delectantur Pontificii, ita & in domibus habent ſociam cœlibatus, quæ in *Concil. Niceno* quidem prohibita, ne quis clericus συνείσακτον habeat mulierem; Eam verò ἐπείσακτον vocat *Juſtin. Novell.* 123. *c.* 29. Talem ſcilicet, quam ſecum clerici non ſobolis, nec libidinis gratia, ſed pietatis ſtudio & prætextu habebant. Et notat *Budæus* συνείσακτον dici ſocium, ſociamve cœlibatus, ſive virgo contubernalem habeat virum, ſive Monachus fœminam. Tale genus ſocietatis tempore Concilii Niceni in uſu fuiſſe, & à Patribus reprobatum ex antea citato Canone diſcimus, quem repetit *Juſtin. Novell.* 137. *c.* 1. conſ. *Chriſtoph. Juſtellus in Cod. Canon. Eccl. Univerſ. p.* 136. Poſtea etiam *Sylveſter.* 1. Papa in publico Concilio decrevit ne conſecratus, ſeu ordinatus peregrinis mulieribus cohabitet, excepta matre, ſorore aut ſorore matris, optima ſpe fretus, fore, ut tàm malè res non ſuccederet, ac cum Lotho ac filiabus ejus, *Platina in vit. Sylv.* 1. *p.* 65. *Frib.* 1603. Quod decretum & *Symmacho* aſcribitur, ne quis clericus cum muliere niſi ſanguine conjuncta habitaret; ubi fortean excipiuntur illi, qui conſanguineas non habent. Ex *Volaterr. Henr. Pantal.* 19. *Jul. in Diar. hiſt.* 216. Longè verò alio pacto mas & fœmina in conjugio ſociantur. Uti *Luth. Comm. in Gen. ad C.* 2. explicat. *Adæ adjutorium fuit mulier, ſolus enim non potuit generare.* Item paulo poſt: *Cum Adam nullum videret adjutorium, factam eſſe fœminam ſociam generationis & conſervationis ſpeciei.* Et Auguſtin. *c.* 3. *Si autem quæritur, ad quam rem fieri oportuit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter procreandos filios.* Et Ambroſ. de Paradiſ. *c* 10. *Faciamus ei adjutorem, ſimilem ſibi adjutorem*, inquit, *ad generationem conſtitutionis humanæ.* Fruſtra autem hinc exſculpitur quòd adjutorium vel ſocia debeat tantum eſſe unica. Fruſtrà etiam afferitur, quòd Polygamia ſit non amplius (ergo olim fuit) legitima & honeſta, cum à Chriſto & Apoſtolis apertè ſit prohibita; Hoc enim apertiſſimum eſt mendacium, ſatis hactenus oſtenſum, & deinceps adhuc prolixius oſtendendum. Nec obeſt quod in ſocietatibus, Collegiis, amicitiis numerus binarius ſit optimus, firmiorque ſit amicitia inter paucos, inter duos exempli gratiâ, quam inter plures. Quod uti non negatur, ita ex malitiâ hominum per accidens hoc oriri non inficias imus, non ignari plures amicos & ſocios, ſi boni ſint, uti eſſe debent, plus adjumenti etiam afferre poſſe. Neque etiam matrimonium ita eſt comparatum, ut ex parte uxoris plures non admittat ſocias. Utraque quidem largimur manu, fœminam non poſſe habere plures viros ſimul, uti etiam intelligendi ſunt Poetæ, qui perperam de Polygamia virili allegantur, cum de Polyandriâ loquantur. Ita autem ſonant:

Non

Non benè cum ſociis regna Venusque manent.
Nec regna ſocium ferre nec tadæ ſciunt.

Nec denique obſtat, quòd mulier in ſtatu integritatis præſtitiſſet ſocietatem viro non ad labores facilitandos & ærumnas minuendas, (quod à multitudine ſociorum facilius fortean fieri poſſit) ſed ad delectationem & jucundam in Paradiſo tranſigendam vitam, cujus prima & tantùm non unica pars eſſet ſobolis procreatio, ſiquidem & inter plures major eſt jucunditas, & ex pluribus plures poſſunt tolli liberi, adeò ut Polygamia hodiè non tantum inter jucunda & utilia, ſed & maxime honeſta à Deo, autore omnis honeſtatis, nuſpiam taxata referenda ſit, non obſtante, quod conjugium & multò magis Polygamia hodiè à mundo immundo communiter pro ſtatu impuro, & minus ſancto habeatur. Adjutorium verò illud & ſocietas uxoris in eo conſiſtit, ut in re domeſtica curandâ marito opera præſtetur ſubſidiaria ab uxore: *Weſenbec. de rit. Nupt. n. 6. circa finem. de Jur. Conn. c. ult. ſect. ult. n. 32. Frid. Baldw. de Conſc. l. 4. c. 13. c. 11.* ne ſcil. uxor otioſe ſedeat in domo mariti, ibique ſtet tanquam truncus aut corpus mortuum, ne luxuries aliave vitia per otium inducantur, *Paul. de Caſtr. l. 7. n. 10. ff. de ſolut. matr.* Tenetur verò uxor præſtare operas tùm *obſequiales & reverentiales*, de quibus ſuprà *th. 1. n. 6. 7. 8.* ſufficienter dictum, vid. & *Kizel. Syn. matr. c. 7. th. 8. tit. f.* tum etiam *Oeconomicas & induſtriales arg. l. 48. ff de Oper. libert. & l. 31. princ. ff de donat. inter vir. & ux.* Decet enim ipſam in re familiari cuſtodienda, conſervandâ & augenda ſecundum conditionem perſonæ marito inſervire, adeòque rerum domeſticarum curam agere. *Schneidew. ad §. ult. Inſtit. quibus modis patrim. pot. ſolv. Abbas & Panorm. m. c. literas. n. 37. 10. de reſtit. ſpoliat. vid. & Kiz. Synopſ. matr. c. 7. dict. th. 8.* quanquam enim quidam diſſentiant, quoad induſtriales. *Joſeph. Ludov. Peruſ. deciſ. 28. n. 8. ſeq. Menoch. l. 3. præſ. 81. n. 33. Vultej. Juriſpr. Rom. l. 1. c. 16. n. 9.* negari tamen nequit, agendum aliquid eſſe mulieribus, ne otio quaſi congelatæ prorſus torpeſcant; Negotia verò quæ ipſis propria, ſunt, filare, nere, ſuere, texere, *Accurſ. in l. 15. C. de Neg. geſt.* Culinæ & lanificio præeſſe *Carpz. Juriſp. For. p. 2. Conſtit. 25. def. 15. n. 1.* *famulasque ad lumina largo Exercere penſo. Virgil. l. 8. Æneid. v. 409.* & ea quæ domi ſunt, diligenter ſervare. & cuſtodire. *Frid. Barbar. de re Ux. l. 2. c. 7.* veluti hæc & ejusmodi alia prædicata jure divino honeſtæ uxori tribuuntur *prov. 31.* adeoque quaſilum & telas, aliaque hujus furfuris atque ſeminii mulieribus propria eſſe haut obſcurè innuitur. Neque aliud *Romani*, præter alios ritus hoc quoque in contrahendis nuptiis utentes, ut ſponſas in domum ſponſi ducendas *colus cum fuſo* ſequeretur, indigitarunt, niſi ut lanificii officium, operasque domeſticas in poſterum ſibi tractandas eſſe admonerentur. *Gerh. L. de Conjug. §. 457.* Hinc quoque adhuc in aliena falcem ſuam mittentes ad focum & colum revocare ſolemus, cum *Ovid. 12. Metamorph. fab. 5. v. 449.* *Columque*

I, cape cum calathis & ſtamina pollice torque. vel etiam ad templa & preces cum *Virg. 7. Aen. p. 443.*

Cura tibi Divûm effigies & templa tueri,
Bella viri pacemque gerunt, quô bella gerenda.

Huc ſpectat, quòd fœminæ in Foro Saxonico ejusque jure à colo & fuſo, (ut pote quos ultra rarò ſapiunt) paſſim Spillmagen / & viri à gladio Schwerdtmagen denominantur. *Rotſch. tr.* von der Gerade / Beſold. *Theſ. Pract. lib. N. v.* Biſtet / *n. 11. & lib. S. v.* Schwerdtmagen.

Coſta. Notanter Creator omnium mulierem effigiavit ex *coſtâ lateris*, ut eſſet marito *collateralis*, non ſuperior, nec etiam infimo loco habenda, ſed quaſi ad latus *in medio* ferè poſita, quo ipſo etiam honeſtæ mulieres ſunt contentæ, & inſtar mediatricum ſe habent, quando marito cum liberis, ſervis, proximis, vel etiam hoſtibus res eſt, tum *cor* ipſius tegunt (robur & fortitudinem occultant augentque) atque *pulmones*, (placita ejus approbant, & optimè de ipſo loquuntur, omniaque in meliorem partem interpretantur) Malæ verò & imperioſæ mu-

mulieres plus ultra tendunt, interiora cordis penetralia inſpicere, pulmones inflare ſatagunt, & pudore ſuffunduntur, quando illis prima origo, quòd *ex coſta*, non capite ſint ortæ ſuggeritur, & ne ultra crepidam ſapere præſumant, ſubindicatur. Nec tamen ſua origine ſunt contentæ, ſed libenter ex aliis membris originem trahere geſtiunt. Quædam ſanè videntur etiam ex *corde* efformatæ, cum corda maritorum ad lubitum regunt, flectuntque. Alia ex *ore* volunt eſſe effictæ, cum ſemper maritis obloquuntur, & majorem ſapientiam, prudentiam atque pietatem præſeferunt, & maritis ad ſilentium redactis omnia eblaterant. Nonnullæ ex *mento* barbâ ornato, vel etiam ex *dentibus* effigiatæ videntur, cum ſemper altercando cum liberis, ancillis, ſervis, proximis autoritatem ſibi conciliare avent, & præcipuè, cum maritus domum venit, ejuſmodi debacchationes inſtituunt, quò maritus audiens, proximum ardere parietem, ne hiſcere quidem audeat, veritus, ne eodem dente Theonino arrodatur & enecetur. Aliæ ex *linguâ* creatæ apparent, quæ ſemper in deliciis vivere, omnia guſtare & prælibare maritis etiam excluſis deſiderant; Cœteræ ex *naſo* videntur prognatæ, quæ omnia ſubodorantur, & marito aliquid narrante meliorem ſcientiam, accuratiorem cognitionem & præſcientiam omnigenam præſeferunt. Nec deſunt qui ex *oculis* ἀυτοχθονίαν ſuam deducunt, & omnia quæ maritus agit, audit, cogitat, & in ſcrinio pectoris reconditum habet, ſcire avent. Reliquæ ex *fronte* obortæ ſemper exporrectâ & dilatatâ fronte incedunt in ſociandis cum marito curis maximè negligentes, & illiciis hujus mundi fruentes. Sunt etiam qui ex *capillis* præſertim ſuppoſititiis & emendicatis videntur ortæ, quæ ſe ornant, comunt, fuco oblinunt & alieno ornatu in plateis, non ut maritis, ſed ut amaſiis placeant, ſuperbiunt. Pleræque in & ex ipſo *cerebro*, ut Minerva Jovis, profatæ & natæ videntur, quæ veluti Reginæ ubique dominantur, ſpiritus & vires toti corpori communicant, nihil intermittunt eorum, quæ ad dominatum ſtabiliendum vel vi vel clam precario ullo modo facere videntur. Omnes verò abhorrent ab inferioribus partibus corporis humani, ſimiles ferè illis hæreticis, qui inferiorem hominis partem à Diabolo, ſuperiorem à Deo, creatam dicunt. Nulla amat *lienem* melancholiæ matrem, ſed libentius Hilaria celebrant, Veneri & Baccho litantes. Nemo diligit *jecur*, quod ſanguinem ex corde attrahit, & nil per ſe in ſanguine efficiendo patrat, ſiquidem fœminæ per ſe ſubſiſtere & ſol'pſæ ubique omnia agere & regere gaudent. Abdomen, ſarcinam excrementorum ad Garamantas relegant, metuentes, ne priſtino habitaculo ejiciantur. *Nates* ne nominare quidem volunt, libentius inſidere & imperare cupientes, quàm aliorum eſſe ephippia. Pavonum inſtar pedes aſpicere haut dignantur, neque enim volunt eſſe pediſſequæ, aut à quoquam contemni, & pedibus conculcari. Quâ de re *Chryſoſt. homil.* 20. *in quæſt. ad Eph. Auguſt. Varen. in Gen. decur.* 3. *Loc.* 7. *Otto Caſmann. Anthrop. p.* 2. *de fabr. corp. hum. p.* 229. *Jo. Sperling. Arthr. p.* 322. *Lombard.* 4. *diſt.* 28. *p.* 508. ubi quærit cur Deus mulierem non de ſummo, nec de imo, ab initio crearit, ſed de latere viri. Deus verò ex coſtâ *ædificavit* Evam, Adamo adduxit, atque ita *domum* in quâ genituram faceret, ſtruxit, uti Magnus *Calovius* in ſuis *Bibliis Illuſtratis* ad hunc l. bellè obſervat. *Ædificaſſe cum dicitur, ſimilitudo & uſus ſtructuræ atque ædificii innuitur, & quod mulier viro pro domo eſſe debeat, indicatur.* Et quod Eva fuerit ædificium, in quo virtualiter totum genus humanum continebatur. Deus enim Adami erat figulus & Evæ architectus. vid. *Ambroſ. de Parad. Geſn. d.* 2. *in Gen. q.* 18. *Zanch. part.* 3. *l.* 1. *c.* 1. *p.* 649. 651. *Aſlac. Phyſ.* 385. Uti & Sara dicit ad Abrahamum: *concluſit me Deus, ne parerem, ingredere quæſo ad ancillam meam, ut forte ex eâ ædificer.* Ex quo itendidem talis Syllogiſmus, ſi opus eſſet, conſtrui poſſet: *Quodcunque eſt inſtar ædificii, illius pluralitas* (cœteris paribus, ſi ſcilicet nullibi prohibita) *præſtat unitate.*

Atqui uxor ſe habet inſtar ædificii. E. Ædem ſanè propriam habere pertinet ad bona temporalia, quæ quò plura quis habet eò ditior eſt, eò melius plures uxores accommodare

modare poteſt; uti Rabbini voluerunt, ſingulis uxoribus peculiaria ut aſſignent conclavia Polygami. Et *Lycurgus* legem tulit, ne Polygamorum uxores binæ unam inhabitarent domum. Jacobi uxores ſingulæ habebant tentoria. Et apud Perſas refertur eſſe conſuetum, ut mercatores ditiores in ſingulis civitatibus, ubi mercaturam exercent, habeant proprias ædes, & loco Deputati, aut Factoris, ut barbaro utar vocabulo, ibi ſuſtentent propriam uxorem, multò fideliorem certè illis pecuniâ conductis. Ita Nobiles divites, in ſingulis prædiis, quæ poſſident, ſuas uxores alternatim inviſunt, Præfectorum inſtar adhibent, per ſeptimanam vel menſem pro arbitrio apud quamlibet commorantes, & in ſinu gaudentes, ſi fruantur pluribus uxoribus, eoque ſe ditiores reputantes. Huc faciunt illi verſiculi à *Theophilo* Antagoniſtæ ſuo ſub finem refutationis transmiſſi, qui ita ſe habent:

Pauperis eſt numerare pecum, quin præſtat habere,
Innumeros nummos, innumerosque libros.
Mancipium ſeſe duntaxat mancipat uni.
Unius ſervus num Generoſus erit?
Mille domus ſeptem præſtant, & prædia mille,
Uxores cur non ducere mille { *licet* / *placet* / *decet?* }

Eodem pacto ex vocabulis, *vitis Pſalm* 128 *navis, unionis Prov.* 30. pro Polygamiâ aſtruenda, ſi opus eſſet, Syllogiſmus inſtrui poſſet: *Quodcunque ſe habet inſtar vitis, navis, unionis, illarum pluralitas* (cœteris paribus, ſi multitudo non eſt prohibita) *præſtat unitate. Atqui mulier ſe habet. &c.* E.

THESIS XXXI.

PRæterea maritus eſt & dicitur atque conſtituitur à Deo ipſo Dominus. *Quemadmodum vero Dominus poteſt plures habere ſervos, ſervus vero non poteſt habere plures Dominos.*

Ita maritus poteſt habere plures uxores, non vero uxor poteſt habere plures maritos. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω, inquit Homerus. *Maritus* vero eſt *Dominus*. Intelligitur vero dominium ſuave, amicabile, non ſervile. *E. poteſt eſſe Polygamus.*

1. *Maritus eſt Dominus* de jure divino, non de facto, uti multi hodie tale dominium in res & perſonas ſibi uſurpant, quod ipſis non competit. *Juſtinianus* catalogo rerum, quæ in dominio eſſe poſſint, excluſit ſacra, ſancta & religioſa, ſed Pontifex iterum repoſuit & de hoc multum ſibi blanditur. *Patronos & Fundatores Eccleſiarum* nolunt quidem Pontificii dici in jure Canonico Dominos ſed *Vice-Dominos*, quia ratio juris juxta ipſos non patitur, ut is qui fundavit Eccleſiam, poſt conſecrationem verus permaneat Dominus. Neque etiam Prælatos volunt eſſe Eccleſiæ, aut rerum ſacrarum, aut beneficiorum, aut redituum Dominos, ſed quaſi Dominos, Procuratores & adminiſtratores, quanquam circa reditus diverſa hodiè ſit Caſuiſtarum ſententia; Unde in Concilio Tridentino, cum alii beneficiatos fructuum Dominos, alii fructuarios, alii uſuarios tantum, & alii denique diſpenſatores eſſe contenderent, ut lites abbreviarentur, amputata fuere iſta verba, quæ controverſiam eâ de re excitarunt, uti refert *Petr. Suav. in hiſt. Concil. Trid. l.* 8. *p.* 895. Noviores moraliſtæ beneficiatos fructuum, quos ex beneficio nanſciſcuntur, veros eſſe Dominos con-

 fiden-

riàm eſſe) quòd imaginem Dei non habeat, & *Petr. Nicol. Mazzus in libr. de Contr. p.* 862. ideo autumat mulierem dici imaginem Dei non habere, ſed virum, quia vir habet dominium & imperium in mulierem & omnia animantia, & in hoc conſiſtere inter alia ſimilitudinem Dei, ſed mulierem eſſe ſubditam viro, & ſic non eſſe ad ſimilitudinem Dei factam, atque hâc de cauſa mulieres velatas cum ſubmiſſione incedere, debere, vel etiam ideò hominem Dei ad imaginem factum, quia per hominem Deus glorificatur, & homo per mulierem, cum ex homine mulier ſit facta & creata, & ideò ſubdita viro, & in hoc eſt ſimilitudo, ut inquit Apoſtolus 1 *Cor.* 11. Aſt hodiè ferè non incedunt velatæ, quin imò conſuetudo eſt, ut ſe detegant, & ſe comant, atque oſtendant, non tantum caput, ſed & mammillas, ut *Mazzus* inquit, cum tamen *Paulus* expreſſe aſſerat 1 *Cor.* 11. 6. 7. 8. 9. quod mulier debeat eſſe *velata, & poteſtatem habere* i. e. poteſtatis ſignum (videtur enim velum repræſentare quaſi thronum inſidentis capiti viri). conf. *Gen.* 24. 65. id quod de virginibus etiam accipiendum monet *Tertull. l.* 1. *de vel. virg.* ubi appellat hoc velum *jugum mulierum. c.* 17. alibi *humilitatis ſarcinam* vocat *l. de cor. mil. c.* 14. Nempe ut ritu quoque externo ſe ab Hebr. Synagogâ & Græca Idolatricâ Eccleſiâ ſeparatum iret. Hebræi enim in templo operti, foris aperti erant, ut oſtendit *Salmaſ. Epiſt. ad. h. l.* Viri Græci in templo æque ac foris pileati. *p.* 660. igitur viri Chriſtiani debebant in precibus aperire caput; Rurſus quia profanæ in Græciâ mulieres comâ comptæ, capite apertæ procedebant & in publicum & in fana Deûm, ideò Chriſtianas mulieres in Eccleſiâ vult eſſe opertas. *Salm. ib.* Argumenta introducti ritus petuntur 1 *à viri principatu, & mulieris ſubjectione.* Sexus ſubjectus debet coram ſexu principe reverentiam teſtari, (niſi velit virum ſuum, tanquam eſſet par imperio, dehoneſtare) poteſtate aliquâ ſuper caput, i. e. capitis operimento ex judicio Hebræorum, apud quos velatum eſſe ſubjectionis, ſicut apud Rom. pileatum eſſe libertatis character erat. Mulier eſt ſexus ſubjectus, *mulier ex viro & propter virum. v.* 8. 9. Inſuper hæc perſona, quæ repræſentat Chriſtum in ipſa, quam habet à Chriſto, libertate, debet eſſe capite libero & aperto, niſi caput ſuum Chriſtum præpoſterâ imagine dehoneſtare velit. At hujusmodi vir eſt. Eſt imago Dei glorioſa, quam revelari oporteat, non occultari, ac in libertatis & dominii, quod in uxorem habet, ſignum & indicium. Eſt enim apertum caput liberi animi nota. γυμνῇ κεφαλῇ agere, eſt agere animoeſ. *Salm.* 647. 2. *à fœditate v.* 5. 6. Fœdum eſt mulierem apparere capite raſo, ergo & aperto. Non enim multum intereſt inter caput raſum & apertum. 3. *ab angelorum præſentiâ* non parabolicorum, ut ſunt in Apocalypſi Epiſcopi, ſed πνευμάτων λειτουργικῶν, qui ibi ſunt, uti Chriſtus in cœtu fidelium. Hos vereri oportet non offendere. 4. *à naturæ dictamine*, ſexus ſequeſtrâ, quæ ut corporis formâ, ac ex veſtium habitu, ita & comâ diſtingui vult virum à fœminâ: jam contra naturam mas comptus i. e. comis promiſſis (μέσον ἄελσων) in cincinnos calamiſtro flexis & vittâ ſubnexis velatus. Ita fœmina ſit comis prolixioribus, cui ipſa natura comam pro velo dedit, cui jus & mos gentium ſuffragatur. *Danb. Polem.* 215. 216. *Antichr.* 548. ubi contra zelotas Belgas Eccleſiæ tonſores ex *Salm.* diſputat. *Dram.* 181. *Franz. Schal. Sacr. d.* 1. *th.* 20. conf. *Meiſp. Anthr. d.* 1. *q.* 7. *Gerh.* 2. 473. *Brochm. l.* 514. *Perer. l.* 4. *Gen. n.* 46. *Zanch. p.* 3. *l.* 3. *c.* 1. *p.* 856. *Aslac. Phyſ.* 273. Cœterum hoc imperium mariti in uxorem ita competit viro, ut in ſtatu integritatis ſi permanſiſſemus, non certè ipſum imperium, ſed ſaltem neceſſarius poſt lapſum imperandi modus ceſſaſſet, quia durities illa & pertinacia poſt lapſum demum acceſſit. *Perer. l. c.* Eſt autem *Imperium* hoc *Monarchicum*, quod marito in uxorem perinde ac in liberos competit, juxta *Gen.* 3. 16. non in atrocitate ſed pietate conſiſtens, ut patria poteſtas. Ita tamen ut, cum fœminarum admodum ſit prava indoles, & pluries maritis injuriam inferre conentur, moderata caſtigatio maritis meritò concedenda. *arg. l.* 5. §. *ult. ff. ad L. Aquil. arg. l.* 3. §. 3 *ff. de Sena us c. Silano. Novell.* 117. *c.* 14. *Carpz. Pract. Crim. q.* 12. *n.* 50. & *Juriſpr.*

riſpr. Conſiſt. l. 2. def. 212. *Snobel. de J. & I. l.* 5. *q.* 2. *a.* 2. *Jo. Kizel. Synopſ. matr. c* 7. *th.* 8. *lit. I. & K.* Neque enim aſſentiri illis poſſumus, qui nimis religioſi videri volunt, & cum *Catone cenſorio* ſacrilegii inſtar habent, ſi uxorem digito paulo durius tangant. *Plut. in Cat.* ſed potius reprehendendi ſunt *mulierioſi* iſti *Antonini*, qui non ſolum in uxores thalami fidem violantes non animadvertunt, ſed eos etiam qui cornua ipſis impoſuêre, ad ſummos promovent honores. De quibus lepidè *Owenus l.* 2. *Ep.* 50.

Non videt uxoris delicta maritus amator,
Nullus amat verè vir, niſi cæcus amat.
Nil oculo contra Dominam, nil creditur auri.
Eſt igitur ſurdus, non modo cæcus amor.
& l. 1. *Ep.* 163.
Siquando ſacra jura tori violaverit uxor,
Cur gerit immeritus cornua vir. caput eſt.

Nec imitandus eſt *Socrates*, qui mirante intemperiem Xantippes in maritum Alcibiade, & rogante, quænam ratio eſſet, cur mulierem tàm acerbam domo non exigeret, *quoniam*, inquiebat, *dum illam domi perpetior, inſueſco & exerceor, ut cæterorum quoque foris petulantiam facilius feram. Gell. l.* 17. Multò minus placet conſilium iſtud *Chryſoſtomi*, rixantem & importunam uxorem, tanquam domeſticum Gymnaſium & palæſtram patientiæ tolerare ſuadentis, *homil.* 26. *in Ep. ad Cor.* Manet ergò manebitque jus hoc marito, ut uxorem tumultuantem ſeveris admonitionibus primum ad officium ſuum compellere, quæ ſi ab eâ nauci floccique habeantur, illaque cum gratiâ obſequi detrectet, cogi poteſt ingratiis, *jur.*

cum juriſdictio ſine vi & coactione eluſor a ſit. *Struv. Ex.* 4. *th.* 6. Unde etiam correctionis & caſtigationis ergò citra metum pœnæ privati carceris in carceribus detinere, inque vincula eam ponere poteſt. *Carpz. Pract. Crim. q.* 3. *n.* 83. *Amad. Eckalt. ff de Cuſt. & exhib. reorum.* §. 3. ut adeo ad virtutis ſtudium timore tandem & vi deducatur, quàm ingenio ſuo relictam pudor nunquam poteſt deducere. Quemadmodum enim *Oderunt peccare bonæ virtutis amore,* Sic *Oderunt peccare malæ formidine pœnæ.* Ex quibus conſequitur, marito multò magis eſſe permiſſum uxori ſuæ nimium refractariæ loco oſculi etiam alapam (quæ fit quando ipſius *mala l.* 11. *princ. ff de Injur. vel os* §. 7. *Inſtit. & l.* 7. *in fin. ff. Eodem.* hoc eſt *facies Gothofr. ad d. l.* 7. palmâ percutitur) donare, uxori verò non licere propterea divortium petere; marito tum ſuo jure utente, neminique injuriam faciente. *arg. l.* 13. §. 1. *ff de Inj. & arg. l.* 5. §. 3. *ff ad Leg. Aquilej.* cum alapa ſit ſpecies moderatæ modicæque caſtigationis, nec per eam damnum inferatur. *Marant. in ſpec. p.* 4. *d.* 1. *n.* 9. neque poterit dici uxor immodicè verberata, quæ alapam paſſa eſt. *Farin. q.* 143. *n.* 204. quia hanc paſſus abuſivè ſaltem dicitur verberatus *arg. l.* 19. §. 40. *ff de Inj.* Imò licet vel maximè propriè dicta verbera ſe accepiſſe uxor effutiat, modò à ſævitiâ aliena fuerunt, *l.* 8. *C. de Rep.* §. 2. *in fin.* nec ſine culpâ uxoris inflicta. *Novell.* 117. *c.* 14. ibique *Gothofr.* ſanè non incidet maritus in crimen ſacrilegii cum modica caſtigatio permiſſa curam aliorum gerentibus parentibus præcept. maritis *Manz.* §. 1. *Inſt. c.* 10. *In-*

THESIS XXXII.

LAmechus qui primus narratur in ſcriptura Polygamus, communiter male audit propterea ab omnibus, ſed primo probandum eſſet, Polygamiam eſſe peccatum, antequam ille ideo convitiis proſcinderetur. Si ſcripturam ipſam exactius

pon-

inquit, *ambiguitatem Eccleſia univerſalis devenit, quòd ignoravit, apud quam partem vera ſedes Romana erat, niſi forſan Deus alicui revelaſſet, &c.* Certe quantas tum in Galliâ turbas dederit Anti-Papatus ille, intelligi poteſt ex iis quæ refert *Jo. Paponius l. 1. t.t. 5. arr. 27* Quæ cum ita ſint, ingenui Pontificii Papam inferiorem Conciliis eſſe voluerunt (veluti etiam ipſe Papa octo conciliis Oecumenicis ſe ſubjicit, uti formula obligationis habetur. *c. Sancta. diſt.* 16.) uti hoc agnovit *Jo. de Turrecremata de Pontiſ. Max. ad Baſil. Orat. Reſp. n.* 67. & 68. cujus hæc ſunt verba: *Si talis caſus continge-ret, quòd Patres univerſi in Synodo univerſali convenientes unanimiter aliquam fidei definitionem facerent, cui ſola perſona Papæ contradiceret, dicerem judicio meo, quòd Synodo ſtandum, & non perſonæ Papæ. Judicium enim tantorum Patrum univerſalis unius Synodi in materiâ fidei meritò præferendum videtur judicio unius hominis.* Et Jo. Gerſon Theologus Pariſienſis magni nominis decretum Concilii Conſtantienſis dignum eſſe ait, quod templis omnibus atque locis publicis ad ſempiternam memoriam inſcribatur, referente *Sleidano l. 1. Comment.* Eandem ſententiam tenent *Franciſc. Victoria & Petrus de Alliaco* Epiſcopus Cameracenſis & Cardinalis de *poteſt. Eccl. p. 3. c. ult.* Et hinc Schola Pariſienſis ob antiquatam legem ſive ſanctionem Pragmaticam provocavit à Leone 10. ad Concilium, referente eodem *Sleidano*, certiſſimo argumento, quòd tùm Pontifex à Pariſienſibus non habitus fuerit ἀκατάκριτος καὶ ἀνυπεύθυνος. Et certè miſera hæc eſt Chriſtianorum ſub Papatu conditio, quod Papam ἀνυπεύθυνον eſſe credere oporteat. At olim Conciliis ſubjectus erat ille, & eſſet adhuc cum Eccleſiâ ſuâ, niſi ſeorſim extra cœtum fidelium agere mallet: vid. *Jo. Ferus in Act. Apoſt. c.* 2. Et maximè impia eſt gloſſa *in c, ad Apoſtolatum Extravagant. ne ſede vacante. &c.* quâ regulæ inſtar cavetur, nemini licere Papæ dicere: *Domine cur ita facis.* Imò eo temeritatis proceſſit Paulus 4. Papa, ut negaret teneri ſe eo, quod in conclavi ſub juramento promiſiſſet; id enim non aliud eſſe, quàm autoritatem Pontificiam quæ eſt abſoluta, legibus aſtringere: articulum eſſe fidei, Papam non poſſe obligari, imò ne ſeipſum poſſe obligatione aſtringere; qui contra ſentiat, hæreſeos manifeſto teneri: vid *Petr. Suav. in Hiſt. Concil. Trid. l.* 5. Rectè verò Carthaginienſis Synodus damnavit titulum τοῦ ἄρχοντος ἱερέων, propter ancipitis dictionis ſignificatum, quæ τὸν ἄρχοντα deſignat & πρῶτον, ita ut non dici debeat princeps ſacerdotum. *Chriſtoph. Juſtell. ad Cod. Canon. Eccleſ. African. p.* 51.

3. *Conſtituitur Dominus.* Quia enim maritus à Deo majori ingenii perſpicuitate, & præſtantioribus animæ & corporis viribus donatus eſt, ſimul ceu præcellentior accepit dominium in uxorem, & quidem abſolutum, ita ut uxoris voluntas in ſolidum dependeat à voluntate viri, illaque accurate loquendo propriam voluntatem &, quod de monachis ex prava conſuetudine verum eſt, nec velle habeat nec nolle *c. non dicatis* 12. *q.* 1. Quæ cœca obedientia uxoris meliori gaudet fundamento, quàm Monachorum & clericorum, qui quidem omnimodam Principi, qui ſummum habet in res & perſonas Eccleſiaſticas imperium, debeat ſubjectionem, ita tamen temperatam, ne per eum in Deum peccetur & conſcientiæ onerentur; aliqualem etiam debent ſuo Epiſcopo, qualem ſcilicet & quantam unuſquiſque Princeps in ſuâ provincia voluit. Tantum abeſt autem, ut cœca illa & planè bruta obedientia Monialium, ſecundum quam omnia peragere & expedire tenentur, quæcumque juſſerit ſuperior, non attendendo vel rimando, num juſtum aut injuſtum, rationi conforme aut repugnans fuerit; *Davenant. q.* 6; laudem mereatur, ut potius in Republ. tolerari non debeat; ſiquidem votum quod de eâ nuncupatur, non tantum periculoſum, ſed indiſcretum etiam & planè damnabile. Fac enim prælatum hæreſi infici, aut Apoſtaſiâ, aut aliis ſceleribus &c. & talia quoque, quæ hæreſin & cœtera ſapiunt, ſubditis Monachis præcipere, utique ſi ſubditus nullo facto examine obtemperare, aut niſi obediat, puniri debeat, ex cœcâ hâc obedientiâ quanta naſci poſſint mala, nemo non videt. Taceo jam quod tria illa vota obedientiæ, paupertatis, & caſtita-

tatis tùm contra ſcripturam ab hominibus inventa, tùm impoſſibilia, tùm denique damnabilia, impia & irrita, quæ mutari & reſcindi optimo jure poſſunt. Canones enim ipſi docent, in omni voto jus ſuperioris excipi, ergo multò minus hæc vota monaſtica contra mandata & ordinationem Dei concepta valere poſſunt aut debent: Quod ſi mutari ea non poſſent, neque Romanis Pontificibus diſpenſare circa ea liceret, cum non liceat homini obligationem, quæ ſimpliciter eſt juris divini, reſcindere. Quò magis dolendum uxores ſæpè, cum in Monaſterium ſe conferunt, ab obligatione ergà maritum, & obedientiâ illa cœcâ à Deo omnibus uxoribus in omnibus injunctâ, abſolvi, & jus divinum violari. Nec minus etiam peccat Anti-Polygamus *Victor ille Utopicus*, qui uxorem etiam ab obedientia in mutuo corporum uſu abſolvit, & dominium mariti in uxorem in aliis quidem agnoſcit, in mutuo tamen corporum uſu negat, hoc enim ab ejus dominatu excipi dicit, quod in hoc tantum juris & dominatus ſit uxori ac marito. Verum enim verò expreſſe contradicit Deo *Gen.* 3. & Apoſtolo qui imperium marito in omnibus aſſignant, nullâ re exceptâ. Nec ex 1 *Cor.* 7. poteſt æqualis poteſtas viri & uxoris exſculpi, ut infra videbitur. Poteſt enim maritus inſciâ & nvitâ uxore corpus ſuum communicare pluribus.

4. *Dominium ſuave.* Singularis poteſtas & dominium paternum ſcilicet marito competit in uxorem, uti hoc teſtatur *Struv. Ex.* 29. *th.* 56. *& ex.* 3. *th.* 7. *Hahn. ad Weſenb. de rit. Nupt. n.* 6. *Amadeus Eckalt ff. de nupt.* §. 6. Habet vero hoc ipſum dominium maritus ex natura ipſâ. *Grot. l.* 2. *de J. B. & P. c.* 9. §. 8. Naturale quippe eſt imperium, quo præſtantius dominetur deteriori. *can. eſt ord.* 33. *q.* 5. Jam verò, ex ordine naturæ maritus corporis præſtantia, ingeniique dotibus uxorem longè ſuperat, *Ludov. Viv. offic. mar. c.* 3. *circa fin.* ſiquidem in ſexu maſculino natura intellectualis, adeoque dignior prævalet, in fœminâ vero ſenſitiva & inferior, unde & ſequior dicitur. *Schilt. Manud. Philoſ ad juriſpr. c.* 4. §. 21. Unde non immerito mulier (quaſi mollis aer) ab Apoſtolo vocatur debile vas 1 *Pet.* 3. ut pote, quæ non tantum extra, ſed & in partu & poſt partum multas infirmitates habeat, maximè fragilis ſit, & leviſſimè affectibus ſuis fibulam laxat; juxta illud Oweni:

Eclipſin raro patitur Sol, Luna frequenter.
Eſt magis ad lapſum fœmina prona viro.

libr. un. Epigr. ad Heroinam Arbell. Stuart ep. 42. perturbationibusque animi minus reſiſtere poteſt. *Carpz. Pract. Crim. part.* 2. *q.* 55. *n.* 17. Adeo natura & naturales dotes docent eam, quod ſit inferior, & ſubjecta marito. Quamvis enim quod jus civile attinet, uxor maneat in poteſtate patris §. 2. *Inſtit. de ICTO Tertull. l.* 5. *C. de condit. in ſort. l.* 12. *l. de Collat.* nihilominus tamen eo jure etiam marito obſequium & reverentiam exhibere jubetur. *l. un.* §. 7. *l. de rei ux. act. l.* 14. *ff. ſolut. matr. Petr. Gudel. de jure Novell. l.* 1. *c.* 7. Unde etiam ab uxoribus mariti Domini vocantur *l.* 57. *ff. de donat. inter vir. & ux. l.* 88. §. 2. *ff. de Leg.* 2. *l.* 8. *C. de in off. don.* mandato Dei *Gen.* 3. 16. & exemplo Saræ *Gen.* 18. 12. Præterea etiam habet hoc ſuum dominium in uxorem *Jure Canonico. Can. eſt ordo. can. manif. & can. quod Deo. can. ſatis. can. cum. caput. can. mul.* 33. 4. 5. & conſuetudinario. *Weſenbec. de rit. Nupt. n.* 6. ibique *Hahn.* quæ conſuetudo in jure divino ſe fundat; *Gen.* 3. 16. *Num.* 30. 9. *& ult.* 1. *Cor.* 11. 3. 1 *Petr.* 3. 8. *Eph.* 5. 23. *Col.* 3 18. Quanquam verò hoc maritale dominium poſt lapſum inter imprecationes tanquam pœna peccati adjiciatur *Gen.* 3. 16. aliquod tamen jus in uxorem maritus etiam ante lapſum habuit, neque ei prærogativa quædam & dignitatis eminentia ante lapſum deneganda eſt, cum ille non ex muliere, ſed mulier ex viro, nec vir propter mulierem, ſed mulier propter virum creata 1 *Cor.* 2. 9. vid. *Simon. in not. ad Guil. Grot. de princ. Jur. nat.* §. 1. Ita *Ambroſ. in libr. de Patriar.* relatus à *Gratiano in c. nec illud.* 30. *q.* 5. *& can. hæc imago.* 33. *q.* 5. dicit mulieres ideo velatas incedere, uti Rebecca Iſaaco obviam veniens ſe obumbrabat, & equo cadebat, docens ſubmiſſionem & verecundiam ſponſæ neceſſariam

fidenter aſſerunt, & non peccare Epiſcopum, qui tertiam partem redituum pauperibus lagiens, reliqua abundè cum conſanguineis communicet. Vid. quæ plenâ manu congeſſit *Wilhelm. Wendrochius ad Ludov. Montaltii Epiſt. Prov.* 12. *not.* 2. Veteres autem Juriſconſulti & Canoniſtæ ne fructuariis quidem comparari voluerunt clericos, tantum abeſt, ut eos Dominos fructuum perceptorum facerent; Et hinc ſtatuerunt, eos fructus perceptos nec ſuos facere, nec ad hæredes transmittere. *Petr. Coſtat. ad l.* 7. *ff. ſolut. matr.* Secutus hos eſt *Martinus Azpilcueta Navarræus* qui in *libr. de redit. benef. Eccl.* tùm & in *libri illius Apologiâ* aſſerit, clericum ne veſtis quidem, quam quotidiè induit, Dominum eſſe, ſed nec panem, quem manducat, ejus eſſe. E contrario *Franc. Sarmientus* & *Anton. Marſil. Columna lib. de Eccl. Redit.* dominium clericis ita aſſerunt, ut & uti bonis Eccleſiaſticis & diſponere de illis pro lubitu poſſint. Optant plurimi inter Pontificios, à Papâ ut controverſia hæc tandem aliquando decidatur. Sed ille in ſcrinio pectoris rem abſcondit & occultat. Dicitur autem clericus, beneficiatus vel Epiſcopus procurator redituum eo ſenſu, quo olim Procuratores Cæſaris, ſeu Curatores rationales & procuratores fiſci dicebantur. De quibus videri poteſt *Marcellus Donatus in Sueton. Claud. c.* 12. Malunt tamen ſalutari Domini non tantum fructuum, ſed & Eccleſiarum & ovium. Cum tamen *Chryſoſtomus* ait, Epiſcopum officio ſuo fungi οὐ βιαζόμενον, ἀλλὰ πείθοντα non cogendo, ſed ſuadendo. *Hieronymus* Regem & Epiſcopum comparans, *ille*, inquit, *nolentibus præeſt, hic volentibus*. Elegantia etiam ſunt verba Bernhardi ad Eugenium Pontificem *l.* 2. *de Conſid. c.* 6. *Nec enim*, inquit, *tibi ille* (Petrus) *dare, quod non habuit, potuit quod habuit, hoc dedit, ſolicitudinem, ut dixi ſuper Eccleſias. Nunquid Dominationem? audi ipſum: non dominantes in clero, ſed formâ facti gregis. Et ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, & infert: vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur Dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut Dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, ſi utrumque ſimiliter habere velis, perdes utrumque. &c.*

2. *Dicitur Dominus.* Multi dicuntur & non ſunt. Ita *Monachi* in corpore Canonico dicuntur *ſervi* vel ſervis ſimiles, ſed non magis ſervi ſunt, quàm *Papa ſervus eſt ſervorum*, quippe qui ſub abjecto hoc nomine dominus dominantium eſſe affectat, uti benè animadvertit *Jaſon in l. Reſcript. C. de prec. Imper. offic.* Noti ſunt communes verſiculi.

Roma, tibi ſuberant quondam Domini Dominorum:
Servi ſervorum nunc tibi ſunt Domini.

Sanè Canoniſtæ & Pontificii Imperatori dependentem poteſtatem, Pontificii vero dominium ſummum, abſolutum, & illimitatum, non quoad ſpiritualia tantum, ſed etiam quoad temporalia, adeoque in univerſum mundum, non tantum quatenus Eccleſiam, ſed etiam quatenus regna & imperia continet, primò & directè tribuunt. Impudentiſſimus Papæ aſſentator Doctor *Marta Neapolitanus in præfat. tr. de Juriſd.* Paulum 5. Pontificem his verbis compellat: *Tu es vicarius Dei in terris, à quo emanat omnis juriſdictio, unicus in orbe Pontifex, Imperator & Rex, omnium Principum ſuperior, rerumque & perſonarum ſupremus Dominus.* &c. conf. *Sigiſm. Scaccia de Judic. l.* 1. *c.* 7. *n.* 6. *ſeq.* & *n.* 12. *Petr. Binſfeld. de injur. & damn. dat. c.* 7. *q.* 1. *concluſ.* 2. Hoc ſcilicet eſt, quod in dictatibus ſuis ſciſcit Hildebrandus ſive Greg. 7. *unicum eſſe nomen in mundo, nempe Papæ.* Sed hic *Oecumenicus Papæ dominatus* nullo fundamento nititur, & in abſurda omnia ruit. Univerſum quippe genus humanum poſt ſui multiplicationem nunquam in unum aliquod corpus ſive ſocietatem civilem aut Remp. coivit. Si ergo Deo non placuit univerſum mundum in temporalibus ab uno mortali gubernari, quomodo placeat eundem ab uno in ſpiritualibus dependere? Aut ſanè faciamus convenire regimen civile & Eccleſiaſticum, inferre καὶ ἀνθρώπων commodè licebit: Si-

cu-

cuti in univerſo orbe plurima dantur Imperia Monarchica, & plurimi principes ſummam poteſtatem obtinentes, ita in Eccleſiâ univerſa plurimi conſtituendi ſunt Regentes, non unus tantùm uti volunt Canoniſtæ. Sed enim ipſum totum Regimen Eccleſiaſticum non eſt de hoc mundo, & reliquendum id uni Chriſto Pontifici noſtro, vero Eccleſiæ capiti. Falſa igitur eſt aſſertio Pontificiorum *Laicam poteſtatem eminenter & virtualiter contineri in Eccleſiaſtica* & ſicut aurum ſuperat plumbum altitudine ſuæ quidditatis ſeu eſſentiæ, & ſol lunam, ita poteſtatem Eccleſiaſticam ſuperare merè laicam, ſua eſſentiâ & eminentia, & eminenter continere eam. vid *Mart. Azpilcuet. Navarr. relect. c. novit.* 10. *de jud not.* 3. *n.*41. Vana etiam & nimia præſumtio Pontificum Romanorum, appellationes ad ſedem ſuam fieri debere ab univerſis in toto orbe terrarum Eccleſiis. Tentatum id jam diu ſeculo 5. à Zoſimo, Bonifacio & Cœleſtino Pontificibus, allegato hanc in rem canone ſexto Concil. Niceni, ſed cum perſuaderi id minimè poſſet Africanis, & illi in Exemplaribus ſuis canonem eum minimè haberi regererent, fraude tandem detectâ, qua Synodus Sardicenſis, ab Afris nunquam recepta, Nicenæ nomine vendita fuit, ita tandem in univerſali Eccleſiæ Africanæ concilio decretum fuit, ut qui ad transmarina putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur. Igitur poſteà *Petr. de Marca l.* 1. *de Conc. ſacerd. & Imp. c.* 10. appellationum loco relationes & conſultationes ſubſtituit. Quia animadvertit *nec jure nec utiliter* illas appellationes fieri. *Non jure*, quia nullus eſt omnino, quem fingunt Papæ primatus & in Concil. Niceno paria jura tributa fuêre Patriarchis Alexandrino & Antiocheno in ſuis diœceſibus, cum iis, quæ habet Romanus in Romana Eccleſia. *Non utiliter*, quia periculum eſt cauſas non tantum tardius, ſed & infelicius deciſum iri, præſertim ſi unus non ſatis prudens, probus & induſtrius, ſed & ſæpenumerò inſulſus, fatuus, flagitioſiſſimus regimini aut judicio Eccleſiaſtico per totum terrarum orbem præficeretur. Neque enim ἀνυπεύθυνος ille eſt & infallibilis, uti quidem impudentiſſimè Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus comm. ad *Rom.* 14. dicit: *Ego plus uni ſummo Pontifici crederem in his, quæ fidei myſteria tangunt, quàm mille Auguſtinis, Hieronymis, Gregoriis &c. quod ſummus Pontifex in his quæ fidei, errare non poteſt.* Et alii baſiatores aſſerunt, Decreta Papæ omnia cum reverentia eſſe recipienda, quanquam diſtinguant inter illa quæ per modum præcepti, & illa quæ per modum legis aut conſtitutionis fiunt. *Thom. Hurtad. tr.* 4. *c.* 8. *reſol.* 47. *n.* 589. ubi ait decreta priora cum Pontifice mori, reliqua verò eſſe perpetua. Id unde hæc dignoſci poſſint, equidem non video, quin inter Pontificios etiam perquam multù dubitare & diſputare cœperunt de iis, quæ ex cathedrâ jam ut certa & indubitata præſcripſerat & definiverat Papa. Longum iſtarum controverſiarum catalogum texit *Dorſcheus Pertad. diſſ.* 1. *ſub fin.* Ut taceam jam, erraſſe ſæpiſſimè ac in hæreſin prolapſos eſſe Pontifices Romanos, ſæpiſſimè etiam, quæ definita jam à Pontificibus fuerunt, à ſucceſſoribus contrariis definitionibus fuiſſe everſa. vid. *Extravag. Joh.* 22. *ult. Calixt. Reſponſ. Monguntinis oppoſ. part.* 2: *n.* 8. *Jo. del Caſtillo quotid. controv. Jur. p.* 2. *c.* 29. Sic *Gilbertus Genebrardus l.* 4. *Chronogr.* dicit: *Per annos fere centum & quinquaginta Pontifices circiter quinquaginta à Joh. ſcil.* 8. *qui Nicolao* 1. *& Adriano* 2. *ſanctis Pontificibus ſucceſſit, ad Leonem* 9. *uſque, à virtute majorum prorſus defecerunt apotactici, apoſtaticique potius quàm Apoſtolici. E tanto Pontificum numero quinque modo & ſatis tenuiter laudantur.* Gemina his habet *Thom. Staplet. de magn. Eccl. Rom. l.* 1. *c.* 8. *confer Baron. a.* 897. *n.* 1. 4. 6. *ann.* 899. *n.* 3. *an.* 900. *n.* 3. 7. *ann. n.* 908. 3. 4. 6. *ann.* 912. *n.* 12. Huc etiam facit ille *biceps & triceps ſtatus Eccleſiæ*, dum alius Pontifex Romæ, alius Avinione in Galliâ reſideret, tandem tertius à Synodo Piſanâ adderetur, qui ſinguli *pro veris ſe gererent, &* duos reliquos damnarent. *Fuit hæc ſchiſmatica diviſio* ait Jo. Marius de Schim. & concil. p 3. c. 13. *adeo dubia & perplexa, ut etiam peritiſſimi ac præcipui quique clerici diſcernere non poſſent, quis eorum verus Petri ſucceſſor fuerit.* Et Jo. Gerſ. ſermon. de ſign. ruin. Eccl. *at tantam*, in-

ponderamus ipſe potius ut vir pius & bonus paterfamilias deſcribitur qui uxorum & liberorum curam habuerit maximam, & à Deo benedictus, & inſignibus artificibus, quibus mundus adhuc multa debet donatus fuerit. Nam quod homicidium attinet,

Certant Theologi & adhuc ſub judice lis eſt, an ipſe commiſerit, an vero tanquam ab alio commiſſum retulerit, & ſuis uxoribus atque liberis, tanquam rem horrendam & fugiendam propoſuerit. Quicquid vero ejus ſit noſtræ Polygamiæ nil præjudicat. Nam poſito non conceſſo (Chryſoſtomus enim vocat bonum & pium) fuiſſe homicidam bipedum nequiſſimum, non tamen inde evincitur, in omnibus rebus & ſemper nequiſſime egiſſe. Nemo enim tam malus eſt qui in omnibus rebus peſſime agat. Sæpe in ſceleratiſſimo aliqua virtus latitat. Chriſtus ipſe in Oeconomo injuſtiſſimo laudat prudentiam. A Cajapha Chriſticida egregium oraculum audiebatur. Inventores rerum bonarum ſæpe ſunt malæ notæ homines, ut illi docent, qui de rerum inventoribus ſcripſerunt. Ita nil obſtat quo minus à Lamecho uti vulgo creditur, impiiſſimo, res bona Polygamia ortum traxerit.

3. *Lamechus*. Mulier non deſpondebatur apud Judæos, niſi viro uni, ſed vir plures poterat ſibi deſponſare mulieres, & quidem vel ſimul, vel ſucceſſivè *Col-bo ſol.* 86. *col.* 4. *Maimon. in Hilkuth iſchot. c.* 14. §. 3. ita tamen, *ut poſſit ſingulis ſuppeditare victum & amictum, debitum item conjugale reddere, ſed non cogere eas, ut unà habitent in eodem conclavi, ſed ſingulis peculiare cogitur dare cubiculum, vel ædes peculiares.* Porro in *Bereſchith Rabba ſect.* 23. ſcribitur, hunc fuiſſe morem Ante-diluvianorum, ut binas uxores ducerent & earum unam fuiſſe *ad concubitum* duntaxat *& voluptatem*, alteram *prolis gratia*. Illi ne conciperet, propinatum fuiſſe poculum ſterilitatis, ut ſterilis efficeretur. Illam fuiſſe ſemper ornatam, inſtar meretricis coram eo: hanc ſemper coram eo fuiſſe contemtam, inſtar viduæ &c. Sed ſcriptura teſtatur, ambas (Adam & Zillam) Lamechi uxores fuiſſe fœcundas, & liberos peperiſſe. Hinc ſcribit *Rabbi Iſaac Ben Aramah. in* עקרה יצחק *fol.* 30. *col.* 2. *Mirum hoc eſt, cum ſcriptum ſit*, Et Zilla genuit ipſa quoque *Gen.* 4. 22. *Dicendum ergo ipſis, eam bibiſſe illud poculum, ſed nihil ei profuiſſe &c.* Deinde mentem Rabbinorum ita explicat, *ſolitos fuiſſe homines illius ſeculi duas uxores ducere, unam ad conſervationem ſpeciei, & talem fuiſſe Adam apud Lamechum, alteram ad quævis miniſteria obeunda apud virum, & propterea ut ad illa tanto aptior eſſet, potum ſterilitatis ei fuiſſe adhibitum, ne aliis muniis implicaretur & occuparetur &c.* Sic ſcribit *R. Becchai* Zillam perperiſſe *invito Lamecho*, & præter ejus ſpem & opinionem, Deo ſic volente, ut artes, quas adhibuit pro ſterilitate inducendâ, nihil profuerint.

2. *Peccatum*. Noſter Megalander Martinus Lutherus in aureo ſuo tractatu de Polygamia aut Digamia Epiſcoporum in præfat. ita infit: *Satanæ commentum eſt, peccatum fingere ubi nullum eſt, & juſtitiam negare ubi vera eſt.* Et applicat hoc ad Polygamiam ſimultaneam & ſucceſſivam & ſolidiſſimè probat, neutram eſſe peccatum & neque explicitè neque implicitè in totâ ſcripturâ ſacrâ prohiberi. Sicut & in ſpecie Lamechum hâc in re à peccato abſolvit non tantum in fine hujus tractatûs, ſed & in ſpecie in Comment. Germ. in *Gen. Tom.* 4. *Jen. Germ.* ubi verba ita ſe

ha-

habent: **Hier ſind unſer Lehrer aber mahl Klug geweſen / das ſie ſagen / Lamech ſey der erſte Ehbrecher geweſen / wie ſie achten die Digamos die zween Weiber haben / ich halb nicht / daß das die meynung ſey / denn der Text ſagt ſchlechts / er habt zween Ehweiber gehabt. Ob er auch der erſte geweſen / weis ich nicht / aber damit iſt nicht geſchloſſen / das es unrecht ſey zween Weiber zu haben / denn mann daſſelb hernach von vielen auch Heiligen Leuthen lieſt.** Quod propter exteros ita fortean poſſet Latinè verti. Hìc noſtri Doctores iterum ſibi viſi ſunt ſapere, cum dicunt, Lamechum fuiſſe primum adulterum, veluti pro adulteris habent digamos ſeu qui duas uxores habent. Sed non arbitror hanc eſſe mentem Spiritus S. ſcriptura enim ſimpliciter dicit, ipſum illas duas habuiſſe in matrimonio. An etiam primus fuerit, qui hoc fecerit, neſcio, ſed hinc evinci tamen non poteſt, iniquum eſſe, duas habere uxores ſibi rite per matrimonium conjunctas, ſiquidem & hoc deinceps de pluribus etiam ſanctiſſimis legitur. In quibus verbis *Lutherus* primum Doctores & commentatores priores ob ψευδοερμηνείαν & præſumtam ſapientiam reprehendit, quod Lamechum ſine fundamento illi eò pro primo adultero habuerint, cum omnis præſumatur eſſe probus, donec probetur contrarium, & ut ICTorum filii loquuntur, in odioſis (vitiis, peccatis) quod expreſſum non eſt, non attendatur. *Deinde* ipſum Lamechum ab adulterio liberat, quia duas illas uxores matrimonio ſibi conjunctas poſſederit, & hoc etiam de ſanctiſſimis Patriarchis quos adulterii accuſare, tacente Spiritu S. nefas ſit, dicatur. Digamiam præterea, & Polygamiam ſeu ductionem plurium uxorum adulterium eſſe, aut peccatum negat, ac inſuper dubitat aut potius ignorantiam ſuam fatetur, an Lamechus fuerit primus Polygamus, uti & ſupra *th.* 5. *not.* 1. & jam *th.* 32. *n.* 1. probavimus Ante-diluvianos fuiſſe Polygamos. Denique ipſam Polygamiam non iniquam nec injuſtam eſſe aſſerit, ſiquidem non de Lamecho ſolo (quod eſſet alicujus momenti, ſi nullus alius præſertim ex ſanctis familiis fuiſſet Polygamus) ſed de pientiſſimis & juſtiſſimis, quibus cum Deus ipſe locutus, quique inculpatam vitam vixerint, ab omni fere labe, & præſertim gravioribus iſtis oneroſis peccatis immunes, viris hoc ipſum aſſeratur.

3. *Certant Theologi.* Si *Dorxbei* Indicem Biblicum, omneſque Commentatores in Geneſin evolvimus, vix tres reperientur, qui in explicatione hujus hiſtoriæ concordabunt. *Biblia Erneſtina*, aſſerunt, quod non Cainum, ſed juvenem ex familiâ Sethi occiderit, & quæri etiam poſſet an Cainus potuerit occidi, cum Deus noluerit, & dubio procul ipſum ob promiſſionem à morte violentâ præſervarit, eaque propter ſigno de non occidendo inſigniverit. Ortus autem videtur error de occiſione Caini Lamechica, ex eo, quod Lamechus ipſius Caini & vindictæ de Caini interfectore ex voluntate Dei ſumendæ mentionem fecerit, quod Caini Patris ſcilicet peſſimi & primi homi-atque Fratri-cidæ poſteros omnes (κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν) pro malis habuerint. Quis neſcit enim quantum præconceptæ opiniones valeant? Quis neſcit etiam quòd cor noſtrum quod ipſum malum eſt, & ex quo etiam malæ cogitationes oriuntur, proximum, cum videtur, aut ſermo de ipſo habetur, ſemper ferè in ſuſpicionem adducat, præſertim cum nonnullos præeuntes habemus, qui etiam ad mala effutienda ſunt aſſueti. Ita etiam contigit cum Polygamiâ Lamechi, quam cùm unus commentator in malam partem interpretatus fuerit, reliqui facilè eâdem oberrarunt lyra, & alienis oculis textum inſpexerunt, veræ & proprio Marte inſtituendæ interpretationis ſæpè ignari. Inter Rabbinos Abarbenel Lamechum ob Polygamiam præcipuè taxat, ſed Caini-cidium plurimi ei affingunt. Idem dicitur inter Arabes etiam de Lamech, quem per metatheſin more ſolito Malek vocant, uti ad marginem Pentateuchi Arabici *Iben Sina* (de quo Hotting. in Theſ. Phil. p. 274. hæc verba reperiuntur: *Lamech cæcus fuit, proinde à puero duci neceſſe habuit. Audito autem aliquando in*

ſylvâ ſtrepitu, feram eſſe exiſtimavit. At ubi lapide vitam ei ademiſſet, cognovit ex puero, hominem ſe occidiſſe; unde (ne videlicet facinus hoc ejus in vulgus emanaret,) *ipſius etiam pueri caput ita contudit, ut fuerit mortuus* R. Gedal. in Schalſch. hakkab paulo aliter refert. *Dicunt, quod cum Cain ſenex jam eſſet, & defeſſus, habitarit inter arbores & carduos luſcus. Puerum autem, qui Lamechum venaturum comitabatur, è longinquo ipſum vidiſſe, ſimilemque Cainum apparuiſſe feræ; E veſtigio autem Lamechum monuiſſe, ut adverſus iſtam feram arcum tenderet; Id quod fecit, eumque occidit. Cumque propius accederet ad eum, cognovit eum avum ſuum, & exarſit ira ejus, ac ipſum quoque interfecit puerum.* Atque huic Suaviludio Arabico aut potius Orientali, quod prolixè etiam refert Elmacinus p. 7. ſubſidium quæſiverunt Judæi ὀξυδερκέστατοι, eorumque exemplo Chriſtiani etiam in verbis *Gen.* 14. 14. *Occidi virum ad vulnus meum, & puerum ad vibicem meum.* Hinc forte etiam nata illa apud *Keſſæum. p.* 60. de Lamecho opinio, quod fuerit Rex ex Regibus & Gigas refractarius. Atque hæc de Lamecho pèſſima ſuſpicio omnes ferè Chriſtianos invaſit, adeò ut autor perverſi Colloquii juramentum juxta mentem Anaſtaſii Sinaitæ ὁδηγ. c. 1. dicentis ὅτι χρὴ πρὸ τῆς διαλέξεως ἀπαιτεῖν ὅρκον τὸν ἐξ ἐναντίας, ὅτι οὐ καταπατεῖ τὸ ἴδιον συνειδὸς ἐν οἵῳ δήποτε ῥήματι, ᾧ λαλεῖ. à me poſtulet p. 29. antequam mecum ulterius in arenam deſcendat, quia dixerim, nil mali de Lamecho ſcriptum in ſacris literis; ſed hic mos procedendi in foro civili apud ICTos & Advocatos, ubi juramentis ludunt, non inter Theologos in foro Eccleſiaſtico, ubi difficulter ad juramentum acceditur, eſt uſitatus, & condonandum eſt hoc *autori perverſi colloquii,* qui ſuarum rerum Juridicarum ſatagens ſcripturam fortean, multò minus Theologos & Commentatores in Geneſin, non potuit percurrere. Si enim illos oculo modò fugitivo aſpexiſſet, deprehendiſſet dubio procul, pleroſque illa verba, *virum occidi in vulnus, & juvenem in vibicem,* conditionatè exponere, v. gr. *ſi occidi*, non quod actu aliquem occidiſſet, ſed ſi feciſſet, quæ pœna ſit ſecutura, explicat, uti & Lutherus ipſe ſic in ſuis Comment. interpretatur. Et Onkelos, ex judicio Poli in Synopſ. Crit. optime exponit: *Num occidi.* i. e. non occidi. Interrogatio enim habet vim negandi.

4. *A Deo benedictus & inſignibus artificibus donatus. Autor Colloquii perverſi* p. 30. dicit, non inveniri in ſacris literis filios fuiſſe bene moratos pios & devotos. Nec etiam dicitur fuiſſe malè moratos, immorigeros, impios & profanos. Tamdiu autem præſumitur aliquis bonus, donec probetur contrarium. Fuerunt diligentes & aſſidui in opificiis, in vocatione, & egregii artifices, quid deſideratur amplius. Nec ſequitur; excellentiſſimi artifices ſæpè ſunt peſſimi; & maximi lurcones, A particulari enim ad univerſale non valet conſequentia. Verum quidem eſt illud veriverbium: *Magni viri* (artifices) *magna vitia.* Et quod aliàs dicitur: *Nullum magnum ingenium ſine mixturâ dementiæ eſt*, uti *Cornel. Nepos in vitt. Impp*. docet. Ulterius verò *Collocutor perverſus* narrat, multos Cæſares, Reges, Principes, Papas, Heroas & eruditos ex ſcortatione & inceſtu aut etiam adulterio natos, qui maximè utiles mundo egregia perpetrarunt, ſicuti illorum catalogum per modum Alphabeti recenſet Cardinalis *Gabriel Palatus de Not. & ſpur. p.* 66. conf. & *Acuterus de lib. hominis nativ.* Verum ad hæc reſpondetur, non laudo ſcortationem, adulterium ac inceſtum, ſed nec illos, qui illegitimè liberos procreant, & ejuſmodi ſceleribus ſe contaminant, ac conjugium contemnunt; hoc tamen ſcio in ejusmodi actionibus, omnes vires ingenii, ut perſuadeantur fœminæ, & corporis etiam adhiberi, dum quod agunt, ſecundum *Baudium*, vehementer agant, adeoque omnes ſpiritus, ut ita dicam, concentrari, ut non poſſint non filii optimæ indolis inde naſci, qui ſi benè, uti plerumque patres deliciarum utut prohibitarum adhuc memores ſolent, educentur, ad invidiam uſque excellentiſſimi evadunt viri, cum aliàs mariti cum ſuis uxoribus proletarie tantum agant. & pleni curis quaſi aliud agendo, cum uxoribus rem habent, quod non immeritò taxat *Menger. ſcrut. Conſc. p.* 803.

p. 803. *Charron de la ſageſſe l.* 3. *c.* 14. §. 3. etiam conqueritur, quod in generatione hominum non debita diligentia & cura adhibeatur, cum tamen illa tantùm aut plus etiam boni & mali apportet, & afferat infantibus, quàm educatio & informatio jamdum natorum & adultorum; ſiquidem illa conferat ſubſtantiam, temperamentum & bona naturalia, & ſi hic committatur vitium aliquod, non poſſit deinde emendari, non ſecus ac vitium primæ concoctionis non corrigitur neque in ſecunda neque in tertia. Videmus autem homines vulgo ad illum concubitum ruere veluti cœcos, ſolâ voluntate & deſiderio excernendi illa, quibus urgetur, aut delectatur, impulſos. Si exinde oritur aliqua conceptio, eſt caſus fortuitus. Nemo debito modo & deliberatè ut natura requirit, ad illum actum ſe diſponit. Quia igitur caſualiter & fortunâ ita regente quaſi naſcuntur homines, mirum non eſt, ſi ratò admodum inveniantur pulchri, boni, ſani, ſapientes & benè proportionati liberi. Quamobrem *Charron* aliquot regulas hic obſervandas proponit, & requirit 1. Ut maſculus concumbat cum tali fœminâ, quæ non ſit vilis & ſervilis conditionis; nec malæ & vitioſæ complexionis. 2. Si vult liberis operam dare, conducere inquit, ut ſeptem vel octo diebus præcedentibus ab omni concubitu abſtineat atque 3. Interea magis calidis ac ſiccis, quàm frigidis & humidis utatur cibis, iisque bonæ concoctionis, præterea 4. Exerceat corpus aliquantiſper etiam ultra modum, ut ſemen benè coquatur, attemperetur, calidum & ſiccum atque aptum ad temperamentum maſculinum, ſanum & ſapiens evadat. Effœminati, laſcivi & voraces, qui propterea malè concoquunt, non poſſunt niſi fœmellas aut effœminatos & pigros producere mares, ut *Hippocrates* de Scythis refert. 5. Sumno ſtudio deinde incumbat, ut ſibi ſimilem generet, & longo quidem tempore poſt cibum ſumtum, i.e. ventre vacuo & jejuno. (Plenus enim venter nihil producere poteſt quod alicujus ſit momenti, ſive corpus ſive animum concernat.) Unde Diogenes juveni lurconi dixit, quod Pater ebrius fuerit, cum ipſum generaſſet. Et *Lex Carthaginenſium* prohibens vinum illo quo quis cum uxore concumbit die, maximè laudatur à *Platone l.* 2. *de LL.* Tandem 6 concubitus cum uxore fiat ſex vel ſeptem dies ante menſes muliebres vel totidem poſt. Denique 7. uxor momento conceptionis & retentionis ſeminis ſe convertat in dextram partem atque ita aliquantiſper quieſcat. Et hæ regulæ quoad cibum & excercitium debent etiam à matre tempore geſtationis obſervari. Infans verò natus debet lavari aquâ calida & ſalita, ut firmitas membrorum concilietur, caro & cerebrum exiccentur, nervi corroborentur, ut in more poſitum habent Orientales & præſertim Judæi. Nutrix ſi datur optio, ſit quantum fieri poteſt, minus frigida & humida, duriter educata & enutrita, aſſueta lecto duro, cibo pauco, indurata quaſi in perferendo calore & frigore. Dixi autem, ſi detur optio; alias ipſæ matres, uti natura & ratio dictitat, omnesque ſapientes affirmant, debent ſuis mammillis à Deo ideo datis proprios infantes nutrire, ne peregrino & forſitan mali & primo matris contrarii temperamenti cibo liberis damnum inferatur, & aſſueta in utero nutritura mutetur, matresque crimen acediæ aut odii ergà infantulos recens natos incurrant, & dimidiatæ matres audiant, uti *A. Gell. l.* 12. *c.* 1. dicit: *Quod eſt hoc contra naturam imperfectum & dimidiatum matris genus, peperiſſe, & ſtatim à ſe abjeciſſe: aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret; non alere autem ſuo nunc lacte, quod videat jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem.* vid. *Guevar. Horol. Princ. p.* 2. *p.* 3. *Chemn. p.* 1. *Poſtill. p.* 254. *Baldw. Caſ. l.* 4. *c.* 14. *c.* 3. *p.* 1223. *Menger. Serut c.* 8. *q.* 81. *p.* 611. 612. *Perkius Explic. Decal.* 1. *p.* 762. *Alſted. Theol. Caſ. p.* 324. *Meng. l. c. p.* 727. 1155. Poteſt inſuper præter mammillas nutriri lacte caprino vel butyro potius, ſubtiliſſimâ & aëreâ parte lactis cum melle & ſale pauco, ut *Galenus* multis in locis ſuadet. vid. & *Hom.* 10. *Iliad. Eſ.* 7. 15. *butyrum & mel comedet.* butyrum ſanè temperatæ & optimæ nutrituræ. Siccitas verò mellis & ſalis conſumit nimiam cerebri humiditatem, & diſponit ad ſapientiam. Denique infans paulatim aſſueſcat aeri calido & frigido, nec pro-

propterea aliquod periculum eſt timendum, ſiquidem oris in Septentrionalibus infantes & utero modo egreſſos aquâ frigidâ lavant, ſine ullo detrimento.

THESIS XXXIII.

Quod ipſa Scriptura inſinuare videtur dum ejus factum ſingulare & Heroicum antea inauditum recenſet, quod ſcilicet præter morem communem poſthabito & quodammodo eradicato naturali quaſi poſt lapſum conjugii & multo magis Polygamias à Diabolo inſtillato omnibus Adamigenis odio, primus deliberato conſilio duxerit duas uxores. Hoc enim certum eſt, Satanam humani generis, in angelorum lapſorum locum evecti, hoſtem ἄσπονδον eo laboraſſe, ut conjugium, ceu medium propagandi generis humani à Deo deſtinatum exoſum omnibus redderet; Quod mediante Evæ ſeductione in Adamo effectui dedit, & omnibus ejus poſteris, propoſitis conjugii incommodis & moleſtiis, quodammodo implantavit, adeo ut niſi Deus ſingularem voluptatem & neceſſitatem quoque in conjugio repoſuiſſet, & particularem inclinationem naturæ humanæ inſeruiſſet, à pleriſque omnibus ob adjacentia mala omitteretur. Serpens quippe antiquus nil magis in votis habet, quam ut loco conjugii peccata Onanitica, ſcortationes, adulteria in mundo augeantur & hac ratione regnum ejus inferum titionibus hiſce infernalibus repleatur.

1. *Factum Heroicum.* Non ideò nominat *Theophilus* hanc digamiam Lamechicam factum heroicum, ut autor perverſi colloquii ipſi affingit, quod egregiis filiis donatus (Hoc enim ceu futurum ipſum latuit, & exemplo Caini fallere potuit.) ſed quod duas uxores præmeditate quaſi & proprio motu duxerit. Qui novit mulierum malitiam, verſutiam, & maritis inequitandi deſiderium & ſtudium maximum.

(*Raræ quippe bonæ vix ſunt numero totidem, quot*
Thebarum Portæ, aut divitis oſtia Nili.)

Non libenter unam, nedum duas ut plures ducit, niſi occaſione data deceptus eò adigatur. Quod verò Theophilus vocat factum Heroicum, *per verſus Dialogus* p. 31: vocat factum nefandum, adulterium per Lamechi innovationem introductum, apud eos, qui creationi & primæ conjugii inſtitutioni proximi, adeoque divini mandati optimè conſcii, aliàs incognitum & inauditum, atque ideò tanquam ſingulare peccatum à Spiritu S. notatum. Verum enim verò hæ ſunt meræ petitiones principii. *Vitioſum* verò eſt *pro argumento ſumere, quod in diſquiſitione poſitum*, ait *Cicero*, vel ſi quis alius *ad Herenn.* c. 1. Probandum prius, eſſe adulterium, factum nefandum, (quod in Sanctiſſimis Patriarchis conſpicitur) eſſe contra primam creationem ac inſtitutionem, quæ omnia ad ravim uſque refutata ſunt. Probandum Lamechum primum fuiſſe, quo de dubitat *Lutherus* ſupra *th.* 32. 2. citatus, & Rabbini, Arabes, ac Patres teſtantur Ante-diluvianos fuiſſe Polygamos. Spiritus verò Sanctus hoc ceu

ceu ſingulare & peculiare donum divinitus conceſſum, quo Lamechus præmeditatè & deliberato animo duas ducens ſuperavit cœteros, hoc annotavit. Quis igitur non vellet habere pro facto Heroico, præſertim cum multi ob cauſas ſuprà recenſitas abhorreant quaſi ab ipſo matrimonio, & ne quidem unam ducant. Qui ſcilicet conſiderant, vinculum & obligationem matrimonialem eſſe quodammodo injuſtam & ferè nil aliud, quàm duram & ſævam quaſi ſervitutem, quia per conjugium aliquis ſe nimis alligat & ſubjicit quaſi curis & affectibus alterius. Quod ſi male ceſſerit, & peccatum fuerit in electione conjugis, ita ut aliquis plus de oſſe, quàm de carne ut ita dicam, nactus fuerit, miſerrimus eſt ſtatus per totam vitam. Quæ vero iniquitas & injuſtitia poſſet eſſet major, quàm propter unicam horam malè collocatam, propter errorem ſine malitia per inadvertentiam commiſſum, & ſæpè, ut alterius relationi aut conſiliis mos geratur, perpetuæ ſubjici miſeriæ. Melius eſſet collum funi indere & ſe præcipitare in mare, quàm infernalibus quaſi ſemper torqueri pœnis, & ad latus ſine fine perpeti beſtiam opiniatricem, veſanam & furioſam, omni plenam malitiâ ac cunctis animi cupiditatibus frena laxantem. Quamobrem non nemo aſſeruit, quod qui nodum Gordium & vinculum matrimonii indiſſolubile invenerit, repererit medium bellum ſanè & ſpecioſum vindictam ſumendi de hominibus, aut decipulam ac pedicas ad fallendas beſtias, quas deinde languendo mori facimus. Alius dixit, quòd *conjugium hominis ſapientis cum ſtolidâ ac refractariâ*, nil aliud ſit, quàm combinatio vivi & mortui, quod genus mortis fuit à peſſimis Tyrannis inventum, ut homines vivi per ſocietatem mortui enecarentur Deinde *Miſogami* illi dicunt quòd conjugium nil aliud ſit quàm corruptio & oppreſſio optimorum & generoſiſſimorum animorum, quia illa complacentia ferè adulatoria erga illam, quam amamus, perſonam conſpicua, amor infantum, cura domeſtica, & ſtudium ſuos & ſua promovendi deprimunt, & annihilant quaſi vividos & Heroicos animi ſpiritús, uti *Samſon*, *Salomon*, *Marcus Antonius* aliique teſtantur. Proinde illos tantum matrimonio devinciendos, qui plus carnis, ut ita dicam quam ſpiritus habent, qui corpore ſunt robuſto & infirmo animo, maximum verò eſſe damnum, ſi illi qui debiles corpore, magno & vivido gaudent ingenio, carnali conjugio alligentur: Generoſos ſanè equos & canes non facile admitti ad commixtionem cum altero ſexu, ſed beſtias minoris pretii ad illam adhiberi. Inſuper Abſtemii illi ajunt, conjugium ſæpe bellas & generoſas actiones impedire, quemadmodum *Auguſtinus* recitat, quod cum nonnullis ſuis amicis, quorum quidam in conjugio vivebant, in animo habuerit, atque conſtituerit urbem & cœteros amicos ad tempus relinquere, quò eò melius literis, virtuti & ſapientiæ incumbere poſſent, ſed illorum conſilium illicò per uxores eorum, qui erant maritati, ſufflaminatum eſſe, atque interruptum. Unde non male Sapiens dixit, ſi homines poſſent abſque fœminis vivere, fore ut angeli ceu ſocii ipſos viſerent. Præterea etiam conjugium impedit, quo minus alienas viſere terras, & ſapientiam ſuam vel augere vel aliis monſtrare poſſimus. Et ut tribus quod dicitur comprehendam, matrimonium non tantùm obtundit & extinguit generoſos animos, ſed etiam Remp. privat egregiis factis, quæ non poſſunt bene geri ab iis, qui in gremio uxoris & inter infantes commorantur. At maximum ſane eſt damnum, ſi ille, qui aptus natus eſt ad gubernandum totum mundum, tempus conſumit in regendâ uxore & infantibus. Quare Magnus vir ad matrimonium inſtigatus non male reſpondit, quòd eſſet natus ad imperandum viris, & non uni cuidam uxorculæ, ad conſilia danda Regibus & Principibus, non vero parvulis infantibus. Hæc & ſimilia à *Charone de la ſageſſe*, aliiſque allata perpendant ſcilicet, qui ſe à matrimonio abſtinent, adeò ut vitio verti non debeat, ſi Polygamia inter facta Heroica numeretur, ſiquidem in nullâ re etiam ſapienti magis hæret aqua, quàm ſi aliquid certi conſtituendum de perpetua vitæ ſociâ eligendâ, nedum pluribus.

2. *Evæ ſeductione.* Callidiſſimus & verſutiſſimus noſter hoſtis Diabolus nullum peſtilentius medium conjugium inviſum red-

dendi atque exoſum, invenire potuiſſet, quàm quòd Evam aggreſſus, & interveniente illâ Adamum ſeduxerit. Sicuti præteritis ſeculis nullum etiam virulentius medium humano generi nocendi à Diabolo per ſuos vicarios fuit in Eccleſiam introductum, quàm quòd ſacrificuli conjugium pro ſtatu impuro habuerint, hoc etiam mundo perſuaſerint, & facto ipſo comprobarint, conjugiumque contempſerint. Unde non potuêrunt illud, quod ipſi contemtui habuerunt, aliis commendare, ſed potius in culpâ fuêre, ut virginitas illa coacta atque Utopica, cœlibatusque commentitius, concubinatus modernus vitioſiſſimus, peccata muta, Onanitica, ſcortationes, adulteria, Sodomiæ, inceſtus in locum conjugii ſubſtituerentur, adeò ut non malè *Æneas Sylvius* aut potius *Pius II* Papa jam factus dixerit; *Sacerdotibus magnâ ratione ademptum eſſe conjugium, majori autem reſtituendum.* Quod effatum ſi quis paucis mutatis, ut noſtræ conveniret materiæ inflecteret hoc pacto; *Chriſtianis magnâ ratione ademptam eſſe Polygamiam, majori autem reſtituendam*: ſane contra ὑπὸ τύπωσιν ὑγιαινὸν τῶν λόγων nihil committeret. Quamvis autem ut ſupra dictum, Eva cauſa ſeductionis, omniumque malorum ſit, ea propter tamen execranda, & diris, ut mundus ſæpè ſolet, devovenda non eſt, multò minus cum toto ſexu ſequiori ſugillanda, uti hoc de Cujacio, ICTO aliàs non incelebri, refert *Kekerm. in Syſtemate Syſtematum* & de *Seb. Francken Lutherus* 8. *f.* 257. *&* 11. *f.* 153. *In Dipnoſ. f.* 465. etiam propterea taxat D. Crotum quòd inter alia ceu oſor acerrimus conjugii clericorum in ſuo libro ſcripſerit: *Sanctiſſimus Epiſcopus Moguntinenſis nullis moleſtiis plus exagitatur quàm fœtidis & putidis cunnis.* Qui omnes ſi vitia & mores mulierum moroſos taxarent, ab omni culpâ vacarent. Nunc verò cùm in naturam ipſam à Deo creatam invehunt, merito reprehenſioni ſunt obnoxii. Unde *Oſiander in 2 Sam.* 20. *Scommata in ſexum muliebrem non ſine contumeliâ creatoris jaciuntur.* Et in Joh. 20. *Voluit Dominus ut reſurrectio Chriſti per ſexum muliebrem primum innoteſceret, per quem olim peccatum & mores in mundum introierunt, ut vindicaretur hic ſexus ab omnibus & infinitis conviтiis, quæ profani homines in fœminas jaciunt, non cogitantes ſe non tantum in creaturam, ſed etiam in creatorem hujus ſexus eſſe contumelioſos.*

Negari quidem non poteſt, Adamum primò factum à Deo ſolo immediatè & expreſſè propter Deum, ſuum caput, & ad ipſius imaginem, & quidem in ſuâ perfectione, ſiquidem natura ſemper incipit à rebus perfectis. Mulier vero poſt hominem creata eſt, per occaſionem beſtiarum adductarum (unde *mulier eſt vir conditionatus* & occaſionatus, vid. *Charron de la ſageſſe. l.* 1. *c.* 42. *p.* 195. (& quidem propter aliam cauſam, in adjutorium ſcil. viri; qui eſt mulieris caput, ac propterea tàm perfecta creatura non eſt. Et quia mulier prima in prævaricatione fuit & à marito non perſuaſa peccavit, Adamus verò ſecundo peccavit, & quidem occaſione mulieris; igitur fœmina quia eſt ultima in perfectione, & generatione atque occaſionata, prima verò in malo perpetrando dedit occaſionem peccandi marito, merito & de jure eſt ſubjecta maſculo, qui primus fuit in perfectione, & ultimus in imperfectione ſeu malo committendo. Propter illam tamen ſubjectionem ex generatione pariter ac corruptione propullulantem ad infima ſubſellia non eſt detrudenda, nec inter quiſquilias reputanda.

THE-

Thesis XXXIV.

PRæterea etiam negandum non eſt, plerosque veterum non dedita opera & præmeditate, ſed occaſione data ad Polygamiam proceſſiſſe. Abrahamus ſterilitate uxoris diuturna & amica ejusdem perſuaſione inductus ad bigamiam pervenit. Jacob à Labane deceptus Leam ſuppoſititiam cum qua rem habuerat inſcius conſcientia dictitante relinquere, nec Rahelem pulchram diu deſideratam, cui conſenſu pleno ſanctiſſimo promiſerat repudiare poterat, & jamdum bigamus utilitate Polygamias jam aſſuetæ explorata ab uxoribus perſuaſus ad trigamiam & quadrigamiam pervenit, & niſi forſitan à Labane juramento, ne plures ſuis filiabus ſuperinduceret uxores, fuiſſet obſtrictus ulterius in patria proceſſiſſet. David in exilium pulſus & prima uxore orbatus, divitem & prudentem, qua ipſe exul & pauper opus habebat Abigail morte Nabalis ominoſa audita ambiebat. Lamechus vero deliberata mente, primam conjugii inſtitutionem & verba Præceptiva Catholica: creſcite & multiplicamini penititus conſiderans, obedientiam præſtare, & ſe pro virili multiplicare ſatagens duas duxit uxores, quod priores ante ipſum ex memoria deceptæ Evæ & exiſſi Adamitici timidi redditi intermiſerunt. Ipſe autem inſuper habitis omnibus imminentibus & præconceptis difficultatibus heroico animo hoc primus auſus, & proprio facto verba legis Catholicæ (creſcite & multiplicamini) non benedictoria tantum, ſed ſimul imperatoria explanare & bono exemplo omnibus ſuis poſteris præire voluit. Ita enim infit Spiritus Sanctus: *Lamechus vero duas ducebat uxores, una appellatur Ada, altera Zilla. Et Ada pariebat Jabal, à quo veniunt habitantes in tuguriis paſtores, & frater ejus vocabatur Jubal, unde oriuntur cithariſtæ & buccinatores. Zilla vero etiam pariebat nempe Tubalcain, Magiſtrum in ære & ferro præparando. Et ſoror Tubalcain erat Naema. Et Lamech dicebat ad uxores ſuas. Uxores Lamechi audite meam vocem & attendite ad ea quæ dico.*

Quo pacto hæc verba Lamechi (quem *Moſes Gerrundenſis* ſapientiſſimum virum, quod primum natu filium artem paſtoritiam & proximum ab eo Muſicam, tertium vero artem poliendi ferrum docuerit) ſint intelligenda, ne ipſi quidem Rabbini ſibi ſatis conſtant. Rabbi *Iaſi* dicit Lamechum cœcum Tubalcain ductore uſum, qui conſpectum Cainum pro ferâ reputans monuiſſet Patrem, ut arcum attraheret. Quo

facto

facto occiſum eſſe Cainum, & eſſe proavum cognito; vola volam Lamechum percuſſiſſe & comploſione multa comprehendiſſe filium eumque occidiſſe, & deinde ad ſuas mulieres ſeparationem meditantes hæc verba protuliſſe. In *Geneſin* vero Magnâ dicitur Lamechum occidiſſe Cainum, ſed congreſſum ejus mulieres ad multiplicandam ſobolem non admiſiſſe, quia poſt ſeptimam generationem poſteritatem Caini juxta vaticinium delendam & quidam diluvio credidiſſent. Quod & videre eſt apud *Gedalia in Caten. Fab.* & *Hotting. hiſt. Orient. Abenezra* vero ait uxores Lamechi adductas Adamo (qui ipſe juxta Strabum continentiam poſt occiſum Abelem voviſſet) dixiſſe: *Caſtiga prius temetipſum quia jam à multis annis te ſeparaſti ab uxore quantum ad torum.* Adamum vero (qui his verbis impulſus, ut ex *Aug. Nauclerus* refert, 30. liberos, aut juxta Joſephum & *Methodium* 100. generaſſet) reſpondiſſe: *Facite vos quod vobis incumbit & Deus faciet quod ſuum eſt*: confer. *Schotanus* & *Heidegg. vitt. Patriach.* Quicquid vero ejus ſit, omnes in eo concordant, habuiſſe duas uxores, ex quibus ut Joſephus & quidam Hebræi teſte Hieronymo dicunt, 77. genuit liberos.

1. *Occaſione datâ.* Quia mulier, uti jam audivimus, eſt vir occaſionatus, quæ in gratiam Adami facta occaſione beſtiarum copulatarum ab Adamo deſiderata & acquiſita eſt, igitur pleraſque nuptias & mulieres videmus eſſe occaſionatas, eaſque multo meliores, quàm quæ longo ſtudio & multis impenſis celebrantur. Unde vulgo in proverbio dicitur, *Conjugia ſunt aut fatalia, aut fatualia. Fatalia*, quando fatum, ſeu, ut more Chriſtianorum loquar, divina providentia alicui homini occaſionem matrimonii ſubminiſtrat, ipſeque homo occaſionem arripit, & quod erat in fatis, conſummat. *Fatualia* verò, quando quis occaſionem divinitus ſuppeditatam negligit, alia & quidem meliora ſuo judicio, præſentibus non contentus omnibus animi nervis adhibitis quærit, ac ſæpe eligit, quod in perniciem ejus tendere poſteà maximo ſuo cum damno experitur. Quid occaſio fronte capillata quidem, ſed poſt hæc calva in actionibus humanis valeat, Poetæ & hiſtorici ſatis docent. Unde *Cardanus in Arcanis Politicis* monet *c.* 42. *p. m.* 169. *occaſionem in omnibus actionibus & ſermone quoque obſervandam; Nihil enim in humanis rebus majus eſſe, ſeu properè agendum ſit, ubi celeritate opus eſt, ſeu differendum, ubi cunctatio eſt neceſſaria. Et plerumque in actionibus majus eſſe periculum in morâ, in verbis autem, ſi intempeſtivè* &c. Hæc Cardanus, Maxime verò in adjutorio eligendo occaſio non eſt negligenda, ſiquidem ſi ſemel præterierit, non facilè ſe iterum offeret, & ſicut *in bello non licet bis peccare* juxta *Corn. Nepotem*, ita in bello venereo, & conjugio ineundo, ſi ſemel error commiſſus, difficulter ſanè poſteà corrigi poteſt. Hoc etiam ſibi dictum velint virgines, quæ juvenes ſine causâ ſæpe contemnunt, quando de matrimonio loquuntur. Multæ ſæpe gloriantur de multis procis, uti de Helenâ conſtat, quòd cum adoleviſſet, multos habuerit, Antilochum, Aganepenorem, Amphilogos duos, alterum Amphiarai, alterum Cleati filium; Ajacem Oilei, Aſcalaphum, Ajacem Telamonis, Diomedem; Euriphilum, Elpenorem, Eumelum, Menelaum, Megetem, Mneſteum Salmenum, Leonteum, Machaonem, Polyxenum, Penela, Podalirium Philocteten, Proteſilaum, Patroclum Sthenelum, Ulyſſem, Thalpium Schedium, Polypætem, Teucrum. Eos omnes Tyn-

darus Helenæ Pater, jurejurando obſtrinxit, cuicunque puella nupſiſſet, ei cœteros omnes contra aliorum quorumcunque vim opem laturos: Ipſa Menelaum elegit, cui cum Paris Helenam rapuiſſet, ex fœdere ſocia arma Græcorum Principes junxêre. *Natalis Comes l.* 9. vide *& Iſocratem in Helenæ Encomio.* Ejuſmodi procorum nundinatores, ut juvenes alliciant, fuco & pigmentis cum *Jeſabele* 2 *Reg.* 9. 30. aut etiam aquis Coſmeticis, quibus crines & cutem quaſi immutant, croco aliisque rebus utuntur, ut pulchritudinem, quæ ipſis deeſt ſibi concilient, de quibus vid. *Camer. Hor. p.* 11. *p.* 160. *Theatrum Diabolorum p.* 11. *f.* 27. 29. *Menger. Scrut. Conſc. p.* 759. Deinde leviſſimæ iſtæ mulierculæ ad decipiendum incautos collum & pectora denudant, & ſubtiliſſimis atque pellucidis veſtibus utuntur. *Alſtedius* equidem *Theol. caſ. c.* 19. *p.* 379. hoc concedit, ſi hoc ſit more receptum in aliqua provincia, *poſſunt geſtare*, inquit ille, *nuda pectora, aut uti veſte tenui & pellucida, ut pectora ſint conſpicua &c.* At enim Eſaias reprehendit in Iſraelitis colla illa erecta *Eſ.* 3. 16. & Paulus 1 *Cor.* 11. 5. vult, ut mulieres capite tecto incedant, adeòque multò magis aliis membris tectis, quæ poſſint eſſe libidinis incentiva. Nec proinde ſufficit mos & conſuetudo provinciæ, ſed reſpiciendum ad decorum naturæ & Eccleſiæ. vid. 1 *Cor.* 12. 23. *ubi Baldw. in Comment. p.* 678. *Membra*, ait, *quæ Deus & natura voluit eſſe tecta, non retegamus. Ignominiâ enim afficitur ipſe conditor naturæ, quia ordinem naturæ, ad quem velamen membrorum illorum pertinet, intervertunt. Quin & Paulus tegmen eorum membrorum, quæ turpia videntur, honorem illorum vocat.* Et Auguſtinus ſcribit l. 14. de C. D. c. 7. *pudorem velandi quaſdam corporis partes naturalem eſſe. Unde ſequitur & honorem & pudorem cum veſtibus deponi* (cum denudatione etiam harum corporis partium.) *Nuditas enim jam non amplius honori eſt, ut ante lapſum, quia innocentia deperdita eſt, quæ corpus & animam hominis faciebat honoratam. &c.* vid. *Menger. Scrut. Conſc.* 761. Certe virgines & omnes fœminas decet maxime modeſtia, pudor & humilitas, quæ denudatione membrorum & pulchritudine artificiali non conciliantur. *Rarò quippe excellens corporis forma & vera animi humilitas ſimul in una muliere, præſertim his ſuperbiæ modis artificialibus delectante, habitant*, inquit Oſiander in *Eſth. c.* 1. *Gregor. l.* 23. *c.* 3. quatuor ponit ſpecies ſuperbiæ 1, *cum quis bonum à ſemetipſo habere æſtimat*, 2. *cum ſibi deſuper datum pro ſuis ſe meritis accepiſſe autumat*, 3. *cum quis jactat ſe habere, quod non habet*, 4. *cum deſpectis cæteris ſingulariter quis videri appetit.* Hoc poſterius uti maximè in ſexu ſequiore reperitur, ita magnopere ſibi ab hoc cavent virgines virtutis amatores, ne pœnas divinas incurrant, & in orphanorum ſtatum, ubi ſuperbis veſtibus deinde ſæpè carendum eſt, deveniant, *Jer.* 15. 7. aut inter annoſas virgines deinceps *Eſ.* 54. 4. referantur. De quibus Oſiander. *Annoſa virgine, quæ ad eam ætatem pervenit, ut amplius concipere & parere non videatur, quid obſecro eſt monſtroſius, quin etiam contemtibilius.* vid. *Menger Scrut. Conſc. p.* 763. 791. Ante omnia vero virgines verecundæ à cantilenis & verbis amatoriis ex Amadiſo petitis abſtinent, ne juvenibus occaſionem laſciviendi præbeant. *Vanas cantilenas canere ſive componere, quo quis ſemetipſum vel alium ad peccatum luxuriæ provocare poſſit, eſt peccatum mortale*, inquit *Pinellus l.* 4. *de Pœnit. præc.* 6. Cajetanus, Navarrus aliique Caſuiſtæ Pontificii diſtingunt quidem inter *delectationem carnalem* ex iis capiendam, & *recreationem captandam ex hilaritate verborum & curioſitate.* Sed hæc diſtinctio potius in abſtractione mentali quàm reali conſiſtens, quomodo à devotis illis ſubtilitatum Magiſtris inſtitui poſſit, equidem non capio. Utrumque pertinet ad Matth. 12. 36. & rectè ait *Chryſoſt. hom.* 22. *ad Popul. Antioch: Linguam ſub duobus ſeptis, dentibus dico & labiis, Deus concluſit, ut tanquam verecunda virgo nihil indiſcretum loquatur.* Ita & *Cyprianus dicit: De ore & verbis ſuis quiſque proditur, & utrum Chriſtum in corde ſuo, an verò Antichriſtum habeat, loquendo detegitur.* Et Anton. Fernandus part. 4. Exam. Theol. Mor. p. 974. *Sanè nos Chriſtianos Chriſti ſervatoris carnem man-*

manducaturos & ſanguinem bibituros pudeat ad ſacram Euchariſtiæ menſam hiſce verbis & canticis impudicis turpificato ore impudenter accedere. Quod ipſum deſumtum ex *Auguſtini verbis ſerm* 215. *de tempore*: *Videte fratres chariſſimi, an juſtum ſit, ut ex ore Chriſtianorum, ubi corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum carmen, aut ſimile quoddam quaſi venenum Diaboli proferatur.* vid. Syr. c. 9. v. 4. Ubi Oſiander ita commentatur. *Sunt tales fœminæ* (ſic etiam pueri obſcœna cantillantes) *inſtar Sirenum, quæ multos homines miſerè perdunt, & cantilenæ amatoriæ* (præſertim, quæ aliquid obſcœni habent) *facilè mentes auditorum accendunt, ut poſtea illicito amore ardeant.* vid. etiam hic *Luth. t.* 1. *Lat. p.* 154. ubi inquit: *aliud eſt auditus, quo indicatur concupiſcentia intus ardens, ut qui vel provocant dici vel cantari turpia* (& ii ſunt pejores) *vel qui tacitè & libenter audiunt, etiamſi non provocent. Delectantur enim in illis, neque avertuntur, ut ab immunditia & nocumento &c.* Sic etiam vitanda eſt lectio librorum amatoriorum, de quibus *Autor Gymnaſm. de Exerc. Acad. p.* 5. *p.* 315. *Comburendi libri Amadiſi ſunt & ſimiles qui caſtitatem derumpant, qui conſpurcant temperantiam, qui vagam linguam & mentem formant, qui innumera adulteriorum libidinum ſtratagemata oſtendunt, qui matrimonia furtivis, iisque quotidianis complexibus quaſi in anteceſſum conſummare & ante legitimum tempus polluere docent. &c. libri flammis tradendi.* &c. Huc etiam pertinet *J. Val. Andreæ* Cenſura & judicium (in *Apal. manip.* 2. 2. *n.* 1.) de Amadiſo, quem famoſum impoſtorem vocat. *Nam cum is in aula & apud otioſos tum fœmineum etiam ſexum gratioſus eſſet, miris ludibriis animos hominum ad peſſima quæque faſcinavit. Nam & ſceleſtiſſimam Necromantiam pro divina ſapientia venditabat & impuris libidinibus virgineum & conjugalem torum polluebat, & ferocitate beſtiali animos generoſos imbuebat, & religionis legumque vincula diſſolvebat, & vanis fabulis puriorem occupabat mentem. Unde accedente magnatum favore incantationibus, lenociniis, duellis, votis frivolis & ſtulta imaginatione omnia opplebantur. Ubi innotuit rei periculum, interceſſerunt pro amico Triſtanus, Olivertus Octavianus, Briſſonetus, Guſmannus, Don Quixote, & innumeri alii nugivendi, ſed & Rabelaſius & Merlinus literati hiſtriones, tum infames fœminæ Brianceſora, Meluſina, Magalona & ſimiles aliæ, quas ubi primum intuitus eſt Prætor Lanovius, omnes ſcutiscis expellendos palatio edixit, Satis nempe,* inquiens, *inclinare judicium humanum ad excuſandas peſtiferas nugas, nec opus eſſe tot loquaculis interceſſoribus. Ipſum vero Amadiſum morum corrumpendorum Anteſignanum & cornuum verſatiſſimum artificem cum univerſa familia vivum comburi juſſit.* vid. & egregius diſcurſus *Lanovii diſc.* 6. *p.* 163. ubi oſtendit, quod æquè damnoſi ſint libri Amadiſi legenti juventuti, ac libri Machiavelli, ſi ab adultis percurrantur.

2. *Uxores Lamechi.* Perverſus Dialogiſta ait ideò *fortean* potuiſſe Lamechum hæc verba proferre, ut indicaret, quo pacto per digamiam profanus factus & de peccato in peccatum prolapſus fuerit. Sed à poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Et recordor hîc Magni Theologi Jac. Martini dicterii in diſputationibus ſæpè Reſponſionis loco adhibiti, quando dixit: *ad Tuum fortaſſe* reſpondetur non fortaſſe. Rabbini maximè inculcarunt in ſuis præceptis ſuis diſcipulis ne *judicent ex conjecturis* aut ut prolixius explicant, *neè medio tollat domus judicii judicatum, niſi per teſtes, qui ea de re ob quam interficitur, teſtentur, quod oculis eam ſuis viderint vere, teſtimoniumque perhibere poſſint, ſolidis nixi rationibus, atque propterea dicitur Ex.* 23. 7. *Innocentem & juſtum ne occidas; quaſi diceret, ne hominem occidas, qui non feciſſe poteſt id, cujus inſimulatur.* Atque ita in Mecilta explicatur. Hoc præcepto verò negativo contineri volunt aliud, nempe ſi duo contra aliquem teſtimonium dicant, quod viderint ipſum transgredi transgreſſionem, ita tamen ut alter teſtetur feciſſe illum opus die Sabbathi, alter verò, Idololatriæ crimen patraſſe, non judicatur talis ſecundum teſtimonium illorum, quia dicitur: *Innocentem ne occidas.* Quam accuratus autem & certus teſtium eorumque αὐτόπτων (neque enim alii admittuntur) eſſe de-

debeat conſenſus, habetur in Sanhedrim. Quæ omnia eò tendunt, ut appareat, ex ſolis conjecturis non eſſe judicandum, aut alterum criminis incuſandum, atque condemnandum. Sicuti Lamecho etiam accidit, qui ex meris 50 χασμοῖς adulterii, homicidii & neſcio quorum criminum aliorum accuſatur, cum tamen ex ſcripturâ nil certi de hâc re poſſit afferri. Ita etiam mera conjectura eſt autoris perverſi colloqui p. 54. quòd ideò matres Jubal & Jabal nominentur, ut indicetur illos non fuiſſe fratres uterinos, & ante-Lamechianos omnes, quia ſine fratribus enumerantur, fuiſſe Monogamos. Sic hoc non eſt roſtro philoſophari, neſcio quid aliud hoc nomine venire debeat.

THESIS XXXV.

Mirari vero ſatis non poſſum, cur Lamechus primus autor, ut putatur, Polygamias ita à plerisque omnibus modernis ſequentibus hac in re *Hieronymum* qui unam coſtam in duas diviſiſſe aſſerit, & *Lyranum*, qui primum prævaricatorem legis naturalis vocat, ſugilletur; & Jacobus, Abrahamus, David, Salomon, Abia cœterique omnes excuſentur, cum neſcio an ille pejor ſit, qui primus erravit, an illi, qui alterius errorem ſequuntur. Sane illi Patriarchæ præ Lamecho, aut etiam nobis hodie nullum privilegium habent peculiare. Spiritus Sanctus ut neque in illis omnibus taxat ita neque in Lamecho Polygamiam. Peccati vero contra legem commiſſi iniquitatem nunquam & nuſpiam neque verbo neque opere oſtendere, neſcio ſanè an cum ſumma Dei juſtitia ſtare poſſit. Præterea Deus in more poſitum habet delictum prima vice perpetratum ſeveriſſimè coarguere, ne peccator illud ipſum quod in oculis Dei abominatio eſt, repetat & culpam, ob ſemel intermiſſam ejus improbationem ipſi Deo imputet. Certè niſi Deus primum actum inobedientiæ in Adamo acerrimè redarguiſſet, potuiſſet ulterius extendere manus ſuas, & de arbore vitæ poſt lapſum non amplius conceſſa comedere. Niſi Deus primum homi-aut fratricidium in Kaino ſummopere caſtigaſſet, pergere plus ultra, & Patrem atque matrem & ſubſequentes etiam fratres & ſorores è medio tollere potuiſſet. Et quis vitio vertiſſet Davidi, licet omnium ſubditorum uxores ad placitum rapuiſſet & maritos earum morti deſtinaſſet, ſi Deus primum adulterium & homicidium ſiviſſet inultum. Hinc ita argumentor:

Quicunque Polygamiam prima vice commiſſam neque verbis neque factis punit, ille legislator Polygamiam pro re licita ſeu indifferenti habet.

Atqui Deus ſupremus Legislator Polygamiam prima vice commiſſam in Lamecho neque verbis neque factis punivit.

E. pro re licita ſeu indifferenti habet.

F. Quinimo ſi recte ipſum textum ponderamus videmus tantum abeſſe, ut Lamechus fuerit à Deo punitus, ut potius ſingulari benedictione mactatus, & celeberrimis filiis donatus. Omnes enim communiter ſtatuunt, à Jobal proveniſſe cunctos, qui tentoria faciunt, & qui in tentoriis habitant, & portatilibus ſunt contenti, quales omnes paſtores, & Troglodytæ fuerunt. Ipſe Abrahamus etiam, Iſaacus & Jacobus ἐν σκηναῖς habitabant & Paulus erat σκηνοποιητὴς Iſmaëlis nepotes Scenitæ appellantur ex Pſal. 83. 7. A Jubal Muſica inſtrumentalis orta fuit, ceu *Athan. Kircherus* in *Muſurgia* docet, cui ſuccenturiatus fuit Tubalcain artifex inſignis æris & ferri. Unde à Gentilibus ſub nomine Vulcani cultus ut *Voſſ. de Idol.* teſtatur. conf. etiam *Matheſii Sarepta.* Breviter, tota ejus domus gaudiis, virtutibus, quod nomina, Adæ, Silla, Naëma, Jubal, &c. indicant, erat pleniſſima.

1. *Privilegium.* Fingunt quidam in Veteri inſtrumento, alii quidem permiſſionem, alii tolerantiam, alii ignorantiam, alii diſpenſationem, alii privilegium, quoad Polygamiam; Veritas ſcilicet eſt una, mendacium multiplex. Ita etiam hic, quo ſe vertant neſciunt. Cœteris quidem Polygamis privilegium, diſpenſationem, aut ſimile quid aſſignant, Lamecho verò plerique omnes denegant, aut ſaltem de privilegio illi conceſſo dubitant, uti autor Polygynias facit; Certè ad unum ferè omnes ipſum maximopere culpant, & nil niſi malè de eo loquuntur, unum ſi excipias, quòd ſcilicet tandem ſcelerum egerit pœnitentiam, nec ad mortem uſque in ſuâ perſeveraverit impietate, uti *Chryſoſt. & Theodor. in Gen.* nec non *Iſidorus Peluſiota Ep.* 8. *l.* 4. *Athanaſius Parab. QQ.* 64. hoc aſſerunt. At prius alicujus ſceleris & impietatis convincendus eſſet, & probandum Polygamiam eſſe peccatum.

Ipſum vero Polygamiæ pœnituiſſe & uxores repudiaſſe non legimus, adeòque libere nimis *autor Dialogi inverſi* judicat, cum *p.* 122. Lamechum, non Sethiadem illum, & Noachi Patrem, ſed Cainitam, ſeptimum ſcil. à Caino, noſtrum Polygamum vocat *mali corvi malum ovum.* Quaſi non optimi Patres poſſint habere peſſimos filios, ſicuti ſceleratiſſimi ſæpe Patres probatiſſimos progenerant. Sane *Adamus* ſatis probus habuit ſuum Cainum. *Abrahamus* Pater credentium ſuum Iſmaelem. *Iſaac* optimus optimi Parentis filius ſuum Eſavum. *Jacobus* Ruben, Simeon & Levi. *David* ſuum Abſalonem & Ammonem. Et quid nobis fidem faciet, omnes in familiâ Sethi, Noachi, aliorumque, qui ſecundum Rabbinos, Judæos & hiſtoricos fuêre πολύτεκνοι, fuiſſe probos, ſiquidem ſeptem tantum intrabant arcam. Prætereà Lamechus noſter non fuit immediatus Caini filius, ſed ſeptimus à Caino. Quis vero Anti-Polygamo revelavit, omnes in Caini familiâ fuiſſe malos? Cainus etiam ipſe, licet homicida in examine illo Dei rigoroſo plena deſperationis verba eructârit; *mea peccata, quàm ut remiſſionem conſequantur*, inquiens *ſunt majora*, an in hâc impietate perſeveraverit, an vero ab Adamo, aliiſque melius informatus aliam mentem induerit, & prætereà ſigno divino collo quaſi appenſo perterritus in melius mutatus fuerit & pœnitentiam non tantum homicidii, ſed & illius deſperationis egerit, equidem neſcio. Si tamen *judicium charitatis*, uti ab omnibus Chriſtianis fieri debet, obſervo, potius meliora de ipſo præſumo, ut pote, quo cum Deus ipſe locutus, quique adhuc vivo patre eoque ſapiente, ſui filii amore ſine dubio flagrante, beneque ipſi cupiente, & nihil magis in votis

tis habente, quàm ut ab omni iniquitate in poſterum abſtineat, delicta juventutis deploret, & candidatus æternæ vitæ evadat. David certè adulter & homicida in his ſceleribus non perſiſtebat, ſed ſemel admonitus non à Deo immediatè ut Cain, ſed à Nathane Propheta quaſi aliud agendo ſceleris convictus veram egit pœnitentiam. Quia verò hic facta mentio Caini, non poſſum non ſententiam Arabum de Caini fratricidio hic ſubjungere, qui odii fraterni & tàm nefarii patrandi ſceleris occaſionem ex controverſo inter fratres connubio ortam volunt Hiſtoriam ſic narrat Patricides: *Præcepit Deus Protoplaſtis, ut fœtificarent, augeſcerent, & implerent terram: unde Adam uxorem ſuam Evam cognovit, quæ concipiens partu eodem puellum & puellam enixa, puerum quidem Cainum, puellam verò Aſrun appellavit. Secunda verò conceptione iterum peperit gemellos, maſculum, quem Abel, & fœmellam, quam Avim* (Latinis Leſura dicta) *vocavit. Cumque pueri ex ephebis jam exceſſiſſent, ſororesque viri potentes eſſent, dixit Adam uxori ſuæ Evæ:* velim quidem Cainum ducere Avin ſororem congenitam Abeli & vice verſa, ut Abeli cedat Aſrun Caini ſoror gemina. *At oblocutus Cain reſpondit matri ſuæ Evæ:* ducam utique uxorem ſororem meam, ſuam ſibi reſervet Abel. *Erat autem Aſrun formoſior Avina. Quibus verbis auditis Adam graviter commotus dixit: Quæ hæc lis? Præſtat ut juſſu meo ſuam quilibet retineat uxorem. Sed quia Cain fuit agricola, Abel verò paſtor gregis dixit Adam ad eos:* Litem inter vos ortam ſacrificiis dirimite, ſumtisque de fructibus terræ, & fœtura gregis aſcendite ad verticem montis ſancti, ibique veſtra offerte ſacrificia, atque exinde quilibet uxorem ſuam ducat. *Attulit igitur Cain de fructibus terræ ſuæ, ut offerret in munus & gratum odorem. Dumque una montem deſtinatum aſcenderent, ingreditur Diabolus Cainum, eique perſuaſit, ut occideret fratrem ſuum Abelem, propter Aſrunam ſororem ſuam. Atque propterea Deus ſacrificium Caini non acceptavit; cum enim utrique ſua Deo obtuliſſent ſacrificia, reſpexit Deus ad munus Abelis, ad ſacrificium Caini non item. Atque hinc exarſit Caini in Abelem ira, odium, uſque adeò ut irreconciliabili invidiæ œſtro percitus in fratrem ferretur, cumque de monte deſcendiſſent, irruit Cain in Abelem, caput ejus Capide lethaliter feriit, ſicque vita eum privavit. Ex quo fratricidio Adamo & Evæ ſummus mœror, ſummaque triſtitia nata. Luxerunt enim Abelem annos centum continuos. Maledixit autem Deus Caino & ejus poſteris: fuitque Cain tremulus & erro omnibus diebus vitæ ſuæ, Et expulit eum Deus occaſum verſus in terram Nad. Et aſſumſit Cain Aſrun ſororem ſuam, ut ibidem ſecum habitaret.* Hæc Patricides ſcriptor ἀνέκδοτος ab Hottingero, p. 27. his verbis expoſitus. Tale quid *Epiphanius* tribuit Archonticis *hæreſ.* 40. *p* 131. cujus verba Græca Latinè ita poſſunt explicari: *Porro rurſus aliam fabulam narrant:* *Diabolus*, inquiunt, *veniens ad Evam, copulatus eſt illi, ſicut vir mulieri, & genuit ex eo Cainum &* Abelem. *Qua propter inſurrexit alter in alterum propter æmulationem, quam inter ſe habebant, non eo, quod placuit* Abel *Deo, ſicut veritas habet, ſed alium confictum ſermonem dicunt, nempe quod propriam ambo illi ſororem diligerent, irruiſſe Cainum in Abelem, eumque occidiſſe.* Cœterum ut ad Caini abnepotem Lamechum iterum deveniamus, non tantum homicidii & adulterii faciunt reum, ſed etiam *maledictum* appellant, cum à Deo ſatis *benedictus* in ſcripturâ prædicetur. *Procopius in Octateucho* ſanctos plures interfeciſſe dicit, eorumque uxores Adam & Sillam, neſcio unde edoctus, rapuiſſe. His & ſimilibus conjecturis aut, ſi ſcapha ſcapha eſt appellanda, mendaciis premitur, ille, de quo ſcriptura nil niſi bona omnia enarrat. Similis fere farinæ eſt, quod *autor fictæ victoriæ* dicit, communem eſſe ſententiam (*via publica ne ito*, inquit *Pythagoras*) Cainitas corrupiſſe Dei filios ſeu Sethiadas, i.e. ſanctos Sethi ex propagine, fœdiſſimâ illis commixtos libidine, ſic ut probis admodum raris tota Eccleſia pura ſolo in Noacho & ejus conſiſteret liberis, uti & *Anti-Polygamus* ille ad vulgarem ſententiam refert, Lamechum fuiſſe temeratorem conjugii, flagitioſum atavicidam, & parricidam, contra generalem legem & ſpe-

ſpeciale Dei interdictum de non occidendo Caino, præterea fuiſſe ferocem & ſcelerum jactabundum. At hoc pacto ſuo ſe jugulat gladio, cum aſſerit communem & vulgarem eſſe ſententiam. Nullus enim dubito, quin noverit, vulgi communem opinionem plerumque à veritate eſſe alienam, & *multitudinem errantium non parere errori patrocinium* Unus *Paphnutius* in Concilio Niceno eſt inſtar omnium & major omnibus Epiſcopis. Sicut etiam alias dicitur: *Plus credendum eſt Mariæ veraci* (de Chriſti reſurrectione teſtanti) *Joh.* 20. 18. *quàm turbæ fallaci.* Matth. 28. 15. Et ubi extat in ſcripturis Cainitas ſeduxiſſe Sethiadas, *Nemo ſeducitur niſi à ſeipſo*, inquit *Jacobus.* Propria etiam & inextorta confeſſio eſt, eſſe communem & vulgarem ſententiam, Cainum eſſe temeratorem primæ conjugii inſtitutionis, homicidam &c. Maneat ergo communis & vulgaris ſententia, & non pro vera ſtatim ſine fundamento recipiatur. Non jam dicam, quod Cainus non potuerit occidi, ſiquidem ipſi hoc auguranti Deus promiſerat, ne illum quiſquam occideret, & ſigno etiam notabili ab omni violenta morte præſervarat. Grave verò peccatum eſt in illo *pluſquam Ethnico Ovidianæ Victoriæ autore*, qui tamen Chriſtianus audire vult, Deum verum impotentiæ & mendacii arguere, nec delictum etiam parvum, hominem innocentem, de quo nil mali Spiritus Sanctus effert, mœchationis, parricidii, feritatis & oſtentationis accuſare. Verba enim: *Occidi virum:* ſunt verba hypothetica & informatoria de non occidendo. Quaſi dicat: ſi occiderem aliquem, in maximum hoc mihi cederet damnum, ſiquidem Deus majorem pœnam mihi quàm Caino infligeret. Si enim primus homicida tàm graviter fuit punitus, quid putas illum inultum abiturum, quem aliena pœna, eaque publica, atque omnibus nota, Caini ſcilicet, non reddiderit cautiorem & certiorem de vindicta & juſtitia Dei inevitabili.

2. *Prima vice commiſſam. Autor cerebroſæ victoriæ p.* 124. dicit, Noachi ebrietatem & Lothi inceſtum à Deo nullis verbis neque ſuppliciis fuiſſe punita, & tamen exinde non fieri licita & æqua Sed Deum multa in conſcientia accuſare atque caſtigare quæ non externis caſtigat verbis. Sed quis neſcit publica peccata, & toti mundo præſenti & futuro publicanda, publicè etiam eſſe taxanda, ne mundus ſcandalizetur, & pro juſto habeat quod injuſtum, ſicuti etiam hoc Deus in more poſitum habet. Noachi vero ebrietas & Lothi inceſtus fuere, ut ita dicam, intra privatos parietes commiſſa, fuere actus tranſitorii ſemel commiſſi, non permanentes, aut continuati, ex ignorantia & in ſomno præter omnem cogitationem perpetrati. Noachus enim poſt diluvium, vacua hominibus terrâ maximopere turbatus invenit fructum, uvam forte ſylveſtrem labruſcam, ut Saxs in Ampelographia cenſet, & jucunditate ejus deceptus, plura forſitan ignarus virium comedit quàm ut ſpiritus ejus, triſtitia mundi mundati debilitatus aliquantiſper, ſuperare poſſet, ebrietate præter omnem opinionem, & ſomno corripitur, & filio ſubſannandi anſam præbet. Lothus vero omnibus à tergo derelictis in domo ſuâ, & præſertim, uxore in lapidem (uti *Niobe apud Ovidium*; Diabolus enim, ceu Simia Dei omnia ferè miracula inter Ethnicos æmulatus eſt) converſa obſtupefactus quaſi, triſtitiam expulſurus, & vino ſe exhilaraturus ebrietate & ſomno gravatus decumbit; quam occaſionem filiæ juvenculæ, omnium rerum adhuc ignaræ, & audito à Patre diluvio Catholico, & Henochi vaticinio de mundo igne perituro, circumcirca nil niſi flammas contemplatæ, totum mundum conflagraſſe, & ſe ſolas in urbe Zoar, uti Noachus cum ſuis in arcâ, conſervatas exiſtimantes, ſibi ipſis conjugii cupidis in ſpem futuri mundi conſulere voluerunt, nullos amplius ſupereſſe viros putantes. Ex quo ſole meridiano clarius elucet, Noachum & Lothum planè ex ignorantia & privatim quaſi peccaſſe, adeoque magis excuſandos, quam Lamechus, (ſi peccaſſet) qui Polygamiam ceu actum permanentem, per dies vitæ continuatum, præmeditatè & perſeveranter commiſſum, adeoque non tàm privatum quàm publicum ſine ullo repudii libello adhibito amavit. Poſito vero non conceſſo, Noachi & Lothi ebrietatem & inceſtum ſcandalum eſſe publicum; quis neſcit

neſcit *ebrietatem* hinc & inde Veteri & novo Inſtrumento præſertim per *Salomonem*, *Eſaiam*, *Jeremiam*, *Chriſtum & Apoſtolos* taxari, & ſub nomine peccati omnibus proponi. *Inceſtus* etiam ille cum propriâ filiâ *Lev.* 18. expreſſis verbis ceu peccatum magnum excifione (quæ erat pœna graviſſima; uti *Buxtorf.* & *Finde Kellerus de Exciſione* tradunt) digniſſimum exhibetur, ut nos poſteri certo ſciamus, ebrietatem atque inceſtum eſſe graviſſima ſcandala atque delicta, nec tantorum virorum exemplo nos ſeduci patiamur. Unde vero ſcimus Polygamiam eſſe tantum peccatum atque flagitium, ut communiter habetur, cum ſcriptura actu ipſo exempla Polygamica neque verbis reprehendat, neque ſuppliciis digna habeat, & poſteà neque in V. neque in N. Teſtamento ceu peccaminoſa exponat. Neque *Cerebroſum Victorem* adjuvat, cum dicit, multorum pœnas feriâ & verâ pœnitentia impediri. Verum enim vero nobis ſermo tàm de *pœna verbali*, ſeu reprehenſione, (quam nullus etiam ſerio pœnitens effugere poteſt, niſi dicere velimus, Deum eſſe προσωπολήπτην & in quibuſdam pro peccato haberi illud à Deo, quod in aliis peccati loco non veniat) quàm *reali*. Realem homo verâ reſipiſcentia avertere quodammodo & quandoque poteſt, quanquam neſciam, an hoc in Lamechum quadret, quem Anti-Polygami tàm ſceleratum, & perſeveranter facinoroſum multisque flagitiis nobilem depingunt. David dubio procul *Pſ.* 50. de adulterio & homicidio ſerio pœnituit, & tamen temporalem pœnam non effugit. Neque etiam ſuccenturiari poteſt his argutiis diſtinctio inter pœnam apertiorem in clade conſiſtentem & in ablatione bonorum hujus mundi conſpicuam, uti eſt, bellum, famis, peſtis, ſubita mors &c. & tectiorem, nempe per deſertionem inflictam, qua hominem ſibi ipſi permittit, inque ſceleribus libenter graſſari ſinit; *ſucceſſum etiam dans flagitiis. p.* 124. Quæ ultima verba horrenda ſanè & orthodoxo ut videri vult, indigniſſima, contra expreſſam ſcripturam ſacram, quæ Deum oſorem peccatorum acerrimum conſtituit, prolata; Qui flagitiis ſucceſſum dat, ille approbat, amat atque promovet peccata; atque flagitia. Quod an de Deo non dicam orthodoxus, ſed Chriſtianus dicere debeat, equidem vehementer dubito. *Reformati* nonnulli præſertim antiqui, duriores & *Antelapſarii*, ut *Danhauerus in Hadomor. a Spiritus* Calviniani vocat, dicere quidem non erubuerunt, quod Deus moveat, inſtiget & impellat ad peccatum, ſit cauſa peccati: uti *Zwingl. t.* 1. *Op. ſerm. de prov. c.* 6. *f.* 365. *Martyr in LL. Comm. p.* 200. *Beza vol.* 1. *p.* 373. *th.* 22. *Zanch. in Miſc. p.* 117. *N. caſ. à Sebuere Inſtit. Relig. Chr. p.* 45. *Jo. Piſcat. Reſp. ad Apol. Bertii p.* 143. 144. *item Wendelinus, Perkinſus, Zegedinus, Crocius, Pareus, Rennecherus, Bucerus, Dan. Chamier, Fr. Junius. Juſtus Lipſius, Joh. Sturmius* aliique. Vid. *Georg. Abbatii Explic.* 6. *Equ. quæſt.* 6. *Acta Coll. Schwalbac. A.* 1619. *Himmel. in Colleg. Iren. diſp.* 3. & 4. *Scharf. Exerc. Calv. p.* 260. *Schafmann. de Cauſ. Pecc. l.* 1. *c.* 1. *l.* 2. *c.* 1. *Gerhard. de Glor. Dei diſp.* 5. *th.* 22. 26. *Meiſn. d.* 3. *Anthrop.* 4. 4. & 2. *prob. Calv. p.* 221. *Roſtii tr. de autore peccat. c.* 7. 8. 9. 10. 11. *Jac. Martini de Cauſ. pecc. p.* 421. *Hutter. Iren. Chr. p.* 261. *Sigward. Admon. c.* 3. *a.* 3. *Weller. t.* 1. *Anti-Maß. Eckarti faſc. controv. c.* 10. *q.* 2. *Walth. Harm. p.* 1039. *Steph. Klaz. Theol. Nat. p.* 495. *Quiſtorp. in Annot. Bibl. p.* 512. *in Pſ.* 5. *Danh. Hodoſ.* 259. *Antich.* 557. 621. *Abrah. Calov. Syſt. t.* 2. *p.* 344. *Joh. Hulſ. in TC. m. p.* 361. 365. *Theod. Hacſp. in Matth. p.* 57. *Danh. Id. B. Diſp. p.* 105. *Caſp. Brochm. t.* 1. *p* 422. *Carpz. Comp.* 251. *Rittershuſ. l.* 2. *Halicul. Oppiani v.* 687. *Keller. in Refut. pervig. Schlevogt. l.* 1. *n.* 3. *Auguſtin. Epl.* 59. *ad Paulum Gerh. t.* 2. *LL. p.* 526. 583. *Bellarm. l.* 3. *de pecc. c.* 2. *Aſlac. Eth. Chriſt.* 458. 462. 463. Quæ Reformatorum ſententia uti omnibus rectè ſentientibus abſurda eſt, ita multo abſurdior eſt Anti-Polygamus, cum dicit, Deum ſucceſſum dare flagitiis (plus enim importat, ſucceſſum dare ſceleribus, quàm movere, impellere & inſtigare ad peccatum, ut gloria Dei manifeſtetur) adeo ut non tàm illis heterodoxis ſit annumerandus, quàm pro majori habendus hæretico. Præterea dicit contra omnes Orthodoxos, tectè fuiſſe pu-

punitum Lamechum, & hanc eſſe graviſſimam Nemeſin divinam, quæ cum minimè ſævire viſa, externam flagitiis tribuit impunitatem. (aſt Deus non eſt Machiavelliſta, qui artem ſimulandi ad malum promovendum exercet) quippe cum apertæ & manifeſtariæ pœnæ ſimul immittuntur, (hoc fieri debet, non tàm propter ipſum peccatum, quàm ne alii peccatis illius ſcandaliſentur) frenum injicitur malitiæ (hoc Deus ſemper facit) ut aliquo ſaltem frangatur modo. Ubi verò liberè permittitur bacchari, in infinitum culpam multiplicari aſſerit. Quod an cum bonitate & juſtitia divina conveniat, aliis arbitrandum relinquo. Tandem concludit, Lamechi ſcelus, etſi apertâ non fuerit punitum clade, ſatis licentiâ peccandi, quod ultimum ſuppliciorum genus, eſſe punitum, ſic ut nihil illi eveniſſe pœnæ, impoſtoris (*Theophilum* ita calumniator peſſimus vocat) tantum eſſe mendacium, non ſcripturæ dictum. Verum enim vero ubi eſt illud ſcripturæ dictum quo aſſeritur, Lamechum aliquam ſaltem ob hoc ſuſtinuiſſe pœnam. *Dic quibus in dictis, & eris mihi magnus Apollo* maximorum mendaciorum Pater. Ipſe mentiris, & imponis hominibus, impoſtor ſceleſtiſſime, dum dicis ultimum eſſe ſupplicium licentiam peccandi. Hoc optarent omnes latrones, fures, homicidæ & adulteri, ſatis beati, ſi licentiâ peccandi punirentur, & non in ultimo judicio ipſis alia expectanda eſſent. Certe hoc ultimum ſupplicium, ut vaferrime vocas licentiam peccandi, ambabus amplexarentur manibus. Præterea eodem pacto etiam de Abrahamo, Jacobo, Etkana, Davide, Salomone, aliiſque, imo toto populo Judaico poſſet dici, quod licentiâ peccandi fuerint puniti, quos tamen omnes Patres & Orthodoxi ab omni culpâ & pœna ob Polygamiam infligendâ abſolvunt, ut ſubinde adductum & probatum.

3. *Atqui Deus Polygamiam 1 vice commiſſam.* Fingit *Victor* ille *Utopicus in ſuâ Victoria Minervali ſeu cerebroſa*, objectionem aliquam à Theophilo, quem prævenire cupit, fortean adhuc proferendam, ſcilicet ſaltem omne novi peccati initium externâ & omnium ſenſibus manifeſtâ caſtigari debere pœnâ; & Reſpondet, hoc etiam non verum nec veriſimile videri, cum Dei arbitratus ſit, quo velit vindicare modo, qui etiam regulam veri ſolum ſuum conſtituerit verbum, non corporea ſupplicia, juxta illud: *habent Moſen & prophetas:* non dicere habent manifeſtas corporum pœnas, quippe illas ſæpe numero in alteram reſervari vitam, æternumque judicium. Ad quod multis modis Reſponderi poteſt. Primum enim *à particulari ad Univerſale N. V. C.* Quædam pœnæ reſervantur, Ergo omnes unius peccati à multis toties commiſſi. Temporales pœnæ Davidi etiam pœnitenti infligebantur, nec differebantur uſque ad ultimum illum diem. Deinde Moſen & Prophetas non habebant Ante-diluviani, adeoque audire non poterant. Habebant traditionem oralem de creatione & nuptiis Adami, à Patribus μακροβίοις, aut ſi *Joſèpho*, aliiſque credendum *Sethi columnis*, in quibus ipſorum Theologia & Philoſophia erant conſcriptæ, ne vel igne vel aquâ perirent. Prætereà Dei arbitratus non eſt, quo velit vindicare modo, poſt legem ſemel latam & determinatum modum, ſed vi veracitatis & juſtitiæ vindicat, & obſervat modum à ſeipſo immutabili præſcriptum. Dicta quæ afferuntur ex 2 *Theſſ.* 1. *Eccl.* 7. *Pſ.* 73. *Eccl.* 8. probant ſaltem, in impiis ſæpè differri pœnas, ſed omnes omnium uno certo peccato implicatorum pœnas piis & impiis illud perpetrantibus, quia Deus ἀπροσωπολήπτης, debitas reſervari in futurum diem Pantocriticum, neutiquam probant. Unde enim mundus ſciret iſta exempla eſſe mala, nec imitanda, ſi nulla lex, nulla pœna ullius mali exempli in tot hominibus conſpicui. Equidem Anglus alioquin Doctiſſimus, Lichtfotus apud Polum in Synopſ. Crit Lamechum ceu exemplum peſſimum proponit. *Deus*, inquiens, *illi horrorem incuſſit ob peccatum Polygamiæ, voluitque eum teſtem facere adverſus peccatum, quod introduxerat,* quaſi dicat: *Cain unum tantùm interfecit, & quidem corpore, ego innumeros, & quidem eorum animos peſſimo exemplo, quod jam adeò in univerſum ſequebantur, ut ruinam mundi accelerarent.* Verum hæc dicuntur quidem, ſed non probantur. Verus ſenſus

ſenſus ſcripturæ non debet inferri ſed efferri. Et hunc eſſe ſenſum verborum Lamechi nullus mihi perſuadebit, ſiquidem textus ipſe, ut jamdum evictum eſt, multò alia docet. *Victor Cretenſis* denique ait, non poſſe confirmari, nullam eveniſſe tandem Lamecho pœnam. Ex ſilentio enim ſcripturæ nil poſſe probari, ſiquidem de aliis etiam taceat, quæ dubio procul evenêre. Et probat eveniſſe illam, quia Deus parricidii, ejusque pœnæ meminerit. Qui interfecerit, inquiens, Cainum, ſepties punietur, q. d. ultimis afficietur ſuppliciis, quod ad corporalem & manifeſtam cunctis pœnam extendi poſſe aſſerit. At, Deus bone, ubi Deus uſpiam dicit, Lamechum interfecturum Cainum, Lamechum eſſe parricidam, eſſe punitum. Si ulla eſt ſubleſta ſcripturæ interpretatio, ſanè hæc eſt. Ne gry enim Deus dicit de Lamecho interfecturo Cainum, & præter eà noluit Cainum interfici, ideò ſignum in eò fecit, ne interficeretur. Ita Deo aliquid affingitur, quod ipſi non venit in mentem.

4. *Pro re licitâ ſeu indifferenti habet. Victor Ovidianus* ponit tandem, non concedit, Polygamiam Lamechi fuiſſe licitam, à peccato alienam, ſed quid hoc ad nos (dicit) qui in alio vivamus ſeculo. Sed eodem pacto etiam dicere poſſem, quid nuptiæ Adami ad nos? quid Lex illa Monogamica nudius tertius demum inventa ad nos? Quid fides Abrahami, quid patientia Jacobi ad nos? Dicit quidem in N. T. multa eſſe illicita & inconceſſa, quæ olim conceſſa. Sed an in moralibus hoc valeat, infra in not. ad. §. 41. videbimus. De ceremonialibus & civilibus utrâque largior manu.

5. *Singulari benedictione mactatus.* Bona fortuna eſt quidem piis & impiis communis; Cum verò ii, de quibus Spiritus S nil recenſet mali, ut de Lamecho audivimus; ſecundum judicium charitatis, præſumantur eſſe boni, nil impedit, quo minus ejusmodi bona & gaudia temporalia; ſi in ejuſmodi domibus reperiantur, pro ſignis peculiaris ac paternæ gratiæ habenda ſint, uti domus Lamechi videtur fuiſſe fortunatiſſima & gaudiis atque gratiis pleniſſima, quod nominà ipſá Lamech, Tubalcain, Ada, Sylla, Naema, Jubal non obſcure nobis videntur ſubindicare. *Lamech* enim, ut eruditi docent, ſignificat *pauperem tenuem*, qualis in principio dubio procul fuit Lamechus ſed poſtea bigamus, ut Jacob quadrigamus anteà pauperrimus, factus eſt dives & potens, vel etiam fuit pauper ſpiritu, (i. e. ſuam ſpiritualem paupertatem & infirmitatem humanam in ſummâ humilitate agnovit.) De quibus pauperibus Chriſtus aſſerit, quod ipſi hæredes futuri regni cœlorum *Matth.* 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam illorum eſt regnum Dei. Ada* denotat ligamen vel *ligulam pulcherrimam*, quoniam ipſa cum marito ſuo in vinculo matrimoniali ita vixit, ut nihil pulchrius excogitari poſſit, uti Salomon uxorem virtuoſam unionibus ſplendidiſſimis ac navi affabrè effigiatæ, aliisque rebus pretioſis comparat. Et ipſius Pater David viti uvis pulcherrimis & jucundiſſimis refertæ. Zilla vocata, quoniam verſata eſt *in umbrâ ejus.* Et vix à marito magis ac à corpore umbra diſcedebat. vid. *Bereſchit Rabba Rabbi Uriah. paraſch.* 23. Sed alia horum nominum etyma habes in *Gemar. Hieroſ. ad tit. Jabimoth. c.* 6. *f.* 7. *col.* 3. §. 5. *Jabal* eſt adductor, qui adduxit multa in domum Patris & omnem adhibuit diligentiam, ut tentoria efficeret. *Jubal* verò eſt buccinator, quia in inſtrumentis Muſicis, Pneumaticis pariter atque aliis inveniendis ac præparandis fuit occupatus. *Tubalkain* denotare dicitur poſſeſſorem eorum, quæ creſcunt, ſiquidem ille omnem movit lapidem, ut illa quæ in ſubterraneis mirabili modo creſcunt & augentur, ferrum, ſcilicet æs, & alia mineralia poſſidere ac in ſuum uſum convertere poſſet. *Näema* ſignificat formoſam & pulchram animo & corpore, quod ſi in filiabus reperitur, non poteſt non delectamentum afferre Parentibus, fratribus, atque toti familiæ.

6. *Celeberrimis filiis donatus.* Liberi ſunt dona Dei juxta Pſalmiſtam, & multò magis liberi multi, ſunt gratiæ & benedictionis divinæ τεκμήρια ἀναμφισβήτητα. *Hodie quidem*, inquit *Luc. Oſiand. in Syr. c.* 16. *v.* 1. *à multis Chriſtianis in altero extremo peccatur, quippe qui ex merâ incredulitate multam ſobolem non pro benedictione, ſed potius pro pœnâ & maledictione habent.* Et

 Bea-

Beatus Lutherus in Geneſ. Comment, p. 20. dicit: *hodiè multos invenias, qui vellent ſibi nullos liberos naſci. Atque hæc pluſquam barbarica immanitas & inhumanitas.*

Zwingerus in Theatr. p. 1637. de quodam dicto Lucone narrat, quòd cupediarum avidus omnia ſolus conſumſerit, ſed ad irritandum eò magis appetitum ſibi repræſentarit uxorem liberosque multos, quaſi menſæ aſſiderent, quibus omnibus cibum diſtribueret, ita ut vix portiunculam pro ſe retineret. Poſteà verò ſe triſtem finxit, ſeque ipſum ſic allocutus: *Egregia ſanè res habere uxorem & infantes alendos*, & *in propriâ perſona fame perire.* Mox exclamavit dicens: *abſit hoc à me*, & paulatim unam poſt alteram portionem iterum ad ſe recepit: *hæc eſt*, inquiens *portio meæ uxoris. hæc filii Tonuli, hæc filii Luculi, hæc filiæ Elſulæ, hæc Gretulæ, Ego ipſe ſum hæres, quia non amplius ſuperſunt*: ac tandem his verbis ſe conſolatus: *Gratias Deo agito, Luco, qui te à talibus liberavit pedicis. Tu ſi ſapis à nuptiis abſtine, & panem tuum tibi ipſe conſervare quàm aliis diſtributum recipere velles.* vid. *Meng. Scrut. Conſc. p.* 591. 1165, 1171. Sic etiam nonnulli puſillanimes pro maledictione habent, ſi incolæ abundent. Sed melius ſentit *Oſiander in Paraphr.* 1 *Paral.* 21. cum ita infit: *Rectè ſentiebat Joab, quod populi multitudo pro ſingulari benedictione divina eſſet reputanda. Noſtri homines ex incredulitate hanc benedictionem pro maledictione habent.* vid. *Baldw. conc.* 53. *in Joſ. p.* 663. ubi laudat in filiis Joſephi *Joſ.* 17. 14. quod populi Judaici innumerum numerum pro benedictione habeant, ſicuti & hoc Abrahamo promittens Deus ipſe inter beneficia collocat. *Gen.* 12. 2. 15. 5. Moſes etiam Deut. 1. 10. 11. benedictionibus divinis annumerat, uti & *Zach.* 8. 4. 5. celebratur tanquam ſingulare Dei beneficium, ſi civitates ſunt refertæ hominibus & plateæ liberis repletæ. Contra verò eſt ſignum iræ ac pœnæ divinæ, ſi domus & plateæ vacuæ, & incolis deſtitutæ. *Eſ.* 13. 19. 20. Peccant igitur maximopere, quibus tædio eſt populi vel etiam *liberorum multitudo.* Longe alia mens eſt Chriſtianorum, qui ex ſcripturâ ſacra norunt, liberos beneficiis divinis eſſe annumerandos, eoque magis, ſi morigeri, opificiis, quibus Pater illos conſecravit, dies noctesque addicti, adeoque propterea famoſi, ut Lamechi filii. Quanquam enim hæc bona ſint temporalia piis & impiis communia, in piis tamen ſunt ſigna gratiæ peculiaris, in impiis verò ſigna gratiæ generalis. Certe *ſagacitas* in Jacobo & Salomone fuêre ſingularia Dei dona. *Prudentia* in Joſepho & Davide extraordinariis Dei beneficiis eſt accenſenda, nec *Danielis* ἀγχίνοια & donum ſomnia exponendi hâc laude eſt privandum.

THESIS XXXVI.

IN hiſtoria Noachi. Gen. 8. & 9. recurrit illa benedictio & edictum Univerſale Adamo antea injunctum: (*creſcite & multiplicamini & replete terram*) quod oſtendit, eſſe Dei ſanctiſſimam voluntatem, quod homines ſecundum omnes vires Naturæ à Deo communicatas ſe debeant multiplicare & replere terram. Unde ita argumentor.

Quicunque ſe multiplicat ex omnibus viribus à Deo homini concreditis, ille cœteris paribus implet ſanctiſſimam voluntatem Dei.

Atqui Polygamus ſe multiplicat ex omnibus viribus à Deo homini concreditis.

E. Polygamus cœteris paribus implet ſanctiſſimam voluntatem Dei.

Ad-

Addo, cæteris paribus, uti loquimur in Scholis, id eſt, ſi hoc alias nullibi eſt prohibitum. Cœteroquin de Polygamia ſimultanea muliebri eodem modo poſſem concludere. Sed hæc non tantum generaliter in 6. & 10 præcepto & ſpecialiter in libris Moſis & Prophetarum paſſim, Exod. 20. Lev. 20: 10. Num. 5: 12. Deut. 22: 18, 22. Jud. 19: 2. Job 24: 15. c. 31. v. 1, 9. Nehem. 13: 20. Prov. 5: 3. c. 6: 24. &c. eſt prohibita, ſed & in exemplis Pharaonis Gen. 16. Abimelechi Gen. 20. Joſephi. Gen. 39. Davidis, Herodis improbata & ceu pœnæ obnoxia eſt propoſita. Inde Joſephus Arch. 111. 10. *Adulterium Moſes omnino prohibuit, feliciſſimum eſſe credens, viros circa torum eſſe ſecuros & civitatibus ſimul ac domibus expedire, filios naſci genuinos.* Intereſt enim Reipubl. ut quisque ſuam prolem tollat, non adulterinam non ſuppoſititiam. Intereſt etiam Reip. ut quiſque certum habeat patrem. Nam nullum habet, qui certum non habet, Benè ergo Lactant. Inſt. l. 3. cap. 20. *Si omnes omnium ſint liberi, quis amare liberos, tanquam ſuos poterit, cum ſuos eſſe aut ignoret aut dubitet? quis honorem tanquam patri deferet, cum unde natus ſit neſciat? Ex quo fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno, &c.* Et cum nonniſi ex uno fœtus eodem tempore queat concipi, quid aliud in Polygamia paſſiva virorum ſeu muliebri quæritur quam ut libidini ſatisfiat? Ex intemperantia enim profluit, quod mulieres Polygamiam adeo oderint virilem. Sed in hoc maximè differunt connubia hominum, à commixtionibus brutorum, quod uxores maritis fidem dant de corpore ſolis ipſis exhibendo. Quam fidem ſi quis maritus ultro uxori remiſerit, *viri & mariti nomine indignus eſt*, & decori ordinis in ſocietate humanâ perturbator fœdiſſimus. Hinc non citra omnem rationem vulgo maritis ex uxorum impudicitia nonnulla labes ignominiæ aſpergi judicatur, ideò quod ex imprudentiâ aut per animi abjectionem poteſtate ſuâ uti ignorarint. (vide Carteſ. de paſſ. a. 169.) Et rectè Domitianus equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen intenderat judicum albo eraſit, *Suet. Dom. c. 9.* Lege Atticâ infamis (ἄτιμος) erat, qui uxorem in adulterio deprehenſam retinuiſſet. *Demoſth. Neæri* add. *l. 29. princ. l. 1. par. 6. D. ad. L. Juliam de adult.* apud Tac. A. I I. *exactum à Labeone Veſtaliæ marito, cur in uxore delicti manifeſtâ ultionem legis omiſiſſet.* Qui prætendit, *ſexaginta dies ad conſultandum datos, necdum præteriiſſe.* Quanquam ſint, qui ejus contumeliæ cauſam inde derivent, quod opprobrio videatur, carere aliquem in dotibus quæ amorem mereri aut promiſſum conſervare queant. Ejusmodi autem maritorum inſignia, quæ vulgo per ludibrium jactantur, nova non eſſe, neque ſolis occidentalibus uſurpata, apparet ex *Nicetà Acominato l. 2. de Imp. Andronici*, ubi

 re-

refert, illum Imperatorem eximia cornua cervorum, quos venatus erat, in porticibus fori ſuſpendiſſe, per ſpeciem oſtentandæ magnitudinis ferarum; quas cepiſſet, cum revera mores civitatis & uxorum laſciviam notaret. Sed quod Polygamia ſimultanea virilis, de qua hic tantum in hoc diſcurſu loquimur ſit reprehendenda vel punienda, nullibi legitur.

1. *Noachi.* Arabes multas nobis fabulas de Noachi conceptione, nativitate, ſtudio & indefeſſo pro hominum converſione labore ſuppeditant, ſed brevitatis propoſitæ limites ne tranſiliamus, ſilentii peplo involvimus. Hoc tamen interim notandum, quod in ipſo luminis vitalis limine, uti memorat *Keſſæus*, *Lamechi* patris ſui (quem ceu Sethiadam Anti-Polygami magnopere prædicant, & *Lamecho altero* ex Caini proſapia oriundum præferunt) ἀςοργάν, & difficultatem ſummam expertus fuerit. Natum enim illum omnium oculis ſubductum, & in ſpeluncas, præmaturâ ne forte morte, indigno Patris ſupplicio periret, fuiſſe abditum. Mortuo Patre ab exilio ad ſuos reverſum vitæ genus pecuarium elegiſſe. Deum autem ad illuſtrius illum munus, propheticum nempe deſtinaſſe, atque ut idolatras ſui temporis, (quos vivis coloribus *Keſſæus p.* 61. depingit) officii ſui moneret, ab idololatriâ revocaret, atque adeo in ordinem redigeret, juſſiſſe. Pluribus illa commemorantur locis in *Keſſæo*, *Baidavi*, & ipſo etiam *Alcorano Suratâ* 5. *p.* 89. *Surata* 10. 118. *Surata* 11. 122. *Surata* 21. 187. *Su·ata* 19. 180. *Surata* 25. 202. *Surata* 47. 296. *Surata* 53. 300. iilud tantum adducimus quod Surata V. 89. legitur; *Jamque miſimus Noachum ad populum ſuum qui dixit eis: o popule, colite Deum, neque enim vobis extra illum Deus eſt Sin, timeo vobis pænam die magno;* (diluvium) reſponderunt autem proceres populi, *utique videmus te in errore eſſe manifeſto.* Regeſſit: (Noachus) *non ſum in errore, ſed ſum Apoſtolus á Domino exercituum, ut deſungar apud vos Legatione Domini mei. Vosque moneam; novi enim à Deo, quod vos non noſtis, aut non lætamini, ſi ad vos venerit memoria à Domino veſtro* (Legatio) *per virum ex vobis qui inſtituat vos, ut ſi timeretis, forte miſericordiam conſequeremini Cum autem mendacii illum accuſaſſent, liberavimus eum, & quotquot cum eo erant in navi.* Ex quo loco apparet artificium Mahummedis, quo uſus in hiſtoriis ſacris mutandis, atque inſulſis figmentis affingendis: & nominibus peregrinis excogitandis. Ita avus Noachi Henoch *Edris* fuit vocatus, quod crucem fixit multis interpretibus, Schickardus in Taarich Perſico p. 24. dixit: *non poteſt alius intelligi.* Quin & autores alii Enochum hoc nomine celebrant. Scriptor libri Schaſin f. 134. p. 2. *Henoch, qui vocatur Adris*, quam ſcripturam *Jo. Druſius* ſuo de Henocho libello p. 23. ita explicat: *An legendum Adlis vel Atlis, i.e. Atlas; Nam apud Euſebium ex Eupolemo vetuſto ſcriptore affertur, Atlantem Gentilium fuiſſe Enochum.* Beidavi Comment. in Surat. de Maria p. 525. *Enoch dictus Edris* (Talmudicis alias dictus *Metalor*, quod reddit Jonathan Paraphr. Ch. in Gen. 5. 24. *Scriba magnus*, quod in Arabicis aptiſſimè per *Edris*, doctum, literatum, diſputatorem ſagacem; & rerum accuratum inveſtigatorem denotantem redditur) *propter multiplex ſtudium. Demiſit enim ei altiſſimus triginta volumina. Refertur etiam primus fuiſſe calamographus & Aſtronomiæ ſtudioſus.* Præterea ipſum pro magno habent Apoſtolo & propheta, atque devotiſſimo viro, uti *Keſſæus* illa verba Geneſeos: *frequenter ambulavit cum Domino*: ita explicat: *Serviebat Deo noctuque diuque, neque à laude ejus ceſſabat.*

2. *Creſcite & multiplicamini.* Præceptum primum Catholicum primis noſtris parentibus datum repetitur hîc, & Noacho ejusque familiæ commendatur, ubi omnia, quæ ſupra de hoc præcepta dicta ſunt, quod Polygamiam ſolidè probent, ruminari poſſunt. Plures autem quàm Lamechum inter Antediluvianos fuiſſe Polygamos, ſupra ex *Bereſchith Rabba*, *Salomone Jarchio* in *not. ad th.* 32. 1. evicimus. Cainus condidit civitatem,

lem, ad quam opus fuit numeroſa prole, quæ etiam ut antecedens ex conſequente colligitur, atque ita *πολυγυνία* ex *πολυτεκνία* etiam conſequi videtur. Adeò ut cum Luthero ſuprà citato dubitandum, an Lamechus primus fuerit & unicus inter Ante-Noachicos Polygamus, quod & *Defenſor unius* p. 15. facit, quem cum reliquis Anti-Polygamis committo, ut prius invicem concordent, antequam tertium aggrediantur. Alius Anti-Polygamus *Dormitantius* ſcilicet, dicit, Polygamiam cauſam fuiſſe diluvii (adeoque etiam plures in priori mundo admittit Polygamos) ſed non probat nec poteſt; ſiquidem ſcriptura ait vulgivagam & promiſcuam coeundi libidinem, illicitosque concubitus inter quæ Polygamia referenda non eſt, Deum moviſſe, inter alia ut Catholicam inundationem terris immitteret; Scilicet ut *Venuſinus Poeta Horatius l.* 3. *Od.* 6. *canit:*

Fœcunda culpæ ſecula nuptias
Primum inquinavere & genus & domos.
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

Equidem an Noachus ipſe fuerit Polygamus, aſſerere non audeo. Unica cùm eo arcam ingreſſa, an verò reliquæ, uti Lothi uxor mundanis derelictis affixa, communi cataclyſmo fuerint deletæ, tacente ſcriptura ignoro. Ipſius uxor in ſacris literis ne quidem nominatur, adeo ut à quo orta nos lateat, traditio tamen apud Hebræos habetur, eam fuiſſe Noemam, Lamechi Adæ in Caini poſteris, trinepotis filiam. Ita *R. Abba Bar Kobena in Bereſchith Rabba par.* 23. atque inde *Salom. Jarchius ad Gen.* 4. 22. disertè de eâ, quam diximus, loquuntur. dicentes: *Næma uxor erat Noachi.* Si itaque Lamechus tantorum ſcelerum, uti quidem traducitur communiter, fuiſſet reus, vix adducor, ut credam, quod Noachus inſignis concionator pœnitentiæ & Zelotes devotiſſimus ſe illius familiæ immiſcuiſſet. Memoratur etiam *Barthenos* pro Noachi uxore apud *Epiph. hæreſ.* 26. Sed verò & nomen & cognationem aliam omnino ejus uxoris habet *Saidus Batricides* aliquoties hactenus laudatus Patriarcha Alexandrinus, uti & conjugum, trium ejus filiorum; Duxiſſe is ſcribit, ex Apocryphis Orientalium monumentis, Noachum *Hacalam* filiam ǂ Namuſa, qui ſi eſt filius Enochi, atque hanc ipſam fuiſſe, quæ cum eo in arcam eſt ingreſſa; filiam nempe patrui ejus magni, atque ita tertio ab eo gradu diſſitam. Inſuper etiam Scriptor ille Chriſtianus *Saidus Batricides* ex Orientalium traditionibus filiorum ejus, ait, ſingulos *Mathuſalæ filios* nempe amitas ſuas magnas, (diverſum tamen ſentit *Pſeudophilo in Antiquit. Bibl.* conf. & *Petr. Comeſt. Hiſtor. Schol. l.* 1. *c.* 33.) liquet in uxores cepiſſe; *Semum* quidem *Talitham* ceu *Talibam*, *Chamum Nachilatham*, ſeu *Tachilatam*, *Japhetum Arliſiſiam*, quæ & *Dalſiſia* exaratur. Ita cum ſacrâ ſcriptura 1 *Pet.* 3. 20. *Gen.* 7. 7. 13. *octo* tantum perſonas in arcâ ſalvas facit. Sunt tamen inter Chriſtianos Orientis, qui numerum illum auxerunt, veluti Conſtantinus Manaſſes 1. Annal. cui non ſolùm ipſe Noachus, uxor, filii tres, totidemque nurus, verum etiam *νύμφιοι θυγατέρων generi*, adeoque octo filiæ in arcâ navigarunt. Quin Mahumedanis nonnullis commentum eſt fuiſſe in arcâ *perſonas* 78. *quarum pars altera Viri, altera fœminæ*, ut legitur in Achmetidis Paraphraſi in Alcoranum qui etiam interdum ad *Azoar.* 11. *Arab.* numero rotundo eos fuiſſe ait octoginta. Sed tenaces adeò & quidem meritò fuêre in Oriente ac ſibi certi de numero hîc octonario tàm Mahumetani aliquot (v. *Abugiafar* in hiſt. Saracen. apud Almacinum l. 1. p. 14.) quàm Chriſtiani, ut diſerte ſcribant, Noachum, ſociosque in arca inde egreſſos urbem extruxiſſe, eamque nominaſſe *Tzhemanim* (quaſi dicas octonarium) juxta ſui numerum quaſi dixiſſent, ut *Saidus Batricides* explicat: Nos animæ ſeu perſonæ ſumus octo. Duas autem Hebræi allegant cauſas cataclyſmi univerſalis; prima eſt *Res turpitudinis*, i. e. vagæ libidines, pæderaſtia (*Sal. Jarchi ad Gen.* 6. 2.) atque beſtiarum concubitus, aliique illiciti fœminarum. Vel etiam cultus extraneus, idololatria uti R. Iſmael ad Gen. 6. 12. explicat. Altera eſt *ἀδικία injuſtitia, rapinæ, concuſſiones* &c. uti *R. Iſmael ad Gen.* 6. 12. 13. *Salom. Jarchius & Iſaac Abarbenel in Piruſch Hatorah*

 f. 43.

ſ. 43. col. 1. adde *R. Becchai in Biur fol.* 18. *col.* 4. *Sepher zohar ad Bereſchith. f.* 48. *col.* 3. *Selden. de J. N.* 613.

3. *Replete terram.* Præceptum hoc fructificationis Catholicum utrumque ſexum non obligare volunt nonnulli Hebræi, & neceſſitatem conjugii in hoc primo mandato injunctam ad maſculos duntaxat attinere, adeò ut ipſi ſolum hoc præceptum violarent, quoties nempe, quantum in ſe eſſet, matrimonio & liberis operam non darent. Verba ſunt Miſnæ tit. Sabinoth. c. 6. *Vir præcepto fructificandi & multiplicandi tenetur, non item fœmina.* Ubi tamen adjicitur ſententia *R. Jochanan Ben Baruka*, quod uterque pariter teneatur ex eo quod habet ſcriptura: *Et benedixit eos Deus & dixit eis;* (utrique ſexui) *fructificate & multiplicamini.* Et in utraque *Gemara*, tàm *Hieroſolymitana*, tit. *Sabmoth. fol.* 7. *hal.* 6. *col.* 4. quàm *Babylonicâ eod. tit. f.* 65. occurrunt, qui recipiendam eſſe ejus ſententiam volunt, ubi & alii, qui rejiciendam; quos ſequuntur *Moſes Maimonides Hal iſchot. c.* 15. *Obadias Bartenorius ad tit. Sabimoth c.* 6. *Solam. Iarch. ad Gen.* 2. 28. aliique non pauci. Argumentum etiam deſumunt ex eo, quod ſequitur in Gen. *Implete terram & ſubjicite eam.* Quaſi præceptum de terrâ ſubjicienda ſeu imperio ad maſculos tantummodo, non ad fœminas ſpectaret, adeoque neque id, quod eadem verborum ſerie præcedit, eas ibi æque obligaret. Unde etiam, ubi deeſſe obſervatur *Gen.* 2. 28. in vocabulo וכבשה, quod vertitur: *& ſubjicite eam*, literam *vav* ſeu pluralis numeri notam (quæ tamen in bibliis punctatis per Kibbuz ſuppletur) adeoque ſi punctum negligatur, *& ille ſubjiciet eam* ſingulariter ibi poſſe ſubſtitui, adjicitur eo denotari tàm ſequiorem ſexum maſculo ſubjiciendum, quàm propagationis & multiplicationis præceptum ad maſculum tantùm, quà ſcilicet præceptum ſpectare. Gloſſa Jarchii. *Deficit ibi vav, tùm ut inde diſcas maſculo ſubjiciendam eſſe fœminam, ne extra limites ſuos vagetur; tum ut ibidem diſcas, viro, cui proprium eſt ſubjiciendi munus, imponi propagationis ac multiplicationis præceptum, non fœminæ.* Perinde ac ſi viro dictum ſit aſtante fœmina: *Acceptâ tibi fœmina. jubeo, ut fructificetis, multiplicemini & impleatis terram & ſubjicias tu eam.* Ita ut verba pluralia ideo adhiberentur, quoniam ſine fœmina propagatio ſeu multiplicatio fieri nequiret, non quoniam ad utrumque ſexum præceptum pariter, quà præceptum pertineret. Ideoque virum, qui quantum in ſe eſſet, non ei obtemperaret, reum eſſe, non item fœminam, cui ita integrum per legem ajunt ſive cœlibem, ſive nuptam vitam tranſigere. Verum enim vero ſi ſcripturam ipſam ſine præconceptis opinionibus ſcrutamur, & interiora textus ritè inſpicimus, clariſſimè patet, utrumque ſexum hoc præcepto obligari, fœminam æque ac virum, in cujus adjutorium ea propter eſt creata, neque enim finis creatæ fœminæ (ſi non generet) obtinetur, adeoque ad illum non impediendum ſed promovendum maximè obligatur, ſiquidem & Apoſtolus dicit quod mulier *ſalvanda ſit per generationem* i. e. ſi officium debito modo ad quod condita eſt, in pietate obſervet, fore, ut temporali & æternâ felicitate gaudeat. vid. not. ad th. 27. 3.

4. *Viri & mariti nomine indignus.* Maritus *neque ob impotentiam, neque ob inopiam conniveat ad uxoris adulteria; ſciens. Talis enim non pro marito, ſed pro lenone habendus & puniendus*, inquit *Oſiand. in Syr.* 9. 9. vid. *Meng. Serut. Conſc. p.* 818. Neque enim hic audiendus eſt *Owenus* cum *l.* 1. *Ep.* 133. *ad J. Corneum:* ſcribit:

> *Audi, cerne, tace, cui publica contigit uxor,*
> *Hæc tria præcipuè verba notanda tibi.*

Sed quia fœminæ maximè ſunt proclives ad lapſum ut iterum Owenus l. 1. ep. 46. canit:

> *Terque quaterque die juſtus cadit, ut lego ſcriptum.*
> *At, quoties, ſcriptum non lego, Juſta cadit.*

& ep. 157. *Ad Dominam intrepido vis tendere carmina curſu,*

> *Scire operæ pretium eſt, quo pede verſus eat.*
> *Nimirum pedibus metrorum ex omnibus unum*

Præ-

Præ reliquis mulier dactylon omnis amat.
Igitur omnes greſſus uxoris ſunt obſervandi, nec permittendus exitus è domo citra conſenſum mariti. Hæc enim non ſunt flocci facienda, uti quidem Tibius apud Owenum. l. ep. 148.

Objectum eſt Tibio, ſua quod gravidata fuiſſet.
Uxor apud Patrem Gellia Sempronium.
Cui Titius; peperit cum Gellia noſtra: quid ad me?
Filia Sempronii non mea nupta fuit.

Mariti enim res omnino agitur, cum uxor fidem non ſervat ut iterum Owenus, l. ep. 121.

Nunc tua res agitur, paries nam proximus ardet,
Albinum Felix obvius admonuit:
Uxorem facto properans Albinus in ipſo.
Repperit: O, inquit, Nunc mea res agitur.

5. *Ex uxorum impudicitia maritis labes.* Ita ut innocens maritus præ nimio dolore ad extremam temeritatis atque audaciæ lineam ſæpius redigatur. *arg. Can. nec. aliqua* 27. *q.* 1. ubi Lepidus mœrore animi extinctus legitur, cum ex literis forte fortuna inventis videret ab aliis uxorem ſuam uſque ad perpetratum adulterium adamari. *Plut. in Pompon.* Unde jura amatorias non permittunt literas, etſi per eas à marito inventas adulterium commiſſum probari non poſſit, *Geiſler. Syll. rar. lit.* §. 16. Von buslehr. ita ut neque ad torturam ſufficiant, *Henr. Bocer. tr. de quæſt. & tort. c.* 3. *n.* 113. niſi tenor literarum, qui ante omnia inſpiciendus, *Menoch. de præſ. l.* 5. *præſ.* 41. *n.* 39. perpetratum jam ſcelus doceant, *Joh. Zang. de quæſt. & tort.* c. 2. n. 212. utut confeſſio hæc, ut pote extra judicialis inſufficiens adhuc videatur, *Bocer. d. l.* Quia tamen hoc literarum commercium militat contra bonos mores, & oppido gravem parit ſuſpicionem, marito eam accuſare, reamque facere licet. *expr. l.* 30. *C. ad Leg. Jul. de adult. Tholoſ. Synt. Jur. l.* 36. *c.* 6. *n.* 7. Quia enim mariti fama, quæ cum vitâ pari paſſu ambulat, hic periclitatur, ante omnia videndum, ut ab infamia hâc liberetur. Magnum quippe dedecus eſt inter *cornutos* numerari. Owen. l. ep. 49:

Si natura daret tibi cornua, tollere poſſes,
Quod tibi nupta dedit tollere nemo poteſt.

Et ſanè niſi pia ſit uxor, & conſcientiam illæſam in ſacris literis benè informata ſervare velit, propria illis ferè inſaturabilitas facilè ad hoc perducet. Huc facit, quod *Owenus l.* 2. *ep.* 52. de inſatiabilitate uxoris & orci ex prov. 30. 15, canit.

Inſaturabile par ſunt orcus & uxor(anagr.) ait Rex Salom. prov. 30. 15.

Unius experiens, alteriusque ſciens.
Quiſquis in uxorem cecidit, deſcendit in orcum,
Rite inverſa ſonant, uxor & orcus idem.

Reſponſio:

Nuncupor uxor ego, non ſim quaſi conjugis orcus,
Sed quia per totam ſedula curſo domum.
In muliere vir eſt, ut in orco Belzebub?
Ergo
Infernum ſi ſit fœmina, Vin Satan eſt.

Et *l.* 2. *ep.* 51. *ad Perpennam Cornutum* cum ſcribit:

Eſt tibi, lunata, Perpenna, parentheſis inſtar
Inter cornua frons; dura Parentheſis *hæc.*
Dura Metatheſis (anagr(*hæc, uxor tua prodiga carnis.*
Tota κρέας, totum te facit eſſe κέρας.

Maximè etiam dedecori eſt, ſi pater alat in domeſticâ filios non ſuos, uti Poeta iterum canit l. 2. ep. 10.

Qui nomen gerit iſte Tuum, tuus, Harpale, non eſt,
Alterius nomen qui tulit, hic ſuus eſt.

Et *l.* 1. *ep.* 18. *ad Pætum* ita ſcribens:

Non pater es, non Poëte, *ſocer, non vitricus horum*
Quos tua nupta tibi tot tulit: ergò quid es?

Verum enim eſt, quod de amore conjugali in hac ultimâ mundi fece dicit l. 2. ep. 21.

Plurimus in cœlis amor eſt, connubia nulla,
Conjugia in terris plurima, nullus amor.

Siquidem nuptarientis in matrimonio ineun-

eundo magis voluptatem quàm amicam voluntatem & conjugalem affectum ſpectant, uti paronomaſtice idem Poeta ſubinnuit l. 1. ep. 23.

Judicat ex mento, *non* mente *puella maritum,*
Non mens, *at ſponſa* menta minuta *placet.*
Pungi, *quam* pingi *mavult Venus improba, ſemper*
Peniculo penem *prætulit alma Venus:*

THESIS XXXVII.

Et ulterius adhuc aliud oritur argumentum:

Quicunque magis ſe multiplicat & melius replet terram, ille mandato Dei magis approximat.

Atqui Polygamus magis ſe multiplicat & melius replet terram:

E. Polygamus magis mandato Dei approximat quam Monogamus. Novimus enim præcepta Dei ex omnibus viribus eſſe obſervanda, & illum eſſe perfectum, ad quod nos adhortatur Chriſtus, qui ſummo ſtudio eo laborat, ut nihil intermittat eorum quæ ullo modo ad obſervationem mandatorum divinorum facere videbuntur. *Qui* enim *ſcit bona facere & non facit peccat* inquit Jacobus.

Conjugium autem eſſe magnum & primum quidem bonum ipſe Deus indicat; *non eſt bonum* inquiéns, *hominem eſſe ſolum.* Unde Deus primo præcepto & quidem affirmativo, ad cujus actualem obedientiam omnes obligantur (vid. Martyr Loc. Comm.) illud nobis commendavit. Idem Gentiles ſenſerunt. *Phocilides:* μὴ μείνης ἄγαμος, μήπως νώνυμος ὄληαι, δὸς δὲ φύσει καὶ αὐτὸς τίκε δ᾽ ἔμπαλιν ὡς ἐλοχεύθης. Ne maneas cœlebs, ne forte obſcurus pereas, da aliquid naturæ, & gigne viciſſim, ſicut genitus es. Plato de L L. l. 4. *Uxorem ducere debet quiſque cum annos habet triginta. (Cogitans quod natura quâdam humanum genus immortalitatem conſequitur. Cujus rei quiſque natura ſummopere cupidus eſt. Nemo enim eſt, qui non deſideret perpetuum apud poſteros nomen habere. Genus itaque hominum mortale hoc modo in ſempiternum perdurat. Quod filiorum filios relinquendo unum & idem ſemper per generationem immortalitatem adipiſcitur.*

Nefas autem eſt immortalitate ſeipſum ſponte privare. Hac vero ex animo ſe privat, qui filios & uxorem negligit. Idem habet *lib. XI. de LL.* Inde ortum quod Poſidonius Myſos ſine mulieribus vitam ductitantes ἄβίους, ſeu *Abios*; vocaverit, *vitam cœlibem ac ſine conjugibus dimidiatam eſſe putans, Strabo l. 7.* Elegantiſſimus etiam eſt locus ex orat. Metelli apud Gell. l. 6. Si ſine uxore, Quirites, poſſemus eſſe, omnes & moleſtiâ careremus, ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commode nec ſine illis ullo modo vivi poſſit; ſaluti perpetuæ potius, qnam brevi voluptati conſulendum.

1. Ma-

1. *Magis ſe multiplicans magis approximat mandato Dei.* Hic & ubique ferè repetendum eſt illud ante in §. præced. additum: *cæteris paribus.* Si ſcilicet nullibi eſt prohibitum, ubi de Polygamiâ ad ravim uſque probatum eſt; quod cum non obſervent Anti-Polygami magnos ſæpè triumphos agunt ante victoriam. Fruſtra ergo à *Victore* illo *Cretenſi* Polygamiæ illegalitas & iniquitas quæ Utopica eſt, & nullibi in ſcripturis invenitur, objicitur. Fruſtrà etiam dicitur Præceptum illud primum Catholicum ad nos non attinere, ſiquidem tota Eccleſia reclamat, quæ hæc verba in omnibus benedictionibus ſacerdotalibus prælegere conſuevit. Fruſtra etiam abſurdis quibusdam in cerebro ipſius natis Theophilum urgere ſatagit, quaſi hoc pacto omnes Monogamos peccati arguat. Quibus ſatis reſponſum, quod nullus homo peccati experts, & juſtiſſimi etiam peccata omiſſionis committant, conjugium præterea contractus Politicus, in quo Politiæ domeſticæ tranquillitas quæritur; Vir verò non ſemper & illicò inveniat perſonas ſuo ingenio convenientes, ſæpè ſe ad Polygamiam inhabilem reputet, præſertim ſi mulierum malitiam conſideret, de quâ Owenus. l. 2. ep. 86.

Sirenum cupis incolumem ſervare ſalutem.
Sirenum cantus effuge, ſanus eris.

& ep. 85. *Optima ſit quamvis, uxorem nolo Gigantem,*
Uxorem navam nolo; licet mala ſit.

quia juxta l. 1. ep. 51.

Formoſæ ſunt famoſæ, juveneſque jocoſæ,
Ingenioſa, ſagax fæmina, falſa ſalax.

Unde ſæpè evenit, ut virgo, quæ agnam videbatur repræſentare, in matrimonio per metamorphoſin pluſquam Ovidianam in feram tranſmutetur. *Ow.* 3. 60. de Agna Oxonienſi.

Nupta Senatori Benedicto non benedicto,
Credita quæ fueras Agna, *reperta lupa es.*

Huc etiam quadrat, quod *l.* 2. *ep.* 34. *idem ad Pontilianum ſcribit:*

Uxoresne bonas binas tibi præſtet, an unam,
Ducere difficilem, Pontiliane, *rogas.*
Alterutrum ſi ſit mihi ferre neceſſe malorum.
Quod minimum eſt, unam ducere malo malam.

& Monoſt. Eth. ep. 7.

Fæmina molle genus turpes proclivis ad actus,
Ni vir ſit cuſtos, ni pudor atque metus.

Et hoc eſt, quòd cantibus & pulchritudine artificiali quæſita ignotos perdant, adeoque maximoperè cavendæ. Tutior enim ſibilus Baſiliſci, quam cantus puellæ juxta Ow. Monoſt: ep. 6.

Tutior in ſylvis baſiliſcum audire frementem,
Quam molles cantus, fæmineumque melos.

Fruſtra præterea eſt *Autor Polygynias*, quando non neceſſarium putavit, ut Theophilus Polygamiæ muliebris ſeu Polyandriæ iniquitatem tàm prolixè proponeret. Quia enim Anti-Polygami æquale jus fingunt inter virum & uxorem, & cum huic nefas ſit, pluribus nubere viris, etiam viro nefas eſſe dicunt, plures ducere uxores, omnino opus fuit, ut clarè in terminis terminantibus, ut barbarè ſolemus loqui, oſtenderetur, Deum ſæpè prohibuiſſe, ne mulier pluribus ſocietur, & in exemplis etiam puniviſſe, nuſpiam verò taxaſſe vel pœnis coercuiſſe, ſi viri pluribus gaviſi fuerunt fœminis. Aſt in hoc perverſo & inverſo mundo ferè eo deventum, ut mulier pluribus communiter utatur, quia ut *Owenus* ait *libr. un. ep.* 175.

Sæpe quieſcit ager, non ſemper arandus, at uxor
Eſt ager, aſſiduè vult tamen illa coli.

2. *Atqui Polygamus magis ſe multiplicat.* Baſilius Pontius Legionenſis l. 7. c. 49. exiſtimat Polygamiam contrariari omnibus matrimonii finibus. Ita enim ille de illa ratiocinatur: *Sed & ratione probatur, quia his qui in matrimonio propoſiti ſunt fines, adverſari videtur. Licet enim non repugnet unum virum in multis uxoribus filios procreare, attamen aliquantulum etiam iſte finis impeditur. Nam luxurioſi & pluribus fœmi-*

minis vacantes minus fæcundi eſſe ſolent, ut in Salomone, cui tot erant reginæ & concubinæ planum eſt. Mirum enim eſt, quòd ex tot uxorum & concubinarum gregibus nonniſi maſculam unam prolem Salomon ſuſcepit Roboamum, & duas præterea filias Eraphet & Baſemath. 2 Paral. XI. Sic Suidas de illo: Ex mille uxoribus ſolus illi mas natus eſt Roboam filius, & ipſe ex alienigena Noam Ammonitide indignus imperio. *Multitudo enim conjugiorum orbitatem facit. Et quidem cum libidine & intemperantia ſterilitatem eſſe conjunctam:* Job. 24. 21. *docet* Pineda *ibi, cum dicitur:* Pavit ſterilem. *Rem attigit* Plut. in vit. Lyc. & libell. de Garrul. & l. 5. de placitis Phil. *Multo minus conjugiorum multitudo cohæret cum alio fine matrimonii ſcilicet ſociali cohabitatione. Cum enim uxor non ſit ancilla, ſed ſocia, & ideo ex latere viri deſumta, ejusdem eſt honoris cum viro particeps. Principatus enim ſingularitatem requirit,* ut Auguſtinus l. de bono conjugali docet c. 17. *Cumque etiam matrimonium remedium ſit concupiſcentiæ,* cap. nupt. 27. q. 1. *Impeditur hic etiam finis multitudine conjugiorum, cum unus vir tot uxoribus minus valeat debitum reddere. Adde iras rixasque inter uxores, etiam ſanctas fæminas, cum Zelopypia laboret fragilis fæminarum ſexus, & fieri nequeat ut viri affectus non magis erga unam quam erga aliam ut liquet* Gen. 16. & 30. *Denique finis matrimonii, quod eſt ſacramentum, absque dubio repugnat; Nulla enim in Polygamia unitatis ſacramenti, ſponſi Chriſti cum ſponſa repræſentatio. His accedit ab initio non inſtitutum, neque in mundum à Deo inductum matrimonium cum multis uxoribus. Cum tamen eo maximè tempore ad generis humani multiplicationem eſſet neceſſarium.* Hactenus Legionenſis, qui non uno modo fallit & fallitur. Primum enim nimius exceſſus in Polygamia, (non ipſa Polygamia) ut & in Monogamia inducit ſterilitatem, ſiquidem videmus Monogamos primo & ſecundo anno ob nimium concubitum ſæpè non procreare. Deinde ex ſilentio ſcripturæ non poteſt certo colligi Salomonem nonniſi tres generaſſe; Neque enim Adami, Sethi, Mathuſalæ liberi omnes commemorantur. Præterea uxor non eſt ejuſdem honoris cum viro particeps, quia inæquales, & inæqualis contractus, ac Principatus ab Auguſtino qui peſſimè allegatur, non uxori ſed viro tribuitur, ac evincitur, mulieres non poſſe habere plures ἄρχοντες ſeu imperantes viros. Et de naturâ virorum eſſe, habere principatum, ſeu imperare uxoribus non contra, niſi cum *Poëta Owen.* 1. 74. velimus fingere, fœminas, quia amantur dominari:

Quiſquis amat ſervit, dominatur quiſquis amatur,
Quiſquis amat patitur, quiſquis amatur, agit.

Sed ſi ſunt luſus Poetarum, qui ſolent pro libitu falſa veriſimiliter proferre, ſicuti ille ipſe Poeta, ſibi alio loco ep. 91. contrarius, amorem activum & paſſivum aliter depingit.

Scire cupis quid amare ab amari diſtet? Amari.
Pontia me tantum credo, ſed amare ſcio.

Debitum inſuper conjugale à marito præſtandum non conſiſtit in extinctione libidinis, quando quidem illam viginti ſæpè viri in malè educatis & laſcivis fœminis vix extinguere poſſunt, ſed in procreatione ſobolis, quæ unico actu ita poteſt obtineri, ut mulier deinde honeſta poſſit eſſe contenta, & mariti concubitum non amplius deſideret. Aliter verò res ſe habet, cum luxurioſa alicui obvenerit Galathea, de qua Owen. l. ep. 96.

Cervus uti perhibent mutat ramoſa quot annis
Cornua, quotidie Vir, Galathea, *ſuus*,

aut Catholica Gellia, de quâ ibid. ep. 102:

A teneris Papiſta fuiſti Gellia, pejor.
Papiſtâ nunc es. Quomodo? Catholica.

Rixæ demum atque iræ inter Chriſtianas mulieres nunquam inveniuntur, aut ſi poſt lapſum vix evitari poſſunt, etiam in Monogamia ſunt conſpicuæ. Denique *Conjugium* ipſum non eſt *ſacramentum* tale ſcilicet, quale eſt baptiſmus & Euchariſtia. Non enim eſt inſtitutum in N. T. non conſtat materiâ ſeu elemento viſibili, non habet adjunctam promiſſionem de applicatione & obſignatione gratuitæ reconciliationis & remiſſionis peccatorum, non denique eſt Chriſtiano-

rum

rum proprium. vid. *Marc. Anton. de Dom. de Rep. Eccl. l.* 5. *c.* 11. *n.* 24. Pontificii quidem, qualis etiam ſic *Baſilius*, pro ſacramento habent, ſed ipſi in definienda natura hujus ſacramenti non ſatis conveniunt. Negant alii ſacramentum eſſe, niſi ſolemnia ſacra, ſacerque adſit miniſter. Alii aſſerunt, ipſos conjuges eſſe, qui ſacramentum efficiunt, non miniſtrum ſacrum, neque actum ejus verbaque eſſe ex neceſſitate ſacramenti, ſed tantum præcepti, materiamque ſimul & formam ac cauſam efficientem eſſe in ipſis, qui contrahunt, quà contrahunt. vid. *Melch. Can. l.* 8. *LL CC. c.* 5. *Guil. Eſth. in* 4. *ſent. d.* 26. §. 7. Ipſa verò unio Chriſti ſponſi cum ſponſis ſeu fidelibus dicitur *μυστήριον* i. e. ſacra res, arcanum ſacratiſſimum. Atque hæc unio, quæ dicitur eſſe finis matrimonii, cum Polygamia benè convenit, ſiquidem, ut Chriſtus caput habet multas ſponſas, omnes puta fideles, ita vir poteſt habere multas uxores. vid. *Luth. de Dig. Epiſc. t.* 1. *Jen. Lat. Danh. Hodoſ.* 536. *μυστήριοις* 162. 504. *Anti Chriſt.* 697. *Chemn. Ex* 2. 3. *Suav. hiſt. Concil. Trid.* 259. & *cit. à Barboſ. in Conc. Trid.* 75. *Brochm.* 2. 2022. 5086.

3. *Conjugium eſt magnum & primum quidem bonum.* Idem indicat *Owen. l.* 1. *ep.* 63. cum ad cœlibem ſcribit:

> *Eſt bona res uxor, melior, bona, at Optima Nulla,*
> *Contingat nobis Optima, Nulla tibi.*

& l. ad Arbell. ep. 164.

> *Servat ab interitu Deus unus & unio mundum.*
> *Conjugium in terris unio prima fuit.*

Autor Polygynias p. 132. conjugium poſt lapſum non tàm bonum eſſe dicit, quàm ante lapſum, quod quidem ex ſcripturis deduci non poteſt, ſiquidem bonitas conjugii in ſe & in ſuâ naturâ conſiderati eadem eſt ante & poſt lapſum. Accidit quidem, ut poſt lapſum aliquæ adhæreant infirmitates, & imperfectiones, atque incommoda, (de quibus Paulus loquitur, 1 Cor. 7. 1. *bonum eſt homini, non tangere mulierem*) & quod homines cœci atque corrupti non tanto bono ritè frui queant. Sapiens vir autem novit atque laborat ea in ſuum commodum convertere.

THESIS XXXVIII.

IN hiſtoria Abrahamica multa latent argumenta, quæ nobis legalitatem Polygamias ob oculos ponunt, primo enim Gen. 12. ex verbis Abrahami ad Saram. *Ecce ſcio, quod ſis pulchra facie; quando nunc Ægyptii te videbunt dicent; hæc eſt ipſius uxor, & me interficient & retinebunt, dic igitur, quod ſis ſoror mea, ut vivam*) ut & ex verbis Pharaonis (*cur non dixiſti quod ſit uxor tua, cur dixiſti, eſt ſoror mea, & ideo volui ducere uxorem. Ecce nunc hæc eſt uxor tua, ſume illam & abi*) ut & ex parallela hiſtoria Abimelechi, Gen. 20. ſimiliter ambientis ſororem putatitiam Abrahami, ſole meridiano clarius apparet Polygamiam ſimultaneam muliebrem ſeu *Duum*-aut *multi-viratum* (hoc nomine, quod ſemel dixiſſe ſufficiat, impoſterum utemur, ad deſignandam Polygamiam muliebrem, & nomine Polygamias ſimpliciter ad denotandam Polygamiam virilem, cur enim non liceat ὀνοματοποιῶν) etiam apud Gentiles Ægyptios & Philiſtæos

exoſam & peccaminoſam fuiſſe. Contra verò Polygamiam alteram, virilem puta, uſitatam & legibus conformem habitam, quod patet ex pœnâ uxoribus amborum Regum adulterio proximorum inflicta à Deo juſtiſſimo judice, à quo per quod quis peccat per idem punitur & idem. Ubi ſimilia peccata ibi ſimiles pœnæ. Circa uxorem alienam Pharao & Abimelech peccabant, & ideo in propriis puniebantur. Quod Deus etiam in Davide adulterio obſervavit, 2 Sam. 12. 11, 12.

1. *In Hiſtoria Abrahamica.* Incepit hic novus mundus Poſt-diluvianus in quo Pater Credentium Abrahamus primus à Spiritu S. expreſſè narratur Polygamus, ſicut Lamechus in Ante-diluviano. Quod cum viderit Anti-Polygamus quidam, Dormitantius nempe, ne Patrem fidelium cogatur conſtituere primum, & hac in parte Lamecho, quem pro ſceleratiſſimo habet, exæquare, fingit Sodomitas fuiſſe primos poſt diluvium, qui duxerint plures uxores. At enim, ubi hoc in ſcriptura inveniatur non addit, neque etiam poteſt. Hoc legiſſe me memini, quod Sodomitæ cum maſculis concubuerint, & propterea hinc & inde taxantur. An vero Polygami fuerint, non dicitur. Quicquid vero ejus ſit, non opus eſt ut ad Sodomitas confugiamus, notum eſt ex not. ad th. 5. n. 1. 11. n. 7. primos poſt diluvium, quantum ſcitur, polygamos fuiſſe *Sabæos*, in quorum Scholâ Abrahamus enutritus dicitur. Fuit autem Abraham nepos *Eberi*, qui ab Arabibus *Hud* vocatur, qui nullus alius eſt, quam ipſe Eberſuti *Patricides Alexandrinus Chron. p.* 12. *Elmakinus Hiſt. Arab. p.* 14. *Baidavi in Alcor. p.* 237. exponunt; conf. & *Schick. in Taoruh. p.* 32. *Eberus iſte Pater eſt Hebr. qui cum poſteris locutus eſt Hebraicè, Arabes illum appellant Hud,* dicit Elmakinus. Patrem verò ejus Thara vocant Azara. Eberum Judæi juxta Seder Olam p. 11. habuerunt pro magno prophetâ; conveniente idololatras tum maximè jamdum frequentes, qui ſolem, lunam, ſtellas, lapides, ignem ſecundum *Keſſæum p.* 69. & *Patriciden hiſt. Sacr. p.* 12. homines fortitudine, pulchritudine aut ingenio etiam celebres coluerint. In Alcorano *Surata* 11. *p.* 121. de Ebero hæc narratur hiſtoria, aut potius fabula, quæ Latine ita ſe habet: *Dixit* (Hud Propheta) *O Populo, colite Deum, neque enim præter illum vobis Deus ullus eſt, niſi blaſphemi eſſe velitis. O popule, non petam à Vobis propterea mercedem; eſt enim merces mea ſuper eum, qui creavit me,* an vero necdum intelligetis? *O popule, Remiſſionem à Domino Veſtro petite. Deinde ad eum vos convertite, ut cælitus vobis mittat pluvias ſtillantes,* (fuit enim maxima ſterilitas ob pluviæ inopiam) *addetque Vobis ad robur Veſtrum robur aliud, quare ne protervi recedatis.* Reſponderunt ei: *O Hud, nondum attuliſti vobis ſignum, neque relinquemus Deos noſtros propter verbum tuum, neque etiam credemus tibi. Quid enim aliud exiſtimemus, quam quod quidam Deorum noſtrorum te laceſſiverit plaga aliqua.* Dixit (Hud) *Teſtor ego eſſe Deum verum, vos autem confiteamini, immunem me eſſe ab eo, quod aſſociatis:* (Deo vero) *Agite, doloſè modò me circumveniatis omnes, neque tamen videbitis* (ſucceſſum) *ſpero enim in Deum meum & Dominum veſtrum. Non eſt vel reptile, cujus capiti non imperet. Utique in Domino meo via eſt vera. Quod ſi vel maximè retrocedatis, ego officio meo ſum defunctus, ob quod ad vos miſſus ſum, & ſurrogabit Deus vobis populum alium. Neque ei quicquam nocere poteritis: eſt enim Deus meus obſervator rerum omnium. Cum autem mandatum noſtrum veniſſet, liberavimus Hudum, & qui cum eo crediderunt, pro miſericordia noſtra, eumque pœna gravi exemimus.* (i. e. explicante Baidwi, à veneno nares infidelium infeſtante, per poſteriora vero ruptis membris erumpente:) vel ſecundum *Keſſæum,* qui turbine peſtifero ſeu lethali immorigeros iſtos ſalvo Hudo periiſſe vult) *Atque ſic periit Ad* (Rex) *propterea, quòd ſignis Domini ſui reſtiterunt, legatis ſuis rebel-*

bellarunt, juſſa gigantum (de quibus 60 vel 100 cubitorum Iben Abbas) *refractariorum ſecuti. Unde eos comitabitur maledictio in hac vita & die reſurrectionis.* Ex Chriſtianis unus *Elmacinus* hujus hiſtoriæ meminit, ſed paulo aliter, quod ſcilicet ventus, præcedente magno motu terræ anteà inaudito, idola illorum infantes Dæmonibus immolantium confregerit & domicilia everterit. Atque hæc Arabes de Ebero.

2. *Scio quod ſis pulchra facie.* Revocabat ſibi in memoriam *Abrahamus* ſuum maritale officium, quod in eo inter alia conſiſtebat, ut uxorem ſuam ab omnibus injuriis defenderet. Cumque hoc contra Ægyptios & Philiſtæos Idololatras, pulchris fœminis dubio procul adhinnientes, apertè ſe præſtare poſſe deſperaret, ſeque eà propter in ſummo periculo eſſe animadverteret, ad *ſtratagema*, divinæ providentiæ & protectioni quodammodo diffidens, recurrit, & ſe fratrem ejus eſſe ſimulat, atque perhibet. Quod uti cum infirmitate aliquâ fuit conjunctum, ita in hoc non erravit, quod ſui officii eſſe putarit, ut uxorem ab omnibus injuriis pro virili præſervaret, & vindicaret. Hoc enim inter alia propter conjugale fœdus incumbit maritis, ut ſecura ſub mariti tutelâ & curâ deliteſcere poſſit uxor, ideoque ſupplicis inſtar ipſi ad aram commendatur, ceu *Ariſtoteles* ex *Pythagora* 1 *Oecon. c.* 4. teſtatur, ipſam tueatur, ejuſque agat defenſorem. *Struv. Ex.* 29. *th.* 56. *Weſenb. ad ff. de rit. nupt. n.* 6. *Gerb. in l. de Conjug.* §. 450. Unde rectè *Ovid. in Ep. Herm. ad Oreſt:*

Non turpe marito eſt
Aſpera pro charo bella tuliſſe toro.

Quod ſi itaque uxori facta eſt injuria, marito injuriarum datur actio. §. 2. *Inſtit. de Injur. l.* 1. §. *penult.* & *ult. l.* 2. §. 7. *ff. de ead.* quia per conſequens toties nobis fit injuria, quoties illi, qui noſtro affectui ſunt ſubjecti, læduntur, *l.* 1. §. 13. *ff. de Inj.* adeoque etiam maritus in uxoris pudore propriam injuriam pati cenſetur, *l.* 2. *de Inj.* & uxoris dignitatem lædens, ſimul mariti dignitatem, quæ in eâ ineſt, violaſſe intelligitur *Arn. Vinn. ad* §. 2. *Inſtit. de Inj. Petr. Theodor. in Crimm. c.* 2. §. 18. *n.* 8. 9. 10. ſiquidem mulieres à ſeipſis dignitatem non habent. *Caſp. Manz. ad d.* §. 2. *Inſt. de injur.* ſed maritorum radiis coruſcant. *Novell.* 105. *c.* 2. *Schot. Ex. Jurid. p.* 66. *Georg. Schonb. Pol.* 2. *c.* 6. *p.* 41. Eadem defenſio, & præprimis pudicitiæ competit quoque ſponſo, ſiquidem ad ejus contumeliam etiam ſpectat, quæcunque injuria illata fuerit ſponſæ, *l.* 15. §. 24. *ff. de Injur.* idque propter fidem conjugalem, & vim mutui conſenſus, qui efficit vinculum conjugale quo ſponſus etiam & ſponſa conjuges atque una caro eſſe videntur. vid. *diſp. de laſ. pud. Jo. Chriſtoph. Falkner*, modo tamen injurians fuiſſe ſponſam non ignoraverit, ſecus ſola ſponſa injuriarum agere poterit, *per. l.* 18. §. *ult de Inj.* attendendum verò quo animo quid dictum factumque fuerit quod ex circumſtantiis facti, aliiſque modis eluceſcit. Enim vero ſi vel maximè injuria ſibi vel uxori ſuæ inuſta videatur, cum tamen dolus & affectus abfuerit nullo modo maritus hâc ratione experiri poterit, ſiquidem injuria ex affectu facientis conſiſtit, *l.* 1. §. 1. *ff. de Inju.* Et quamvis in dubio omnis injuria dolo & animo me injuriandi facta præſumatur, nec ſimpliciter credendum injurianti, ſe non animum habuiſſe injuriarum prætendenti. *Carpz. Pract. Crim. q.* 97 *n.* 2. & 3. attamen, ſi proferens verba injurioſa contrarium probare velit, omnino audiendus erit *l.* 5. *C. de Inj.* Quod ſi vero verba talia ſunt, quæ injuriam indifferenter ac neceſſario non important, ne quidem probatio contrarii reo poteſt injungi. *Schneidew. ad* § *ult. Inſt. de Inj. n.* 2. idem eſt, ſi qualitas facti conditioque perſonarum aliud innuat, quia tùm animo docendi potius & corrigendi ergo feciſſe præſumitur, *per l.* 15. §. 38. *ff. eod.* Unde facilè ſequitur, eos non teneri injuriarum, à quibus per jocum, vel ridendo *l.* 3. § 3. *ff. de Injur. l.* 16. §. 23. *ff. Eodem*, vel etiam animo docendi, monendi & vitam alterius corrigendi, quicquam, quod injurioſum videbatur, dictum factumque fuit. *l.* 15. §. 38 *ff. Eodem. Dambaud. Prax. Crim. c.* 136. *n.* 9. & *c.* 137. *n.* 12. Cœterum non perſonam tantum uxoris amabiliſſimæ pro aris & focis defendere, ſed ipſius etiam dotem atque bona, quæ conſervari ſalva pu-

blice intereſt. *l.* 1. *ff. ſolut. matr.* tueri ac conſervare tenetur. Hinc etiam ab eo non dolus tantum, ſed & culpa præſtanda. *l.* 66. *princ. ff. de ſolut. matr. Carpz. Juriſpr. For. p.* 2. *conſt.* 42. *defin.* 19. *n. ult.* & quidem levis, *Habn. ad Weſenb. de Jur. dot. n.* 9. quia utriuſque gratia dos datur, vid. *Joh. Volk. Becman. de priv. mul.* Hæ vero maritales defenſiones non certe ſummâ deſtituuntur æquitatis ratione, ſiquidem ideo natura unum ſexum robuſtiorem fecit, alterum imbecilliorem, ut hic ad cuſtodiendas res propter timorem, ille propter fortitudinem ad propugnandum magis eſſet idoneus, *Ariſt. l. Oecon c.* 3. Unde meritò Imperator ſacratiſſimus, *æquum eſt*, inquit, *defendi uxores à viris, non viros ab uxoribus. l.* 2. *Inſt. de Inj. & l.* 2. *ff. Eodem.* Accedit, quod mulierculas tum corporis tum animi infirmitas excuſet à propugnatione, verecundiaque ſexus ſequioris ipſas à forenſibus arceat velitationibus *l.* 1. §. 5. *ff. de Poſt. t.* 18. *C. de procur.* neque enim naturalis pudor fœminas omnibus ſeſe manifeſtare concedit *l.* 14. *C. de contrab. & committ. Stip.* aut cœtui publico demonſtrare *l.* 2. §. 1. *C. de his qui ven.* ideoque etiam receptum moribus, ut civilibus non fungantur officiis mulieres *l.* 12. §. 2. *ff. de Jud. l.* 1. *ff. ad Senat. Vell.* ſiquidem Romanis incivile viſum fuit, ſi fœminæ perſequendæ litis obventu in contumeliam matrimonialis pudoris irreverenter irruerent, & conventibus virorum vel judiciis intereſſe cogerentur. *l.* 21. *C. de proc.*

3. *Sis Soror mea.* Lev. 18. v. 9. 11. ſeveriſſime prohibetur *ducere ſororem, ſcil. quæ propriè ſoror eſt vel ex utraque parente, vel ex alterutro, idque vel legitimè ex conjugio, vel illegitimè extra conjugium, ſeu foris, ut ſcriptura loquitur, genitæ ex ea, quæ à Patre tuo ſit vi vel blanditiis compreſſa, vel alias ei prohibita.* Comprivignam autem ſeu filiam novercæ tuæ, quam ex alio marito, non ex parente tuo ſuſcepit, in uxorem ducere permittunt Hebræi, uti *Maimon. in Halkul. Aſuri bia c.* 2. §. 3. docet. Et in *Seylkan Auruch part.* 4. *n.* 15. §. 2 *poteſt quis ducere filiam uxoris Patris ſui, quam ſuſcepit ex alio viro, & licet ſit privigna educata in domo eadem inter fratres; tamen permiſſa eſt ipſis, neque curamus, quod externe videatur ut ſoror eorum.* Idem traditur in ספר החנוך ad Lev. 18. v. 2. ubi *bis* hoc præceptum repetitur, unde nonnulli v. 9. veram ſororem, v. 2. verò comprivignam prohibitam ſed falſo, uti dictum, exiſtimant; Quare non immeritò quærit *Maimonides*, cur idem præceptum repetatur, & Reſpondet, ut indicetur; eum qui ſororem ex eodem Patre genitam ducit, longè graviſſime peccare, *& dupliciter reum conſtitui. Primum propter retectam nuditatem ſororis ſuæ*, de quâ v. 9. *deinde propter retectam nuditatem filiæ uxoris patris ſui*, de quâ v. 2. Sed ſi pater aliquam violaverit, aut blanditiis ſeduxerit, & ex eâ ſuſceptam filiam frater duxerit, non habet niſi unum reatum, reſpectu prioris de ſorore non ducenda, quia filia violatæ mulieris non eſt filia uxoris Patris tui, (hæc enim ducenda eſt per deſponſationem & nuptias ſecundum ritum Hebræorum) Idem ſentit *R. Becchai & Moſes Mikkozi* in libro præceptorum magno, *part.* 1. *n.* 104. 105. hauſerunt autem illa ex *Thalmud Jevammoth. c.* 2. *fol.* 22. *col.* 1. *Chaſkuni* etiam ita conciliat. & v. 9. ſimpliciter de ſorore illegitimâ & ſpuriâ, v. 2. de ſorore ex legitimâ conjuge procreatâ, intelligit. R. *Moſes bar Nachman* ait verſ. 2. ut indicetur v. 9. non intelligi filiam ex legitimâ uxore genitam; & quia inter interdicta filiorum Noachi (ante legem) fuerit quidem Fraternitas ex matre, ſeu uterina, non vero ex Patre, ſeu Germana, voluiſſe ſcripturam indicare, utramque fraternitatem ex æquo eſſe prohibitam. Dicunt autem Rabbini *valere* hoc præceptum *omni loco & tempore*, ita ut transgreſſorem, qui cum ſorore ſuâ rem habuerit ſuperbe, pœna maneat excidionis tantùm, i. e. etſi præeunte admonitione teſtibus convincatur, non in alium, quam excidionis reatum incurrere; eum verò qui per ignorantiam deliquerit, ſacrificium pro peccato offerre conſtitutum. Eſſe autem hanc illiciti etiam congreſſus ſpeciem, quæ omnibus mundi incolis interdicta ſit. Diſcrimen tamen obſervandum inter Iſraëlem & reliquas gentes. His interdictas tantum eſſe ſorores uterinas, illis verò quaslibet ſorores, tàm ὁμοπατρίους quàm ὁμομητρίους. vid. *Buxt.*

de

de ſponſ. p. 16. *Hotting. Jur. Hebr. p.* 288. Verum enim verò ſub ipſis rerum initiis aliter nequibat fieri, quin & fratribus ſorores, eæque & germanæ, & uterinæ nuberent, uti ſupra in not. ad th. 26. n. 2. audivimus, quòd juxta Rabbinos Eva bis pepererit Gemellos, cum *Caino* gemellam ſororem *Azron* dictam, & cum *Abele* germanam *Awin*, & Adamus Caino deſtinaverit gemellam Abelis, & Abeli Gemellam Caini. (gemellorum nuptias etiam tum illicitas fuiſſe habitas, veluti eorum, quos ipſa quidem natura natalibus disjunxit, invicemque ſeparavit, *Philo tradit libr. de ſing. Legibus* ad adulterium & homicidium pertinentibus, vid. & R. *Eleazer in Pirke c.* 22.) poſtea verò quia Gemella Caini pulchrior, Cainus ea propter Abelem occiderit & quod poſt mortem Abelis *Setho* ceſſerit gemella Abelis. Quem aſſerunt montem ſacrum, (ubi & ſepultum volunt Adamum) cum ſuis poſteris tenuiſſe, cujus ad radices Cainitarum convalles erant, atqueNumen & naturalia Jura religioſe coluiſſe, uſque dum in convalles, ut è Caini filiabus ſibi uxores ſeligerent, è monte aliqui eorum deſcenderent, etiam poſt præſtitutum omnibus commune per ſanguinem Abelis juramentum ſe non deſcenſuros. Unde & explicatur *Bathricidi* illud Gen. 6. 2. *videruntque filii Dei* (Sethi poſteri) *filias hominum* (Caini poſteras neptes hominum vitiis nimis ſordeſcentes) *quod pulchræ eſſent, & acceperunt ſibi in uxores ex omnibus, quas elegerant.* vid. ad h. l. *Suidas in verb.* μαγγαμίας, *& liber Enochi ep. Joſ. Scal. in not. ad Euſeb.* p. 241. & *Jo. Druſ. in not. ad Sulp. Sev. p.*23. *Selden. de J. Nat v.* 8. 601. Cœterum Adamum præter iſtos tres in ſcripturâ recenſitos plures filios & filias habuiſſe ipſe Moſes tradit Gen. 5. 4. *Epiphanius* ex Leptogeneſi *hæreſ.* 39. ipſi tribuit 12. filios & binas filias. *Cedrenus p.* 7. 33. filios & 27. filias. *Pſeudo Philo in Antiquit. Bibl.* etiam nomina quædam filiorum & filiarum recenſet. Methodius Patarenſis Epiſcopus filias quasdam nominibus *Calemeria* & *Lebora* (quæ aliis Debora. vid. *Petr. Comeſt. hiſt. Schol. l.* 1. *c.* 25.) pro Calmana & Lemborâ (uti rectius cenſet *Jo. Allatius in not. ad Euſtath. Antiochenum p.* 213.) appellat. Quicquid verò ejus ſit, ſecundum Hebræos fratres duxerunt ſorores ſuas velut ex *indulgentia temporis*, i. e. rerum initiorum neceſſitate id exigente, cum citra neceſſitatem illam fratribus ſorores uterinas conjungi, etiam ex jure primævo nefas fuiſſet. Quin etiam nonnulli dicunt, patrum & filiarum connubia per hanc indulgentiam temporis fuiſſe licita, Adamum vero à filiabus abſtinuiſſe, quia eas filiis ad genus humanum commodius multiplicandum deſtinaſſet. Certe & notatur apud ſcriptores aliquot Chriſtianos (vid. *Epiphan. hæreſ.* 39.) Evam velut planè filiam Adæ fuiſſe, utpote quæ ex ejus carne deſumta indeque formata. *Indulgentiæ* vero hujus *temporalis* in Lege Moſaica etiam mentionem fieri volunt Rabbini, *Lev.* 20. 17. ubi חסד quod Helleniſtæ per ὄνειδος flagitium reddunt, apud Thalmudicos pro gratia, benignitate ſeu indulgentiâ, & huc etiam Gemara Hieroſolymitana *tit. Sanhedr. c.* 16. *f.* 26. *col.* 4. §. 1. tendit, cum ſcribit: *Ubi in lege ſcripta habetur* Lev. 20. 17. *Qui acceperit ſororem ſuam, & ille viderit turpitudinem ejus, atque illa turpitudinem illius viderit, indulgentia erat; id adjicitur, ne objicias, at Cainus & Abel ſorores duxerunt; atque intelligendum eſt, ac ſi interſertum fuiſſet, Indulgentiâ ſeu gratiâ uſus ſum ergà homines primævos, quoniam ex eis mundus eſt ædificatus. Dixi* Pſ. 89. 3. *Indulgentia ædificavit mundum.* Atque ita utrumque locum intelligunt *Sepher Zohar ad Vajikra f.* 38. *col.* 3. *& R. Eliez. in Pirke. c.* 22. uti & *Gloſſa Jarchii ad citatam legem* Lev. 20. 17. *& Paraphraſis Chaldaica* Jonathani tributa ad Lev. Ita & Patres Chriſtiani ſorores fratribus conjunctas iiſdem ferè rationibus confirmant. *Epiphanius hær.* 39. dicit: (vid. & *Alex. Alenſ. ſumm. q.* 3. 4. 27. *a.* 3.) *Non erat illicitum, cum progenies nulla erat alia. Imo & ipſe Adam propriæ, ut ita dicam, filiæ velut ex corpore ipſius formatæ, quæ & à Deo in matrimonium ei formabatur, conjunctus eſt, nec illicitum erat.* Et paulo poſt: *multiplicato genere humano Aura de honeſtis nuptiis ampliata eſt, & ut res tulit invaluit.* Et deinde *De cætero non amplius in uxores ducebant ſorores ſuas, ſed juris vim obtinuit de matrimonio lex, etiam* ante ſcriptam à Mose legem. Et Auguſt. de

Civ.

Civ. l. 15. c. 16. (adde cauſ. 35. q. 1. c. 1.) *Cum non eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, viri ſorores ſuas conjuges acceperunt; quod profecto, quanto eſt antiquius compellente neceſſitate, tanto poſt factum damnabilius religione prohibente.* Et inferius paulo: *Fieri ergo debuit, quando potuit, ut exiſtente copiâ inde ducerentur uxores, quæ non erant jam ſorores, & non ſolum, iſtud ut fieret, nulla neceſſitas eſſet, verum etiam, ſi fieret, nefas eſſet; Nam etſi nepotes primorum hominum, qui jam conſobrinas poterant accipere conjuges, ſororibus matrimonio jungerentur; non jam ſed tres in homine uno neceſſitudines fierent, quæ propter charitatem numeroſiore propinquitate nectendam diſſeminare per ſingulos ſingulæ debuerunt;* Sed hæc in primis ſeculis fuêre conceſſa, an verò poſteà, at adhuc hodiè duci poſſit ſoror, *Paludanus, Jo. Major, Abulenſis Sotus, Katharinus, Covarruvias, Bellarminus, Gregor. de Valentia* negant, ſed affirmant *Thomas, Bonaventura, Durandus, Richardus, Alex. Alenſis, Roffenſis, Victoria. & Caſpar Zieglerus* Anteceſſor conſummatiſſimus in *Jur. Can. p.* 985. ait, multis adhuc diſputare Doctores, an conjunctio fratrum & ſororum juri Naturæ ſit adverſa & inceſtus. Certe inter Gentes, qui ſecundum jus Naturæ vixerunt, fratrum & ſororum connubia maxime fuere uſitata. Ita *Saturnus Ægyptius* (Chamus in ſacris) *ſororem Rheam* duxiſſe dicitur, ex quâ Oſiridem & Iſidem genuit. *Iſis* vero nupſit fratri *Oſiridi*, cujus reginæ de ipſis optime meritæ exemplo moti *Ægyptii* legem tulerunt, fas eſſe ſororem à fratre in uxorem capi *Diod. l. 1. c. 2. Nimrodi*, Regis Babyloniæ, aut ut à Gentilibus vocatur, *Nini* tempore, *Magi ſororibus* miſcebantur, uti *Saidus Batricides, Patriarcha Alexandrinus,* ex orientalium monumentis edoctus apud. *Selden. de J. N. & G. p.* 624. docet. *Cambyſes* ipſe Rex Perſarum *duas ſorores* duxit, & *Darius* Statyram iiſdem genitam parentibus conjugio ſibi devinxit. *Herod. in Thal.* qui Cambyſis ævo conjugia ſororum apud Perſas cœpiſſe tradit. Quod & *Clemens Romanus l. 9. Recogn.* fatetur, apud Perſas ſororum conjugia fuiſſe frequentata. Et in amoribus Clitophontis & Leucippes apud *Achill. Tatium. l. 1.* admittur, ut moribus Phœniciis plane conſonum, Sororem ſaltem, non uterinam matrimonio quempiam jure ſibi conjunxiſſe. De Ægyptiis hoc ipſum etiam præter ſupra citatos teſtatur *Ptolemaus. Tetrabibl. t. 2.* quod ſcilicet quadrantis quarti, in quo Ægyptus, incolæ ſororibus commiſceri conſueverint, uti & *Philo l. de ſing. legibus ad adult. & homicid. pertin.* præter alios *Sext. Empir. Pyrrhon. Hypotyp l. 3. c. 24.* ſcribit in Ægypto ſororum tùm uterinarum, quam germanarum etiam & gemellarum connubia fuiſſe licita. adde & *Senec. in Colocynthoſi* emendatum à Jano Rutgerſio Var. Lect. 1. c. 9. Nam ut Dii.

Suas habuêre ſorores.
Ut Saturnus Opim junctam ſibi ſanguine junxit.
Oceanus Tethyn, Junonem Rector Olympi.

Ovid. l. 9. Metam. vid. Lactant. de Falſ. Relig. c. 10. Ita Gentiles ſuas præſertim Græci, Deos ſuos imitati. *Athenis* germanas ducebant ſed non uterinas ex *Solonis* inſtituto. *Phil. lib. de ſpec. Reg. ad adult. Minut. Felix in Octav.* & *Ariſtophanis* Interpres Athenienſium legibus permiſſum aſſerit, ſororem in matrimonium ducere. *Spartæ* uterinas ducebant ſed non ex Lycurgi inſtituto. Quin etiam ejuſmodi conjunctiones, i. e. tùm uterinarum, quàm Germanarum ſororum *in ſanctiore*, quam finxit, *Rep.* permiſit *Plato. l. 5.* & unicuique fas fore, in uxorum, quam ibi præſcripſit, communione, quibuscunque cognatis pro libitu commiſceri, *exceptis filia ac matre, & ex filiabus neptibus, & quæ à matre aſcendunt,* Fœminis verò & commiſceri ſuis pro lubitu, *exceptis filio, ac Patre & tam qui ab his aſcendunt, quam qui deſcendunt.* Et Cimonem Miltiadis filium in matrimonio habuiſſe ſcimus ſororem germanam ſuam *Elpinicen* dictam. Quâ in re *non magis amore* (ut verba ſunt Æmilii Probi,) *quam patrio more ductus.* Nam Athenienſibus licet, ait ille *eodem Patre natas uxores ducere.* Eodem jure *Mnaſiphitolemam* ſororem ὁμοπατρῶν duxiſſe *Archetolim* Themiſtoclis F. ſcribit *Plut. in The-*

Themiſt. Ita *Hecatomnius* Cariæ Rex tres habuit filios, Mauſolum, Idriæum & Pyxodorum & duas filias, è quibus *Artemiſia* grandior *Mauſolo* fratri grandiori nupſit, *Strabone* referente. *Ptolomæus* Ægypti Rex ſororem in conjugem duxit, & omnibus id permitti voluit *Ptolemæus* Ceraunius Macedoniæ R. *Arſinoen* ſororem duxit, & *Olympias* Pyrrhi Epirotarum filiâ fratris conjugio potita eſt. *Monobazus* Adiabenorum Rex ex ſorore *Helena* Izalem filium ſuſtulit, qui poſt religionem Judaicam amplexus. *Joſeph. in Antiquit. l.* 20. *c.* 2. Unde *Michael Epheſius ad.* 5. *Nicomach.* ait: *Fratrem cum ſorore concumbere mitio res media erat; at lege adverſus tales concubitus poſita, jam multum refert, obſervetur lex, nec ne.* Diodorus Siculus vocat κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων, *communem hominum morem*, ne fratres ſororibus jungantur, à quo more Ægyptios eximit l. 1. *Brauerus* quidem aſſerit *de Jur. Connub. l.* 2. *c.* 10. Cananæos, Philadelphios polluiſſe terram, & moratiores gentes, ſolo jure naturæ edoctas, fratrum & ſororum conjunctiones horruiſſe. Verum enim vero percepimus modo, *Ægyptios, Perſas, Græcos, Macedones*, qui ſanè barbaris gentibus non ſunt annumerandi, in more habuiſſe poſitum, ſororem in uxorem ducere. Nec quicquam huic ſententiæ obeſſe poteſt peccatum Cananæis & finitimis populis propterea imputatum. Poteſt enim locutio univerſalis reſtringi ad præcipua ejus capitas, ut de concubitu cum maſculis, cum beſtiis, cum parentibus, cum nuptis alienis, in quorum, προφυλακὴν, & ut Hebræi loquuntur, *præmunimentum* additæ ſint leges cœteræ. Nam de ſingulis partibus ne intelligatur, argumento eſſe poteſt interdictum de non habendis eodem tempore in matrimonio ſororibus duabus: quod in commune datum olim generi humano fuiſſe *Jacobi* pietas, qui contra fecit, credere nos jubet. Huc pertinet & factum *Amrami*, qui pater Moſis fuit. Nam & is ante legis tempora amitam duxit uxorem, ſicut materteras apud Græcos *Diomedes* & *Iphidamas, Areten* fratris filiam Alcinous *Euſtath. ad* 2. *A.* & *ad Od. H.* Quare *Hugo Grotius* non male Politicam rationem quorundam Lev. 1. interdictorum affert, quando ex Hebræis veteribus, non ſanè ſpernendis hâc in parte divini juris interpretibus, & præcipue ex Maimonide (vid. *Buxt. de ſponſ. n.* 26.) qui omnia eorum legit, ſummoque judicio digeſſit, *duas* legum Lev. 18. ſancitarum *cauſas* adducit, & *priorem* quidem ait eſſe *naturalem quandam verecundiam*, quæ non ſinit ortus autores cum ſuâ ſobole, aut in ſeipſis, aut etiam per perſonas ſanguine, aut nuptiali ſanguinis commixtione proxime cohærentes miſceri: *alteram* vero, ne quarundam perſonarum convictus nimis quotidianus & inobſervatus ſtupris & adulteriis occaſionem daret, & nimium periclitaretur pudicitiæ bonum inter adoleſcentiæ fervorem, ſi tales amores nuptiis poſſunt conglutinari. Quæ etiam ſententia eſt Plutarchi Quæſt. Rom. 107. & *Auguſtinus* illam etiam probat *C.* 1. *Cauſ.* 35. *q.* 1. *l.* 15. *de Civ. c.* 16. ut latius per diffuſas affinitates, cum propagatione humanæ charitatis ſpargeretur, & ſerperet amicitia. Quæ omnia ſi ad connubia fratrum & ſororum cum judicio aptare velimus, merito ambigendum an illa legi naturæ contrarientur. Fatetur quidem *Browerus l. c.* jus naturæ intelligentes (uti ille diſtinguit) non adverſari hiſce conjunctionibus, ſiquidem æqualis honos & reverentia fratrum & ſororum optime admittat æqualem conjugii ſocietatem; nec cognatæ erga patruum, vel cognati erga amitam reverentia tanti valeat, quin æqualitatem conjugii ferre poſſit. At vero ſtatuit jus naturæ ratiocinantis, (uti loquitur) tales conjunctiones non admittere, exque eo, quod doceat ſanguinis unitas, parentum nuptiis abſtinendum eſſe, colligere humanam rationem, nuptias fratrum & ſororum etiam fugiendas, ut pote qui in communi parente una caro ſint, uti Gen. 37. 27. dicitur: *Ne interficiamus Joſephum*, ait Juda, *frater noſter, caro noſtra eſt.* Atque ita etiam, ſi hæc ratio valet, nullus maritus cum ſuâ uxore miſceri deberet, quia una quoque caro ſunt. Porro etiam dicit, quod ſanguinis neceſſitas naturalem quandam cordibus hominum indat reverentiam, erga eos, ex quibus nos natos ſcimus, & quos nobiſcum ex iis natos novimus. Quæ quamvis æqualis

ſit inter natos ex iisdem parentibus, ut non minus revereri fratrem teneatur ſoror, quàm ſororem frater; tanti tamen ſit, ut contra humanum pudorum foret, ejus retegere nuditatem, cui poſt & propter parentes reverentia debetur. Verum enim vero hoc pacto etiam omni uxori, poſt & propter parentes ipſius honor & reverentia debetur, ſiquidem fas eſt etiam parentes uxoris debito revereri modo, atque proinde conſequitur, nullam uxorem eſſe ducendam, quia omni, ejusque parentibus debetur reverentia. Deinde vero, ſi accurate velimus loqui, maritus non debet reverentiam uxori, ſed potius inverſo modo uxor, ceu inferior, & infirmior animo & corpore reverentiam debet marito, veluti meliori & ſuperiori, adeo ut mulier mariti nuditatem non commode ob reverentiam, quâ maſculis obligatur, retegere poſſit. Unde videmus, fœminis tantum pudorem eſſe concreatum, ut mere paſſive fere in actu conjugali ſe habeant, uti & conſtat, quod ſecundum legem divinam mulier tangens virilia maximopere fuerit punita. Et ſupra audivimus ex Rabbinis, quod uxor debitum conjugale clare, ut à vicinis exaudiri potuerit, poſtulans potuerit repudiari. Quæ omnia reverentiam marito debitam ſatis ſtabiliunt. Si vero reverentia naturalis impedire poſſet nuptias contrahendas, nulla ſane fœmina, ut pote cujus proprium eſt, revereri, uti ſupra *th.* 1. *n.* 7. annotavimus, nubere poſſet. Denique non eſt æqualis reverentia fratris ergà ſororem, & ſororis erga fratrem. Sicut enim omnis fœmina ob imbecillitatem ſexus maſculis debet ſuam reverentiam, ita etiam ſorori erga fratrem illam negligere, haut convenit, unde *Plut. in Solone* refert, fratri licuiſſe ſororem in ſtupro deprehenſam vendere. Et ut brevi rem complectar, ſuperior inferiori nullam debet reverentiam, & quia conjugium eſt inæqualis contractus, ubi reverentia activa eſt ex parte uxoris, nil impedit, quo minus etiam ob reverentiam connubia poſſint conſummari.

Sed ut tandem ad Conjugium Abrahami, qui uxorem ſuam vocat *ſororem*, redeamus, communiter ſtatuunt Hebræi illam non proprie fuiſſe ſororem ipſius, ſed *filiam fratris*; quæ etiam *Joſephi* eſt ſententia *l.* 12. *&* 16. *Antiquit.* qui exemplum etiam nobis oſtendit in *Herode*, qui fratris filiam duxerat, & ſuam filiam fratri *Pheroræ* deſponderat; Ita *Phineo Patruo* promiſſa Andromede *Ovid. l.* 5. *Metam*, Apud Romanos quidem ab initio fuit vetitum, ſed permiſit *Claudius*, vetuit iterum *Nerva* ſed permiſit *Heraclius* rurſus. Fratris vero filia non tantum more Hebræorum *ſoror*, ſed & omnes propinqui & neceſſarii fratres vocabantur. *Lev.* 25. 25. Sic ipſe Abraham *Lotum* ex fratre ſuo Harano filium & ſibi cognatum, *fratrem* ſuum vocat. *Gen.* 13. 8. Sic filiæ Eleaſari dicuntur fratribus nupſiſſe, cum tamen nupſerint patruelibus ſuis, patrui Kiſchi filiis. 1 *Chron.* 23. 20. 21. Et ne quis putet in gente Judaicâ id peculiare quid fuiſſe, *Cicero* quoque *l.* 5. *de fin. Lucium Ciceronem* patrui ſui filium *fratris* nomine inſignivit, & *in Philippicis* C. Antonii uxorem & ſororem vocavit, cum tamen M. Antonius C. Antonii ex fratre cognatus uxoris ſuæ patruelis eſſet. Quod ipſum apud Claſſicos autores infrequens non eſt. Apud *Terent. Phorm. a.* 5. *ſc.* 4. Antipho Phædriam Patruelem *fratrem* ſuum appellat; Filium patrui Oſalſis Capuſam, Maſiniſſæ *fratrem* nuncupat *Livius l.* 14. *hiſt.* Apud *Ovid.* Hermione Oreſten, Agamemnonis Patrui filium, *fratrem* nominat his verbis:

Alloquar Hermione nuper fratremque virumque
Nunc fratrem, nomen conjugis alter habet.

At paulo poſt:

Quid quod avus nobis idem Pelopejus Atreus.
Et ſi non eſſes vir mihi, frater eras.
Vir precor uxori, frater ſuccurre ſorori.
Inſtant officio nomina bina tuo.

Sic Deucalion Pyrrham patruelem ſuam ſororem vocat apud eundem l. 1. Met.

Deucalion Pyrrham lacrymis affatur obortis.
O ſoror, *O conjux & fœmina ſola ſuperſtes,*
Quam commune mihi genus & patruelis origo.
Deinde torus junxit.

Imò

Imò quod magis eſt, refert Scævola, quendam Lucium Titum *Sejo filio ſuo* ſcripſiſſet, cum tamen fratris filio ſcriberet. *l.* 60. *p.* 4. *ff. de mand.* Ut mirum videri non debeat, ſi proximos cognatos fratres ſuos, ſororesve appellaverint Hebræi; Unde quidam putant rectè dixiſſe Abrahamum, Saram Patris ſui filiam eſſe, patri ſuo per fratrem Haran natam: Nam nepotes neptesque ſuos filios filiasque vocabant Ebræi, quaſi filii non tantum ſibi, ſed & Parentibus ſuis gignerent liberos. Sic Laban filios filiaſque ex Leâ & Rahele natos Jacobo, ſuos filios vocat *Gen.* 31. 43. *&* 55. Sic Deus etiam nuditatem neptis nuditatem avi dicit, *Lev.* 18. 10. Atque hæc eſt plerorumque Rabbinorum ſententia ut *Buxt. de divort. p.* 17. adducit R. Bechai, Abenezra. Abarbenelem, cujus poſterioris hæc ſunt verba; *Ad excuſandum ſe dicit*: Soror mea eſt. *& inſuper dicit, quod revera ſit ſoror ſua, filia ſcil. patris ſui, ſed non filia matris ſuæ, ac propterea fuerit ei in uxorem. Nam inter filios Noba non fuit prohibita, niſi ſoror filia matris; & quamvis Sara non fuerit ſoror ipſius, ſed filia fratris ipſius, non tamen mentiebatur ita loquendo; quia mos ipſorum fuit, vocare filium fratris fratrem, ſicut Abrahamus Lothum vocavit fratrem ſuum, cum filius fratris ejus fuerit. Sic ſc. etiam Saram ſororem ſuam eò quod eſſet filia fratris ejus, idque tantò magis, quod intentio ejus fuerit, verbis placare, & divertere Abimelechum.* Hinc Abenezra ad Gen. 20. 12. ſcribit: *Rectum eſt in oculis meis, quod his verbis voluerit ſeducere & depellere Abimelechum neceſſitate temporis præſentis ſic requirente.* Et ut ſuam confirmet ſententiam *in comm. ad Gen.* 27. 19. ſimilia mendaciorum genera ex ſcriptura affert. *uti* 1 *Sam.* 21. 5. ubi David; *Sed & fuerunt vaſa puerorum ſanctitas.* Eliſæi. 2 Reg. 8. 10. Berthadado dicentis: *Vivenda vives.* Michæ ad Regem dicentis: *Aſcende & proſperè agès*, 1 Reg. 22. 15. Jacobi Eſavum ſimulantis Gen. 27. Cujus ſententiæ ſunt & *R. Moſes ben Nachman*, *Iſaac Arama*, aliique. Verum enim verò non opus eſt, ut ad hæc κρυψοφύγετας confugiamus. Cur non perſiſtimus in verbis claris Abrahami, dicentis, Saram eſſe non uterinam, ſed germanam ſororem; præſertim cum conjugia fratrum & ſororum non videantur eſſe contra jus naturæ, uti & Pharao atque Abimelech, qui verba Abrahami propriè & uti jacent, acceperunt, ac pro peccato conjugium fraternum non habuerunt, uti quidem adulterium, quod tamen hodie pro tanto peccato non reputatur, uti conjugium fratrum & ſororum, quod inter inceſtus numeratur. vid. *Brochm.* 2. *Syſt.* 242. *Danh. Coll. Dec.* 302. Nec obſtat quod Tharæ nurus Gen. 2. 29. vocetur. Siquidem unius poſitio non eſt alterius negatio. Diverſo reſpectu poteſt dici nurus & filia, ſicut neptis & nurus. Iſſam verò & Saram eandem eſſe *Joſeph. l. Antiq.* 14. *Auguſt. l.* 15. *de Civ. c.* 16. *Hieron. & Clem. Alex.* dicunt, ſed non probant. Atque hoc pacto etiam à peccato mendacii abſolvi poteſt Abrahamus, ſi dicatur fuiſſe ejus Germanam, non tamen uterinam, uti expreſſis verbis habetur. Non enim niſi opus fuiſſet eſſe uterinam, addidiſſet & appoſuiſſet niſi vera & germana fuiſſet ſoror. *Lutheri* quippe ſententia, qui putat Saram Tharæ vel Haranis privignam & ſic affinitate Abrahamo junctam fuiſſe, ex conjectura eſt; nam horum alterutrum uxorem viduam duxiſſe in ſcriptura veſtigium non eſt; quam tamen viam, è confragoſa planam reddere autumat *Havemannus*. Mendacium verò omne ſive perniciosum, ſive jocoſum ſive officioſum vocetur, eſt peccatum. *Brochm.* 2. 162 *Danh. Had. Caleph.* 6. §. 60. *p.* 1314. *Id. B. l.* 27. *Walth. Harlm.* 503. *Spong. Moſ. ad Ex. l. Konigs Vindic. v. Sibel. Lat.* 687. 690.

THESIS XXXIX

POſſet verò ex hiſtoria tale argumentum elici:

Quodcunque Pharao, Abimelech & illi ſimiles Gentes quæ ſatis honeſte & ſobrie juxta legem naturæ vixerant, pro peccato non habuerunt, illud non eſt peccatum contra legem naturæ & cum illa conformem legem moralem.

Atqui prædictæ gentes quæ ſatis congruè legi naturæ vixerunt, Polygamiam pro peccato non habuerunt.

E. Etiam Polygamia non eſt peccatum contra legem naturæ & cum illa conformem legem moralem. Et ulterius.

Quodcunque prælaudatæ ſobriæ & cultiores Gentes pro peccato habuerunt, illud merito pro tali habetur. Atqui Duum- aut multiviratum pro peccato habuerunt. E. & merito Duum-viratus pro peccato eſt reputandus.

Deus ipſe tanquam peccatum graviſſimum ipſis Regibus ob oculos ponebat, quemadmodum hoc ipſæ gentes alias ex lumine naturæ ſatis cognoſcebant, unde ipſi etiam abhorrebant à raptu aliarum uxorum & *Paridi* Priami filio vitio vertebant, quod *Helenam* Menelai Regis conjugem è Spartâ raptam Ilium traduxerit, & excidium Trojanum adulterio iſto nefando accerſiverit. Raptus vero fœminarum ſolutarum apud gentes (ut jam nihil dicam de raptu *Dinæ* nec de *Benjaminitarum* aut *Romanorum* raptu, quorum poſteriores alterius generis ſunt, quia ex neceſſitate & indigentia profecti) præſertim Ægyptios & Græcos non erat infrequens nec tantæ criminationi obnoxius. Ita Ægyptii quondam *Iſidem* filiam Inachi Regis Argivorum è Græciâ rapuerunt, & in Ægyptum transtulerunt. Græci *Europam* Agenoris Regis filiam à Phœnice raptam, navi cui bovis inſigne fuit, in Cretam deduxerunt. Et *Jaſon* Theſſalus Colchos navigans *Medeam* Regio ſanguine ortam in Græciam avexit. Sic raptus duplex Saræ, quia non pro uxore ſed ſorore Abrahami habebatur, matrimonii cauſa factus ab iſtis duobus Regibus, qui nomine illis communi, (uti Syrorum Reges *Antiochi*, Parthorum *Arſacidæ*, Paphlagonum *Pylemenes*, Cappadociæ *Arincnathes*, Thraciæ *Cotys*, Perſarum *Artaxerxes*, Indorum *Patimbothei*, Romanorum *Cæſares* & *Auguſti*, Reginæ Ægyptiorum *Cleopatræ*, Æthiopum *Candaces* communiter appellabantur) Pharao & Abimelech audiebant. Abſit vero à nobis ut cum Fauſto Manichæo Sanctiſſimum Patriarcham accuſemus, quaſi *matrimonii ſui infamiſſimus nundinator avaritiæ & ventris cauſâ duobus Regibus diver-*

ſis

ſis temporibus Saram ſororem mentitus in concubitum venditarit. (quod refutat Auguſt. contra Fauſt. 22.) ut aliquid humani metu mortis paſſum ipſum ex infirmitate eſſe ultrò agnoſcamus. Non ſumus tamen neſcii, quod hodie ſecundum leges in Conſult. Sax. de matrim. p. 2. c. 15. p. 36. citatas *maritus tolerans* & ad adulterium uxoris ſuæ connivens *adulter* habeatur & pœnæ ſubjiciatur.

1. *Quodcunque Pharao, Abimelech & honeſtæ gentes.* Autor Cerebroſæ Victoriæ tria regerit ad hoc argumentum, & primum quidem ſcortationem cum ſolutis & divortium levem ob cauſam inſtitutum in ſingulis penè gentibus honeſtioribus ſine noxâ & culpâ recepta & licita fuiſſe. Sed ad hoc reſpondetur, non ſufficit dicere, ſed & probare. Facta quidem eſſe concedo, ſed publicè ſinè noxâ & culpa licita fuiſſe, hoc adhuc in quæſtione. Magiſtratûs gravioribus negotiis incentus ſæpe negligens eſt in puniendis præſertim minutiis, aut publice graſſantibus malis, quæ ſæpe ſine maximo damno Reip. non poſſunt inhiberi, uti ſcortatio. Præterea etiam judciium de uxoris actis & factis fere ubique olim mariti, ceu Domini, arbitrio relictum fuit. Deinde Ethnicorum bonos mores, non quatenus ſunt Ethnicorum, ſed quatenus conveniunt cum verbo Dei, ſequi, non eſt Apoſtatam agere, àque divinâ diſciplina, & Eccleſiæ communione diſcedere, atque deficere, Deus ipſe diſtinguit inter mores bonos & malos in textu ab Anti-Polygamo citato 1 *Reg.* 4. *Fecerunt omnia paganorum abominabilia.* Lev. 18. inſuper, ubi paganorum abominabilia circa matrimonium, propter quæ expulſi, recenſentur, nulla Polygámiæ fit mentio. Denique Deus ipſe ſæpe Judæos ſuos ablegat ad Ethnicos, melius viventes: *Væ tib Chorazim. Væ tibi Bethſaida*, dicit Chriſtus, *ſi tanta miracula Tyri & Sidonis &c. Abite ad gentes & quærite an mutent ſuos Deos ſed populus meus me deſeruit.* Ita ſæpe homines ad beſtias *Pſalm.* 32. *Eſ.* 1. aves *Matth.* 6. ablegantur. Nec nobis præjudicare poteſt *Lutherus* quando *T.* 1. *Jen. Lat.* §. 88. ſcribit: *turpiſſimam eſſe impudentiam, ex impiorum moribus* (ſcilicet malis, nulla gens tàm impia & Barbara, quæ non habeat aliquos mores bonos) *dogmata Eccleſiæ* (conjugium non eſt dogma Eccleſiæ proprium, gentibus quippe commune & pertinet ad jus naturæ. Prohibitio quidem Polygamiæ eſt dogma Eccleſiæ Tridentinæ) *tradere, foreque velut informaturus virginem à lupa & lena mores probos, aut adoleſcentem ad virtutem & honeſtatem horteris, Abſalonis & Neronis exemplo.* Lutherus recte intelligendus & rite allegandus, non uti ſcriptura à Diabolo. *Matth.* 4.

2. *Raptu.* De hoc jamdum egimus not. 2. ad th. 13. Sed quia res hæc eſt magni momenti & hodiè communis, præterita ibi tantum breviſſime attingemus. In ſcriptura quidem nil ſpeciatim de hoc peccato cautum reperitur, ejus tamen pœnam ex divina ſententia mortem fuiſſe, ex eo colligunt Theologi, tum quod violentum deſponſatæ virginis ſtupratorem, *Deut.* 22. 23. tùm quod plagiarios ultimo ſupplicio affici juſſerit Deus *Ex.* 21. 16. *Deut.* 24. 7. At committendæ libidinis cauſæ raptus committi ſolet, & plagium committit qui vi & clam parentibus filiam ſubducit, eripitque. Secundum Jus civile definiri poteſt, quod ſit *violenta maſculi* (ſive à maſculo ſive à fœminâ factâ) *vel honeſtæ fæminæ* (non meretricis) *etiam ſeductæ* (malis artibus, perſuaſionibus, muneribus, promiſſionibus) *invitis & clâm parentibus, neceſſariisve ſub quarum poteſtate eſt, & cuſtodia, abductio, libidinis committendæ cauſa.* Peſſima criminum perpetrare Juſtinianus dicit, l. un. de rapt. C. Non enim unum duntaxat facinus, ſed plurima committit raptor. 1. enim vim adhibet, quæ ipſa crimen eſt, & quidem publicum, graviter animadvertendum, cum nihil magis interſit bene conſtitutæ Reip. in quâ libertas omnibus æqua, quàm ut nemini quà publice quà pri-

vatim is fiat. *l.* 6. *C. ad L. Jul. de vi publ.* Deinde ſtuprum committit, & quidem violentum; nec excuſat, ſiquis matrimonii causâ conſentientem adduxiſſe dicat. Ille enim, publicum & honeſtum majorum morem prævertens, hoſtili animo & more comparare ſibi uxorem ſtudet, cum oporteat virginem à parentibus traditam duntaxat matrimonio ſociare. Denique intereſt animos liberorum non corrumpi; Si enim conſenſit raptui virgo, jamdum à raptore ſeducta, didicit abjicere timorem Dei, contemnere parentes, famam ſuam, bonumque nomen ſuſque deque habere, & ſe omnium indignationi exponere. Inſuper rapinam committit raptor, & quidem *virginitatis*, ejus ſcil. rei, *quæ nullo pretio reſtitui, nulla arte reparari poteſt.* C. 3. cauſ. 36. q. 1. in fin. junct. l. un. C. de rapt. In raptu plagium eſt, hominis ſuppreſſio, atrox crimen. Raptor ſicarius eſt, qui armatis inſtructus ſe defendere & propinquos perſequentes occidere in animo habet. *Brow. p.* 580. Raptoribus vero & vi ſtuprantibus etſi ex *L. Jul. de vi publ.* pœna capitalis decreta, uti hodie etiam communiter receptum; diverſimode tamen olim puniebantur. Nunc enim pœnâ pecuniariâ (*Ex.* 22. 16. *Deut.* 22. 28. 29. vid. *Seld. Ux. Hebr. l.* 16. *p.* 117. aliter vero ſe res habet cum deſponſatæ ſtupratione. *Deut.* 22. 23.) mulctabantur. vid. *edict. Theodorici Regis, c.* 59. *&c. Leg. Sal. tit.* 14. *leg. Friſonum tit.* 9. *Leg.* Alfredi, Regis Angliæ c. 25. & Canuti 49. nunc membris, quibus peccabant, mutilabantur, vid. *Henr. de Bractona l.* 3. *de Coron. c.* 28. & *Ludov. à Peguera deciſ.* 7. nunc aliter atque aliter pro morum diſcrimine coercebantur. Certe tàm raptorem virginis, quàm ſine vi ſtuprantem punivit Solon (qui alia etiam ex Hebræorum inſtitutis traduxit) mulctâ tantùm pecuniaria; hunc drachmis viginti, illum centum. At ſororem & filiam in ſtupro deprehenſam fratri & patri vendere permiſit; Quod ſane abſurdum, inquit *Plutarchus*, videatur, cum adeo diſpar ſit ſervitutis & mulctæ pecuniariæ pœna, cauſam tamen addit, *quia id temporis non abundabant Athenæ nummis, difficultas nanſciſcendi in cauſa eſſet, quod pœnæ ejuſmodi pecuniariæ veluti ſatis graves præſcriberentur.* Quod etiam dici poſſet de lege Hebræorum in hoc caſu præſcripta, aliisque congeneribus. Quanquam ſi mens Solonicæ legis ponderetur, illud non ſine ratione ſtatuiſſe Solon videtur. Voluit enim hoc ipſo, cum Patri & fratri filiam & ſororem ſtupratas vendere permiſit, fœminis horrorem incutere, ne in ſtuprum, quia poſſent impedire, tàm facile conſentirent, & virginitatis incomparabilis florem adeò ſuſque deque haberent, Raptoribus vero & ſine vi ſtuprantibus parvam pecuniæ mulctam impoſuit, quia ſubſequente matrimonio, illud, quod vitioſe erat inceptum, quaſi compenſare debeant & poſſint, uti & ſacræ literæ ipſis injunxerunt ut ducerent. *Ex.* 22. 16. *Deut.* 22. 28. 29. Athenienſes vero poſtmodum majorem pœnam dictitarunt; & mille drachmas à raptore poſtularunt. Etiam raptam ducere cogebatur, quod tum ex Syriano & Marcellino in Hermogenem, tum ex Plauto & Terentio liquet. vid. *Sam. Petit. Leg. Atl. p.* 445. uti & jus Canonicum morte feriendum eſſe raptorem non decernit, nec raptoris & raptæ matrimonium, ut jus civile facit, prohibet aut irritum reddit; ſed potius concedit, ut rapta raptori ingratiis parentum nubere poſſit, ut hoc pacto pudicitiæ labes puellæ ſtupro inflicta abſtergatur, & conſcientiæ, famæque conſulatur. vid. *Brouw. de Jur. Connub. l.* 2. *c.* 23. *n.* 25. 26. 27.

2. *Aliquid humani* paſſus Abrahamus cum Deo ſuo omnipotenti diffideret, nec crederet, illum etiam inter barbaros poſſe ipſum & ipſius uxorem ab omni malo vindicare & præſervare, quanquam & ab hoc crimine abſolvi uti mendacio, quodammodo poſſit, ſi dicatur, ſi ſtatuatur, ipſum Providentiæ divinæ conſilium voluiſſe, tamen prudentiam, quæ hominibus fatum abſolutum non ſpectantibus adhibenda eſt, non negligere. Verum enim erat quod parum pietatis veræ in illis locis eſſet. Verum etiam, quod Saræ ſoror ejus eſſet Germana, & in hoc non mentiebatur. Non enim mentitur, qui vel celat omninò, vel diſparatam vel ſimilem dicit veritatem; ſed qui contradictoriam; e. gr. obſtetrices Ægyptiæ in animo habebant duplicem veritatis conceptum, utrumque

que propoſitione biparticulari comprehenſum: Quædam mulieres Hebrææ egent obſtetricis operâ, quædam non egent. *Danh. Id. B. l. 27.* aliàs omnis ſimulatio & mendacium eſt prohibitum *Brachm. 2. 163. Lucas Brugenſis* quidem exiſtimat, ſimulationem illam licitam eſſe, quæ fit in geſtibus, illicitam verò quæ fit verbis. Verum enim verò quocunque nomine illa veniat, à peccati crimine liberari non poteſt.

Thesis XL.

Cap. 15. Gen. de Abrahamo memoratur, quod ad nutum uxoris ſuæ cum ancilla Hagar rem habuerit nec à Deo propterea reprehenſus fuerit. Ex quo breviſſimè ita argumentor:

In quo Abraham illuminatiſſimus vir & familiariſſimus amicus Dei, uxori obtemperavit, & à Deo non fuit culpatus, illud ei pro peccato non fuit. Ratio majoris eſt, quia Deus ἀπροσωπολήπτης juſtiſſimus judex unum æque reprehendit ac alterum. Quod ſi Adamum obedientem uxori ſuæ maleſuadæ contra mandatum Dei, taxavit & punivit, non potuit non etiam pariter Abrahamum amicum ſuum, ut ipſe Deus ait, familiariſſimum culpare, quod in gratiam uxoris ſuæ de arbore vetitâ comederit, ſeu quod idem eſt, Polygamiam amplexatus fuerit.

Ipſa enim Sara decennio toto ſterilis (ex quo malè concludunt Hebræi, licere poſt exactum decennium cum uxore ſterili repudiare illam) dixerat Abrahamo *concluſit me Jehova* (qui ſolus habet claves ſterilitatis & fœcunditatis) *ne parerem, ingredere quæſo ad ancillam, ſi forte ex ea ædificer.* Et Hagarem ipſam ſecundum Rabbinos induxit in thalamum dicens: *beatam te, quæ adjungeris corpori tàm ſancto.* Quia enim illâ ætate mulieres maritis ſuis ancillas ſuo ære redemptas ut ex iis in ſuum thalamum aſcitis ipſæ quaſi prolificarent, ſupponere ſolebant, Sara etiam orba & deſiderio prolis maximé verò Meſſiæ affecta Hagarem ſubſtituit. Quam quidem habuit ex dono Pharaonis Regis Ægyptii, qui videns ſigna quæ propter Saram à ſe raptam facta eſſent, dixerit: *Præſtat, filia mea, ut ſis ancilla in domo hac quam domina in alia.* Et inde nomen ipſi datum הא אוריך. En hæc eſt merces tua pro tuâ pudicitiâ. Uti ex Jonathane Paraphraſte Chaldæo & Rabbi Juda Ben Corcha ac Jalkut Chadas vit Abr. refert Schot. & Heideg. Il: cit.

Atqui in Polygamia Abrah., vir Illuminatiſſimus & Deo familiariſſimus uxori obediens non fuit taxatus.

Ergo hoc ei pro peccato imputatum non fuit.

1. *Familiariſſimus.* Præſentia Viri Magni aut Principis ſæpe homines movet, ut optimè ſe gerant, unde *Seneca* & *Pythagoras* ſuos movere diſcipulos, ut in omnibus ſemper ſibi præſentem conciperent honeſtum Virum. Ita enim futurum, ut nihil perperam agant, nihilque intermittant eorum, quæ ad conciliandam & conſervandam ejus benevolentiam ullo modo facere videntur. Et quis neſcit præſentiam aut viſitationes Regum & Epiſcoporum ſubditos in officio continere. Unde Mariani dicunt, quod non minimum adminiculum æternæ caſtitatis in Deo devotis conſpicuæ ſit illa Ephoria ſingulariſſima ſuperiorum. *Paulus* 1. *Romanus Papa* dicitur ſingulis noctibus monialium cellas viſitaſſe ceu Paſtor, & obſervaſſe, an carnaliter decumbant, uti ex *Blondo, Sigeberto, Balæo* memorat *L. Oſiand. Cent.* 8. *l.* 3. *p.* 87. Ita S. Clara de Monte Falko, Auguſtinianei ordinis, in Abbatiſſam electa, tantam inſpectionem in ſuas obſervavit, ut nollet, Confeſſarium etiam, ne dicam de aliis fratribus ſororum nomina noſſe. Quin etiam conſtituit, virorum vocem monialibus eſſe cavendam (fortean ne inde concipiant.) *Geneal. Mar.* 17. *Aug. p.* 213. Sic etiam narratur de Abbate in Cappadociâ *Sabas* dicto, quod ad Monachum quendam δοκιμασιάς ergo in urbem ſecum adductum, & in portâ pulcherrimam fœminam Venereis oculis contemplantem dixerit: Unocula eſt hæc mulier; cui Monachus reſpondit: Non, ſed habet duos pulcherrimos oculos. Cui Abbas regeſſit; ô Frater, proh hominum Deûmque fidem, ubi tua nunc eſt virginitas? quo dicto lacrymas effudit & in carcerem conjecit dicens: *quomodo cor tuum poteſt eſſe purum, ſi oculus eſt laſcivus.* Geneal. Mar. 5. Dec. p. 749. Quanquam antiqua Concilia, ut & jus Canonicum monachis non permittant circumcurſitationes in urbibus, uti & Canones hanc in rem citant Hieronymum, cum infit: *Si cupis eſſe, quod diceris Monachus i. e. ſolus, quid facis in urbibus? quæ utique non ſunt ſolorum, ſed multorum habitacula.* Cum enim multum verſantur in oppidis, ideo faciunt, *ut viſitent non pupillos ſed puellas, non viduas, ſed fatuas juvenculas, Beghinas, moniales ac Dominas, uti Nicol. Galli Norbonenſis ignea ſagitta loquuntur c.* 5. Si itaque ephoria hominum tantum poteſt in impediendis peccatis, quantæ efficaciæ erit præſentia & familiaritas ipſius Dei, Patriarchis non infrequens. Unde veri Chriſtiani, cum non ita ad exemplum Patriarcharum, viſibili Dei præſentia in forma aſſumta conſpicuâ frui poſſint, animo tamen illam ſemper concipiunt, ne quicquam vel ſoli vel inter homines committant, quod Deum ullo modo offendere poſſit, memores illius dicterii: *Sic loquere* (age) *cum hominibus, tanquam Deus audiat, ſic loquere cum Deo* (in tuo cubiculo, nullam vindictam expoſtulando) *tanquam homines audiant.*

2. Ἀπροσωπολήπτης 2 Paral. 19. 1. Act. 10. 34. *judicialis.* προσωποληψία non cadit in Deum, ſiquidem eſt vitium oppoſitum juſtitiæ diſtributivæ; alias datur & *extrajudicialis*, & vel vitioſa vel *laudabilis*, eaque vel caritatis vel electionis; Hæc poſterior laudabilis cum in Deo ſæpe reperiatur, ita vitioſa omnis removenda, uti docet Acutiſſimus Theologus *Henr. Höpfner not. in Seb. MSC.* & *Danh. Hodoſ. p.* 132. Inter homines quidem ſæpe favor Judicis tantum valet, ut nulla pœna inſequatur, præſertim ſi vitia & ſtudia ſint communia & reo & judici. Ita legitur in *Tom. Concil.* 1. *p.* 697. *& p.* 701. 702. edit. Colon. *Luc. Oſiand. cent.* 5. *c.* 17. *p.* 259. quod Papa *Xyſtus* à Baſſo & Maximiniano accuſatus, quod monialem virginem Chryſogoniten vitiaverit & ideo à Valentiniano Imperatore Romæ cộncilium 56. Epiſcoporum habitum fuerit, in quo Epiſcopi unanimiter Papam abſolverunt, quia non ſit æquum, ut Papa humano judicio ſubjiciatur (uti in Concilio Romano tertio hoc decretum ſancitum: *Non eſſe judicandam à quoquam primam ſedem, i. e.* Romanam, *neque ab Imperatoribus, neque à Regibus, neque à Clero, neque à populo* t. 1. Concil. p. 356. Luc. Oſ. cent. 4. t. 2. c 13. p. 138. & *Alexander V.* hanc legem omni malo præveniendi ergo reliquit, *non poteſt humano condemnari examine, quem Deus ſuo reſervavit judicio.* ſcil. duo cum faciunt idem non eſt idem. *t.* 1. *Concil. p.* 174. *Luc. Oſiand. cent.* 2. *l.* 1. *c.* 6. *p.* 12. Quam ſententiam Papa ambabus exoſculatus manibus, dicen-

do: *eſſe quidem in ipſius arbitrio poſitum an velit judicari vel non; ſe tamen nolle, ut veritas opprimatur.* Quo facto Cæſar è Concilio diſceſſit, & Papæ ipſi, quæ breviſſima via, totam rem commiſit. Qui ſuos accuſatores illico condemnavit, nec pœnitentes, ac errorem agnoſcentes in gratiam recipere voluit, ſed ſuggerentibus ex oratione Dominica illa verba, *remitte nobis debita noſtra* &c. alia ſcripturæ verba oppoſuit & reſpondit: *Peccatum in Spiritum S. non remitti neque in hoc neque in futuro ſeculo.* Quo ipſo inſinuare voluit, quod clericum accuſare pro maximo eoque irremiſſibili ſit habendum. Hunc verò eventum ſane concilium illud non habuiſſet, niſi Epiſcopi in eadem cum Papâ navi navigaſſent. Idem contigit cum *Adbatiſſâ* quadam monaſterii à Radegundi Regibus edita atavis, fundati, quæ à duabus monialibus Chlodielſi & Baſina *accuſata*: quod virum moniali virgineâ veſte indutum in Monaſterio ſuſtentaret, ſed à Synodo Pictavienſi *abſoluta*, duabus monialibus condemnatis & excommunicatis (ſi in Politico judicio cauſa ventilata; forſitan eventus fuiſſet alius, uti hoc experta Ottonis uxor, quæ puerum muliebri habitu ſecum utique duxiſſet, ſed cum illo ſimul combuſta fuit *Coſmogr. Rauens f.* 678. uti ex *Turon. l.* 10. *c.* 15. refert *Oſiand. c.* 6. *l.* 2. *c.* 29. *p.* 154. 155. Memorabile etiam eſt exemplum, quod idem *cent.* 6. *l.* 3. *c.* 19. *p.* 129. ex *Turonenſi l.* 6. *c.* 3. *de Etherio* Epiſcopo Lixonenſi refert, quod Monachum laſcivum tribus vicibus à culpa & pœnâ abſolverit, & loco ipſius pœnam ſuſtinuerit. Scilicet, ubi clericus eſt judex, nullus condemnatur clericus. Adſunt enim præter alia illico *indulgentiæ* incomparabiles, quæ ineffabilem habent efficaciam, uti Diabolus ipſe à ſacrificulo adjuratus præter voluntatem fateri coactus fuit, quod indulgentiæ in loco Mariæ de Portiuncula liberali manu diſpenſatæ pleniſſime liberent à pœnâ & culpa, &c. Quæ verba quater repetit, ſimul adjiciendo, tanti eſſe valoris has indulgentias:, ut licet aliquis omnes homines in toto interfeciſſet mundo, & cum omnibus mulieribus concubuiſſet, ſi modo die indulgentiarum in hoc appareret loco, poſſet perfectiſſime ceu infans in baptiſmo purificari. *P. Sim. Manhard. part.* 3. *Poſt. l.* 11. *f.* 155. *Feſto Franciſci.* Ita Cæſarius notabile memorat exemplum de ſacrificulo, Venereis rebus addicto, nobilique ſuo de uxore temeratâ ſuſpecto, quod ad veritatem indagandam Paſtorem ſuum invitum quamvis ad obſeſſum ſecum duxerit nobilis. Paſtor hæc ſubolfaciens in ultimâ itineris ſtatione, nobili prandente ſe in ſtabulum ad equiſonem contulit, in genua procidit, *omniaque peccata cum filiabus & neptibus* confeſſus illum rogavit, ut pœnam ipſi imponeret. Eques hoc ipſo obſtupefactus dixit, *ſe opus habere, ut à Paſtore abſolveretur*, tandem ad inſtantiam Paſtoris ipſi illam ipſam dictitavit pœnam, quam Paſtori ipſi imponeret, ſi cum nobilis uxore concubuiſſet. Quo facto ſurrepit, ad prandium lætus venit & ab obſeſſo, omnia nobilis flagitia enarrante, & de paſtore ne quicquam muſſitante, in ſolidum, mirante nobili, abſolutus his verbis: *Juſtificatus eſt in ſtabulo.* Si equiſonis abſolutio tantarum fuit virium, quid putas effecturam illorum abſolutionem, qui charactere gaudent indelebili. Ita *Vincentius in Spec, hiſt. l.* 7. *c.* 39. memorat, quod fœmina à proprio imprægnata filio, infantem vitâ privarit, & in locum ſordidum dejecerit. Quam cum Satan honeſti viri ſpecie coram Magiſtratu detulerit, ſimulque ſignificarit, magnum impendere periculum, niſi illico puniatur; illa vero peccata ſua extemplo confeſſa, & quia tempus erat breve, oratione unius precationis Dominicæ, quæ *Pater Noſter* vocatur, loco pœnæ gravata coram judice apparuit. Verum enim vero Diabolus ſe illam non noſſe affirmabat, & non eſſe illam ipſam inceſtuoſam & infanticidam aſſerebat, ſed innocentem, & ſanctam matronam è numero electorum Dei. *Gen. Mar.* 18. *April. p.* 482. 483.

3. *Ingredere ad ancillam, ſi forte ædificer.* Jure Romano cum ancilla ſeu ſerva nullum erat matrimonium, injuria tamen id videtur in genus humanum, ut videre vel ex illo licet, quod ſerviles etiam cognationes nuptiis impedimento eſſe voluit §. 19. *Inſtit. de nupt.* Hodiè vero omnis ſervitus deficit, ni-

nihilominus prohibetur, *cum fungi officio Eccleſiaſtico, qui ſervam vel ancillam in matrimonio habet.* Quod autem Jure Civili inter ſervos & cum ſervis nullum omnino fuerit matrimonium, hæc fuit cauſa, quòd ſervus eſſet ἀκέφαλος, nec ſine Domini voluntate quicquam de ſe polliceri poſſet, nec corporis ſui poteſtatem, & juris civilis, ex quo nuptiæ æſtimabantur, communionem plane non haberet, *pr. Inſtit. de nupt. C. de Inceſt. Nupt.* Cum vero nuptiæ ſint juris naturæ, & ſervi non excludi debeant iis, quæ ad jus Naturæ pertinent, Romani etiam ejus juris uſum ſervis conceſſerint, aſtricte tamen nimis civitatis jura limitarunt, dum nuptias non alias voluerunt eſſe juſtas, quàm quæ inter cives contraherentur. Sic igitur nuptiæ quidem aliquæ inter ſervos intelligi poterant, ſed non juſtæ ſeu non legitimæ, & ſecundum jura Civitatis quod in nudis terminis juris naturæ ſubſiſterent. Quia igitur in Naturalibus iſtiuſmodi nulla Domino competit de Jure poteſtas, ità ut ne quidem ad hoc & nunc ea reſtringi poſſit, ſed libera in toto hoc negotio ſervo competit electio, ita ut ſi Dominus inſolita juſſerit, & talia quæ matrimonio contracto repugnant, non obligetur ſervus, nec tamen, ſi quid minus conſuetum mandaverit Dominus, obſequium protinus denegare debet ſervus, ut ut maxime ad tempus uſu matrimonii deſtituatur, cum matrimonium ſervile ſemper intelligatur, ſalvo jure Dominii, ubi tamen ſe temperabit Dominus, ne difficilem ſe nimis matrimonio iſti præbeat, Atque hinc dicunt Canoniſtæ, ſervum, qui Domino cor ſentiente matrimonium contrahit, magis ad debitum reddendum, quam obſequium teneri. *Martin. Azpilcuet. Navarr. t. 8. c. 22. n. 33.* Præterea negari nequit, ſervitutem bonis matrimonii admodum adverſari, tum quia individua vitæ ſocietas actu quandoque ſecundo & exercitio plane deſtituitur, poſtquam ſcilicet in domo Domini habitare tenetur ſervus, & mitti quandoque ab eo ſolet in terras remotiores, inibi vendendus, tum, quia debitum reddere pro libitu, (more hodie peſſimo licet conſueto, ut magis voluptas, quam procreatio ſobolis attendatur) non poteſt, tum denique quia prolem alere nequit, cum omnia acquirat Domino. Sed propterea tamen matrimonium, quod cum ſervo aut ſervâ ex errore contractum, diſſolvi debere à Canonici juris autoribus parum pie aſſeritur. Nec enim error hic ſubſtantiam matrimonii impetit, etiam ſi hoc inde ſequatur, quod debitum conjugale libere & pro lubitu reddi non poſſit. Nec igitur comparatio hic facienda eſt cum omni modâ coeundi impotentia, quod ſicut hæc ignorata impediat matrimonium, ita etiam conditio ſervitutis ignorata, ut vult *Thomas. p. 3. q. 52. art. 1.* in addit. Cæterum quod addit *Lancellotus Inſtit. l. 2. lib. 2. p. 422.* renuntiare huic impedimento & juri ſibi competenti eum, qui poſtquàm de conditione conjugis ſervili certior factus fuerit, cum eâ rem habuerit, id univerſale eſt in omnibus illis caſibus, quibus ſeparatio locum habet. Ita ubi adulterium commiſſum fuit, dubium non eſt, tolli ipſum matrimonii vinculum, ſed redintegratur iſtud, ſi poſt adulterium compertum pars innocens adulteranti carnaliter ſe commiſcuerit, eò ſcil. quia tum probare videtur ejus mores & delictum commiſſum condonaſſe. vid. *Anton. de Gamma deciſ. 273. Didac. Covarruv. de matrim. p. 2. c. 7. §. 7. n. 11.* Hoc adhuc notandum, quod obſervat *Cujac. ad c. un. X. de nat. ex lib. ventre.* Cum regulariter ſecundum jus Civile & Canonicum liberi, qui matrimonio interveniente naſcuntur, patrem ſequantur, ex hoc tamen connubio, quod inter ſervum & liberam eſt, liberos natos jure Canonico matrem ſequi. Ita Iſmaël etiam matrem ſequebatur. *Liberi* verò communiter ita dicuntur, quod ex libero ventre ſint nati. vid. *Caſp. Ziegl. not. ad Hug. Grot. de Jur. Bell. & Pac. l. 2. §. 5.*

§. 29. Ex quibus dictis hactenus facile conſpici poteſt, quid cenſendum de multis in hac ultimâ mundi fece viventibus *Chiliarchis & Capitaneis*, qui non tantùm militibus gregariis, qui tamen ſervilis conditionis non ſunt, ſed ceu *volones* apud Romanos libere ſe militiæ conſecrarunt, ſed & infimi ſubſellii officialibus matrimonia prohibent, adeò ut ſine ipſorum præſcitu & conſenſu pecunia ſæpè impetrando matrimonium inire non poſſint, aut ſi contrà fecerit, judicio militari ſæpe rigoroſo nimis, pene dixerim inju-

jurioſo (quia ſummum jus ſumma injuria) ſe ſiſtere, & mulctam depoſitionis vel pecuniariam pro ratione perſonarum, aut incarcerationis etiam, experiri cogantur.

THESIS XLI.

ET porro hic addi poteſt Generaliſſimum argumentum in omnibus Exemplis repetendum: *Quodcunque in Abrahamo non fuit peccatum etiam nobis non eſt peccatum.* Ratio eſt quia Deus eſt ἀπροσωπολήπτης & peccatum, in quocunque invenit, verbis, & factis punit. Nec poteſt vi ſanctitatis & immutabilitatis ſuæ ex peccato non peccatum facere. Pœnitentibus quidem remittit peccata, ſed tamen ita ſe non gerit, ut peccatum non peccatum eſſe aſſerat. Peccatum eſt & manet peccatum, quicunque demum ſit, fidelis vel infidelis, qui illud perpetrat. Fideli quidem pœna peccati condonatur, infideli manet. Ita homicidium, ſive Cain primus ἀνθρωποκτόνος ſive David, vir ſecundum cor Dei committat; Idololatria, ſive in Pharaone ſive in Salomone inveniatur. Adulterium eſt adulterium, ſive Abimelechus, ſive David ejus reus ſit.

Atqui Polygamia in Abrahamo non fuit peccatum.

E. & in nobis non eſt peccatum.

1. *In omnibus Exemplis repetendum.* Vexatiſſima hodie eſt quæſtio de Polygamia Patriarcharum & prolixe ventilata ab *Alph. de Caſtr. adv. hær. v. Nupt. ab Azorio l. 6. Inſtit. Mor. c. 13. q. 1. Bellarm. de matr. c. 10. Buſenbaum.* Sedulus compilator Moraliſtarum ſtudio dubio procul in Medull. Theol. Moral. hanc quæſtionem omiſit, neſciens forſitan quid in tantâ opinionum diverſitate ſtatuere debeat, aut metuens ne profeſſione veritatis odium incurrat. *Perer. in. c. 16. Gen. Ameſ. l. 5. de Caſ. Conſc. c. 35. q. 2. Aretio. loc. 56. Cham. t. 3. Panſtr. c. 9. §. 28. Danæo. l. 2. Eth. Chriſt. c. 4. Voet. t. 2. Diſp. Sel. p. 780. Hug. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 8. 16. Meiſn. Phil. Sobr. p. 1. ſ. 2. c. 5. q. 1. p. 630. Colov. Socin. p. 1012. Beneg. in Tac. Germ. q. 92. Danh. Coll. Dec. 329. Lac. Catech. 3. 281. Chemn. Ex. 2. 422. Friſehm. de 7. Noachi præc. D. 15. 16. Few. Anti-Oſt. 392. Hacſp. in Lipm. præf. p. 247. & Interp. Errab. & d. 1 de Loc. ſacr. th. 12. Hulſem. Brev. c. 21. th. 18. Gerh. LL. 7. p. 328 329. Brochm. 2. p. 5086. Tarn. Exero. Bibl. & libr. de Conj. c. 25. p. 654.* Tres autem ſunt præcipuæ ſententiæ horum autorum. Prima eſt illorum qui dicunt Patriarchas *neutiquam peccaſſe*, ducendo plures uxores. Et hanc ſententiam fovent plerique patres. *Juſtinus Martyr* fin. Dial. cum Tryphone: Non *tanquam ſcortantes habebant plures uxores, ſed omninò Oeconomia & myſterium quoddam per illos fiebat*; *Auguſt. de Doctr. Chr. c. 12.* Suſcipiendæ prolis cauſa erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum *inculpabilis conſuetudo* & alio in *l. c. 18.* Magis probo multarum fœcunditate utentem propter aliud, quàm *unius carne fruentem propter ipſam.* Ibi enim quæritur utilitas temporum oportunitatibus congrua. hic faciatur cupiditas temporalibus voluptatibus implicita Nec non *lib. de bono conjug. c. 13* poſtquam dixerat, Patres V. T. iniſſe matrimonium non libidine victos, ſed pietate du-

ctos, licuiſſe illis pluſquam unam ducere; addit: *eos habuiſſe haſce plures caſtius quàm nunc unam.* Idem aſſerit *l.* 1. *de nupt. & Concep. c.* 8. ubi ait: *quibuſdam etiam ſingulis habere plures conceſſum ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis.* Paria habet. *l.* 16. *de Civ. Dei. c.* 38. & *libr. de viduitatis bono c.* 7. 8. it. *l.* 22. *contra Fauſtum c.* 47. Similia etiam invenies apud *Theodoret. in Gen. q.* 67. & 85. *Chryſoſt in Matth. homil.* 56. & alios Patres. Atque hos ſequuntur *Lombardus, Turrecremata, Alph. de Caſtro, Azorius, Bellarm.* 2. 11. nec non *Calvinus, Chamier. Grotius, Voetius, Theologi Sedanenſes, præterea Smalzius Refut. theſ. Franſzius diſp.* 9. *Oſior. Inſtit. Germ. c.* 25. *p.* 160. atque inſuper *Lutherus Comment. in Gen. Germ.* (cujus verba & mentem Lamechi occaſione ſupra audivimus, & deinceps not. 3. hujus th. occaſione Abrahami, & Jacobi infra percipiemus) *Meiſnerus, J. Adam, Oſiand. in Grot. Hulſemannus, Danhauerus, Fewerbornius, Hacſpan. not. ad Lev. Calovius Annot. Biblicis, Sigfridus, Berneggerus aliique cl. cl. ſequuntur.* Altera ſententia huic contraria, quæ dicit, fuiſſe Peccatum etiam in Patriarchis & quidem ignorantiæ (defenditur ab *Ameſio, Aretio, Danæo c. cll. c.* nec non *Tarnov. Stegmanno Phat. d.* 55. Tertia ſententia eſt illorum, qui nihil certi ſtatuere hic volunt, ſed ἐπέχειν eligunt. Uti ſunt *Chemnit. l. c. Menzerus l.* 4. *Diſp. Marpurg.* 15. *th.* 72. *Gerh. l. c. Brochmannus Syſt.* 2. 5089. ubi tamen dicit argumenta negativa, quà ſtatuitur illos peccaſſe, eſſe valentiora quàm ut ſuo judicio quidem ſolvi poſſint. Verum enim vero cum hodie hæc res ſolide ventilata & à Theophilo Alethæo præprimis (uti cogitationes poſteriores ita & Theologi poſteriores ſunt ſapientiores & perſpicaciores) irrefragabiliter monſtratum fuerit, Polygamiam Patriarcharum non fuiſſe peccatum, nec hodiernos Chriſtianos contra Deum ejuſque verbum peccare, ſi plures ducant; dubio procul peccaremus, ſi in tantâ luce ulterius caligare & inventis frugibus, amplius glandibus veſci vellemus.

2. *Quod in Abrahamo.* Autor Pſeudo-victoriæ p. 128. addit nonnulla (Quod in Abrahamo *Patre credentium Deique familiariſſimo*) quæ apud Theophilum non habentur, ut eò melius *Tertulliani, & Hieronymi* verba applicare poſſit. Monet verò ante omnia, & aſſerit multa non fuiſſe peccata in V. T. quæ nunc ſunt, non quod juſtitia Dei variabilis ſit, ſed quod tempora ſint variata, diverſisque diverſa conveniant, atque hoc pacto ſe ſatis fundamentum aſſertionis Theophileæ ſe refutaſſe ait. Verum enim vero etiam abunde demonſtratum eſt à Theophilo *nil licuiſſe in V. T. quod non liceat quoque in N. T. ſcil. in moralibus*, ad quæ conjugium ſimplex & multiplex ſeu Polygamia pertinet. Lex vero Ceremonialis & civilis, quia Judæorum cultus abrogatus & Reſp. deleta, non amplius valent, & quæ circa illas duas ſpecies legis committebantur, illa erant peccata in V. T. quæ nunc non ſunt, ex gr. qui intermittebat circumciſionem, ille peccabat, jam qui intermittit, non peccat, quin potiùs peccat, qui illam adhibet, quia pertinet ad legem ceremonialem, quæ abrogata eſt. Verba autem Tertulliani c. 5. 6. ab Anti-Polygamo ita allegantur: *quod credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad juſtitiam* Gen. 15. 6. Rom. 4. 3. 9. 10. adeoque factus eſt Pater credentium? *opinor adhuc in Monogamia, quia in circumciſione nondum.* (Ante Digamiam quidem & circumciſionem reputatum eſt ei ad juſtitiam & factus fuit pater credentium, ſed manebat in digamia & circumciſione etiam pater credentium, quia fides ejus non fuit fides temporaria aut horaria, & momentanea, tunc temporis tantum durans, cum Spiritus Sanctus hoc de ipſo prædicaret, ſed in Monogamia & præputio incepit ejus fides, in digamia vero & circumciſione continuata fuit, alias fuiſſet fides illa illaudata, ὡς σκαιρὸς nempe.) *Quod ſi poſtea in utrumque mutatus eſt, & in digamum per ancillæ concubinatum, & in circumciſionem per veſtimenti ſignaculum, non potes illum Patrem agnoſcere, niſi tunc cum credidit.* (tunc etiam credidit, cum fuit digamus & circumciſus non ſolum tunc, cum Sp. S. de ipſius fide teſtaretur, Gen. 15. 16. melior ſane fuit Abrahami fides eâ, quam proponit Tertullianus) *ſiquidem ſecundum fidem* (non temporariam

& in illo momento Gen. 15. 6. conſpicuam, ſed perpetuam) *filius ejus es non ſecundum carnem. Ant ſi poſteriorem Abrahamum Patrem ſequeris ut & digamum, recipe & circumciſum* (diſtinguit Tertullianus inter Abrahamum priorem, Deo credentem, & poſteriorem digamum & circumciſum, quaſi vero in digamia & circumciſione non crediderit, cum Lutherus expreſſe Comment. Germ. in Gen. in hac theſi not. 4. citandus aſſerat ex fide: **das es ein exemplum ſey darnach Zuthum / wo ſichs begebe in ſalchen glauben / wie Abraham gehabt**: ipſum Hagarem duxiſſe, & factum fuiſſe digamum, & quòd poſſit hæc digamia in imitationem trahi, ſi ex fide fiat, ut apud Abrahamum, non ex luxuriâ) *Si rejicis circumciſum, ergo recuſabis & digamum*, (neutiquam, quia diverſiſſima ſunt digamia & circumciſio, hæc in primo concilio Apoſtolico Act. 15. & hinc & inde ab Apoſtolis fuit prohibita, non item Polygamia. Neque etiam digamia & circumciſio ita ſunt colligatæ, ut non poſſint ſeparari, ſed ubi unum ſit, alterum etiam ſit neceſſe eſt. Digamia quippe pertinet ad jus naturæ & morale, quod durat adhuc in N. T. circumciſio verò ad ceremoniale, quod abrogatum eſt; Ergo non poſſunt nec debent eſſe ſemper conjuncta. Lamechus, Nahor fuère digami, & tamen non circumciſi, Iſaacus Monogamus & circumciſus. Noſtri moderni Judæi, qui ſecundum leges noſtras Politicas vivere tenentur, non ſunt digami & tamen circumciſi. Multi Chriſtiani in primitiva Eccleſia fuere digami & tamen non circumciſi) *Recipis digamum, admitte & circumciſionem, tueris præputiationem teneris & Monogamiæ. Adeò autem Monogami Abrahæ filius es, ſicut & præputiati, ut ſi circumcidaris jam non ſis filius. &c.* (ſi Apoſtolus dixiſſet, ſi es digamus, non es filius, ſicut dicit, ſi circumcidaris, non es filius, aliquid probaſſet.) Hæc *Tertullianus* ſcribens, quomodo ille Bonus Homerus dormitaverit, cuilibet jam ad oculum patet. Nec minor ſomnus, obrepit *Hieronymum*, aliàs etiam parum æquum matrimonio & matrimoniis multorum in Patribus, cum *l. adverſ. Jovin.* ita ſcibit: *Si imitemur uxorum Abrahami numerum imitemur & circumciſionem: neque enim in parte ſectandus, in parte repudiandus.* Eodem modo poſſem παρωελυμῶ; colligere, Si imitemur uxorum Davidis numerum, imitemur & ejus homicidium, adulterium, neque enim in parte ſectandus, in parte repudiandus. Si imitemur Salomonis prudentiam imitemur & idololatriam. Neque enim in parte ſectandus, in parte repudiandus. Imitemur & numerum ſervorum Abrahami, quorum 318. numerum equorum, ovium, aſinorum, camelorum, quæ cum uxoribus pertinent ad rem familiarem, (uti ex 10 præcepto conſtat) in qua Deus homini libertatem conceſſit, nec determinavit numerum, quot equos, aſinos, ſervos, uxores alere velimus, neque etiam pluralem numerum prohibuit, uti quidem idololatriam, homicidium, adulterium, in quibus non ſunt imitandi etiam ſanctiſſimi. Circumciſio etiam in N. T. eſt abrogata, & jam inter peccata, ſi fieret, numeratur ab Apoſtolis, non item Polygamia, ſed quia hæc ad moralia libera, & naturam conſervandam aut etiam rem domeſticam attinet, culibet prudenti facultatum ſuarum animi, corporis, & fortunæ ſcrutatori, ejusque arbitrio relinquitur, quot velit alere uxores, ut & ſervos, ancillas, boves, aſinos, modo in exceſſu, qui in omnibus rebus prohibitus, non peccet.

3. 'Απροσωποληπτης. Ex commodo Reip. & ſocietatis humanæ eſt, ut ſcelera inquirantur, non occultentur & ſupprimantur, puniantur, non ſubleventur ex obtentu perſonarum *l.* 65. *ff. de furt. l.* 3. *C. de Epiſc. aud. l.* 4. §. 2. *C. de his qui ad Eccleſ. confug.* 2. *Feud.* 27. §. 2. & 9. ſecus quàm in Eccleſia Mariana uti loquitur Pontifex *in c. ult. X. de furt.* de fure ſacrilego, quem adeo à pœnâ liberat, ut ipſi etiam aditum ad ſacros ordines patefaciat. Unde ſæpe fit, ut talis ſceleratus ordinem Eccleſiaſticum aſſumat in fraudem, ut ſcilicet ſe poſt commiſſum delictum eximat à jurisdictione ſeculari; quo caſu quidem per judicem laicum procedi contra eum poſſe autor eſt *Jul. Clarus l.* 5. *ſent.* §. *Pract. Crim. q.* 36. *n.* 43. quanquam enim etiam in fortioribus terminis id

id negat *Alvarus Valaſcus Conſ.* 48. ubi contendit, nec eum quidem, qui à ſeculari judice in decennale exilium damnatus, & poſt condemnationem ad beneficium Eccleſiaſticum promotus eſt, cogi poſſe à judice ſeculari ad pœnam luendam; ſed nec judicem quidem Eccleſiaſticum ſtare ſententiæ judicis laici debere; hoc tamen admittendum haut eſt, eò quod Reip. interſit, ſententias in criminoſos latas ad executionem promovere, & manifeſtum ſit, fraudulentam eſſe ex parte delinquentis ordinis ſacri vel beneficii aſſumtionem. Formidabile verò eſt nomen Clerici apud Judices Marianos, ut etiamſi conſtet, in fraudem jurisdictionis ſecularis ad clericatum quem acceſſiſſe, eum tamen condemnare non audeant. Tutiſſimum eſt, nullo attento habitu, tonſurâ aut ordine, delinquentes omnes obtorto collo ad judicia criminalia & ſupplicia rapi, omnesque iiſdem legibus judicari. Unde planè ferri non deberet in benè conſtituta Rep. exemptio Clericorum in criminalibus. Et ea tamen tàm propudioſe hodiè defenditur à Canoniſtis, ut judici ſeculari nec in atrociſſimis quidem delictis ſubjiciant clericum, niſi degradatus fuerit anteà. Degradationi autem locum faciunt in tribus caſibus, ob crimen hæreſis, ob crimen falſi literarum Apoſtolicarum, & ob calumniam atque contumeliam gravem proprio Epiſcopo illatam. Sed nec degradatum quidem tradi illicò debere Curiæ ſeculari, niſi incorrigibilitas acceſſerit., contendunt nonnulli. vid. *Jul. Clar. ſent. l.* 5. §. *Pract. Crim. q.* 36. *n.* 37. ſequ. Ex quo patet, latrocinium, blaſphemiam, homicidium, & alia hujuſmodi delicta, à clericis commiſſa, carcere tantum, & depoſitione quandoque puniri. Obſervat autem *Petr. Molinæus de Monarch. P. R. c.* 18. crimina illa clericorum quorum cognitio Magiſtratui permittitur, eſſe talia, in quibus violatur dignitas Eccleſiæ R. & ad eam tuendam Magiſtratum accerſiri, non tam judicem, quam vindicem & auxiliatorem, in aliis vero atrociſſimis criminibus, in quibus non tentatur Dignitas Eccleſiaſtica, nefas eſſe Magiſtratui Eccleſiaſticos irrumpere limites, aut de vitâ clerici cognitionem inſtituere. Ex quo fit, ut quotiescumque clericus adulteraverit monetam, aut Regis latus ſicâ appetierit, ſi incendiarius fuerit, ſi veneficus, ſi occulta habuerit cum hoſtibus conſilia, nefas tamen ſit Principi injicere manus in eum, & pœnam decernere. Judex autem Eccleſiaſticus tam levem irrogabit pœnam, ut ne ſentiatur quidem. Ex quo fit porrò, ut notante *Nicolao Boerio deciſ.* 69. *n.* 9. ſcandalum oriatur in plebem videre clericum & laicum pro enormiſſimo delicto commiſſo diverſimode condemnari, Laicum in fruſta ſciendi, & dilaniari, clericum pro eodem delicto in carcere poni perpetuo, & hinc tamen quandoque liberari. *Revera videmus*, inquit Clarus d. l. n. 23. *quod prælati clericos criminoſos ut plurimum leviter caſtigent, & licet quandoque eos ad perpetuos condemnent carceres, tamen illos poſtea relaxant plerumque, ac dimittunt, ex quo oritur in populo ſcandalum, videre clericum & laicum ejuſdem delicti reos adeò diverſimodè puniri, utſcil. laicus pœnâ mortis afficiatur, & in fruſta ſcindatur, clericus autem aliqua levi pœnâ caſtigatus per forum ambulet. &c.* En verò quanta ex Canonicis iſtis non Canonicis principiis ſequuntur mala. Equidem puniri delicta publice intereſt. Et Magiſtratus quidem, qui habet merum imperium, punire eadem poteſt, ſed non debet, ſi delinquens fuerit clericus; Judex Eccleſiaſticus autem ex Jure Canonico debet, ſed non poteſt, quia judicium ſanguinis exercere, imò intereſſe tantum eidem, aut adjuvare & promovere, illud omninò prohibetur. Quid reſtat ergò, niſi ut impuné à ſanctis iſtis Patribus committantur delicta omnium atrociſſima? Quibus accedit, quod valere nolint ſtatutum, pœnam concubinis clericorum imponens, quia ſcilicet per hoc facile infamarentur clerici. *Tiberius Decianus l.* 2. *Crim. c.* 34. *n.* 9. & quod excommunicatum dicant eum, qui clericum obſidet in domo meretricis, populoque perſpiciendum exhibet. *Idem Decianus l.* 6. *c.* 35. *n.* 22. At verò rigidior fuit olim in Clericos ab ipſis Magiſtratibus ſecularibus animadverſio, neque exemtio admittebatur, niſi in leviuſculis & Eccleſiaſticis delictis, id quod ſolidè exponit *Jac. Gothofredus ad l.* 23. *Theodoſ. de Epiſc.*

An vero aliquis clericus ſit, vel non, judex Eccleſiaſticus, quia ſpiritualis res, definire juxta Canoniſtas debet, cum tamen rectius dicendo quæſtio facti merè profana nihilque ſpiritualitatis in ſe habeat; ac proinde etiam hæc quæſtio facti à judice laico etiam in cauſâ ſpirituali definiri poteſt. *Umm. de proceſſ. d.* 4. *n.* 72. Pendente autem eâ cognitione reus debet remanere penes judicem ſecularem, à quo captus eſt. *Scacc. de Jud. l.* 1. *c.* 11. *n.* 90. *Jul. Clar. l.* 5. *ſent.* §. *Pract. Crim. q.* 36. *n.* 21. ubi in Ducatu Mediolanenſi quæſtionem eam facti coram judice ſeculari expediri teſtatur. Idem apud ſuos Allobroges obſervari ſcribit *Petr. Coſtal. ad l.* 5. *ff de Jud.* Ita de habitu clericali, (cum talis ſit reverà an minus. Quanquam per omiſſionem tonſuræ & clericalium veſtium non ſtatim aliquem excidere foro Eccleſiaſtico dicant Canoniſtæ) quæſtio & cognitio, utrum ad Eccleſiaſticum pertineat judicem, an ad ſecularem, lis eſt adhuc inter Canoniſtas. vid. *Scacc. d.* 1. *n.* 88. *Decian. n.* 95. In Galliâ hæc cognitio ſeculari tribuitur. *Jo. Papon. l.* 1. *tit.* 5. *areſt.* 4. Quæ omnia ſatis ſuperque docent, in judiciis humanis reſpectus perſonarum obſervari ſæpiſſimè, qui in divinis omnino exulat, ita ut nullo pacto, Deo aliqua προσωποληψία tribui poſſit, multò minus dici, quòd unum idemque peccatum in quibuſdam pro magno delicto habeatur, & puniatur, in aliis verò pro nonpeccato, aut peccatillo. Inobedientia in oculis Dei eſt magnum delictum, ſive inveniatur in Ethnico Pharaone, ſive in prophetâ Sonâ. Sodomia eſt Sodomia, ſive à Sodomitis ipſis, ſive ab Iſraëlitis perpetretur.

THESIS XLII.

IN eodem capite legimus, quod Hagar prægnans Saram infœcundam præ ſe contempſerit, & propterea ex domo Abrahami exulaverit, & ab angelo increato poſt habitum colloquium præviâ reprehenſione in domum Abrahami priſtinam adjuncta humilitatis recommendatione remiſſa fuerit. Jam vero conſtat, ſuperbiam ceu commune & ſubtile vitium, non ita repræhenſioni & pœnis eſſe obnoxium ac alia craſſa & alios etiam lædentia peccata, qualia ſunt ſcortationes, adulteria in quorum numerum etiam referenda fuiſſet Polygamia Abrahami & concubitus Hagaris, ſi peccatum eſſet. Conſtat præterea, peccatores à Deo ex illis locis, ubi peccaverant ejectos, & loca etiam ipſa ſæpenumero everſa & ſubruta. Adamus ex Paradiſo expellebatur, omni licentia hoc pacto redeundi præcluſa. Et quis noverit ubi hodiè Paradiſus.

Dic quibus in terris & eris mihi Magnus Apollo. Angeli ſuperbi è cœlo in terram dejecti, nec locus eorum fuit amplius repertus in cœlo Apoc. 12. Sodomitæ una cum Sodoma & Gomorrha puniebantur. Antediluviani una cum mundo. vid. *Conſalas de dupl. viventium terra.* Hieroſolyma cum ipſis Judæis evertebantur. Ita apud Romanos erat *Æquimelium*; dictum, quando Domus ipſa in quo vixerat, qui crimen læſæ Majeſtatis, aut con-

contra Rempublicam aliquid commiſerat, funditus delebatur. Hic vero audimus Angelum humilitate commendata intermiſſa reprehenſione concubitus ad priſtinam domum Hagaram remiſiſſe; & acceptiſſimam futuri nomine proprio ante nativitatem, quod Iſaaco, Salomoni, Joſiæ & Johanni tantum accidit, appellati filii mentionem feciſſe. Inde hoc fluit argumentum.

Quodcunque Angelus Dei approbat, non eſt peccatum. Atqui Polygamiam Abrahami cum Hagare inchoatam per acrem reprehenſionem ſuperbiæ & intermiſſam taxationem concubitus approbat. E. *non eſt peccatum.*

1. *Ab angelo increato.* Deus ſæpiſſime in V. T. humana figura alata tamen, uti angeli depingi ſolent, apparuit, præſertim Patriarchis, aliisque fidelibus Gen. 13. 4. 2 Sam. 24. 18. ita ut illa loca, in quibus θεοφάνεια facta fuit, ſancta haberent, ibique altaria erigerent, Deo ſacrificia realia ſeu beſtias, & mentalia ſeu corda ipſa offerrent, ac ſacella aliqua quaſi privata haberent, uti de Abrahamo Gen. 13. 4. Iſaaco. Gen. 24. 62. Jacobo conſtat Gen. 28. 22. & Davide 2 Sam. 24. 18. Quod Chriſtiani poſteà etiam obſervarunt, dum ejuſmodi ſacella privata ædificarunt vel in propriis ædibus habuerunt, vel ſecum in itinere duxerunt. Ita *Conſtantinus M.* portatilem ſecum vehere conſuevit ſcenam Eccleſiaſticam, ut haberet tabernaculum ſacrum, ordinario cultui divino & diſpenſandis myſteriis accommodatum. Sozom. l. 1. *hiſt. Eccleſ.* c. 8. Lampridius de Alexandro Severo: *Uſus vivendi hic fuit, ut ſi facultas eſſet, ſi non cum uxore concubuiſſet, matutinis horis in lavario ſuo rem divinam faciebat.* Spartian. in Heliogab. Sicuti etiam maxime circa ſeculum octavum & nonum ſacellorum & oratoriorum privatorum invaluit uſus, juxta quem proceres & opulentiores, ſtructa in domibus ſuis vel palatiis ædiculâ, neglectis publicis conventibus à conducto mercede ſacrifico rem divinam fieri curabant. Et Luid-*prandum* Longobardorum Regem primum ſibi in ſuo palatio conſtruxiſſe Oratorium autor eſt *Paulus Warnefrid.* l. 6. de Geſt. Longob. c. 58. Jamdiu tamen Concilium Laodicenum can. 57. in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis vel presbyteris prohibuerat. Idem repetit *Synodus qui in ſexta in Trullo* habita, Concilium Nicenum 2. Cabilonenſe, Aquiſgranenſe, & plura alia maxime *Concilium Pariſienſe* habitum Ludovico pio imperante, in quo Epiſcopi congregati l. 3. c. 19. orant Imperatorem, ut presbyteros & capellas Palatinas abroget, quo diebus ſolennibus proceres & palatini miniſtri ad publicas miſſarum celebrationes teneantur accedere. Quanta verò inter privatos iſtos ſacrificulos tum fuerit ruditas & morum pravitas docet querela *Agobardi Lugdunenſis* in Gallia Epiſcopi *in tr. de privil. & jur. ſacerd.* Et hinc quidem miſſæ ſolitariæ tum introductæ maximum acceperunt incrementum. Rectè proinde illa ſacella privata propter maximum abuſum & copiam templorum publicorum abrogata ſunt. Aliter vero ſe res habet cum ſacellis Patriarcharum privatis, in defectu ædium publicarum in laudem Dei, in illis locis ubi Deus apparuerat, erectis. Quod & Gentiles imitati, qui Diis ſuis, ἀπομηχανῆς apparentibus altaria & templa ædificarunt, diem illum, quo ſui præſentiam exhibuerunt, ſacrum, habuerunt, atque ſingulis annis ſub nomine θεοφανείας vel θεοφανείαιν celebrarunt. Quod nomen deinde Chriſtiani, cum Etniciſmum paulatim ſuis concionibus extirparunt, retinuerunt, ac feſto Nativitatis Chriſti aut etiam Magorum attribuerunt. vid. *Meurſ. de Feſt. Græc. & Spanh. Dub. Euang. l. p.* 18 *Rudolf. Hoſpin. de Feſt. Jud. & Chriſt.*

2. *Adamus* Non ita pridem exiit liber ſceleratiſſimus ſub nomine *Adriani Beverlandi*, qui ſpurciſſima quæque de primo Pa-

Parentum peccato impudentiſſime commentus eſt & Protoplaſtorum delictum nil aliud, quam ſcortationem fuiſſe aſſeruit. Atque hanc quidem obſcœniſſimis vocabulis, partim ex laſcivis Gentilium ſcriptis, partim de novo, quaſi ſordidorum verborum penuriâ laboraret Romana lingua, excogitatis ita depinxit, ut omnes boni honeſtique ab hâc pictura meritò abhorreant, & aures ad explicationem illius obturent. Certè ſi ſcortationem ſpiritualem, qua homo ſe à Deo creatore, ſponſo & marito quaſi ſuo avertit, & alteri, idolo ſæpe chimærico adhæret perfidiſſime, intelligeret, ſalva res eſſet; Nunc autem cum de ſcortatione corporali loquatur, & illam ſerio Protoplaſtis noſtris aſſignet, omnique honeſtate decocta longe ſcurrilius explanet, quàm vel Lucianus, Apulejus, Plautus, Martialis, Tibullus ſimilesque athei unquam animo impudicitiam illam concepere, vel verbis enarrare, potuere, à crimine abſolvi non poteſt. Præclare ſane monet Apoſtolus, ut ejuſmodi nequitiarum rudes ſimus, atque ignari. *Pueri*, inquit, *eſtote ſine malitia*. Hic vero ne quis impuritatis rudis eſſe queat, omnes antiquarum ſordium haras perſcrutatur, & famoſis exemplis abominanda curioſitate ex putidiſſimis lupanaribus conquiſitis, plenam fere ſpurcitiei diſciplinam tradit, & ut ſimiles habeant labra lactucas, fœdiſſimis verbis ac turpiſſima oratione infanda ſcelera veluti mimus exprimit. Quid ſperandum erit de *libris tribus*, quos promittit, & ad editionem jamdum concinnavit, de *proſtibulis veterum*. Ille plane oblitus eſt dicti Paulini: *colloquia prava bonos corrumpunt mores*, & alio in loco: αἰσχρότης καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία *ne nominetur quidem inter vos. Eph.* 3. Sed hæc ſapientum monita ille ne flocci quidem facit, modo ſciolus & mucidæ ac feſcenninæ antiquitatis atque impuritatis gnarus cluat. Et quamvis animus fere horreat illius ſententiam exponere, ne tamen lector Chriſtianus illius plane ignarus ſit, placet tribus tantum mentem ejus luci ſiſtere, ne cum *Leonhardus Ryſſenius* juſte jamdum illius errores in peculiari ſcripto deteſtatus fuerit; poſt Homerum Iliada, poſt Voſſium Ariſtorchum, poſt Grotium de Jure belli & pacis ſcribere videar. Ne verò lectorem diutius detineam, nil aliud intendere videtur autor quam ut ſcripturam ſacram exſibilet, illius autoritatem infringat. Ex Moſe gannionem facit, qui obſcuriſſimâ metaphorâ peccatum Adami delinearit, quique per hortum intellexerit Adamum & Evam, per arborem in medio horti, Adami virilitatem. Ex Paradiſo primum ganeum & luſtrum facit. Evam ceu procaciſſimam meretricem proſtituit, Adamum vero veluti ſcortatorum Principem diffamat. Sane ſi Cham piis parentibus Deoque execrandus viſus, quod patris nuditatem impudenter ſubſannaſſet, quid non hic Caanita ſupplicii merebitur, qui in cineres primorum parentum tàm propudioſa exſpuit convitia, & tàm acerbas effutit calumnias. Primum enim extra omnem controverſiæ aleam eſt poſitum Deum omnium deliciarum & felicitatis ſedem in gratiam primi hominis *Eden* creaſſe, in eaque omnis generis arbores frugiferas, flores, herbas, coeteraque viſu, olfactu, guſtatu gratiſſima condidiſſe, eodemque in loco arborem vitæ, ſymbolum illud, quod homo felicem hanc vitam à Deo acceperat, ſtetiſſe, neque niſi præceptum violaret, beatam cum Deo communionem unquam perditurum, verum ubi officio perfunctus eſſet, ſummâ cum Deo fruiturum beatitate. Quæ ipſa cum *Beverlandus*, *p.* 23. concedat, neſcio quâ fronte negare poſſit, arborem ſcientiæ boni & mali eſſe unam arborum illarum à Deo inibi plantatarum; cum omnia eodem conſtanti tenore narrentur; *de omni arbore liberum erit tibi comedere, ſed non de hac.* Cum igitur priora ejuſdem textus mythologica & Hieroglyphica non ſint, ſed veram, uti verba ſonant, contineant hiſtoriam, ψευδερμηνείαν committit, qui poſteriorem partem allegorice & ſymbolicè interpretatur. Cum itaque, quando dicitur: *de omni arbore hujus horti comedes*, nulli dubium eſſe poſſit veras eo arbores veri deſignari horti, ſiquidem multitudo & varietas arborum frugumque uſui hominis exponitur; & non niſi impudentiſſimè de parte illa corporis quàm ſinus abſcondit, intelligatur, niſi Adamo virilia, & Evæ muliebria fuiſſe centena,

 di-

dicere velimus, non poſſunt non etiam reliqua verba, quando legiſlator dicit; *ſe dnon de hâc arbore ſcientia boni & mali*; de aliqua iſtarum creatarum arborum, eximia tamen à reliquis intelligi. vid. *Perer. l.* 5. p. 208. Deinde ſi vera illorum eſt opinio, qui ſentiunt, quod id præceptum Eva necdum condita Adamo ſit datum, nulla fornicandi ſuboriri vel ſuſpicari potuiſſet occaſio, quia Adamus non potuit divinare, futuram creationem alicujus conjugis, abſque qua ridicula fuiſſet fornicationis prohibitio. *Meiſnerus. Auguſt l. 8. Gen. c. 17. Perer. l. 3. Gen. n. 139. Pareus. in c. 2. Gen. in* 382. vero dicunt, Adamo & Evæ junctim Deum hanc prohibuiſſe comeſtionem; Quicquid vero ejus ſit, certum eſt ex Dialogo Evæ cum ſerpente, Evam hujus prohibitionis habuiſſe aliquam cognitionem. Denique diſerte Moſes in ſua hiſtoria enarrat, Evam abſente Adamo à Diabolo tentatam ac deceptam, eam ſolam Dæmonis orationem audiviſſe, arborem bonam eſſe ad *veſcendum* judicaſſe, ejuſque intuitu cupidè ſeſe oblectaſſe, ſibique perſuaſiſſe, fructum ejus, acquirendæ prudentiæ cauſa deſiderabilem eſſe; eam ſolam decerpſiſſe ab arbore pomum, eam ſolam primum comediſſe, & poſteà marito tradidiſſe. *Gen.* 3. 6 quare etiam *ſola diaboli ſermone ſeducta dicitur* 1 *Tim.* 2. 14. Quæ omnia de veræ arboris vero fructu hic agi palam evincunt, non de carne abſentis Adami, qua quidem veſci non poterat.

3. *Ex Paradiſo* hanc vocem quidam eſſe origine Græcam, quidam vero Perſicam ſeu Arabicam, volunt. vid. *Briſſ. l. 2. de Reg. Perſ. Gell. l. 2. c. 20. Noct. Att.* Fuit autem hortus amœniſſimus Eden dictus *Martin. Lex. Philat.* 249. *Becm. de Orig.* 601. *Geſner. in c. 2. Gen. q. 10. Gerb. t. 2. L L.* 475. non vero locus cœleſtis uti Rabbini duos mundos, viſibilem ſeu corporeum, & inviſibilem ſeu ſpiritualem, creatos, ſomniant, ſed corporeus & terrenus, in orbe habitabili plantatus *Chryſoſt. hom. 12. in Gen. Auguſt. l. 8. in Gen. c. 1. Damaſcen. c. 11. de fid. Orthod. Lomb. l. 2. ſent. d. 17. Geſn. in Gen. c. 2. q. 6. p. 43. Gerb. t. 2. L. C.* 476. & quidem tertia die cum terra & reliquis arboribus creatus, (Baſilius vult conditum poſt hominem ſed male.) ſed ſexta demum die fruendus & colendus conceſſus. *Perer. l. 3. in Gen. c. 2. Aſlac. Phyſ.* 354. *R. Manaſſe ben Iſr. de Creat. probl.* 18. non in Arabiâ Felice; ut Novator maximus *Iſaac Peyrnurius* in tr. de Præadam. vid. *Danh. Præda. p.* 108. ſed forteàn (quia locus digito monſtrari non poteſt) in finibus Meſopotamiæ, Armeniæ & Aſſyriæ, ubi Tigris & Piſotigris ſive Naharſaris in unum confluunt alveum, conſtitutus. vid. *Iſid. l. 13. Etym. c. 13. Auguſt. l. 13. de C. D. c. 11.* Ambroſ. *l. d. Parad. c. 1. Thom. q. 102. a. 1. & p. 1. q. 101. a. 1. Lomb. 2. diſt. 17. c. 3. Bonav. & Durand. in. 2. diſt. 17. S. Ephrem t. de Parad. Albert. M. in p. 2. Thom. tr. 13. q. 70. Geſn. in Gen. c. 2. q. 10. p. 46. Gerb. l. c. Franz. de Interpr. Ser. p. 70. Stengel. de hort. c. 2. 3. p. 22. 36. 39. Hopkinſonius de Parad. Barcepha de Parad. Malvenda de Parad. Scal. de Emend. temp. l. 5. & 4. Ep. 441. Voet. Diſp. Sel. l. 683. Mey. p. 1. Phyſ. 17. Aret. t. 3. probl. 292. Montac. t. 2. Orig. p. 415. Salian. l. Ann. 34. Banneſ. t. 2. in Thom. 494. Jun. in c. 2. Gen. Rupertus l. 2. de Trin. c. 24. &* 20. dicit, omnes aquas naturâ ſalſas, ſed ſicut fons ſanguinis eſt jecur, ita Paradiſum fuiſſe fontem omnium aquarum dulcium, quæ ſunt per totum orbem, ac conſequenter eum fontem eſſe & parentem omnium germinum, arborum, gemmarum, aromatum. *Steng. de hort. l. 1. c. 4.* 4. 42. an vero unum flumen ratione originis, an v. 4. ratione alveorum *Perer. Aſlac. l. c.* An vero adhuc hodiè Paradiſus ſuperſit. *Thom. p. 1. q. 102. a. 1. Valent. t. 1 d. 147. p. 2. Peret. in Gen. 3. n. 39. p. 400. Gerb. 2. 475. Stenget. de hort. l. 1. c. 5. p 42. Eckard. Pandect. c. 18. Martin. Geier. Conſenſ. Jud. & Pont. etſi 2. c. 3. §. 5. Broch. 2. p. 322. Sixt. Sen. l. 5. Bibl. Delr. in Gen. 3. Canzenius, Valentia. Malvenda Suarez citati à Tirinoad Gen.* 5. 24. Quandiu verò Protoplaſti in paradiſo fuerint, incertum, credibile tamen, non diu. *Barcepha de Parad.* 33. annos manſiſſe putat, & ideo Chriſtum tot annos tranſcurriſſe. Alii 40. dies, & ideò Chriſtum tot dies jejunaſſe dicunt. Alii per integram hebdomadam. Pererius eodem die expulſum dicit, idem & *Fevardentius ad c. 15. Jer.*

Abu-

Abulenſis in c. 1. *Gen.* per ſeptem horas ibi commoraſſe, *Gervaſius* per novem horas *l. de Imper. Deciſ.* 1. *q.* 608. *Perer. l.* 6. *in Gen. n.* 184. *Steng. t.* 2. *de hort. c.* 3. *p.* 52. *Par. in c.* 3. *Gen. p.* 649. *Malvenda de Parad. c.* 46. plerique ſtatuunt non ultra diem. Indi credunt in inſulâ temperatâ & ſalubri Zulan, ubi mons, qui incolis dicitur Pico de Adam, Paradiſum fuiſſe, & Adamum ibidem à Deo creatum, dicuntque etiamnum hodiè extare primi parentis impreſſa veſtigia, longitudine duos palmos excedentia; Scribit ex relatione mercatoris cujuſdam Mahumetani Ludov. Romanus Patricius, in faſtigio hujus montis ſpecum eſſe quendam, quò regionis incolæ in primi parentis illic poſt lapſum fletu & pœnitudine ducti culpam redimentis memoriam ſe reciperent. *Steng. de hort. p.* 31. In hoc horto amœniſſimo duæ fuere arbores maximè celebres. Arbor vitæ ſcilicet juxta *Artoparum* ſignum vitæ Adamo promiſſæ naturalis, quam conſervavit, 2. *cæleſtis*, cujus ceu beatæ typus & ſigillum fuit, & 3. *Spiritualis* ſeu myſticæ reſpectu Chriſti, quem adumbravit, qui & arbor vitæ dicitur. *Aug. l.* 3. *de C. D. c.* 20. *Lombard.* 2. *diſt.* 17. *Geſn. in.* 2. *Gen. q.* 12. *Gerb. t.* 2. *LL. p.* 48. *Huart. Scrut. ing. p.* 18. *Aſlac. Phyſ.* 307. *Brochm. l.* 296. & quidem fuit tantùm unica in medio paradiſo poſita, medicinalis, & non in uſum quotidianum conſtituta. (non tamen ſacramentum) Gentilibus per Nectar & Ambroſiam ſignificata. *Juſt. Mart. Apol.* 2. *pro Chriſt.* Peſſimè verò Gnoſtici ex Apoc. 22. 2. arborem vitæ aſſerunt eſſe locos muliebres, quorum uſu congreſſus Venereus celebratur, quia per 12 ſtata tempora lubrica eorum ſemita menſtruis purgetur, & Danaidum Belidumque dolii inſtar pleni ſint rimarum, & hâc & illâc perfluant; Atque horum quidem errores recitaſſe eſt refutaſſe, ſiquidem omni fundamento deſtituuntur, & abſurditate ſcatent. Arbor vitæ fuit nil aliud, quam ſignum & ſigillum (non quidem ſimpliciter ut agnus paſchalis) vitæ non tantum terreſtris, uti *Anabaptiſtæ, Arminiani, Hugo Grot, in not. ad Caſſandr. p.* 4. *Animadv. p.* 10. *Voto p.* 19. *Diſcuſſ. p.* 30. *aſſerunt*, (vid. *Hulſ. Diatr. de Arat. d.* 1. *c.* 3 *p.* 51. 52. *Rivet. Animad. p.* 5. *Examen. p.* 2. *Apol. p.* 51. *Diſcuſſ. Dial. p.* 60. *Abr. Calov. de Nat. Theol. p.* 55. 56.) Sed etiam Cœleſtis. Altera arbor in Paradiſo conſpicua (an etiam arbores aliæ ibi fuerint, *cedrus* nempe ob majeſtatem, *Cupreſſus*, ob incorruptibilitatem, *Cinnamomum* ob fragrantiam, *Ficus* ob dulcedinem, *malogranatum* ob pulchritudinem, *palma*, *balſamum*, arbores Judaicæ &c. vid *Stenget. de hort. l.* 2. *c.* 3. *p.* 63. *prol.* fuit Arbor *ſcientiæ boni & mali*, ita dicta, *partim ab officio*, ſiquidem Protoplaſtos debuit commonefacere triplicis ſapientiæ, 1 *eſſentialis* & infinitæ, quam homo affectare non debuit, nec potuit, 2 *perſonalis*, Filii Dei, quam adorare debuit, 3 *naturalis* & concreatæ, quæ cum gratiarum actione fuit agnoſcenda. Partim *ab eventu*, fuit enim *experimentalis* arbor boni amiſſi & mali attracti. vid. *Joſeph.* 1. *Antiqu. c.* 3. *Perer. l.* 3. *in Gen. n.* 88. *Bellarm. de Arab. l.* 1. *c.* 17. *Par. in Caſtig. hujus cap.* Geſn. *in* Gen. 2. *q.* 13. Gerb. *L L.* 2. 483. *Aſlac. Phyſ.* 36. *Brochm. Syſt. l.* 294. Qualis verò, & in qua ſpecie arborum fuerit arbor hæc ſcientiæ B. & M. incertum eſt, Quidam volunt fuiſſe *ficum*, alii *vitem*, quia in cœnâ Dominica fructus vitis adhibetur ad expiandam hanc culpam; communis opinio eſt, fuiſſe *malum* ex Cant. 8. vid. *Auguſt. l.* 13. *de Civ. D. c.* 20. *Theodoret. in Gen. q.* 28. *Toſtat. ſuper* Gen. 3. *q.* 164. *Perer. l.* 3. *in* Gen. *n.* 83. *Stenget. de hort. l.* 2. *c.* 3. *p.* 41. & *c.* 2. refert, quod in Feſſe regno reperiatur planta quædam *Maus* dicta, fructum ferens valde dulcem, ac eſui gratiſſimum magnitudinis mali citrei. Mahumetici Rabbini hunc eſſe fructum ajunt, qui parentibus noſtris interdictus, cujuſque foliis, quæ habuit longa & lata, pudenda texere. Quicquid verò ejus ſit, non diſputabimus an fuerit *frutex* aut *ramus*, aut ejus *fructus*, arbuta, *rubra ſucci vinoſioris poma*, vid. *Theodor. q.* 38. *Iſidor. Peluſ. l.* 1. *Epiſt.* 51. *arg. c.* 8. §. 5. vel è reliquo genere pomorum ſupra dicta ampliſſima *ficus*, ut cum *Bar-Cepha. c.* 19. *de Parad.* conjicit *Gorop. Becanus l.* 7. *p.* 490. licet ſub ficu vel quercu vel tiliâ calentes hæſiſſe potuerint, cujus foliis ſibi perizomata fe-

cerint. vid. *Chemn. LL. Theol. l. p.* 96. an vero *malum Perſicum* juxta *Matthiol.* 1. *Dioſcorides c.* 131. *Dodonæus. Scal. Ex.* 171. *Garſias in Arom. l.* 2. *c.* 10. *ibique Cluſius* vel *malum Cydonium* juxta *Ruellium*, vel *triticum*, *nuces* aut *ceraſa* juxta *Spigelium*, aut *mala Aſſyriaca Limonia*, aut *Aurantia*.

Punicaque & pirus & fructu gratiſſima malus.

Certe non fuit *malus Punica*, quam Venus in Cypro ſerit apud *Athenæum*, cujus poma perpetuus Priapi autumus habet, ut ſcurriliter (ne cœtera verba proferam multo pejora) *Beverlandus* loquitur in execrando libro, qui de palmâ certare videtur cum. *Bodini Dialogis de abditis rerum ſublimium arcanis*, aut cum ſacerrimo libello, & contagioſo execrandæ memoriæ blaſphematoris *Kourbachii Onomaſtico*. Tantò pejor ſcilicet impoſtor quanto pejor *Spinoſa Luciano*, *Macchiavellus Juliano*, *Hobbes Carneade*, *Janus Alexander Ferrarius Thoma Brouwn & Cupero*, *Servetus Eindio*, *Caſa Catullo*, *Becius Spira*, *Sutholt Burchio*, *vel denique Socinus Oſtorodo*, *Vorſthius Sandio*. Scilicet quodlibet ſeculum, quæque & ætas ſuum fert *Thalem Mileſium*, *Appolloniumque Milonis*.

Qualibus in tenebris vita, quantiſque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque eſt.

Deus meliora impertiatur nobis & errori huic peſſimo peſſulum obdat firmiſſimum. Quem cum jam modo not. 2. in hanc theſin 42. ſatis refutavimus, nolo crambe bis coctâ lectorem fatigare. Sed ut in gyrum redeam, arbor illa ſcientiæ boni & mali non fuit membrum illud, quo viri ſumus, ſed veri horti vera arbor, eaque eximia à Deo interdicta, partim ex naturali jure & poteſtate, quam obtinebat in creaturas, partim memoriæ causâ, ut homo ſciret ſe ſervum Dei eſſe, partim ad præſcindendum homini omnes excuſationes ſi peccaſſet. Potuiſſet quidem Deus abſtinere ab interdicto. Interdictum tamen voluntati ejus fuit æternum, nempe ne homo protinus & ſine agnitione infirmitatis ſuæ fieret beatus, ut *Hulſemannus* loquitur in *Caſ. Conſc. l.* 2. *c. ult.* §. *ult.* *Duplex* autem fuit *res interdicti*, *una externa*, eſus fructus, qui a præcipientis infinita æternitate metiendus, *altera* affectatio ſapientiæ & prudentiæ divinæ, *Gen.* 3. *eritis ſicut Dii. Aſlac. Phyſ.* 372. Atque adeò *Lex* illa de prohibita arbore vetita fuit quidem *ceremonialis* uti *Francius de ſacrif. diſp.* 11. §. 96. ſcribit, *virtualiter* tamen *totum Decalogum* continebat, uti inſigniter docet Magnus Theologus *Abr. Calovius in Iſagog. p.* 51. *& Syſtem. t.* 1. *p.* 27. Unde non malè *Thyſius in. Synopſ. Theol. Prof. Leidenſ.* ſtatuit, fuiſſe *arborem ſacramentalem*, qua jubebatur homo non ultra velle ſapere, quàm ipſe Deus, aut bonum malumque ſuo ingenio metiri, quoque explorans Deus ejus obedientiam fructus comeſtione ſenſurus eſſet, atque experturus bonum, quo privandus, & malum, in quod caſurus. Deus itaque, licet præſciverit, certe & brevi violatum iri ſuum præceptum, placuit tamen ipſi hanc legem ferre, quia volebat cultum ſpontaneum, ut ita appareret hominis fidelitas, ne transgrederetur Decalogum (ſeu jus & legem naturæ ipſi homini concreatam) uti actu tranſgreſſus eſt, & quidem 1 præceptum per infidelitatem, 2 per mandati divini depravationem, (dicit Eva, prohibitum ne tangam, ſed aliter informata tetigit) 3 per omiſſam ſanctificationem, 4. per ingratitudinem in patrem cœleſtem, 5. per parricidium ſui & poſterorum. 6. per perfidiam & ſcortationem ſpiritualem. 7. per furtum. 8. per falſum teſtimonium & aſſenſum Diabolo. 9. & 10. per inordinatam concupiſcentiam. *Leo Ep.* 86. *Perer. l.* 6. *Gen. n.* 85. *Bellarm. l.* 3. *de Pecc. c.* 6. *Polan. l.* 6. *c.* 3. *Scarp. l.* 1. *de Pecc. c.* 8. *p.* 55. *Tilen. p.* 1. *diſc.* 14. *th.* 11. *Trelc. Sen. loc.* 7. 144. *Meiſn. Anthrop. d.* 4. *q.* 3. *th.* 2. Quodnam verò inter hæc peccata fuerit *primum omnium*, diſceptant adhuc Theologi, dum quidam *gulam* in inordinato pomi uſu, alii *ingratitudinem*, alii πολυπραγμοσύνην in colloquio Evæ cum ſerpente, alii *intemperantiam* in uſu conjugii. vid. *Thom. p.* 1. *q.* 14. *a.* 2. *Lombard. Biel.* 2. *ſent. diſt.* 22. Pontificii non male dicunt *cæpiſſe in ſuperbia, progreſſum in avaritia, conſummatum in gula. Biel.* 2. *ſent. diſt.* 2. *q.* 2. *Perer. l.* 6. *Gen. diſp. de*

pecc.

pecc. Ev. q. 1. *n.* 84. *Bell. l.* 3. *de pecc. c.* 4. 5. *Kekerm. l.* 2. *Syſt. c.* 3. *p.* 223. *Meiſn. Anthr. d.* 4. *q.* 3. *th.* 4. *Lutherus in c.* 3. *Gen. p.* 33. putat eſſe *dubitationem* de mandato divino & infidelitatem, & probari poteſt ex ordine tentationis. *Syr.* 10. 14. & naturâ fidei. v. *Ambroſ. l. de Parad. c.* 12. *Gerh.* 2. *LL. p.* 645. *Bucan. Inſtit. l.* 15. *q.* 14. *p.* 169. *Tilen. p.* 1. *d.* 54. *th.* 12. *Trelcat. Jun.* 245. *Meiſn. Anthr. d.* 4. *q.* 3. *th.* 5. 6. 7. Formale lapſus primi fuit *aberratio* & receſſus *à voluntate Dei* per legem poſitivam primis parentibus de arbore ſcientiæ B. & M. interdicentis revelata, dicit *Carpz. Comp. Theol. p.* 353. quomodo vero Deus revelaverit vid. *Aſlac. Phyſ.* 276. ubi dicit duos tantum eſſe modos, vel tantum exterius formatur vox ſine ſpecie viſibili, ut in monte Sinai, vel filius Dei apparuit, & in aſſumto humano corpore Adamum allocutus, uti Patres veriſimiliter ſtatuunt, hoc certum eſt Adamum vocem Dei audiviſſe. Jus itaque edendi de hac arbore etſi non habuerit Adamus, habuit tamen jus edendi carnes (utut non adeo fortean fuerit conſuetum, non fuit tamen prohibitum & quis uſus piſcium niſi iis uti licuiſſet. Poſt ſacrificia, lapſu patrato, ſtatim fuere oblata & quidem ex animalibus mundis) uti invictis argumentis contra Curcellæum adſtruxit cum Bocharto Heideggerus. Fruſtrà ergò eſt *Origenes* qui ſibi teſtes ſamia execuit teſtâ, cum ſuis diſcipulis & ſequacibus, qui putarunt, arborem ſcientiæ B. & M. *non* fuiſſe *arborem veram & naturalem*, ſed *ſpirituale* quid, quia nil in mundo habeat potentiam dandi ſcientiam. Uti enim ille ubique allegorias quæſivit, ita ſæpè peſſimè interpretatus eſt ſcripturam, adeò ut ſuæ eruditioni aliàs ſatis inter Patres nobilitatæ non minimam inuſſerit maculam, & aliquis non immeritò de Explanationibus ejus dixerit: *Ubi Origenes benè, ibi nemo melius, & ubi malè, ibi nemo pejus.* Hunc & hujus diſcipulos poſteà ſecuti (ut de otioſis fabellarum fabris & deliris in vago Thalmude nugatoribus nil dicam) Cathari Manichæi ac Priſcillianiſtæ, qui non tantum legitimas nuptias pro ſcortatione habuerunt, idcirco refutati à *Moſe Barkepha de Parad. c.* 19. conf. *Meiſn. Anthr. d.* 3. *q.* 4. *th.* 6. *Kloz. Th. Nat. p.* 321. *Forbeſ. Inſtruct. l.* 1. *p.* 37. 96. ſed & (ceu injuſti poſſeſſores hujus veritatis uti loquitur Beverlandus) vetiti fructus ſanctionem hanc fuiſſe voluerunt, ne Adam dedolaret (ſit venia verbo) Evam, uti teſtatur *Egbertus Bibl. Patr. t.* 4. *p.* 2. Ita *Abenezra* cognitionem boni & mali nuptiale opus deſignare paſſim in B. S. aſſerit. & huc refertur communiter, quod hoc opus dicatur *cognoſcere Gen.* 4. 1. 17. *Num.* 31. 17. *Matth.* 1. 25. *Luc.* 1. 34. *Eph.* 6. *Plaut. Perſ.* 2. 3. 45. *Moſtell.* 4. 2. 13. & apud Eutropium *Jamblichus c.* 9. *in vit. Pythag.* & hoc vocabulum *cognoſcere* tàm de mulieribus, quam viris uſurpatur,

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

Plutarcho & Helidoro eſt ἔγνω. Puella quædam interrogata, quomodo vitiata eſſet; honeſtè expreſſit rem illam: ἔγνω με, *cognovit me:* apud *Hermogenem* περὶ σ μεθ λόγυ adde *Cic. ep. ad Pætum*, cujus initium: *Amo verecundiam* Hoc verbum autem ideo in hac re uſurpatur, quia in illo actu κυλλῶν παῖδες demum omnibus fere ſenſibus naturam à ſe diverſam deprehendunt, & nunquam naturæ muliebris adyta magis cognoſcunt, quàm in congreſſu. vid. *Smid. Annot. in Mat. l.* 25. *Luc. l.* 35. Præterea *Beverlandus* etiam ſuæ ſententiæ Patronos allegat *Wechelianos* & præprimis *Cornel. Agrippam*, qui per *ſerpentem* intelligit *ſenſibilem carnis affectum*, imo ipſum carnalis concupiſcentiæ genitale viri membrum, & quod nullum alium Dæmonem Evam tentaſſe arbitretur, quàm illum de quo Jacobus c. 40. *cujus virtus in lumbis, & poteſtas in umbilico*, quam Paulus vocat *ſtimulum carnis & angelum Satanæ.* (En quàm blaſphemè allegetur ſcriptura?) Adamo uxor data ad caſtitatem & non ad ſobrietatem, ut interpretatur contra Jovinianum Hieronymus. *Sed cum præter caſtitatem ea uſus fuiſſet, concepit ſcientiam ſe polluendi, unde indignatus eſt omnipotens, & pænituit ſe feciſſe hominem, pænituit, quia virgini deflorata priſtinam virginitatem reſtituere nequit. Ob hanc igitur carnis pudendam libidinem ejectus eſt homo è Paradiſo Dei, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere nequeunt; coitus præmium mors. Omnes & hinc, qui ex carne geniti ſunt,*

ſunt, generant originalem culpam. Verbum non amplius addam. Hæc eſt ſpurciſſima ſimilibus verbis involuta ſententia Cornelii, quem plerique Orthodoxorum pro atheo, Mago, & blaſphemo ſcripturarum non immeritò habent, ut pote qui *V. & N. T. ſcriptores ad unum omnes alicubi à veritate defeciſſe, & ſecundum quid mendaces fuiſſe* ſcribere non abhorruit, *De vanit. Scient. c.* 99. Quæ cum prioribus mera ſunt mendacia. Cum enim Eva abſente marito mandatum Dei violaverit, non poteſt per peccatum primum conjugalis mariti cum muliere conventus intelligi, ne dicam, quod Eva diſerte dicatur ab arbore decerpſiſſe fructum eumque guſtaſſe, atque eundem numero, quem ſecum attulerat, marito dediſſe. Quæ quomodo cum congreſſu maritali, quem per peccatum intelligit poſſint conciliari, non video. Præterea etiam non poſſumus dici, ſi ipſius ſententia eſſet vera, *in Adamo peccaſſe*, Rom. 5. 12. ſiquidem exiſtimari non poſſumus in Adamo conveniſſe ad nos ipſos generandum. Num Cain cogitari poteſt concubuiſſe cum Eva ad ſeipſum generandum? Quis ſimilem abſurditatem & inſaniam audivit. Neque etiam peccatum illud nobis imputari ullo modo poſſet, ſi primum peccatum tale facinus eſſet. Id enim mihi imputari non poteſt, quod non poteſt putari eſſe meum. Hoc autem, ut vidimus, noſtrum eſſe factum putari nullo modo poteſt. Neque enim cum *Socinianis* tàm craſſe deſipere quiſquam debet, ut exiſtimet nos ſtatuere, peccatum Adami nobis imputari, abſque eo, ut nos putemur in illo, qui totam continebat naturam humanam, peccaſſe. Abſit. Nemo illa juris ſpecie propter peccatum Adami plecti poſſet, niſi particeps eſſet ejus naturæ, quæ tota, quanta quanta in Adamo peccavit, *Rom.* 5. 12. 6. 23. Quod, ſtante hoc obſcœno commento, cum locum habere non poſſit, manifeſtum eſt, novatorem hunc totum peccatum Originale rejicere. Et quæſo, quomodo pactum Deus cum Adamo, ceu totius generis humani parente, inire potuiſſet, ſub hac conditione: *morieris, ſi genus tuum propagaveris.* Quaſi dicat: beatam habebis prolem, ſi nullam procreaveris, ſed ſi ullam profœminaveris, tuque & proles tua erit infelix, mortalis, damnata. Quid inſanius cogitari poſſet? Dubium enim nullum eſt, quin fœdus cum Protoplaſtis, tanquam totius generis humani parentibus, initum ſit. Si ergo *primum peccatum* fuiſſet *generare & parentes fieri*, jam tum conſiderati fuiſſent, ut peccatores, pudendi ſceleris rei, Diabolo mancipati, mortis hæredes adeoque inepti, qui fœdus & legem obedientia ſancirent. Quod cum craſſiſſimum ſit mendacium, manifeſto conſequitur, primum peccatum nequaquam fuiſſe generationem.

3. *Expellebatur.* Adamus (dictus ita à *terra rubra*, juxta *Joſeph.* 2. *Antiqu. Heſychio* Ἀδάμα eſt παρθενικὴ γῆ, terra *virgo & pura.* juxta nobiliſſimum Medicum & Chymicum *Becherum libro aureo de inform. juvent.* dicitur ab הדם *ſimilis fuit*, quia ad ſimilitudinem Dei creatus ſimilitudinem ה perdidit) *extra paradiſum*, fortean tamen non procul ab eo, creatus, & quidem ut traditio habet in monte *Moriah*, ceu *Jonatham* diſerte ſcribit: *Et traduxit Deus hominem è monte ubi creatus fuerat, & collocavit eum in monte Eden.* Et Salmanticenſis Judæus in libr. *Jochaſin*: ibi primus homo obtulit oblationem, & inde creatus. *Druſ. in Præter. Perer. l.* 4. *in Gen. n.* 125. *Zanch. p.* 3. *l.* 1. *c.* 1. *p.* 625. *Par. in Gen.* 2. 372. *Aſlac. Phyſ.* 351. 373. An vero *Eva* etiam *extra Paradiſum* creata, & demum cum Adamo illuc translata, negant Scholaſtici, ſed affirmativa verior; ex *Gen.* 2. 5. ubi adhibetur vox ſpeciei, & Adam ſeu homo utrumque includit ſexum, nec Moſes nobis obeſt, qui non ſemper ordinem naturæ, ſed docendi obſervat, vid. *Thom. p.* 1. *q.* 102. *a.* 1. *Lom. in* 2 *ſent. diſt.* 18. *Joſeph. l.* 1. *Antiquit. c.* 1. *Perer. l.* 4. *in Gen. n.* 226. *Aſlac. Phyſ.* 376. Homines autem primò extra Paradiſum quod ſint creati, quatuor afferuntur rationes à Patribus, 1. ne putarent, tam pulchrum domicilium jure deberi, 2. ut eo magis æſtimarent Dei benevolentiam, qui ipſum tam pulchrum præter meritum paraverit domicilium, 3. ut eſſent cautiores & ad obediendum promptiores, 4. ut ſcirent, in hâc terra non eſſe perpetuam manſionem. *Perer. l.* 4. *in* Gen. *n.* 125. *Par. in c.* 2. Gen. *p.* 372. Cur ve-

vero Deus neminem collocarit in Paradiſum, *vid. l.* 3. *Aug. Gen. ad lit. c.* 10. *Zanch. p.* 3. *l.* 1. *c.* 2. *Oper.* 6. *dier. p.* 624. non tamen eà propter à toto reliquo terrarum orbe excluſi fuere Protoplaſti, utut dicantur in Paradiſo poſiti ad excolendum eum; ſiquidem Deus conceſſerat antea dominium in univerſam terram, propter paucitatem autem hominum Deus Adamum certæ regioni præfecerat, ut illam ſibi ſubjiceret & excoleret. vid. *Aſlac. Phyſ. p.* 352. *& Henr. Morus in Cabb. ſuper* 3. *Cap. Gen.* Ex hoc vero nobiliſſimo feudo, & jucundiſſimo habitaculo vaſallus hic Adamus ob crimen læſæ Majeſtatis ejiciebatur infamia maxima, quæ erat civilis mors notatus & naturali morti neceſſario obnoxius, & ſpirituali atque æterna morte puniendus niſi mediator Filius Dei aſſumendo carnem humanam interveniſſet. *Perer. l.* 3. *in Gen. n.* 157. quanquam ſint nonnulli qui hic præcipue mortem corpoream, imo *mortalitatem* non tamen plane excluſis cœteris, intelligi volunt, quia communiſſimus ſcripturæ uſus ſit ut morte nomianta ſolutio animæ & corporis intelligatur, nec neceſſitas aliqua negativam poſtulat, præſertim cum Deus ita explicet *Gen.* 3. 19. mortalitas inſuper & moriendi neceſſitas non differant; qui natura mortalis eſt, neceſſario moritur, per naturam: & præterea mors actualis non magis eſt conſequens naturæ, quam mortalitas, nec minus. Deus autem comminatum eſſe non mortem ſed *mortalitatem* patet ex eo, quia Adam peccans non actu ipſo illico mortuus, ſed mortalis factus, ut *Jo Georg. Dorſcheus* egregie docet. Præter has vero duas pœnas in morte civili & morte naturali conſpicuas Adamo etiam labor non cum delectatione conjunctus & ſine defatigatione, uti quidem in Paradiſo, ſi manſiſſent in ſtatu integritatis, fuiſſet, ſed moleſtus, difficilis & nervos ac robur corporis debilitans, dictitatur, Evæ vero difficultas in pariendo, ex qua *Beverlandus* de P. Orig. concludere ſatagit Peccatum primum fuiſſe ſcortationem quia (*per quod quis peccat per idem punitur & idem*) pœna inflicta illis eos evincat ejuſmodi ſceleris reos, adeo ut gravis & difficilis partus non magis ſpeciem peccati exponat, ea nempe parte peccatum eſſe, quàm gravis & moleſtus labor, in ſudore vultus conſpicuus, arguat illum vultu atque ore peccaſſe. Quæ affaniæ potius atque tricæ & ſi quid vilius iſtis, quam *reſponſa prudentum* haberi merentur. Quid enim; ſi Jobus aſinis & Camelis privatur, quisquamne in mundo reperietur, qui eum hac in parte Sodomitarum inſtar peccaſſe arguat. Nec nobis obeſt, quod Adam & Eva ſtatim à peccato pudore ſuffuſi ſint. Non enim omnis pudor ex conſcientia immundæ libidinis eſt.

Sæpè vel exiguo vel longo murmure dixit,
Nil pudet hunc, nec vox hæc mea falſa fuit.

Ita *Livius* narrat, quod cum ad *Furculas Caudinas* conſulescum omni exercitu Rom. ignominioſe jugum miſſi eſſent, præ pudore corpora humi proſtraverint, colloquia & cœtus hominum fugerint, unde Ophilius dixit; Silentium illud obſtinatum Romanorum, fixoſque in terram oculos, & pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animi cientis indicia eſſe. *l.* 9. *c.* 6. 7. *Cæſar l.* 1. Nonnulli pudore adducti, ut timoris ſuſpicionem evitarent, remeabant; Lucanus l. 1.

Soluſque pudor non vincere bello.

Quid ergo mirum, ſi Protoplaſtos, qui plura amiſerunt, ſummus occupaverit pudor. Nec nobis præjudicare etiam poteſt, quod *ſola genitalia texerint* uti garrit *Beverlandus*. Primum enim Moſes hoc non dicit, &, ſi diceret, nos alieni facti rationem reddere non tenemur. Poteſt tamen hæc eſſe, quod ſe jam ſentirent omni innocentiâ & puritate deſtitutos amiſiſſe imaginem Dei, & generaturos liberos ad imaginem ſuam, ob libidinem rationis imperium ſuperantem. Sentiebant enim jamdum mortem gratiæ, i. e. iram odiumque Dei cum morſu conſcientiæ, cujus ſignum fuga, orta ex diſſolutione iſtius unionis arctioris, quam homo cum Deo habebat ante lapſum. *Kekerm. l.* 2. *Syſt. c.* 3. *p.* 244. Sentiebant omnium virium animæ & corporis debilitationem. *Eſ. l.* 5. 6. & depravationem. *Meinſ. d.* 7. *Anthr. th.* 3. *Bellarm. de amiſſ. Gr. c.* 8. 9. 10. Sentiebant nuditatem illam ignominioſam & probroſam,

ſam, in omnibus membris ſeſe exerentem, ideò ſe tegebant & occultare volebant ſe & ſuos inordinatos affectus in membris conſpicuos. *Gerh.* 2. *LL.CC.* p. 562. *Aſlac. Eth.* 487. 492. *Perer. l.* 6. *in Gen. n.* 3. Sentiebant reatum mortis temporalis, ſeu neceſſitatem moriendi, & quidem eo ipſo die, quo comederant; non enim exceſſit unam Diem, ſeu mille annos, qui Deo ſunt inſtar unius diei. Et in terram ſeu pulverem iterum converſus (ideo ſerpens debuit comedere pulverem, quia in cauſa fuit, cur homo reverteretur in pulverem. *Bellarm. l.* 3. *de amiſſ. Gr. c.* 2. 242.) & mortuus actu. Ante lapſum quidem etiam ſua natura erat mortalis, quia ex terra creatus, cibis & generationi à Deo deſtinatus, (quæ duo cum immortali natura pugnant) inſuper etiam ei cum mortali, 1 *Cor.* 15. 45. Chriſtus opponitur, qui cum pœnas peccati abſtulit, mortem reliquit; divina tamen gratia, quæ ideo etiam arborem vitæ creavit, à morte liberari potuiſſet, à cujus gratiæ ſpecie peccato ſuo omnino excidit, & mortis mancipium plane eſt factus, ita ut illud, quod naturale illi erat, & averti potuit, prorſus neceſſarium ſit factum. vid. *Gandiſ. Comp. Theol. p.* 1300. *Socin. l. Quod regnum. Polon. p.* 56. *Henrici de term. vit.* §. 5. Ex quo patet, peccatum hoc primum Protoplaſtorum eſſe *omnium graviſſimum*, quia omnium primum, *Auguſt. l.* 14. *de C. D. c.* 12. *Bonav. l.* 2. *ſent. diſt.* 21. *a. ult. q. ult. Gerh.* 2. 560. *Perer. l.* 6. *Gen. n.* 108. *Bellarm. p.* 3. *de am. Gr. c.* 10. *p.* 144. *Kekerm. l.* 2. *Syſt. c.* 3. *p.* 236. *Trelcat. Sen. p.* 144. *Alſted. l.* 3. *Schol. c.* 18. *p.* 427. Maximum etiam eſt quia Deum proximum & ſeipſum offendit. *Meiſn. Anthr. p.* 144. Maximum ratione legis ſervatu facillimæ, ratione voluntatis ſanctè & planè liberæ. *Auguſt. l.* 14. *de C. D. c.* 15. ratione operis quia corde, ore, & opere contra utramque tabulam peccatum, *Meiſn. Anthr.* Ratione damni totum genus humanum concernentis etiam fuit graviſſimum. *Perer. l.* 6. *in Gen. n.* 103. Inſecutæ etiam ſunt pœnæ graviſſimæ jam modo recenſitæ, opusque fuit infinito pretio, ſanguine nempe Jeſu Chriſti, filii Dei, quo redemti. *Bucan. Inſtit. l.* 15. *q.* 1. *p.* 168. *Carpzov. Comp. Theol. p.* 356.

4. *Angeli ſuperbi.* Sugillat inter alia *Autor Polygynias Theophilum*, quod ſuperbiam Hagaris ancillæ elevarit, cum tamen angeli ob ſuperbiam ſint è cœlo dejecti. Verum ad hoc reſpondetur quod *ſuperbia* quidem *in ſe & ſua natura* ſit magnum peccatum, quia appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, quando quis Deo, ſuperioribus, eorumque legibus ſubjici non vult, unde & primum inter *peccata capitalia*, ſeu ut Mariani vocant, mortalia, locum obtinet, ratione tamen objecti & circumſtantiarum variat. *Buſenb. Theol. Mor. p.* 412. Ita ſuperbia erga Deum, quam angeli mali exercuere, majus eſt peccatum, quam ſi contemnitur homo, proximus, Sara &c. Deinde dixit Theophilus ſuperbiam in *comparatione* ſcortationis, adulterii, aliorumque craſſorum peccatorum, tam grave delictum non eſſe quia tam aperte non lædat proximum, aut tollat ſocietatem humanam. Alias negari non poteſt ſuperbiam unum eſſe ex maximis peccatis & crimen læſæ Majeſtatis divinæ ut *Luth. t.* 3. *Jen. Gen. Germ. p.* 329. loquitur, quando quis ſibi ipſi bona quæ poſſidet, aſcribit, quaſi eſſentiam, vitam, bona ingenii, corporis habeat à ſeipſo. vid. *Theol. Germ. Perkins. l.* 2. *p.* 6. *Joh. Arnd. de vero Chriſtianiſmo. l.* 2. *p.* 254. unde & *idololatriæ* annumeratur. *Oſiand.* in Hab. *l.* 16. *qui res præclarè geſtas ſuæ vel prudentiæ vel fortitudini aſcribunt, ii reverâ ſunt idolatræ, & hamo ſuo thymiama adolent.* Et hæc ſuperbia invenitur in omnibus ſtatibus, uti *Lutherus* docet *T.* 1. *Jen. Germ. f.* 46. 71. *Meng. ſerutin Conſc. p.* 215. 216. & *Oſiand. in Dan. l.* 17. *qui* inquit, *ingeniis & laboribus ſuis fidunt, neglecta Dei invocatione, plerumque ita degenerant, ut aut amentes fiant, aut aliàs ipſorum eruditio neque ipſis neque aliis proſit, ſed magis obſit.* vid. *J. Weſtphali* Diabolum ſuperbum, in *theatro Diat. p.* 2. *p.* 5. 6. 7. Et hoc vitium omnibus hominibus quaſi in natum adhæret, unde *Gerhardus* non male diceb. *Superbia eſt primum vivens & ultimum moriens in homine.* Uti ſanctiſſimi quique Paulus, David, Moſes aliique experti & de hâc re conqueſti ſunt.

ſunt. vid. *Luth. t. 2. Witb. f.* 487. ibi docet, quod quilibet talem *ingentem & deformem*, uti loquitur, *monachum* in ſinu ſuo portet, bonis operibus ſuis confidat, & in iis ſuperbiat, aliosque præ ſe contemnat. conf. *Chemnit. Poſtill. Dom. Sept. p.* 371. *& Auguſt.* in præf. Enarr. Pſ. 31. inquit: *Talis cogitatio præcipitat hominem, quâ quiſque terretur, ſi ſeſe in audaciam quandam præſumtionis erexerit, & de ſuis viribus juſtitiâque præſumſerit, etiam ſi forte impleverit omnia, quæ juſta videntur coram oculis hominum, ita ut nihil inveniatur in vitâ ejus, quod poſſit reprehendi ab hominibus, ipſam præſumtionem jactationemque ſuperbiæ Deus damnat. &c.* Ita multi etiam ſunt, qui de bonitate cauſæ præſumunt, quod *Lutherus* maximè taxat tom. 4. Weteb. Germ. p. 137. & t. 2. Lat. p. 84. *Etiam habens juſtiſſimam cauſam, coram Deo eſt reprehenſibilis, ſi non in timore Dei eam tutetur. Non reſpicit Deus ſuperbos & contentioſos, quantumlibet juſtos.* vid. *Menger Scrut. Conſc. p.* 220. Non verò jam diſputabimus, an *ſuperbia* ſit unica & prima cauſa lapſus angelorum. Hoc certum eſt quod appetitus unionis hypoſtaticæ, aut invidia unionis naturæ humanæ cum λὸγῳ non fuerit cauſa lapſus; quia nondum fuit peccatum, adeoque illarum nullam potuerunt habere notitiam. *Dan. Hodoſ.* 263. *Johannes* quando nobis vult ſubindicare in quo conſiſtat lapſus dicit *c.* 8. 44. *Angeli in veritate non ſteterunt.* Et maxime Diabolus in veritate non ſtetit (non tantum non ſtetit in *veracitate*, quam in paradiſo cavillis & mendaciis violavit, non tantum in *veritate objectiva* verbi divini, quam ibidem negatum & refutatum ivit, ſed *tali è qua* optimâ conſequentia ſequitur, veritatem in eo non eſſe; eſt enim τὸ ὅτι non cauſale ſed conſecutivum, quaſi dicat, quia in veritate non ſtetit, E. in eo nulla eſt veritas. E. mendacium eſt ei proprium κατ' αὐτὸ, cujus nequitiam imitantur Judæi, non tantum mentiendo, ſed & latrocinando & deficiendo) in *veritate fidei ac obedientiæ* erga Deum, Creatorum ſuum, in perfectione ſapientiæ & juſtitiæ concreata & connaturali, quâ ut divina imagine ornatus fuit. Non dicit, non fuiſſe in veritate, ſed non ſtetiſſe, & perſeveraſſe. Igitur antequam laberetur, habuit veritatem, actu impreſſam & concreatam, ad fidem Deo præſtandam & conſequendam (non quidem meritorie) confirmationis coronam, & declinandum lapſum, vires, arma & auxilia. Ad veritatis etiam perſeverantiam creatus, inique alias apoſtaſiæ poſtulatus. *Danh. Hodoſ.* 203. *Lac Catech.* 4. 389. *Dorſch. contra Trigl. ſ.* 1. *c.* 2. §. 8. *p.* 87. *Auguſt. Steuchus l.* 8. *de Peren. Phil. c.* 38. *Janch. l.* 4. *c.* 2. *Bucan. l.* 7. *q.* 4. *Caſman p.* 2. *p.* 10. *Gerh. LL. CC.* 11. *p.* 23. *Jac. Mart. Partit. diſp.* 5. §. 11. Non itaque Diaboli ſunt *natura mali*, quia non generantur in malo, uti nos, unde filii iræ dicimur. *Eph.* 2. Adamus etiam non fuit natura malus, Diaboli voluntate præcipue ſunt mali. *Graw. d.* 8. 4. 9. *Zanch. l.* 4. *c.* 7. *Caſm. p.* 2. *c.* 9. 10. *Polan. l.* 5. *c.* 13. *Neque etiam ſunt creati* mali *R. Men. Ben. Iſr. probl.* 22. *de Creat.* dicit nonnullos Theologos ſtatuere tres gradus entium ſpiritualium, 1. Intelligentiarum à materia ſeparatarum, uti *Michaël, Gabriel, Rafael, Uriel*, qui circumſtant thronum divinæ Majeſtatis, non comprehenduntur ſenſibus corporeis, ſed ſolum in viſione prophetica, nunquam viſi ſed auditi, *Gen.* 28. *Ex.* 3. *Gen.* 22. 2. Angeli miniſterii, quos condidit Deus ad regendum mundum *Pſ.* 91. 11. Tales nonnunquam aſſumunt formas viſibiles & apparuere. *Gen.* 18. 32. & quia ſuper orbes habitant, dicti exercitus cœlorum.

3. Spiritus ſublunares executores iræ divinæ, dicti angeli damni, angeli mortis, tortores, carnifices, inquirunt enim in hominum peccata. Talis 2 *Sam.* 24. *Job. c.* 2. *Eſ.* 34. 14. Multi hos adjurationibus advocant, & necromantias, operaque mira patrant. Narrant veſci illos, generare, mori, alis præditos, ex una parte volare in aliam, uni tantum apparentes noxii ſunt, duobus innoxii, tribus nunquam apparent. vid. ipſum *prol.* & *probl.* 22. *Bang. Coelt.* 74. dicit eſſe veriſimile quod ſimul cum inferno creati; Sed omnia hæc redolent fabulas Judaicas, quas miſſas facimus, probe gnari, quod omnes boni creati, & quidam ſimul (veriſimiliter, ſecus ac quidam Pontificii ſtatuentes angelum iſtum, qui lapſus ſit ante lapſum

ſum, cœterorum ſc. fuiſſe caput & principem omnium. *Bell. de R. Pont. c. 9. Danh.* vid. *Had.* 267. *Polan. l. 5. Synt. c. 13. q. 9. Zanch. l. 4. c. 2.*) lapſi ante lapſum humanum, quo die vero (*Gerb. t. 11. LL. CC. p. 33. Zanch. l. 4. c. 2. Coſm. p. 2. c. 10.*) & loco tacente ſcriptura neſcimus. *Auguſt. Steuch. l. 8. de Perenn. Philoſ. c. 38. Zanch. l. 4. c. 2.* Fuit autem hoc illorum peccatum multò *gravius quàm hominum.* quia ſapientiores & ſanctiores, nullumque ſeductorem habuerunt. *Kekerm. l. 1. c. 7.* igitur in gratiam non iterum recipiuntur, (ſecus ac *Origenes* putavit eos tandem pœnitentiam acturos; *Pſ.* 103. 9. *Eſ.* 57. 14. *Jer.* 3. 7. & in gratiam receptum iri. *Gerb.* 2. *p.* 25. *Bucan. l. 7. q. 9. Coſm. p. 2. c. 25. Orig. l. 1. περὶ ἀρχῶν. c. 6. tom. 4. p. 120. Epiphan. ad Job. Epiſc. Solym. interprete Hieron. t. 3. f. 72. & adverſ. Vigilant. t. 3. f.* 142. Sed majoribus pœnis affecti.) Ubi ſunt obſcuratio & debilitatio intelligentiæ. (Theologia enim ipſorum concreata periit, intuitivam non habent, revelatâ non gaudent, experimentali vero utuntur. *Lyſ. Sum. p. 48. Danh. Hodoſ. p.* 206.) *Zanch. l. 4. c. 7.* deinde ſanctitatem amiſerunt, & malitiam apprehenderunt. *Zanch. l. 4. c. 5.* unde è cœlo detruſi gloriam divinam perdiderunt, *Zanch. l. 4. c. 4.* in infernum præcipitati, ita tamen, ut ante extremum in aere & inter homines verſari permiſſum. *Coſm. p. 2. c. 16.* multæ ignominiæ, miſeriæ ac cruciatibus obnoxii, *Chemn. l.* 141. *Zanch. l. 4. c. 19. Gaſm. p. 2. c. 17.* majoribus adhuc poſt extremum ſubjiciendi. *Caſm. p. 2. c. 25.* non imaginariis, ſed veris.

Propter prævīſum enim lapſum ſpontaneum prorſus, atque malitioſum (non ob immutabile & abſolutum Dei decretum) mali angeli ad damnationem ſunt rejecti, ſicuti propter prævīſam perſeverantiam in bono boni ad vitam æternam ſunt electi. uti contra *Hieron. Zanchium* alioſque diſputatur. vid. *Zanch. l. 3. part. 1. de Oper. D. c. 2. Bucan. l. 7. q. 6. & l. 6. q. 10. & l. 36. q. 6. Par. l. 2. p. 317. Bellarm. de Grat. & L. A. c. 17. Polan. Synt. l. 4. c. 9. & 10. p. 251. & l. 5. c. 12. Calv. Inſt. l. 3. c. 23. §. 4. Piſc. vol. 2. Diſp. Loc. 12. p. 156. Brochm. Syſtem. l. p. 240. Diſp. Gieſſ. d. 13. th. 166. Graw. Quæſt. illuſtr. d. 8. q. 9. p. 217. Scharſ. d. 17. Calvin. q. 2. Danh. Hodoſ.* 204. Equidem cum *Philone de Gigant.* Rabbinis & Cabbaliſtis (uti *R. Elieſer c.* 22.) Patres nonnulli *Juſtinus Martyr. Apol. 1. Idol. c. 9. Tatianus, Clemens Alexandrinus, Euſebius. Tertullianus, Lactantius & Sulpitius Severus* néc non *Joſephus* volunt ex Gen. 6. 4. Filios Dei (uti quidem dicuntur angeli Job. 38. 7.) Angelos ante diluvium è cœlo excidiſſe, ſpecioſarum formâ virginum captos illicitas cupiditates appetiiſſe, cum filiabus hominum concubuiſſe, & ex horum patratione Gigantes procreatos & propterea etiam damnatos à Deo. *Franc. Valleſ. c. 8. Philoſ. Sacr.* Dæmonas incubos intelligit, ex quibus nati ſint Seirim & Schedim Striges, Lilith. (Eſ. 13. 21. &. 34. 14.)

- Et ruſtica numina Fauni
Et Nymphæ, & monticolæ Sylvani.

Et huc etiam trahunt Pauli dictum, quod mulieres in templo velatas vult ob cœleſtes angelos; *ne pulchritudo earum illecebræ ſint angelis ad eas libidinoſe amandas, adumbrari debet facies tàm periculoſa, quæ uſque ad cælum ſcandala jaculata ſit.* uti *Tertull. de hab. mulıebr. & vel. virg.* loquitur. conf. & *Damaſc. Epiſt. de Triſag.* Quid per ἐξουσίαν propter angelos portandum intelligatur, *Beza* fatetur, ſibi non liquere (vid ſupr. *th.* 31. *not.* 4. & 39. *n.* 1.) *Jacobus Gothofredus, Stapletonus & Tanquill. Faber in Epiſt.* lege etiam *Journal des ſavans A.* 1666. *p.* 250. & 395. nec non ejus *Ep. ad. D. Huetium prop.* 3. 18. legunt διὰ τοὺς ἀγελαίους *propter juvenum greges.* Sed textus ſacer non eſt tam temere corrigendus & mutandus, multo minus de Angelis Parabolicis & metaphorice ita dictis, Epiſcopis puta explicandus, quaſi propterea ſint velandæ mulieres, ne ephori Eccleſiarum libidinibus accendantur; Maxima etiam temeritas, imo abſurditas eſt, ex Gen. 6. exſculpere velle concupiſcentiam, qua angeli ferantur ad concumbendum cum hominibus; ſiquidem longius homo ab angelo, quàm porcus ab homine diſtat, atque hujus forma multo minus capi angelus poteſt, quam homo porci. Neque generandi facultas angelis in-

ineſſe poſſet, niſi conceſſione divinâ, quam Deus ſolis illis tribuit, qui corporibus veſtiuntur. Verum vel gentilis viderit, de pueris Deo dilectis, ſeu hominibus ſanctis (Sethidis, ut ſupra vidimus,) non de angelis hæc dici. Ovid. l. 10. Met. v. 153.

pueroſque canamus
Dilectos ſuperis, inconceſſiſque puellas
Ignibus attonitas meruiſſe libidine pœnam.

Quo ipſo etiam alterum delumbatur commentum, *poſſe* ſcilicet. *Dæmones aſſumtis ex aëre corporibus, liberos ſuſcitare.* Non minor enim requiritur virtus ad humanum corpus *ex aëre*, quàm *ex terrâ* producendum. Quæ ſubſtantiæ variatio unius Dei eſt. Hoc quidem ex ſcriptura certum eſt; angelos aſſumere corpora; quia ad munia obeunda mittuntur; an autem pro libitu aſſumere poſſint, & quomodo incertum. Omnes ferè ſtatuunt, illos *couglomerare aërem ſubtiliſſimum*, & exinde efformare corpus. Unde dicunt, Diabolum objeciſſe Chriſto non mundi ſphæram realem, cum Chriſtus aliâs circa totum mundum moveri debuiſſet. Nam ut ex Opticis conſtat, corpus ſphæricum etiam minutiſſimum, ne ab excellentiſſimo quidem viſu ſimul adæquatè & totaliter videri poſſe. *Keckerm. Syſt. Theol. l. 1. c. 7.* Sed hæc eſt communis ſententia, cui objici poteſt; 1. *Illa corpora poſſe videri*, non vero aerem. Sed ad hoc reſpondetur, eſſe *colorem apparentem*, qualis viridis cœli, undarum & colli columbini. Difficile enim probatu, colorem illum fuiſſe verum. Puto autem angelos, qui nobis poſſunt glaucomata objicere, faſcinaſſe oculos circa colores. Quod ſi etiam diceretur, angelos planè nullum aſſumere corpus, ſed faſcinare etiam noſtros hâc in parte oculos, quomodo poſſet refutari? Provocari enim poſſet ad inductionem, quando enim *angeli* dicuntur *habuiſſe veſtes*, quæritur, an fuerint *ſartores*, qui tunicas ſibi conſuerint ex panniculis aeris, ut hoc probent. Scio quidem, quid dicturi ſint, hoc ſcilicet ipſorum placere cerebro. Sed tuum mihi non placet cerebrum. Nec agnoſco *Catonem Cenſorium* aut *Cajum Marium* in Philoſophia, qui autoritate mihi poſſet imperare obſequium. Objicitur 2. palpari ut dura corpora. Aer vero non eſt ſolidus, ſed extra ſenſum tactus. Reſp. quæro, an corpora vera vel apparentia? Qui ſpecies ſenſibiles intelligit non rectè, ille etiam duritiem imaginariam habet pro vera, v. g. ſi cultrum objicias fronti, intra interſtitium oculorum, etiamſi non tangat frontem, jurares, cultrum duritie ſuâ lineam tibi ducere in fronte, id etiam de angelis dici poteſt, decipere phantaſiam noſtram, cujus quantæ ſint vires, lege apud *Fienum de viribus Imaginationis.* Vel, qui mulieribus delectatus interroget puerperas de ſignaturis liberorum. Quod vero Scholaſtici dicunt, corpora illa videri dura, non formaliter, ſed per *virtutem* (ab angelis productam) *reſtitivam*, ſubtiliter quidem dicitur, ſed dfficulter probatur. Neſcio enim, an virtus reſtitiva, ut talis poſſit fundare ſpeciem tactilem, ut duram. Quis enim ventum diceret durum, quando reſiſtit avi volanti. *Coſman. Angel. p. 1. c. 13. q. 2.* dicit, vera & ſolida, quandoque aſſumta angelorum corpora eſſe quandoque vero apparere illos in phantaſmate, & non in corpore reali. Unde nonnulli volunt, illa corpora arcano, nobiſque incognito modo produci, nonnulli, quod ex elementis illorum compoſitio fiat, alii, quod immediatè creentur à Deo, alii quod quandoque ſint corpora mortuorum. vid. *Keckerm. Syſt. Theol. l. 1. c. 7.* Angeli vero cum iſtis aſſumtis corporibus non *uniuntur* per ſe & eſſentialiter, ſed *accidentaliter* ad tempus. Non enim ipſi ſunt *formæ* informantes, ſed *aſſiſtentes* iſtorum corporum, indeque non poſſunt dici homines. *Gerh. LL. CC. t. 2. p. 23. Grawer. d. 8. q. 7. Zanch. t. 2. Op. 6. Dier. Keckerm. Syſt. l. 1. c. 7 Becan. Theol. Schol. p. 1. tr. 3. c. q. 16,* Quomodo vero *moveantur* illa corpora ab angelis, an per voluntatem, an per peculiarem potentiam paſſivam vid. *Glaſen. Theol. Nat. p. 100.* Vere autem & proprie non vivunt illa corpora, ſed videntur *vivere*, quia carent formâ informante, nec angeli naturaliter & eſſentialiter illis uniti *Graw. d. 8. q. 7. p. 213.* unde *comeſtio* ipſorum non eſt propria proprietate naturali, ſed Oeconomica. *Danh. Hodoſ. p. 201. Myſterioſ. p. 421. Rivet. ad c. 18. Gen.* Poſt finitam vero apparitio-

ritionem quidam dicunt, quod *ſolvantur* in *nihilum*, quidam quod in quatuor elementa, in ſua principia. *Zanch. l.* 2, *c.* 8. *Bucan. l.* 6. *q.* 16. *Henr. Noll. Phyſ. Herm.* putat angelos *ex aere & igne compoſitos. Bang. de libr. Enoch. p.* 57. & Hebr. putant, Dæmones poſt lapſum eſſe corporeos, vid. *Joh. Benad. Carpz. de Gigant. c.* 4. *p.* 29. adeoque concumbere, ſicuti & omnes ferè Patres aſſerunt illam commixtionem *Danh. Dram.* 271. & poſſe Dæmones veris aſſumtis corporibus vere fieri incubos & ſuccubos. uti *Auguſt. l.* 15. *de Civ. D. c.* 23 & *Thomas* affirmant, non quod generare poſſint ex proprio ſemine, cum nullum habeant, aut ex ſemine aſſumtorum corporum, cum ſint ſine animâ, vel ex ſemine viri aliunde celerrime portato, ſed ratione nobis incognita, Deo poſſibli & Diabolis permiſſa. *Martin, Partit. d.* 5. *cor.* 2. *Theophr, Paracelſus* dicit, poſito, fieri illam celerrimam ſeminis translationem ex alio loco, nullam tamen ex eâ fieri poſſe generationem, quia ſemen ſtatim frigeſit, & ſi ob ſpirituoſitatis exhalatæ defectum evanidum reddi. *Delr. Diſquiſ. Mag.* 400. *Spreng. Mall. Maleſ.* 203. *Arriag. de Incub. Gen. d.* 1. *de Gen. p.* 517. *Sixt. Sen. l.* 5. *Bibl. ann.* 73. *Danh. Hodoſ.* 200. *Dram.* 307. 311, 326, 338, 374. *Call. Decal.* 346. *Voët. Diſp. Sel. l.* 755, 785. *Guxt. Synag. Jud. c.* 2. *p.* 76. *Men. Gen. Iſrael ne term.* 88. *Gerſon in Thom. l.* 1. *c.* 10. *p.* 64. *Hornb. Theol. Jud. l.* 4. *c.* 1. *p.* 306. *Selden. De Diis Syr.* 249. *Kirch. l. Oedip. p.* 321. 69, 70. *Gang. Cæl. Or. p.* 32. *Raym. Pug. fid. p.* 459, *Zuler. Tranerguſch. l.* 1. *p.* 22. 24 *prol.* 40. *Danh. Lac. Catech.* 5. 670. *Brochm. l. Syſt.* 237. *Miſn. Phil. Job.* 1. *ſect.* 4. *p.* 116. *Ger. in Gen. c.* 6. 174. *Iſag. d.* 12. *c.* 6. *p.* 511. *Walth. Quadrag. Miſcell. Theol.* 24. *p.* 621. *Gang. de libr. Enochi p.* 53 54. Ita Meluſina & Morlinus (de quo *Zeiler. Cent. Ep.* 3. *ep.* 1. *p.* 8) ex homine & Diabolo dicuntur geniti *Voet. Diſp. l.* 755. & *Delr. Diſq. Mag.* dicit, Dæmones poſſe efficere, ut virgines mente ac corpore incorruptæ abſque ullo viri congreſſu concipiant, infundendo ſcil. in uterum ipſis dormientibus & non ſentientibus ſemen fœcundum aliunde accerſitum. *Voët. t.* 1. *p.* 789. *Sedanenſes t.* 2. *p.* 145. aiunt poſſe angelos piorum hominum plantaſiam obſidere, & à conſuetis cogitationibus avertere, eoſque movere ad ea agenda & patienda, quæ homines ipſi non intelligunt. Ita de ſpiritibus familiaribus & angelo Socratis multa *Zeiler Theatr. Trag.* 2. 47. *Nav. Ench.* 146 *Godin. l.* 1. *Dæmon.* & *l.* 4. *Theatr. Phyſ. Menger. Scrut. p.* 195.

THESIS XLIII.

IN Cap. 17. Gen. Abraham dicit ad Deum ipſi filium ex Sara promittentem: *Utinam Iſmael coram te vivat* Deus, qui Davidem virum ſecundum cor Dei pro adulterino filio orantem exaudire nolebat, non tantum vitam longævam Iſmaëli conceſſit ad votum Abrahami ſed inſuper benedixit, ceu Gen 21. repetit & patrem multorum Regum conſtituit, cum alias ſpurii ut Jephthab & illegitimi nulla benedictione fruerentur, à cœtu Dei arcerentur uſque in tertiam generationem, non admittebantur ad ſacra ut ex Levitico patet. Hinc ergo conſtat Iſmaelem à Deo, Angelo Abrahamo, Sara omnibusque vicinis gentibus Hemore Sichemitis (apud quos Abrahamus in magna autoritate erat, nunquam vero fuiſſet, ſi Polygamia illegitima fuiſ-

fuiſſet,) non pro ſpurio, adulterino, ſed pro legitimo filio fuiſſe habitum. Quin etiam omnes Patres Eccleſiæ omnibus temporibus eò laborarunt, ut Patriarchas πολυγάμους à peccato abſolverent, & ideo, multas excuſationes & diſtinctiones attulerunt, quibus omnibus carere poſſumus, ſi ſtatuamus, uti revera eſt, quod Polygamia non ſit peccatum. Nihilominus ex hoc capite ita poſſum concludere.

Quodcunque Deus, Angelus, Abrahamus, Sara & omnes circa illa tempora viventes, omneſque Prophetæ, Apoſtoli, Patres Eccleſiæ omni tempore pro legitimo habuerunt, illud illegitimum ſeu peccatum cenſeri nequit.

Atqui Deus, Angelus, Abrahamus, Sara, reliquique circa illa tempora viventes, omneſque Propheta, Apoſtoli & Patres Eccleſiæ filios Patriarcharum ex uxoribus ſecundariis natos non pro ſpuriis aut nothis, ſed pro legitimis habuerunt.

E. Adhuc hodie pro legitimis ſunt habendi & per conſequens Polygamia ex qua nati ſunt, eſt legitima & adhuc hodie erit legitima, ſeu legi divinæ non contraria. Lex enim Dei eſt immutabilis, æterna.

Cœterum quod concernit omnes circa illa tempora viventes, notum eſt quod fuerit apud omnes vicinas gentes Abrahamus, in ſummo æſtimio, ut vel ex antiquiſſimis poſt Moſen ſcriptoribus exoticis videre eſt, qui illum ampliſſimis exornarunt elogiis. *Beroſus* apud *Joſephum* & *Euſeb. de præp. Ev.* IX. 16. vocat virum *qui apud Chaldæos vixerit ſumma cum integritate morum tum etiam dignitate rerumque cœleſtium cognitione præditus.* Ita præter Hecatæum laudatur à *Nicolao Dumaſceno*, quod ſacerdotum Ægyptiorum errores refutaverit in quotidianis mutuis congreſſibus ceu ſapientiſſimus & ad perſuadendam veritatem potentiſſimus habitus fuerit, Ægyptioſque Arithmeticam & Geometriam docuerit, Phœnices vero ſecundum Eupolemum Aſtronomiam docuerit. Silentio prætereo encomia, quæ ipſi ab *Artapano Rerum Jud. hiſtoria*, *Melone contra Iudæos*, *Philone Biblio* attribuuntur. Quin etiam à Gentilibus ſub nomine Saturni, (qui princeps Deus, cum Abrahamus princeps Dei Gen. 23. 6. fuerit) colebatur, qui filium ſuum unigenitum Jeud (cognomen Iſaci Gen. 22. 2.) ex nympha Anobreth (ex gratia concipiens) natum mactarit. Porphyr. de Jud. Joſephus ſummopere etiam laudat, & *Saram divino inſtinctu motam* Abrahamo Hagarem ſuppeditaſſe, uti & Philo Judæus hoc ceu reliquarum ipſius laudum illuſtriſſimum ſpecimen laudat. Unus inſtar omnium ut nihil dicam de Theodoreto & Ambroſio, eſt Auguſtinus, qui ob omni affinitate criminis l. XVI. de Civ. c. 25. abſolvit: *quod autem attinet ad rem geſtam, nullo modo eſt inurendum de hac concubina crimen Abrahæ. Uſus eſt ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem nec inſultans, ſed po-*

potius obediens conjugi, quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fœcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret ſuum; & eo jure, quod dicit Apoſtolus, ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex ſeipſa. Nulla eſt hic cupido laſciviæ, nulla nequitiæ turpitudo, Ab uxore cauſa prolis ancilla marito traditur, à marito cauſa prolis accipitur, ab utroque non culpæ luxus, ſed naturæ fructus exquiritur. O virum viriliter utentem fœminis, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter. Epiphanius; Abrahamum, ait non διὰ λυχνείαν τῇ ἐπιθυμίᾳ ſed uxoris precibus hoc dediſſe, præſertim ὅτε τῆς φύσεως οὔτε νόμου τινὸς ἐγγράφου τηνικαῦτα τὴν πολυγαμίαν κωλύοντος. & hoc factum eſſe οὐχ ἵνα τῇ ἡδυπαθείᾳ δουλεύσῃ, ἀλλ' ὅπως αὐτὸς μὲν φύσει αὐτὴ δὲ θέσει κληθῶσι γεννήτορες.

1. *In c. 17. Gen. Abraham* fœdere cum Deo ſancito mandatum accepit, ut ſe & totam familiam maſculinam circumcideret. *Herodotus* quidem ἀπ' ἀρχῆς attribuit Ægyptiis hunc ritum, alii Saturno tribuunt apud *Euſeb. Præp. Ev. l.* 1. ſed Abrahamus fuit omnium primus, qui fuit circumciſus, & ab hoc didicêrunt non tantum Edomæi & Iſmaelitæ, ſiquidem Iſmael in domo Abrahami, & Edam ſive Eſau in domo Iſaaci fuêre circumciſi, ſed & Ægyptii, & ab his habuerunt Troglodita aliique. vid. *Queſtorp. Annot. in N. T. p.* 701. *& Comm. in Eph.* 2. 2. qui an veram circumciſionem habuerint diſquirit *Dietr. Anal. p. l. p.* 127. *& p.* 130. docet contra *Pontificios*, quod *non* ſit *legis naturæ ſacramentum*, ſed Abrahamicum & contra *Manichæos*, quod non ſit inutile aliquod & malum, atque obſcœnus character quando luſtrico die infantis præputium (κροτααθία, ſive ἀκροβυστία, Heſychio τὸ ἄκρον τοῦ αἰδοίου *extremum pudendi*, Celſo *ſumma cutis*) oſſeo cultello vel Petrino, Chaldæo Paraphraſti *ſcalpella acutâ* abſcinditur. vid. *Danh. μυστήριον. p.* 403. multò minus eſt homicidium in quinto præcepto prohibitum. vid. *Voët. Diſp. Sel.* 2. *p.* 114. ſed ſacramentum V. T. in fidei juſtitiæque ſignaculum inſtitutum non tantum, ut eſſet ſignum earum rerum quæ ſacramento N. T. baptiſmo puta efficiendæ erant, uti habetur in *Catech. Rom. c. de ſacr.* (Sic. Concil Florent. hanc dat Armenis inſtructionem, *Antiquæ legis ſacramenta non cauſabant gratiam, ſed ſolum eam per paſſionem Chriſti dandam figurabant, ſed noſtra & continent gratiam & conferunt.*) Neque ita comparatum, ut in eo ſit fides & devotio, ceu actus obedientiæ requiſitus, cujus virtute & ita per modum meriti fideles tunc non tàm per ſacramenta, quam in uſu ſacramentorum acciperent gratiam. *Greg. de Valent. T.* 4. *d.* 3. *q.* 3. ſed in hoc cum ſacramentis N. T. convenit, quod fuerit medium & organum, quo mediante beneficia Euangelica à Deo oblata & collata fuerint. Non negamus quidem inter V. & N. T. ſacramenta eſſe diſcrimen aliquod, illudque conſiſtere 1. in ritibus externis. Aliis enim ritibus juxta Auguſtinum *res annuntiari debuerunt completæ, aliis res adhuc complendæ prænuntiari.* 2. In modificatione objecti promiſſi. Sacramenta enim V. T. etſi exhibebant virtutem incarnationis & redemtionis Chriſti, tamen non ipſum Chriſtum exhibebant, ſed præfigurabant & prænuntiabant futurum. Non enim tantum media exhibendi gratiam erant, ſed etiam typi ac umbræ Meſſiæ. Sacramenta vero N. T. quia non typi, nec umbræ ſunt, ideo cum virtute etiam ipſum Chriſtum & redemtionem factam offerunt atque exhibent. 3. in gradu revelationis. Sicuti enim modus revelationis in N. T. illuſtrior eſt, lux fidei major & menſura gratiæ uberior, ita etiam per ſacramenta N. T. gratia Chriſti luculentius, plenius, perfectius & uberius omnino diſpenſata eſt credentibus. Quod etiam defuit ipſi circumciſioni, quæ fuit fœdus & ſignum fœde-

deris, *Diatr. Anal. Euang.* 1. *p.* 22. *conſerens gratiam, Hunn de Sacre Hulſem. Manual. p.* 453. *Schlevoet. de Proſelyt. d.* 2. (etiam fœminis, quæ etiam fuêre in fœdere, ſed non in ſigno fœderis *Few. faſc.* 2 *Controv. p.* 200.) uſurpatum apud Judæos etiam in mortuis, quos circumcidebant, ſed ſine precibus *Buxt. Synag.* & *Smid. de Circumciſ.* nos hodiè non obligans *Diatr. Anal. Eu.* 1. *p.* 129. uti nec Judæis amplius prodeſt. *Diatr. Anal. Ev. l. p.* 128. *Wilh. Lyſeri Poſtill. Catech Feſt. Circumc. Georg. Abbatii. Explic.* 6. *QQ. q.* 2. ſiquidem circumciſio olim in V.T. quidem neceſſaria, ſub initium N.T. adjaphora, hodie vero noxia. *Baldw. in Ep. Paul. p.* 785. Nihilominus tamen hactenus hunc fœderis ritum adeò religioſe & exacte obſervarunt ſemper circumſecti & recutiti verpæ, ut bella ſæpè moverint contra Imperatores, quod interdicerent ſcindere inguinis oram, vetarenturque mutilare genitalia & præputia demetere. Non vero Deus ideo præcepit Abrahamo ejuſque poſteris circumciſionem, *ut illa pars, quæ in Adamo* juxta Beverl. de Pecc. Orig. p. 72. *peccaverat, & per quod transfunditur originale peccatum, eſſet in fæderis ſignum.* Neque enim peccatum Originale transfunditur, neque migrat de ſubjecto ad aliud, cum ſit privatio & non ens, fereque nihil, accurate loquendo, poſitivi in ſe continet, ſed homo generatur ea ſanctitate deſtitutus, quam ipſe in Adamo dilapidavit, in ea vero parte Deus ſignum fieri voluit, non quod ea pars in Adamo per novam fictionem Beverlandianam peccaſſet, & Adami peccatum nil aliud fuiſſet, quàm ſcortatio aut commixtio illa, ſed uti Deus ipſe dilucide exponit, dicens: *ero tuus & ſeminis tui Deus*, ut eâ parte, quâ homo procreatur, ſignum extaret. Quod nato Meſſia expiravit. Quà propter etiam *Abrahamus* ſeipſum grandævum, ſemen tamen, in quo benedicendæ eſſent omnes gentes adeptum circumcidit, uti in *Britannia adhuc* reperiuntur, qui ſeipſos baptizant, unde *Sebaptiſtæ* dicuntur de quibus vid. *Honor. Reggius de Stat. Eccleſ. in Brit.* Quod tamen *Jus Canonicum l* 2. *tit.* 3. §. 5. prohibet, & de *Judæo*, qui in mortis articulo conſtitutus in aquam ſeipſum immergendo dixerat. *Ego me baptizo in nomine Patris & filii & Spiritus Sancti*, *reſponſum ſapientum* affert, *denuo ab alio illum baptizandum eſſe*, ut oſtendatur, quod alius ſit, qui baptizatur, alius qui baptizet, uti in generatione carnali alius eſt, qui gignit, alius, qui gignitur. Verum enim vero, ſi hæc ratio eſſet alicujus momenti, nemo etiam ſibi ipſi ſacram cænam, quod tamen videmus iu Marianis pariter & orthodoxis Eccleſiis, adminiſtrare deberet. Agens & patiens bene poſſunt eſſe, diverſo tamen reſpectu, in uno ſubjecto. Chriſtus ſeipſum reſuſcitat, offert in ara crucis, quilibet fidelis ſeipſum mortificat. Abraham ſeipſum circumcidebat. Nunc verò baptiſmus in locum circumciſionis ſubſtitutus eſt. Si *Abraham non peccavit* in hoc, *nec Sebaptiſtæ* aut quicunque alius, *peccabunt*, quanquam non privatio, ſed contemtus damnet, & ſola fides nos juſtificet, quâ ſi ſumus prædi ti juxta illud (*crede & manducaſti, & baptizatus es*) ſalvamur, ſi vel maxime ſacramentis non poſſemus uti, ubi multi in Ægypto incircumciſi mortui ſunt, nec tamen damnantur. Ubi quæri poſſet, *an etiam quis ſeipſum copulare poſſit*, cum conjugium non ſit ſacramentum, neque copulatio ſacerdotalis in ſcripturâ mandata; uti quidem ſacramentorum adminiſtratio, adeoque tàm neceſſaria non ſit *benedictio ſacerdotalis*, ac illa: & annon huc etiam referri poſſit ille Canon vulgaris, in jure niſi vehementer fallor, reperiundus: *cum Clericus ſolus cum virgine agit, præſumitur benedicere.* Memini certe, me audiviſſe in *Curlandiâ* à Generoſiſſimo & Nobiliſſimo *Sacco* Conſiliario Provinciali quod in ipſius prædio tempore Reformationis fuerit Paſtor, qui primus omnium Paſtorum Curlandicorum, uxorem duxit, & quia nullus aderat ex Miniſtris Eccleſiæ qui ipſi benedicere vellet, *ſibi ipſi benedictionem ſacerdotalem more ſolito* in præſentiâ Magnifici Sacci atavi modo laudati Excellentiſſimi & in omni literaturâ verſatiſſimi Abnepotis *impertitus fuit*, adeò ut hujus Paſtoris conjugium poſteà ſemper ratum & legitimum habitum fuerit, non minus ac circumciſio Abrahami, quam Patriarcha recepit, & à ſeipſo in nomine Domini plenâ fi-

de

de præditus incepit. Quod ſi Polygamus aliquis, quicunque demum fuerit, ſequeretur, etiam in nomine Domini, contra verbum Dei non peccaret, ſi Magiſtratus gratiâ & favore tegeretur, nullum ſcandalum niſi acceptum ex ignorantiâ profectum, præberet. Huc quadrat, quod *Buſenbaum Medull. Theol. Mor. p. 34. ex Sanchez, Dian. p. 8. t. 3. R. 16. contra Suarezium* defendit, quod habens poteſtatem generalem diſpenſandi poſſit etiam ſecum diſpenſare directè & immediatè. Ita qui habet generalem poteſtatem baptizandi, communicandi, copulandi, poſſit etiam ſeipſum &c. Cœterum, quod pene oblitus eram in Thalmudis gloſſa tr. de Idolatr. f. 26. p. 2. traditur, Samaritanos circumcidere infantes ſuos in nomine Columbæ, quam certo ritu colunt, inventam olim in monte Garizim. vid. *Druſ. Obſerv.* 13. *c.* 24. ſed de hac fortean infrà cum de puerperarum impuritate ex *Philone de circum. Auguſt. de C.D. l.* 16. *c.* 27. *Lact. l.* 4. *c.* 17. *Gemaro ad Luc.* 2. 21. *& Origene contra Celſum* agemus.

2. *Patriarchas Polygamos à peccato abſolverent.* In eo etiam totus eſt Megalander Lutherus, ut ſupra de Lamecho audivimus; & poſteà de Jacobo audiemus, Notantiſſima verò ſunt verba quæ de Abrahamo nobis reliquit Tom. 4. Jen. Germ. m. c. 16. Gen. ubi infit: Hier were auch zu reden von den ſtuck: ob ein Mann mehr als een Weib haben möge; Es iſt genug geſagt / was geſchehen und beſchrieben iſt / muß man laſſen bleiben als Gottes geſchicht / gebieret niemand ſolche Hiſtorien zu ſtraffen / darumb muß Abraham hierin nicht geſündigt haben (N B.) Weiter haben wir gehört / daß Abraham ein rechter ja volkommener Chriſt geweſen aufs aller Euangeliſchte gelebit / im Geiſt Gottes und Glauben. Darumb müſſen wir ſein leben alſo laſſen gehen / daß es ein exempel ſey darnach zu thun / woſichs begeben in ſolchen Glauben. (Und nicht aus der luſtenſeuche / ſondern Kinder zu zeugen kann man es wohl nachthun) fragt man un Weiber / weil es verbatem / das er mehr als ein Weib hebe / wie wollen wir ihn denn verantworten / das er kein Chriſt blieben ſey. Zum erſten wenn man wil einfaltig davon reden / ſpricht man alſo; Es ſey durchs Euangelium aufgeheben / wenn Chriſtus ſpricht in Mattheo: im anfang war es nicht alſo / und Paulus: Ein jeglicher habe ſein eigen Weib / und ein jede ihren Mann / daß Man möcht ſagen / Abraham hat etliche euſerliche Werck gethan die nun aufgehaben. Aber das wird nicht genug ſeyn / wir müſſen uns ſo verwahren / das es redlich (cum fundamento) verantwort ſey. Denn das iſt wahr / das alles / ſo wir finden von den Vätern euſerlich gethan / frey ſeyn ſall / nicht verboten / ſo muß auch nebens andern Exempeln der Väter mitgehn / das ſie viel Weiber genommen / das es auch frey geweſen / und ſumma ſummarum / Abraham hats ſo weit nicht geführt als die andern Patriarchen / nimbt die Magd nicht eh / denn es ihn ſein Weib helfſet / undt bittet. Ander Exempel werden weiter dringen (da es die Weiber nicht geheiſſen / noch die Männer darumb gebeten haben) des könt noch wohl ſo hingehn als ein ſonderlichs vor andern Vätern. &c. ſo ſag ich nun und ſchlieſſe / wo nicht Chriſten / ſondern Heidniſche Leute

ſind / wolt ich noch / das man den geſetz nachthete von Scheiden / das einer ein Weib möchte von ſich thun / und ein ander nehmen. Chriſtus hat es ja aufgehaben / ſagt alſo in Matth. Moſes hat euch erläubet zu ſcheiden von eurem Weibern um eures hertzer härtigkeyt willen / von anbegin war es nicht alſo / ich ſag aber euch: wer ſich von ſeinen Weibe ſcheidet es ſey denn umb der Hurerey willen/und Freyet ein ander / der bricht die Eh. Desgleichen: Paulus den Ehlichen gebiet nicht ich / ſondern der Herr / das daß Weib ſich nicht ſcheiden laſſe von den Manne / ſo ſie ſich aber ſcheiden läſt / das ſie ohn Eh. bleib / oder ſich wieder verſöhne mit ihm / und das der Mann das Weib nicht von ſich laſſe. Aber die Chriſtum nicht hören / were noch wohl ſo gut / das Moſis Geſetz gieng von ſcheiden / eh man das leiden müſte / das Eh-Leute keine gute ſtunde hätten / aber dabey müſte man ihnen ſagen / das ſie nimmer Chriſten / ſondern in Heydniſchen Regiment weren / biſtu aber ein Chriſt / muſtu dich nicht ſcheiden / aber nicht verbohten / (NB. NB. NB. divortium eſt prohibitum non Polygamia) das ein Mann mehr als ein Weib haben dürfte / ich künte es noch heute nicht wehren (aus Gottes Wort / noch ſtraffen) allein rathen wolt ichs nicht / (man räth einem nicht gern zu einer / weil Ehſtand Wehſtand! und ſind ſelten alle beyde theit damit zu Frieden / geräth es übel / gibt man den Rathgeber die ſchuld / wie Adam zu Gott ſagte: das Weib das du mihr zugeſetz / denn da mit bleibt gleichwohl nach / das man ſich nicht ſcheiden ſoll ſondern ſeinen Weibe anhangen / darumb dingen die vorigen ſprücke ſolches nicht (Matth. 19. 1 Cor. 7. ſo oben angezogen / verbieten nicht die viel Weiberen ſondern die ſcheidung) doch wolt ichs / nicht auftringen / ſondern darumb ſag ichs wenn es zur ſchärfe käme / das man recht wüſte zu antworten / das man die Väter nicht verweeſe / als hätte ſich es nicht geziemet / zu thun wie die Manecheer ſagten.

Quæ verba Germanica ipſius Lutheri, quia nervoſiora ſunt, volui in illa ipsâ, quâ nobis illa reliquit, linguâ Germanica hic inſerere, ne tamen exteri Germanicæ ignari linguæ habeant, quod conquerantur, in gratiam illorum jure civitatis Romanæ donabo atque in Latinum traducam ſermonem, quanquam neſciam, an quæ in receſſu ſunt, acumina aſſequi, atque nervos ac idiotiſmos maternæ linguæ tam commode exprimere poſſim. Poſſent autem hoc pacto fortean exponi: Hic etiam dicendum eſſet de hac materiâ, *an vir poſſet plures unâ ducere uxores? Satis dictum eſt de eo, quod factum* & deſcriptum eſt, inter divina oracula meritò numerandum uti *neminem* etiam *decet has reprehendere hiſtorias*, unde non poteſt non firmiter exinde colligi, quod *Abrahamus hâc in re non peccarit*. Sicuti etiam porro percepimus, quod *Abraham fuerit verus, genuinus & perfectus Chriſtianus*, qui Euangeliciſſime ut ita dicam, vixerit, atque ſpiritu Dei ductus, fideque ornatus incomparabili ſuam traduxerit vitam. Ea propter *vita ejus* tantum valere debet apud nos, ut *ſit in exemplum imitationis* (etiam vita Polygamica, ſi non ex laſcivia, ſed generandorum liberorum cauſa ex fide, uti Abrahamus tranſigatur) *præſertim ſi fiat ex fide, uti Patriarcha nobis praire voluit*. Quæritur autem ulterius, quia prohibitum (objectio) plures ducere uxores, quomodo ipſum à

Peccato abſolvemus, & demonſtrabimus, manſiſſe nihilominus Chriſtianum. Primum (Reſp.) hæc eſt communis & vulgaris ſimplicium hominum (qui rem non adeò accuratè penſitant) opinio, quod per Euangelium ſit abrogatum plures ducere uxores, eum Chtiſtus inquit, *ab initio non erat ſic:* & Paulus: *quilibet habeat uxorem ſuam & qualibet ſuum maritum.* Ut dicere quis poſſit, quod Abraham aliqua opera externa fecerit, quæ nunc abolita, Sed *hoc non ſufficiet.* (Hactenus communis reſponſio, jam ſequitur vera & ſolida.) *Sed opus erit, ut in noſtrâ cauſa aſſerendâ eam adhibeamus curam, quo fundamentalis haberi poſſit reſponſio. Siquidem hoc eſt verum, quod omnia, quæ à Patriarchis externe patrata, fuerint libera & non prohibita; atque idcirco non poteſt non conſequi, inter alia etiam in hoc quod plures duxerint exempla Patriarcharum aliquid valere, & hoc probare, quod etiam fuerit libera Polygamia; & ſumma ſummarum Abraham eo non pervenit, quo reliqui Patriarchæ dum ancillam non in matrimonium recipit, priuſquam Sara uxor ejus ipſi hoc ſuppeditat, & precibus ab eo impetrat. Cætera exempla ulterius procedent. Hoc itaque ceu ſingulare factum præ aliis valere poſſet, Quapropter hæc mea mens eſt, atque ita firmiter concludo, quod, ubi non ſunt Chriſtiani* (reſpondet, quod dicta contra Polygamiam allegata ſupra, Matth. 19. 1 Cor. 7. hoc non probent ſed de divortio loquantur) *ſed ethnici adhuc optarent, ut lex Moſis de divortio hodienum valeret, atque licitum eſſet, ſe ab uxore ſuâ ſeparare, & aliam ducere.* Sed Chriſtus hoc abrogavit Matth. 19. dum ita loquitur in Matthæo: *Moſes vobis permiſit divortium ob duritiem cordis veſtri,* ab initio vero non erat ſic. Ego autem dico vobis, *ſi quis ſe ſeparat ab uxore ſua, excepta cauſa adulterii & ducit aliam mœchatur, & Paulus conjugatis non ego dico, ſed Dominus hoc mandat, ne uxor ſe ſeparari patiatur à marito ſuo, ſi vero divortium patiatur, ut maneat extra conjugium, aut ipſi reconcilietur; & ut maritus uxorem non dimittat.* Qui verò Chriſtum non audiunt, iis adhuc conduceret, ut Moſis lex in uſu eſſet de divortio, antequam perferendum eſſet, quod conjuges viverent in perpetua diſcordia & rancore. Sed tn hoc ipſis illud eſſet inculcandum, quod non eſſent Chriſtiani, ſed ſub legibus & dominio Ethnicorum. *Si vero Chriſtianus eſſe velis, divortium non eſt faciendum, ſed contra non eſt prohibitum, plures ducere uxores, nec ego hodie impedire* (& ex ſcriptura ſacra interdicere) *poſſem, ſed & nulli hoc vellem ſuadere* (ſiquidem conjugium eſt miſerabilis ſtatus, & ſi non ex voto procedit in conſultorem omnis culpa rejicitur, exemplo Adami dicentis ad Deum; *uxor, quam mihi aſſociaſti,* quaſi Deo culpam aſſignaret) *nihilominus tamen remanet, divortium non eſſe faciendum, ſed uxori adhærendum. Quocirca dicta* (Matth. 19. 1 Cor. 7.) ante citata, *hoc convincunt,* (ad quod probandum adducuntur) attamen nollem introducere. Sed ideò dico, ſi res in contentionem veniret, ut ſolide poſſit reſponderi, *ne Patres damnentur ob Polygamiam,* ut Manichæi fecerunt. Hæc ſunt verba ipſiſſima Lutheri, ex quibus docemur, quod Polygamia ſimultanea adhuc hodie ſit libera dum ait, Abrahamum in hoc non peccaſſe, ſed ejus exemplum Polygamicum nulli reprehenſioni obnoxium, quin potius eſſe exemplum, quod ſequendum, & in imitationem trahendum; hâc tamen cautela additâ, ut in fide ob generationem liberorum & non ob libidinem Polygamia inſtituatur. Deinde reſpondet ad objectionem Dicat aliquis vult inferre, eſſe illam Polygamiam prohibitam Chriſtianis, Abrahamum verò fuiſſe optimum Chriſtianum, quæ ut conciliet, reſpondet primum populariter & vulgariter ſecundum illorum mentem qui putant in V.T. fuiſſe licitam ſed à Chriſto & Apoſtolis in N. T. prohibitam, ſed deinde *ſolide reſpondet,* & dicit *priorem reſponſionem ceu inſufficientem nec adverſario* ſatisfacere adeoque ſolidiorem affert, quod in V. & N. T. ſit adjaphora & libera Polygamia, dictaque illa in contrarium allata Matth. 19. & 1 Cor. 7. de Polygamia non loqui ſed ſolidè probare divortium in N. T. eſſe prohibitum, nec eſſe Chriſtianos ſed ethnicos, qui eo utantur; *Polygamiam vero Chriſtianis in N. T.* ait Lutherus, *non eſſe interdictam,* nec ſe poſſe hoc ex ſcriptura ſacrâ ejusque dictis inhibere,

adeoque ſequi, nec Patriarchas, uti quidem Manichæi ſtatuebant, nec nos ob plures uxores ſimul ductas reprehenſioni obnoxios. Quid clarius dici poſſet, ut non ſatis poſſim mirari malitiam vindicatoris Legis Monogamicæ, Utopicæ potius cyclopicæ etiam & Chimæricæ, qui in ſuis Vindiciis *ſtudio & dedita opera verbis Lutheri tam claris atque perſpicuis tenebras offundere*, & præcipuè illa, de ſimplicium & vulgarium hominum qui ἀῤῥωςίᾳ mentis ſæpè laborant, inſufficienti & minus ſolida reſponſione, *de induſtria pervertere ſatagit.* Quod cum Chriſtianum non deceat, ut ejusmodi verſutiis & calumniis, uti ICTI Pſeudermenias legum vocant, utatur, non dignus, ut à Chriſtiano illius cavillationibus reſpondeatur. Putasne, Chriſtianam juventutem ſub tanto Doctore in pietate & virtutibus profectus aliquos facere poſſe, Præceptor ille in hiſtoriis decantatiſſimus, qui pueros ſibi concreditos hoſti tradere volebat, peſſime excipiebatur. Quid merebitur ille, qui non corpora, ſed animos, non Ethicæ, ſed Chriſtianæ juventutis nefandiſſimo & malitioſiſſimo exemplo Diabolo prodit atque immolat. Merito exclamandum cum illo Eccleſiæ Doctore atque dicendum:

O Deus, in qua tempora nos reſervaſti.

3. *Angelus.* Angelos in aſſumtis & unitis *non hypoſtatice quidem, nec perichoriſtice, ſed parachoriſtice & aſſiſtitive* (quæ aſſiſtentia in motu & repræſentatione conſiſtebat, *Danh. Hodoſ.* 202.) corporibus ſæpe apparuiſſe & apparere poſſe ſupra th. 42. præcedente not 4. audivimus. Hodiè verò in N. T. tàm frequentes non eſſe angelorum apparitiones ob adventum angeli fœderis, qui apparuit in vera, non ad tempus, ſed in perpetuum aſſumtâ humanâ figurâ, & omnia ſcitu & creditu neceſſaria revelavit, infallibiliter ex *Hebr. l.* 1. edocti ſcimus atque confitemur. vid. *Bucanus l.* 6. *q.* 33. *Danh. Hodoſ.* 183. Angelum vero qui Patriarchis, Abrahamo, Jacobo præſertim *Gen.* 48. 16. aliisque ut Gideoni, Manoæ, apparuit, Noſtrates communiter ſtatuunt, fuiſſe *angelum increatum, Filium Dei, angelum ſc. fœderis, angelum faciei, & magni conſilii Eſ.* 64. 1. 2. 3. uti hoc ſolidè deducit *Scharfius in diſp. de Angelo Facie, Jehovæ,* & in *Coll. Anti C. exerc.* 14. *q.* 2. *p.* 215. & contra Photinianos, *Enjedinum* præcipue in *Explic. Loc. V. & N. T. p.* 39. clare demonſtrat *Brochm. t.* 1. *Syſt. p.* 234. Cœterum Doctores Judaici apud *Maimon. Doct. Perpl. p.* 74. ſtatuunt, angelos bonos apparere tantum *ſub forma animalis rationalis* non verò irrationalis, & ſi ſic quidem, *ſub formâ ſolarum alarum,* (ob velocitatem veluti Aug. c. 3. de divin; Dæmonas non tantum curſus quorumlibet corporum vel ferarum, ſed & volatum avium incomparabiliter vincere ſtatuit. E. & ſolis & ſtellarum fixarum celeritatem) ut nihil præterea membrorum irrationalium aſſumant. Quod vero ſubdit, *Deo nuſpiam volatum tribui*, expreſſe eſt contra 2 Sam. 22. 2. cum dicitur: *Deus inſidet Cherubinis & volat.* ille quidem τὸ volat de Cherubinis non de Deo explicat. Verum, de quo dicitur, *& equitavit & viſus eſt*, de eo & *volant* exponendum. Ubi & vide quid reſpondeat ad *Ez. l.* 5. ubi ſub figura bovis, leonis apparent. Statuunt inſuper Judæi, uti ap *Maim. l. c.* legere eſt, *angelos* etiam *ſub mulierum forma* apparere, ex Zach. 5. 9. ſed cum hanc ſententiam *Kimeli* ſuper Zachariam & Bereſchith Rabba Maimonidi tribuiſſet, *Abarbenel* ſuper hunc locum refutans Kimechium ſubtiliter diſtinguit inter *objectum intellectuale & objectum phantaſiæ*, dicens iſtam formam apparentem non fuiſſe objectum intellectuale, ſed tantum objectum phantaſiæ; ubi hoc innuit, quod propheta Zacharias non intellexerit ſpeciem muliebrem, ita ut quaſi extra intellectum fuiſſet, ſed ipſius phantaſiam ita fuiſſe alteratam à gradu prophetiæ, ut finxerit talem ſpeciem, quæ tamen extra ipſum nullibi exiſteret, idque dicit Maimonidem & Rabbinos tantum intelligere. Et ſane verba *Maimonidis* hæc ſunt; *Rabbini aperte teſtantur, angelos non eſſe materiales, neque conſtantem habere figuram extra intellectum, ſed omnia tantum fieri in viſionibus propheticis & in imaginatione.* Porro ſi angeli fuerunt, non fuerunt angeli boni apud Zachariam, ut ex textu patet, cum falſis prophetis annumerentur, & æquiparentur. Si fuerunt angeli,

fuerunt mali, quos etiam & Deum mittere & in forma mulierum apparere certum. De Angelis alias vid. *Stuckius pec. tr. in 40. Tigur.* 1597. *Hacſpan. diſp. de Angel. Gieſſenſ. t.* 1. *d.* 1. *Kloſius. Glaſenius in Theol. Not. Scheibl. in Metaph. Polan l.* 5. *c.* 2. *Kek. Syſt. l.* 1. *c.* 7. *Alſted. Lex. c.* 4. *p.* 163. *Bucan. l.* 6. *q.* 13. 14. *Gerh.* 2. *p.* 22. *Theodor. ſerm.* 3. *de Curash Caſin. Angelogr. Beſold. de angel. Andr. Victorellus de angel.*

4. *Abrahamus in ſummo æſtimio.* Nomen ſanctiſſimi hujus Patriarchæ ipſis etiam Turcis venerabile, unde & nuperus Turcarum Imperator *Sultan Ibrahim* appellari voluit, & multa facta Heroica de ipſo referunt Mahummetani. Primum enim tradunt ipſius *nativitatem* fuiſſe miraculoſam, *Keſſ. p.* 80. 81. vitam primam quidem fuiſſe idololatricam, *Alcor. p.*79. mox tamen idolorum cultui, in meliorem mentem datum, valedixiſſe, verumque Deum, ut ab idololatria immunis cum ſuis conſervaretur, rogaſſe *p.* 143. Patris Therachi idola fregiſſe, & patrem ipſum Idololatriæ, impii Nimrodi juſſu inſtitutæ, deditum, ejusque propagationi fervide addictum, reprehendiſſe, officiique monuiſſe, *Alcor. p.* 168. 179. 202. 276. aliis idola empturis à Patre, (quem volunt fuiſſe virum in Mechanicis & Geometricis peritum) errorem ὀφθαλμοφανῶς monſtraſſe, ſtatuarum ἀνδρῶν fractura, cum Nimrodo de Unitate Dei & mortuorum reſurrectione acriter diſceptaſſe, *Sur.* 2. *Keſſ. p.* 82. inſignem etiam & celebrem eum fuiſſe aſtronomum *Alcor. p.* 251. igni eum fuiſſe adjudicatum. vid. *Hotting. de Heplopl. Pariſ.* 3. relicta patria Meccam eum conceſſiſſe, ibique templi Meccani prima fundamenta poſuiſſe, *Keß.* 44. *Alcor. p.* 143. 219. ipſum angelos hoſpitio excepiſſe. *Alcor. p.* 145. 125. 220. Adeo ſcilicet ab ipſis laudatus, ut in *Alcor. Surat.* 19. *p.* 168. de eo ſcribant: *Abraham utique fuit verus Propheta.* Et in *Keßæo* p. 45. dicitur *Pater prophetarum omnium*, uti & alias p. 57. vocantur *Amicus Dei, Gentis Judaicæ & Mahumetanæ pater*, Maimon. More Nev. l. 2. c. 29. R. Abr. Salmon. in Juch. p. 135. unde & locum ædium Abrahamiticarum in Chaldæa honorant, illucque adorandum veniunt *Benjamin Tudel. Itin. p.* 60.

5. *Natum mactarit* Tanta pietate & *obedientia*, erga Deum *Abrahamus* fuit præditus, ut ſuum unicum morigeratiſſimum, in ſenectute utriuſque parentis ex oculiſſima uxore Sara genitum mactare non ſubterfugerit. Sicuti hanc ineffabilem obedientiam ſummis laudibus evehunt *Caſp. Sibelius de Sacrif. Abrah & Meſtreſatius de mactatione Iſaaci.* Extollant Mariani obedientiam illam cœcam, quando illa tria vota caſtitatis puta, obedientiæ, & paupertatis plenis buccis deprædicant, quibus Jeſuitæ quartum miſſionis ſcilicet (ut currus quarta rota ne deſtituatur) adjungunt, ubi illis promittendum, quod ſine ulla contradictione, etiam abſque viatico ad nutum ſuperiorum miſſionem ſive in Indiam, ſive in Japoniam aut alium mundi locum ad infideles pariter & fideles, ſi modo in Romanæ ſedis commodum vergat, utraque manu ſint exoſculaturi. *Conſtit. Soc. Jeſ. p.* 6. *c.* 1. §. 5. & *Conſtit. Jeſuit. part.* 7. *p.* 206. §. 1. *ſequ.* Verum enim vero de iſtis votis jamdudum pia antiquitas ſuam mentem aperuit, quando ad inſtar proverbii de clericis hujuſmodi pronuntiavit, qnod ſint *pauperes ſine defectu, obedientes non ſine deſpectu, & caſti non ſine affectu.* Et natum eſt aliud dicterium: *Caſtitas in delitiis, humilitas in divitiis, veritas in multiloquio inveniuntur rarò.* Non erubeſcunt quidem mundo perſuadere, quod quando primum profeſſi ſint ordinem, quaſi de novo baptizentur, atque puriſſimi nec non inocentiſſimi, veluti infantes, deveniant, adeo ut propter illam ſanctitatem novam peſſimi ſæpe & perditiſſimi in totum immutentur & mereantur, ut unus *Pater Angelus*, alter *Pater Archangelus*, tertius *Pater Spiritus*, quintus *Pater Cherubim*, ſextus *Pater Seraphim* &c. nominentur, atque hoc ipſo inaudita ipſorum ſanctitas toti mundo manifeſtetur. *Petr. Molin. in tr. ſub titulo Capucini* edito *c.* 10. *p.* 32. Unde & Monachatus *ſecundum baptiſma* vocatur *Henr. Sedulio in Apolog. p.* 110. Nec deſunt exempla, ex quibus obedientia ipſorum ad miraculum uſque ſtupenda apparet, Ita narrant de fratre laico

co *Mengoſo, coque in monaſterio Ciſtercienſi,* quod ob pedem ſecuri læſum mortem obierit, non obſtante, quod *Abbas* peregre abiturus, ipſi in agone conſtituto dixerit, *ne moreretur,* uſque dum poſt aliquos dies ex capitulo rediret, nihilominus iſte bonus ſocius moritur, Abbas rediens, cum reperiret mortuum, dixit ad illum: *Nonne tibi expreſſe prohibui, ne morereris. Quo animo itaque ceu inobedientiſſimus frater auſus fuiſti mortem oppetere?* Serio igitur tibi injungo, ut rationem reddas. Mengoſus extemplo è mortuis ſurgit, & conqueritur de revocatione animæ ex æternis gaudiis, narrans, quo pacto Monachorum veſtimenta in cœlis inſtar ſolis fulgeant, atque monens Novitium quendam Gerardum; quod ſi ex monaſterio fuga ſe ſubduxerit, mille Diaboli in porta ipſum abducturi expectent. Poſtea abbas iterum ipſi indulget, ut ad Mariam & æterna redeat delectamenta uti hoc ex *Cæſario l. 2. c. 12.* recenſet *Mariæ liber Geneal. 19. Maj. p. 607.* Sic refertur etiam de *Stephano Abbate Grandimontenſi* in Aquitania, qui A. 1076. vixit, quod poſt mortem multa miracula præſtiterit. Sed *Prior* ob nimium populi ad ſepulchrum confluxum tumultum metuens in ſepulchro ipſius conſtitutus abbatem demortuum ita allocutus; *Stephane, Sit tibi hoc à me ſerio imperatum per votum obedientiæ, ut in poſterum nulla amplius præſtes miracula.* Cui etiam illico paruit. *S. Anton. Florent. Archiep. 2. part. hiſt. t. 15. c. 21. Mariæ Lib. Geneal. 21. Mart. p. 364.* Sed has Legendas Lectori remittimus, & obedientiam Abrahami miramur, rimamur, nec non imitamur.

THESIS XLIV.

GEn. 18. v. 12. Narratur, quod Deus in Sara reprehenderit riſum illum infidelem & impertinentem. Quod peccatillum videtur eſſe. Nunquam verò legimus Polygamiam vel in Abrahamo qui cauſa Phyſica vel in Sara, quæ cauſa moralis aut in Hagar, quæ cauſa obedientialis, culpatam. Deus vero eſt juſtiſſimus judex nec poteſt minora improbare; majora vero approbare. Quid ergo aliud hinc ſequitur, quam Polygamiam, quæ vulgo putatur magnum eſſe peccatum, prorſus eſſe nullum? alias Deum injuſtitiæ accuſaremus. Unde ita inferimus:

Qui peccatilla punit, & quæ cenſentur magna peccata non punit, ille peccatilla habet pro veris peccatis, reliqua vero, quæ putantur magna, pro indifferentibus.

Atqui Deus infidelem punit riſum in Sara, qui in comparatione & reſpectu ad Polygamiam quam in Abrahamo nuuquam punivit eſt peccatillum.

E. Deus illa peccatilla habet pro veris peccatis, Polygamiam vero pro indifferenti.

1. *Riſus videtur peccatillum eſſe.* Deus qui ſuos voluit eſſe perfectos, etiam *minima taxavit,* uti paterfamilias plus curæ adhibebit in filio emendando, quàm ſervo. Quemadmodum etiam videmus, Deum in minimis dediſſe leges, uti ſunt, cum *heterogenearum* commixtionem interdixit, *Lev. 19. 19.* Sunt autem *heterogenea quadruplicia* ſecundum Thalmudicos. Nempe commixtio *lanæ & lini in veſtibus. Seminum diverſi generis in eadem agri parte, Animalium generis diverſi ad coitum admiſſio, & demum arborum* ge-

generis diverſi inſitio. Priores binas etiam Noachidis licitas non item poſteriores binas dicit *R. Eliezer in Gem. Babyl.* ad *tit. Sanh. c.* 7. *f.* 59. & *Maimon. Hal Melakim. c.* 10. vid. *R. Bechai in Biur f.* 37. *col.* 4. adde Conſtant. *L'Empereur. tit. Baba. Kama c.* 4. §. 3. *p.* 67. Ubi notanda, quæ *Philo. lib. de Creat. Principis*, habet contra rerum diverſarum ſpecierum commixtionem, veluti naturæ adverſam adeoque à nemine non evitandam. Verba ejus hæc ſunt; *quæ ſub eandem cadunt ſpeciem, in conſociationem nata ſunt, cum interea, quæ diverſæ ſunt invicem ſpeciei, è contra non miſta ſint, nec communione conjuncta, quæ ſi quis conjunctione nefariâ commiſceat, is ſanè Naturæ jus contra juſtitiam* (quantum in ſe eſt) *è medio tollit.* Et *Joſephus Archæol.* 4. *c.* 4. dum legem de Heterogeneis ſacram ſuo more tradit, rationem adjicit, dicens *naturam communionem diſſimilium abhorrere.* Quæ quamvis videantur eſſe parvi momenti, nihilominus tamen placuit divinæ ſapientiæ, ea ſuo interdicere populo. Quo etiam referendum eſt interdictum *de membro animalis viventis*, quo crudelitas immanis in animalia cœtera velatur. Et hoc deſumitur ex *Gen.* 9. 3. 4. qui locus maximè controverſus occaſionem dedit quærendi, an etiam, quia Noachidis ante legem Moſaicam data, hæc lex de non edendo ſanguine obliget Chriſtianos in N. T. præſertim cum *Act.* 15. 28. 29. in primo concilio fuerit repetita. *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Eugubinus* de homicidio intelligunt. *Abulenſis Lyra Carthuſianus* ſanguinem prohibitum de membro vivo ex animali abſciſſo interpretantur. Alii omnem ſanguinem expreſſum ab animali ſive purum ſive conditum intelligunt. Hoc certum eſt quod ſanguinis nomine intelligatur animalis ſanguis lege divina diſerte vetitus, ut loca parallela *Lev.* 7. 27. 28. *c.* 17. 10. 11. 12. 13. 14. *Deut.* 12. 16. 23. 24. oſtendunt & *Joſeph. Arch. l.* 1. *c.* 4. ait, Deum conſtituiſſe homines

Dominos omnium

absque ſanguine, excepto ſanguine,

Nam *in ſanguine eſt anima ſeu vita:* Nam & animam pro vita accipi non raro nemo neſcit, ut cum Juris Doctores ſubinde vocant ultimum ſupplicium *animæ amiſſionem.* Obſervant autem Hebræi quod Deus pœnam eandem dictarit illi, qui ſanguinem comederit, & illi qui infantem Molocho obtulerit. Unde *Maimonides More Nebochim l.* 8. *c.* 46. *Dixit Deus* Ponam faciem meam in comedentem ſanguinem, *eodem modo, quo de illo, qui filium ſuum Molocho immolat, ponam faciem meam in virum illum. Neque occurrit ratio hæc loquendi in tertio aliquo Præcepto, præter iſta duo de idololatria & comeſtione ſanguinis, quia illius comeſtio ad ſpeciem aliquam idololatriæ Dæmonum videlicet cultum anſam & occaſionem præbebat.* Triplex autem genus ſanguinis faciunt Hebræi 1 *ſanguis hominum*, de quo non eſt ſermo. Dein ſanguis mundorum piſcium, locuſtarum; neque de hoc intelligendum, ſiquidem conceſſus. *Tertium Pecorum, ferarum & volucrum mundorum.* Atque horum ſanguinem hâc lege tantum contineri volunt, ut ex locis etiam allegatis, & accuſatione inſtituta contra Judæos, 1 *Sam.* 14. 32. 33. patet. vid. *Selden. de Jur. N. & G. l.* 7. *c.* 1. *p.* 825. Qui hanc legem de membro animalis viventis interpretantur, reſpiciunt ad gentes, quæ idololatriæ cauſa ſæpe ejusmodi patrabant, uti Maimonides More Nebochim *l.* 3. *c.* 48. *quoniam*, inquit, *ita eo ſeculo ſolebant Reges gentium, etiam Idololatriæ cauſâ*, unde eadem pœna, ut audivimus dictata *ita faciebant. Scilicet animali abſcindebant membrum aliquod illudque comedebant.* Et in Europæorum Omophagiis ejusmodi quid adhibitum eſſe, videtur ſubinnuere Arnob. adv. Gent. l. 5. *Bacchanalia prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum eſt, in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac Majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Qua de re etiam nonnulla invenies apud *Clem. Alex. in Protrept. Sext. Empir. in Pyrrh. Hypoth. l.* 3. *c.* 25. Certe Iſraelitis, ceu populo ſancto & ſelecto, Deus prohibuit cum comeſtionem de membro animalis viventis, tum comeſtionem ſanguinis. v. *Rabbi Chananiæ Ben Gamaliel ſeu Gamla Gem. Babyl. l. ad tit. Sanh. c.* 7. *f.* 56. & 59. *à f.* 133. *b.* tum

co-

comeſtionem morticinii *Deut.* 14. 21. vid. *Gloſſ. Thalm. ad tit. Erakim. c.* 7. *f.* 29. *Mahumedes etiam Alcor. Azoar.* 2. 5. 6. *Lat. Cod.* 6, 12. & 16. *Abugiaſar. hiſt. Sarac. l.* 1. *c.* 1. prohibuit *eſum ſanguinis & morticinii, ut & carnem porcinam & carnem ſuffocati, verberibus occiſi*, it. *occiſi caſu, ſeu cornu*, item *carnem ejus, cujus partem aliquam devoraverat fera.* Extra ſcilicet cauſam neceſſitatis, quâ hæc comedere conceſſit, quemadmodum etiam ex receptis apud Hebræos moribus cibi hujuſmodi aliàs interdicti permittebantur militibus, ubi licitos locus non ſuppeditaret. *Maimonides Halach Melakim. c.* 8. Et *Jacobus Bleda Defenſ. Fid. in cauſa Moriſchorum c.* 8. de Mahumedanis, qui olim in Hiſpaniâ; *Moriſchi hujus regni*, inquit, nimirum Valentiæ, *& reliqui Hiſpaniæ non comedunt ſanguinem, carnes ſuffocatas, morticinas nec morſas ab aliquo animali, putantes id peccatum eſſe ob reverentiam ſuæ ſectæ peſſimæ, quæ id vetat in Alcorano, & vocant eas carnes Arabicè Halgarabam i. e. maledictas & prohibitas.* Avicenna tamen ſuperſtitionis Mahumeticæ aliàs tenaciſſimus *Can. l.* 2. *tr. p.* 602. morbis curandis adhiberi poſſe ait ſanguinis eſum & potum. Cœterum cum Noachidis carnis & omnium animalium eſus excepto ſanguine permiſſus, malè exinde & Rabbini & Chriſtiani colligunt, carnis eſum Adæ interdictum, quia fructus terræ ante diluvium meliores. *Joſephus Albo Sepher Ikarim, t.* 3. *c.* 14. *Maimon. halach Makalath Iſuroth. c.* 6. *Abarbenel in Piruſch Thora f.* 46. *col.* 2. & 3. Cui conſona ſunt, quæ in ſcriptis Gentilium de *abſtinentiâ animalium* in ſeculis vetuſtiſſimis occurrunt, quale eſt illud *Phytagoræ apud Ovid.* 15. *Metam.*

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea, nomen,
Foetibus arboreis, & quos humus educat herbis.
Fartunata fuit, nec polluit ora cruore.

vid. *Porphyr.* & *Plut. in Orat. Petr. Caſtell. de uſu Carn.* Videtur autem illius *prohibiti ſanguinis cauſa eſſe triplex*, & quidem *prima Politica*, nempe *crudelitas*, quæ uti in ſe eſt maximum peccatum, ita Deus voluit hoc pacto illius magnitudinem ob oculos ponere, & omnibus modis illam, veluti caritatem proximi maximè lædentem, præcavere. Nullum latere poteſt, quod carnifices puſillanimes ſæpe libant ſanguinem, ut audaciores ad effundendum ſanguinem humanum reddantur. Altera eſt *Phyſica*, quia anima eſt in ſanguine, i. e. ſpiritus & qualitates animales ſunt præcipue & in ſummo gradu in ſanguine. Ne igitur illarum quodammodo fiant participes, & ut ita dicam obbruteſcant, & per Metamorphoſin quandam inſenſibilem, illorum animalium naturam, quæ quaſi concentrata eſt in ſanguine, induant, & ferarum more erga proximum ſe gerant, Deus ceu Prudentiſſimus Legiſlator ſanguinis uſum interdixit. *Tertia Theologica ſeu typica.* Deus ſane abhorret à ſanguinis effuſione, uti videmus in primo homicidio Abelis, nec non in primo peccato Adami, qui prim o die meritus fuiſſet, ut ipſius ſanguis effunderetur: abſtinuit tamen Deus, & ſignum quoque conſtituit in Caino, ne illum quiſquam occideret. Quia vero vi juſtitiæ divinæ neceſſaria erat ob peccatum, ſanguinis effuſio, ordinavit, ut loco totius generis humani, mortem promeriti, Filius ipſius ſanguinem profunderet, cujus profuſionis typus erat ſanguinis animalium, qui ab Iſraëlitis non, ut reliqua caro, comedebatur, ſed coram altari offerebatur, & profundebatur, ad expiationem pro animâ faciendam. Quanquam autem victimæ priſcæ, earumque ſanguis in ſe & ſua natura non habebant vim expiandi peccata, & liberandi ſaltem à mortuis conſcientiæ operibus *Pſ.* 50. 9. *Eſ.* 1. 2. 1 *Sam.* 15. 22. *Hebr.* 10. 4. 11. qui tamen adumbrabant Chriſti ſacrificium, & effuſionem ſanguinis divini, omnino vim habuerunt emundandi à peccatis, uti Paulus expreſſe teſtatur *Hebr.* 9. 13. & *Joh.* 1. 29. vid. *Franz. Schol. Sacrif. d.* 4. & *præf. p.* 10. & *tota diſp.* 6. & *d.* 12. §. 7. 2. *Walth. Harm. p.* 227. *Officin. p.* 865. *Konigs. Windic. Sacr. p.* 167. *Brochm.* 2. *p* 182. 83. *Roſt. de Socin. ſect. p.* 773. *Rappoll. Diſp. de Jeſu typico. Ravanell. Bibl. p.* 735. *Danh. Hodoſ. p.* 596. *Sibel. Catech. l.* 1. *p.* 213. *l.* 2. *p.* 132. 475. *Op. l.* 63. Eam igitur ob cau-

cauſam ſanguinis eſum prohibuit, ut ſemper recordarentur ſanguinis Meſſiani aliquando profundendi. Etſi igitur hæc cauſa ob adventum Meſſiæ non poſſit amplius obtinere, & ſanguis dici typus ſanguinis effundendi, poſſet tamen in memoriam & honorem ſanguinis effuſi abſtineri etiam à Chriſtianis à ſanguinis eſu præſertim, cum hæc lex Noachidis ante legem Moſaicam ceremonialem data, & priores duæ cauſæ, Politica nempe & Phyſica adhuc valeant, præterea etiam in N. T. repetita, & Chriſtianis in primo concilio injuncta. *Act.* 15. 28. non obſtante dicto Paulino *Col.* 2. 16. *Nemo vos judicet ob cibum & potum.* 1. *Tim.* 4. 1. 2. 3. 4. *Spiritus diſertè dicit, fore ut poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à fide jubentes abſtinere à cibis, quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui noverunt veritatem. Nam quicquid condidit Deus, bonum eſt, nec quicquam rejiciendum. ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per verbum & preces. &c.* 1 *Cor.* 8. 4. 7. 8. Hæc quippe dicta ita ſunt explicanda ut, vi Hermeneuticæ ſacræ, reliquis & præſertim primo Concilio, cui ipſe Paulus interfuit, non contrarientur. Quia igitur hunc cibum, nempe ſanguinem, ſcriptura ipſa excipit, nil video cauſæ, cur non ab eo abſtineamus. Atque hæc mea quidem eſt ſententia, quam ſine ullius præjudicio hic inſerere volui. Memor tamen illius dicti:

- - *Si quid noviſti rectius iſtis*
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum

vid. interim *Curcellæus & Heideggerus*, qui ex profeſſo de ſanguinis eſu ſcripſerunt, & nunc haberi non poſſunt, nec ad manus ſunt. conf. & *Auguſt. l.* 23. *contra Fauſt. Danh. Coll. Decal. p.* 351. *Dram. p.* 657. *Brochm. t.* 2. *p.* 208. *Becm. Exerc. Theol. Ex.* 26. *p.* 529. qui prolixe probat, Chriſtianos etiam obligare.

Poſteaquam hæc ſcripſeram, inveni Rabbinos etiam in nonnullis meæ eſſe ſententiæ, & rationes hujus præcepti de non comedendo ſanguine afferre *Phyſicas & Ethicas*; *Phyſicas* quidem primum, eaſque vel *communes* cum interdicto diſcerpto, adipe, &c. quo refertur malignitas temperamenti ſanguinis; vel *proprias*, qualis illa eſt Nachmanidæ, *Conſtare enim*, inquientis, *illud, quod comeditur, migrare in corpus comedentis, ac proinde, ſi homo edat ſanguinem, denſitatem & craſſitiem in anima hominis orituram, quemadmodum anima beſtiæ denſa fuerit & craſſa. b. non convenire, dicit etiam, ut anima devoret animam.* Habere autem beſtias animam, (quam ſapientes, *animam vivam* appellant, ejus beneficio caute eas agere, ne in foveas decidant, aliiſque periculis involvantur) quæ in ſanguine ſedem habeat. Deinde afferunt etiam cauſas *Ethicas.* Homines enim crudum edendo ſanguinem ad ſævitiam facile pertrahi, ſi videlicet is de animantibus vivis deglutiat id, quod commune cum illis habet. Obſervant porro Rabbini illud, quod hac lege non contineatur *ſanguis reptilium, locuſtarum, & hominis*, adeo ut homo, qui ſanguinem è gingivis exuctum abliguriverit; non fiat ex lege reus. Rabbinos autem humanum ſanguinem propterea ſua autoritate interdixiſſe, quod *viſus ab eo abhorreat.* Permittunt etiam ſanguinem piſcium excepto tamen ſanguine piſcium immundorum, juxta canonem Generalem, *cibum provenientem ex immundo immundum eſſe, ſicut reperimus, ſcripturam vetuiſſe ovum ululæ, quia ex immundo prodit.* Deinde diſtinguunt inter *ſanguinem animæ* & *ſanguinem cæterorum membrorum.* De quibus R. Levi p. 59. 6. *Sanguis lege vetitus geminus eſt, alter quidem per pœnam exciſionis, alter per nudam negationem.* Sanguis animæ *prohibetur ſub pœnâ excidii, quia, ſi in lege mentio fit excidii propter ſanguinem,* animæ *vox additur,* quia anima carnis in eo eſt; *qui vero non* animæ, *ſed* membrorum *ſanguis eſt, nudâ negatione prohibetur, de hoc enim ſimpliciter dicitur.* Nullum ſanguinem comedetis. *Propterea explicatè Magiſtri noſtri dicunt; hominem reum fieri excidii propter ſanguinem* qui exeat tempore mactationis, aut narium diſciſſionis, aut capitis amputationis, *quamdiu in illo rubedo conſpicua fuerit. Eandem eſſe rationem* ſanguinis in medio cordis, ſanguinis in phlebotomia, *ebulliendo erumpentis,* (nam & hic ſanguis animæ eſt,

eſt, dum ebullit) *ob quem aliquem reum faciunt. Præciſe autem & ebullientem intelligunt ſanguinem initio & fine phlebotomiæ guttatim diſtillantem, qui ut non eſt ſanguis animæ, ita nec excidii pœnam meretur. Similis ratio eſt* ſanguis, *qui in mactatione, poſtquam ſanguis naturalis effluxit, lentè exprimitur. Sanguinis item membrorum, ut ſanguinis lienis & renum, ſanguinis, qui in teſticulis, ſanguinis, qui tempore mactationis ad cor ſe aggregat, ejuſmodi ſanguinis reatum excidii non conciliat, ſed flagellationem cum tantum de illo ederit, quantum olea eſt. Sanguis à reliquâ carne abſorptus etiam vocatur* ſanguis membrorum. *Quamdiu autem non ſeparatur* (à carne) *licet edere carnem cum ſanguine, quem imbibit; Talis enim ſanguis ut reliqua caro à nobis reputatur, quamdiu à carne non fuerit ſeparatus.* Cœtera pete ex *Talim* Maſſ. Kerith. c. 5. Maim. Hil. Maac. chel. c. 6. Samak. p. 204. 205. *Conſtringit hoc interdictum omni loco & tempore utrumque ſexum. Qui autem illud violaverit, & tantum de ſanguine animæ, elata manu, ederit, quantum eſt olea, reus eſt excidii, ſi per ignorantiam transgreſſus fuerit; affert ſacrificium deſtinatum, ſi vero tantundem de ſanguine membrorum deſtinata malitia ederit, vapulat, ignoranter, impune fert.*

2. *Polygamiam prorſus nullum eſſe peccatum.* Abrahami bigamiam adulterium vocat *autor Perverſi Colloquii*, & tamen liberos ex concubinis natos ſpurios eſſe negat. p. 127. Quod quomodo concordet, & quam ἀσύστατα ſint nemo non videt. Qui vult antecedens, etiam vult & ſtatuit conſequens, dicunt Philoſophi. Jam vero adulterium eſt contra legem divinam, unde non poteſt non conſequi, liberos ex adulterio natos eſſe illegitimos, ſiquidem legi divinæ non eſſent conformes. Loquitur autem de *Legitimo* illo, quod ſecundum jus divinum tale eſt, non quod ſecundum hodierna jura humana ita dicitur; uti ſunt clandeſtina conjugia quæ ſine trina denuntiatione & benedictione ſacerdotali contrahuntur, & in conſpectu Eccleſiæ non fiunt. Sane conjuges olim ferme ab Eccleſiaſticis poſtulabantur, atque hi ſuper matrimonio conſulebantur, aut ſaltem apud eos matrimonii profeſſio fiebat; qui deinde benedictionem addebant. Vid. *Selden. Uxo. Hebr. l. 2. c. 28. 29.* Sed iſte ritus primis Eccleſiæ ſeculis domi fiebat, non in conſpectu totius Eccleſiæ uti obſervat *Jacob. Gothofredus ad l. 3. Cod. Theodoſ. de nuptiis.* Quæ tamen deinceps ut præſente populo fieret, ad honeſtatem pertinuiſſe viſum eſt. Unde Tertull. l. de pudic. c. 4. *penes nos occultæ quoque conjunctiones i. e. apud Eccleſiam non prius profeſſæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari* (hoc eſt nimis rigoroſum & contra verbum Dei) *periclitantur.* Et *Tridentinum Concil. ſeſſ. 24. c. 1.* ea conjugia omnia, quæ ſine iſtis ſolennitatibus Eccleſiaſticis fiunt, pronuntiavit irrita; Id vero num potuerit, merito dubitamus, cum *Eccleſiæ in jus naturæ & divinum nulla omnino competat poteſtas, quod quidem ſubſtantiam negotii concernit.* Non enim omiſſa ἱερολογία liberi ſunt illico illegitimi, niſi expreſſe ita conſtitutum fuerit, & tunc tantum ſunt illegitimi jure humano. Non enim eſt de ſubſtantia matrimonii ἱερολογία. Ejus tamen omiſſione ſua non caret macula, ſecundum hodiernos mores, conjugium. *Carpzov. Juriſpr. Conſiſt. l. 2. defin.* 142. Sed jure Pontificio non videtur eſſe legitimum conjugium ſine ἱερολογίᾳ. *Can.* 1. 30. *q.* 5. cui etiam aſtipulatur *Leo* Philoſophus *Novell.* 74. De antiquitate hujus ἱερολογίας videri poterunt *Hahn. in Weſenb. tit. de rit. nupt. n.* 5. imprimis verò *Ioh. Selden. Ux. Hebr. l. 2. c. 2.* 29. Quia igitur tempore Ahrahami illæ ſolennitates non fuerunt, ejus matrimonium non poteſt dici illegitimum i. e. legibus humanis difforme; Nec etiam legibus divinis repugnavit conjugium cum Hagare & Kethura, atque ea propter etiam hâc parte non poteſt dici illegitimum; multo minus adulterium. Quod cum maximum ſit peccatum, non potuiſſet non Patriarcha excidere gratiâ & diſcedere à fœdere, quod non ita pridem Deus cum ipſo pepigerat. Non negari quidem poteſt, Judæos etiam habuiſſe ſuos ritus matrimoniales, ſed temporibus poſterioribus, & dicta etiam fuiſſe matrimonia illegitima, quæ ſine illis ritibus & ſine pactis dotalibus, uti concubinarum conjugia, contrahebantur, fuere tamen tantum illegitima propter omiſ-

ſas illas conſuetudines, non ob legem divinam violatam. Tempore vero Abrahami & Jacobi ritus illi conſuetudinarii nondum erant in uſu. vid. *Selden. de ſucc. c. 3.*

THESIS XLV.

EOdem capite 18. v. 17. memoratur, quod Deus dixerit: *quomodo poſſum celare Abrahamum ea, quæ facturus ſum, ſiquidem magnus & potens populus eſt futurus.* Ubi videmus Dei erga Abrahamum benevolentiam fuiſſe tantam ut nihil quicquam ei abſconderit ſed etiam ea, quæ ad ipſum aut ejus ſalutem propriè non ſpectabant revelarit. Quis ergo dicit, Deum tam malignum fuiſſe, ut Polygamiæ illegalitatem, ſi quæ ipſi ineſt, ipſi reticuerit. Hoc ſane ad ſalutem ipſius æternam ſpectat. Unde ita colligo:

Cui Deus revelat ea, quæ ad ipſum proprie non ſpectant, ei non abſcondet ea quæ ſalutem ipſius æternam concernunt.

Atqui Deus revelavit Abrahamo interitum Sodomæ, qui proprie ad ipſum non ſpectabat.

E. Multo magis revelabit ea, quæ ſalutem ejus æternam concernent; uti eſt Polygamia, ſi peccatum eſt. Deus enim vult ut omnes homines ſalvi fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant.

1. *Quomodo poſſum celare.* Deus nil facit, priuſquam illud manifeſtet prophetis ſervis ſuis. Dicit Propheta *Amos c. 3. v. 7.* Quo ipſo deprædicatur Dei ineffabilis benignitas, quod omnia, quæcunque facit, aut facturus eſt, ſuis aperiat ſervis. Nullus homo tàm familiaris eſt cum ſuis famulis, ut omnia, quæ agere velit, illis aperiat. Cum tamen eadem natura gaudeant, & hac in re æquales ſint. Deus vero Creator omnipotentiſſimus, qui non poteſt conferri cum creatura, homine ſcilicet, ſiquidem *altior ipſo cælo, profundior inferno, longior terrâ, latior mari, Job 11. 8.* eo uſque ſe dimittit, ut nihil quicquam agat quod non revelet ſuis ſervis. Cum *diluvium* immittere vellet mundo, manifeſtabat ſervo ſuo, Doctori Juſtitiæ *Nohæ. Gen. 6.* Quid acturus eſſet, *Pharaone* inobediente, & quomodo ſe circa populum ſuum in deſerto gerere vellet, aperiebat ſervo ſuo *Moſi, qui in totâ ipſius domo fidelis inveniebatur. Ionathan* ſuo armigero nolebat effutire, quid tela excuſſa & Davidi in ſignum data ſibi vellent, aut quod caſtra Philiſtæorum adoriri vellet. *Simſon Delilæ* alias oculiſſimæ cordis arcana & in quo ipſius robur conſiſteret, indicare ſubterfugiebat. Neque etiam ænigma Patri ac matri ſponſæque exponere avebat. Numen vero ſupremum, cujus *ſella ipſum cælum & ſcabellum terra Eſ. 66. 1. qui eſt Dominus Dominorum, & Rex Regum, qui ſolus immortalitate gaudet, & habitat in luce inacceſſâ, quem nemo vidit, nec videre poteſt, 1 Tim. 6. 16. qui eſt Deus incognitus & abſconditus, Eſ. 45. 15.* nihil abſcondit ſuis ſervis, ſuis fidelibus.

2. *Ea quæ ad ipſum aut ejus ſalutem proprie non ſpectabant.* Deus Optimus Maximus tantâ benignitate ac familiaritate, ut ita dicam, ergà Abrahamum uſus, ut cum ipſo, velut cum ſuo amico intimo, ſermones ſereret, pœnam Sodomitis infligendam exponeret, il-

illiusque interceſſiones, gradatim uſque ad denarium numerum pro Sodomitarum peccatis condonandis inſtitutas, admitteret. Inter peccata verò illa Sodomitarum maxime eminebat, quæ ab ipſis ſolis nomen obtinuit, *Sodomia*, quæ juxta caſuiſtas duplex eſt, imperfecta ſc. & perfecta. *Imperfecta*, eſt congreſſus cum debito quidem ſexu, maris nempe cum fœmina, ſed extra vas naturale. Poteſt etiam ſimul comprehendere alias malitias, v. g. adulterii, ſi fiat cum conjugata, inceſtus, ſi cum conſanguineâ. *Bonac. q.* 4. *de matr. p.* 2. *n.* 1. *Filliuc. t.* 30. *c.* 8. *q.* 8. *n.* 158. Altera vero perfecta eſt congreſſus duorum ejusdem ſexus ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Atque hæc etiam alias malitias poteſt habere adjunctas. v. g. inceſtus, quô caſu cognationis gradum non neceſſario explicari docet *Ebob. de act. cum. E.* 2. *c.* 6. ſed ſatis eſt dicere, coivi cum conſanguineo, vel affine, quia nec miſcetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea variat ſpeciem. Explicandum tamen eſſe, fuerisne agens vel patiens, dicit *Card. Hugo d.* 16. *n.* 423. *contra Dianam p.* 2. *l.* 6. *de Sacr. R.* 159. *& p.* 6. *l.* 4. *R.* 36. Sola vero Sodomia inter delicta carnis videtur eſſe *contra naturam humanam*, ſiquidem pro fine habet non ſobolis procreationem, cujus tamen gratia membra genitalia præter alia homini data ſunt, ſed meram deteſtandamque libidinem, naturæ humanæ prorſus contrariam. Et mirandum hinc eſt, reperiri potuiſſe inter Chriſtianos, qui laudem hujus peccati Sodomitici ſcripſerunt, *Joh. de Caſa, Petrum Aretinum* aliosque. Nec profecto excuſari poſſunt hodierni Moraliſtæ, qui antiquas Eccleſiæ Conſtitutiones, & ipſorum Pontificum Decreta inſulſis & multum detortis explicationibus ludificantur. Conſtituerat *Pius V.* Pontifex, *Clericos Sodomitas omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate & beneficio Eccleſiaſtico privari debere.* Hanc conſtitutionem examinat *Eſcobarius tr.* 1. *Ex.* 8. *n.* 102. & quærit, num Bulla Pii V. contra clericos Sodomitas obliget in conſcientiâ. Ad hanc quæſtionem ita reſpondet: *Henriquez ſentit, uſu non eſſe receptam probabiliter, nec in conſcientiæ foro obligare; Quod ſi uſu recepta ſit, clericus fœminam in indebito ſubigens vaſe non committit proprié Sodomiam, quia licet non ſervet debitum vas, ſervat tamen ſexum. Nec incurrit ex Suario pœnas bullæ, intra vas maſculi ſemen non immittens, quia delictum non eſt conſummatum; Nec ex eodem, qui non niſi bis aut ter in Sodomiam ſunt lapſi, quia Pontifex has pœnas clericis exercentibus Sodomiam infligit. Nec* (adhuc ex Suario) *ante judicis ſententiam declaratoriam pœnas bullæ in foro conſcientiæ incurrunt, quia nulla lex pœnalis obligat homines ad ſe prodendum. Collige, Clericum exercentem Sodomiam ſi ſit contritus, etiam retento beneficio & dignitate, omnino eſſe abſolvendum.* &c. Talia plura leguntur ap. *Thom. Hurtado tr.* 1. *Reſol.* 31. Nec etiam excuſandi ſunt illi, qui Gentiles nonnullos, Platonem, Socratem, uti ferunt, juventutem informantes & cum pueris concumbentes ab omni peccato abſolvunt, & pro ſpecie amoris teneræ ætati exhibiti reputant.

Unde *Cicero l.* 1. *de Nat. Deor.* dicit, Sodomiam à Gymnaſiis Græcorum ortum traxiſſe, ſiquidem liberi ibidem fuerint ejuſmodi amores, & Philoſophos juventutis informatores, ipſumque Platonem huic rei magnam conciliaſſe autoritatem. An vero Orpheus Poeta, an vero Talo Cretenſis, vel Laius, vel Minos Rex Cretenſium primus autor fuerit hujus rei, an vero Jupiter ipſe Ganymedem rapiens, nolo contentionis ſerram cum quoquam reciprocare. Rupertus exiſtimat Joſephum Patriarcham ſuos fratres apud Patrem hoc ob crimen detuliſſe. Certè in ſcripturâ Sacrâ hoc à Sodomitis primum narratur perpetratum fuiſſe delictum. *Gen.* 13. *&* 15. & inter Græcos & Romanos ſatis fuiſſe uſitatum Epiſtola ad *Rom. c.* 1. *&* 2. docet. Calvino hoc affingunt Mariani quidam *Hieronymus Bilſecus* Medicus in vita Catrini. *Thom. Stapleton.* Prompt. Cathol. Sabb. hebdom. 3. quod reg. *Edmundus Campianus & Jo. Duræus Scotus* in Fid. Demonſtr. Rat. 3. *Surius* ad. A. 1538. *Guil. Reginald.* l. 12. Calvino-Turciſm. c. 11. confer & *Schlaſſelb. Catal. Hæret.* Peruanos quoſdam ob idem crimen igne punitos refert *Leſſius de Inſt. & Jur. l.* 4. *c.* 3. *n.* 13.

Dicunt prætereà, quod in delictis carnis

 etiam

etiam contra jus naturæ admiſſis error juris & quælibet injuſta cauſa faciat, ut quis abſolvatur à tanto. *Tiraq. de pœn. temp. cauſ.* 43. *n.* 1. *Farin. p.* 3. *Prax. Crim. q.* 90. *n.* 40. quo accedit, quod *conſuetudo* actum ſuâ naturâ illicitum (uti Sodomia in Italiâ maximè conſueta) & punibilem faciat licitum & impunibilem. (In foro humano hoc valet, ſed non in jure divino, ubi conſuetudo mille annorum non poteſt ex peccato facere non peccatum) *l. quis ſit fugitivus* §. *apud tales. ff. de ædil. edit. Farin. d. l.* 4. 96. *n.* 3. Nam qui facit id, quod ſolitum & conſuetum eſt fieri, non ſolum non dicitur eſſe in dolo, ſed nec etiam in culpâ. *Farin. d. l.* 95. *n.* 29. Inſuper dicunt quod delicta eorum, qui aliàs moribus & vitæ integritate ſummâ claruerunt, mitius ſint accipienda. *Tiraqu. de pœn. templ. cauſ.* 51. *n.* 1. 23. 40. 51. 52. 56. 57. 162. Negari quidem non poteſt, *ad aggravandum delictum & augendam pœnam multum facere circumſtantias temporis, loci & perſonarum Anton. Matth. de Crim. tit de pœn. c.* 4. *n.* 12. Unde *homicidia doloſa* (ceu homo à ſciente & volente occiditur) ſeverius puniuntur quàm *culpoſa* (ceu occidens non quidem habet animum doloſum occidendi, vel vulnerandi, culpâ tamen interveniente vel præcedente aliquem occidit) & *caſualia*) quæ caſu inopinato propter principium aliquod extrinſecum committuntur. Ita *Aßaſſinium*, uti vulgo dicitur, cum quis occidit aliquem ad inſtantiam alterius corruptus pretio vel pecuniâ, graviſſimè punitur. Rationem denominationis vid. ep. *Fr. Duaren. l.* 2 *diſp. anniverſ. c.* 12. & *Tib. Decianum in tr. de Crim. l.* 9. *c.* 30. Aſſaſſini enim à Perſide profecti & Mahumetis perſuaſione imbuti hoſtes religionis ſuæ ut interficerent, clàm ſe iis miſcebant, ex eorum numero ſe eſſe ſimulantes, donec cœdem ab Arſacidâ ſive Principe ſuo mandatam perficerent, vitæ ſuæ admodum prodigi, & hinc difficulter caveri poterant. Hoc atrociſſimum delictum ſecundum *jus Canonicum Inſtit. Lancell. l.* 4. *t.* 10. §. 1. acerrimè etiam punitur, ita ut non tantum Aſſaſſini ipſi, ſed etiam *receptatores, occultatores & defenſores eorum*, & qui per eoſdem quemquam interfici fecerit, aut mandaverit, (aſſaſſinator à quibuſdam dictus) *dignitatibus, honoribus, officiis, beneficiis, omnibusque bonis nudatus excommunicationis & depoſitionis incurrat jure ipſo ſententiam, & tanquam Chriſtianæ religionis hoſtis à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidatus ſit*, i. e. ab omnibus impunè occidi poſſit. Paria enim habentur, quando ſtatutum aliquem facit diffidatum, & quando mandat eum occidi. *Tib. Decianus tr. de Crim. l.* 4. *c.* 9. *n.* 78. Cœterum in foro civili admodum variat pœna Aſſaſſinii, pro more ſcil. & conſuetudine ejusque populi. Quandoque enim ultra pœnam gladii etiam rotâ tunduntur Aſſaſſini, quandoque uſtulatio additur per forcipes ignitos, quandoque in fruſta ſcinduntur. In Electoratu Saxonico aſſaſſinatoris gladio puniti cadaver rotæ imponitur. Aſſaſſinus vero rotæ ſupplicio afficitur. *Carpz. Prax. Crim. part.* 1. *q.* 19. *n.* 15. 19. quando enim vel mors ipſa ſecula fuit, vel actus aliquis ad mortem inferendam proximè directus pœna aſſaſſinii tum in mandante, tum in mandatario locum habet. *Carpz. l. c. n.* 58. 59. *Decian. d. l. n.* 13. Quod Clericos verò notat *Auguſt. Barboſa* quod in Inſtitutionibus Lancelloti non intelligatur per vocem depoſitionis talis depoſitio, quæ ordinetur ad actualem depoſitionem & degradationem, ut talis clericus curiæ ſeculari tradatur, ſed potius hic irregularitatem denotari. Sed è contrario ſtatuit *Tib. Decianus d. l.* 9. *c.* 30. *n.* 11. poſſe clericum Aſſaſſinum per judicem ſecularem morte puniri, absque ſolenni depoſitione & degradatione.

THE-

Theſis XLVI.

ET ulterius.

Quodcunque Deus illi homini, cum quo familiariſſime ceu amicus cum amico converſatur, tanquam peccatum neque in peculiari lege, neque in exemplis committentium proponit, illud illi ipſi pro peccato non eſt habendum.

At qui Deus Abrahamo, cum quo familiariſſimè converſatus eſt, ceu amicus cum Amico, Polygamiam ceu peccatum neque in peculiari lege neque in exemplis committentium propoſuit.

E. *Polygamia Abrahamo pro peccato non eſt habenda.* Omne peccatum eſt illegalitas ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Ubi vero nulla lex, ibi nulla transgreſſio, ſeu peccatum & ubi nulla legis promulgatio, ibi nulla obligatio. Non poſſum non hic aſcribere verba Magni alicujus Theologi notatu digniſſima: *Omni legi*, inquit, *neceſſaria eſt* promulgatio *abſque qua ſit, effectus ſuos ſortiri, ſive ad drigendum & obligandum efficax eſſe nequit. Et promulgatio quidem ſufficiens cenſetur, cum id praſtitum eſt, per quod in notitiam eorum qui culpabili negligentia non laboraverint, veniat. Exinde omnes* obligare *incipit in* actu quaſi primo, *eos autem quibus innotuit*, actu *etiam* ſecundo *obligat, ita ut peccaturi ſint, niſi ſervaverint. Hic tamen obligandi modus ſuſpenditur eo uſque donec in notitiam commode queat deduci. Nam ante eum terminum ignorantia quippe inſuperabilis excuſat, poſt eum non item. Atque ideo diximus vim in actu ſecundo obligandi eo uſque differri. Promulgationi proxima eſt* acceptio, *per quam lex in uſum deducatur, niſi in lege promulgata populus nullam iniquitatem animadvertat eam admittit & ſequi incipit. Nempe populus, qui politice non diſpotice regitur, poſſidet ſuam quandam libertatem, ut præceptis numero vel difficultate modum excedentibus ſive oneribus nimis ſervilibus, ſive etiam ad bonum publicum aut parum aut nihil facientibus opprimi non debeat. Ergo ubi in lege promulgata ejusmodi vitium aliquod evidenter* (in dubiis enim à partibus legislatoris ſtandum erat) *apparuerit, & populus aut major populi pars juris ſui tenax prægnantes rationes oppoſuerit, & cedere noluerit, lex robur &* efficaciam obligandi *conſequi nequit.*

Hactenus ille. conf. etiam *Sam. Puſendorfius l. c. 6.* ubi prolixe deducit, quod, ſi lex vim ſuam directivam in animis hominum debeat exercere, in eo, cui fertur, requiratur cognitio tàm legis latoris quam ipſius legis, & legislatori ſive promulganti incumbat, quanta fieri poteſt perſpicuitate uti, ut ſententia legis rectè percipiatur, & ſiquid in legibus obſcurum quod à ſubditis non poſſit capi, declaratio ejus ſit inſtituenda à legislatore vel ab illis, qui ad jus ſecundum illas dicendum publice ſint conſtituti.

 Ho-

Horum enim eſſe ait, leges ad ſingulos caſus, obſervata recta interpretatione applicare ſeu factis ſingularibus propoſitis declarare, quid circa illas legislator diſpoſuerit. Præterea etiam docet, quod legis obligatio moraliter voluntatem afficiat, & peculiari quaſi ſenſu eandem intrinſecè imbuat, ut in ſuas actiones ipſa cenſuram exercere cogatur, & malo ſeipſam dignam judicare, ni præſcriptæ ſeſe normæ reddiderit conformem. vid. & *Sanderſonus de obligat. conſc. prælect.* 7. §. 22. Quia igitur nullibi in Scriptura lex (*non habebis plures niſi unam*) eſt promulgata, nemo eſt lege divina obligatus ad Monogamiam. De legibus humanis *e. g.* Carolina ante 140. annos circiter inſtinctu Papæ lata & ſub capitalis pœnæ Polygamis infligendæ interminatione promulgata jam non loquimur, an illa lex obliget, tùm imperio Romano ſubjectos, tum etiam alia regna. An accepta fuerit à populo & an non *Deo magis obediendum quam hominibus*? dabitur forſan inferius occaſio loquendi de hoc.

1. *Neque in peculiari lege.* Generalem legem *Gen.* 2. ſufficere ad oſtendendam Polygamiæ illegalitatem, dicit Autor Polygyniæ *p.* 145. & licet ibi in terminis terminantibus non habeatur; non plures habebis quàm unam, inveniri tamen æquivalentem ſermonem. Verum enim verò jamdudum ad ravim uſque dictum & clariſſimè evictum, *Gen.* 11. nullam legem, ſed tantum *exemplum Adami*, quod per ſe nil probat, reperiri, ſicuti etiam in hoc ſyllogiſmo hoc inſerendum & ex prioribus concluſionibus ἀπὸ κοινοῦ repetendum, quod neque in generali neque in ſpeciali lege aliqua ſit prohibitum. Nec deſideratur etiam adeò ſtricte à Theophilo, ut κατὰ ῥητὸν extet in ſcripturâ: *non habebis plures una*; ſed hæc ipſius mens eſt, quod *neque in terminis terminantibus neque* etiam *per bonam conſequentiam* habeatur interdictum Polygyniæ, adeoque neque κατὰ ῥητὸν neque κατὰ διάνοιαν ab Anti-Polygamis probari poſſit Polygamiæ injuſtitia, ſicuti etiam ibi nulla æquipollens oratio habetur.

2. *Ignorantia quippe inſuperabilis excuſat.* Niſi lex aliqua feratur de juſtitia vel injuſtitiâ alicujus rei, & lex illa clarè & perſpicuè, ut intelligi poſſit ab inferioribus, proponatur, & promulgetur, non poteſt haberi vera illius rei notitia ſed neceſſario oritur ignorantia & quidem invincibilis, quæ excuſat; ſi vero quis poteſt ſcire & diſcere, & in mentem venit dubitare, nec ſtudet intelligere, ignorantia eſt vincibilis & non excuſat. *Auguſt. Thom. Sanchez* 10. *Moral. c.* 16. minuit tamen delictum, ſi cum aliqua negligentia eſt conjuncta, ſi vero ignorantia eſt inevitabilis, & nulla legum notitia haberi poteſt, peccatum prorſus tollitur. *Hug. Grot. de J. B. & P. p.* 339. vid. *Buſenb. Theol. Mor. p.* 30.

3 *Promulgatio* eſſentiam legis ſuo concurſu complet, ita ut nulla ex ea naſcatur obligatio, niſi promulgetur & ſubditis innoteſcat. *Thom. Aquin.* 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. Quanquam enim ipſa ſui promulgatione lex vim obligandi habeat; actu tamen ipſo illos tantùm ſub peccato vel pœna obligat, qui ejus notitiam acceperunt, vel accipere culpâ ſuâ neglexerunt. vid. *Petr. de Marca de Concord. ſacerd. & imper. l.* 2. *c.* 14.

4. *Acceptio.* Pontificii ſæpe diſquirunt; num bullæ Papales in hoc aut iſto regno receptæ ſint, uti factum circa bullam Gregorianam de ſacerdotibus ſollicitantibus in confeſſione, vid. *Thom. Hurtado tr.* 4. *Reſol. Morali c.* 2. Disertè enim ſtatuunt, legem Pontificiam non obligare univerſam Eccleſiam, niſi publicetur in ſingulis provinciis, nec ſufficere, ſi promulgetur Romæ tantum. Id. *Hurtad. tr.* 4. *c.* 8. *Reſol.* 60. *n.* 791. Et non fruſtra dubitat *Cujacius ad c.* 38. 10. *de Appell. recuſ.* utrum conſtitutiones Papales, quæ ad An-

Angliam pertinent, & in Angliâ publicatæ, obſtringant etiam alia regna, ubi non promulgatæ.

5. *Præceptis numero vel difficultate modum excedentibus.* Paucitate legum optimè Reſpublica regitur, ſiquidem multitudo legum teſtatur de morbis & moribus malignis ſtatuum, & anſam dat Cauſidicis calumniandi & pervertendi leges, ut non male illud Adriani dicentis; *multitudo Medicorum me perdidit;* huc paucis immutatis applicari poſſit, atque dici, quod *multitudo Legum Rempublicam perdat;* ut ex modernis Proceſſibus in Imperio Romano, per multos annos ſæpè ſpirantibus, ſed non expirantibus, & ex multitudine & varietate legum majori ex parte ortis conſtat. Deinde Leges debent etiam eſſe *non difficiles* aut *ſervatu impoſſibiles ac rationales, ut Meiſn. de Leg. & Calixt. de Leg. & Cœlibatu ſacerdotum* docent, ſi à populo recipi debent. Si vero ſint malæ, Reipubl. damnoſæ, difficulter ſcilicet accipiuntur. Uti poſt *Cynum* ingenue fatetur *Petr. de Ferr. in Prax. tit. 52. n. 45. & 47.* plurimas decretales compoſitas eſſe ſine ratione, contra jus divinum, ad beneplacitum & ex imperitiâ eorum, qui deliberationibus adhibiti fuerunt. & *tit. 33. n. 3. fatuitatis* arguit Imperatores, quod tales errores, qualem ineſſe dicit *capitulo. 28. 10. de Juram.* in Juriſdictione ſua tolerent. Unde in *Gallia* non immerito adſtrictè admodum habentur *Legati Pontificii*, & quicquam ex conſtitutione Papæ ortum abſque præſcitu Regis publicare prohibentur, quin etiam ante abitum ſuum edere tenentur non regeſta tantum ſeu acta eorum, quæ tempore Legationis geſſerunt, ſed ipſum etiam ſigillum. vid. *Jo. Papon. l. 1. tit. 5. arr. 9: & 7.* qui & porro *arr. 30.* refert decretum curiæ uti ſeſe nuntius Papalis in perſona ſiſteret, eo quod ſibi electionem Cuſtodis Franciſcanorum vindicaſſet. Quin nec ab initio quidem *Legatus Pontificius* legationis ſuæ munus expedire poteſt, niſi *conſenſu Regis*, & ſi quid ab illo tentatum fuerit, adverſus Canones & vetuſtam conſuetudinem, infringi id interceſſione Regia ſolet, notante *Petr. de Marca de Concord. ſacerd. & Imp. l. 6. c. 31.* Quo etiam ſpectat, quod Gallicana Eccleſia edita Pragmatica ſanctione decretis Baſileenſis Concilii contra Papam latis magno cum emolumento robur addidit, vid. *Petr. de Marc. l. c. l. 6. c. 9.* Et ex hoc fundamento à Curiis ſupremis Gallicis *proviſiones, diſpenſationes* & alia privilegia Papæ adverſus Jus tributa annullantur, & viâ appellationum tanquam ab abuſu ad jus commune reducuntur. vid. *Jo. Papon. l. 19. t. 2. arr. 3.* Quæ alias decreta facta fuerint de *non transferendis Romam pecuniis* refert id. *Papon. l. 1. tit. 5. arr. 28.* conf. *etiam M. A. de Dominis de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 8. n. 28. Fr. Duar. de ſacr. Eccl. miniſter. l. 5. c. 11. Jo. Hornb. ad bull. Inn. 10. p. 220.* Præterea etiam in Galliis nulla omnino Papæ tribuitur prærogativa circa *unionem Eccleſiarum*, quæ ſi parochiales ſunt, poteſt Epiſcopus auſpiciis Papæ in aliis regnis illas ceu ſibi ſubjectas unire, ſicuti Patriarcha Epiſcopatus ſibi ſubjectos, poſito quod ſubjecti ſint. Sed in Gallicano regno annullata aliquando fuit unio à Pontifice facta, quæ jam per trecentos annos ſubſtiterat; uti refert *Papon. l. 19. tit. 2. arr. 8.* Inſuper etiam *aſyla*, quæ omnis facinoris reis, ſecundum jus Canonicum, non ut in Vet. T. iis, qui ἀκουσίως ſanguinem effuderunt, patebant, jure ſuo ſuſtulit *Franciſcus* 1. Rex Gall. vid. *not. ad Papon. l. 1. t. arr. 16.* imitatus exemplum Arcadii Imp. in l. 3. *Cod. Theod. de his, qui ad Ecl. conf.* ubi vid. *Gothofredus*. Ita etiam in Galliâ *Clericus* in Eccleſia *delinquens* non poteſt capi ab Epiſcopo, aut Judice Eccleſiaſtico, ſed *à judice ſeculari.* vid. *Car. Molin. ad Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 41. n. 66.* uti & *clerici* communiter *conveniri poſſunt* perſonaliter *in ſeculari* judicio, ſi rem ſecularem concernat actio. *Papon. l. 1. t. 5. arr. 9. & 10.* uti quoque cognitio de habitu clericali, ſi dubitetur de eo, pertinet ad judicem ſecularem. *Papon. l. 1. t. 5. arr. 4.* In Galliâ etiam optimè conſtitutum eſt, quod ad ſolum Regem pertineat *Jus amortizandi* i. e. exemtionis. *J. Papon. l. 1. tit. 14. arr. 1. Jacob. Gothofr. ad l. 4. Cod. Theod de Epiſc.* quæ tamen amortizatio propterea non eximit bona ſupremâ Jurisdictione Regiâ. *Car. Molin. ad conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 30. n. 25.* Si tamen prædia quædam debito modo & conſenſu Principis (ſecus ac Canoniſtæ volunt

lunt

ſunt illico jurisdictione Principis exempta eſſe, quam primum in Eccleſiam vel clericum transferuntur, quod falſum. vid. *Barboſ. de Jur. Eccl l.* 1. *c.* 39. §. 5. *n.* 35.) ita exempta fuerint, neque clericis neque Eccleſiis ea invidenda. Interim negamus bona data Eccleſiæ aut relicta, in manum mortuam ſeu Eccleſiaſticam juriſdictionem ita tranſire debere, ut à ſuperioritate Principis prorſus eximantur. Quod poſt *Petr. Peck. in tr. de amortiz. bonor.* contendit *Anton. Perez. C. de SS. Eccl. n.* 11. Aliud oſtendit *l.* 14. *c. de SS. Eccl. l.* 23. *Eodem. Nov.* 7. *Novell.* 120. & aliæ Imperatorum Conſtitutiones plures. Ad. *Jac. Aleman. conſult.* 5. *per. tot. Duar. de ſacr. Eccleſ. miniſt. t.* 5. *c.* 10. *Car. Molin. ad Conſuet. Pariſ.* § 41. *n,* 89. Præterea etiam laudandum Regum Galliæ inſtitutum, qui ſi decimarum petitio fiat ab Epiſcopis, vel cœteris clericis, adverſus prædiorum poſſeſſores, quarum ſolutio inſueta eſt in illis locis, unde exiguntur, non alienum exiſtimant à munere ſuo, huic negotio autoritatem ſuam interponere, illas exactiones inſolitas impedire, excommunicationum, ſiquæ ab Epiſcopis in recuſantes latæ ſunt, revocationem indicere, & eam pignoribus captis urgere. *Petr. de Marc. de conc. Sac. & Imp. l.* 4. *c.* 10. *n* 2. Quod idem de Hiſpaniæ Regibus refert *Didacus Covarruias l.* 1. *Reſ.* 17. *n.* 8. Quanquam enim Imperatores, Reges & Principes ſpiritualitatem decimarum conceſſerint, conceſſiones tamen circa eas & privilegia non ad internam pertinent poteſtatem Eccleſiaſticam, ſed ad externam, quam Imperatori, Regibus & Principibus auferre non aliunde eſt, quàm ex Tyrannide Antichriſti. Certè poſſunt Principes, ſi quid novi circa decimas ab Epiſcopis attentetur, autoritate ſua intercedere & impedire. Maximè etiam commendandum ſingulare Galliæ privilegium, quod nullus officialium Regiorum excommunicari poſſit. *Io. Papon. l.* 1, *tit.* 4 *arr.* 9. *Petr. de Marc. de Conc. ſacerd. de Imp. l.* 4. *c.* 21. ſiquidem jamdudum fulmina illa bruta contemptim habuere Reges Galliæ. *Io. Papon. t.* 1 *tit.* 5. *arr.* 27. *Tuſſanus Berchet in pio Conſil. ſuper bull. Pap. p.* 14. Atque iſtam Gallorum ſententiam magnâ cum τῇ παῤῥησίᾳ exponit *Hincmarus Rhemenſis in Ep. ad Hadr.* 2. auctoritati ſcilicet Eccleſiaſticæ vel Excommunicationibus locum non eſſe poſſe, cum de re ſeculari agitur. Ipſe de ſe addit: *Neſcio quomodo ipſius Regis, vel inter quos habito, præſentiam & communionem, vel conſortium valeam devitare, cum Rex & habitantes mecum una cum Rege non ſolum in Parœciam, verum & in civitatem meam ſæpe conveniant.* Et porro: *Eccleſiam & plebem mihi commiſſam deſerere, & aliorſum, ut mercenarius, non valeo fugere, nec quo extra regnum ejus fugiam, non habeo.* conf. *Petr. de Marc. de Conc. ſacerd. & Imp. l.* 4. *c.* 14. *n.* 1. Ideo in Galliis introductæ ſunt hoc caſu *appellationes, uti* vocantur, *ab abuſu*, quibus adverſus excommunicationes nullas aut temerarias præſidium Principum ſecularium imploratur. De quarum juſtitia v. *Petr. de Marc. de Conc. Sacerd. & Imper. l.* 4. *c.* 19. *n.* 5. Cœterum *Synodus Nicena. can.* 5. poſtquam vetuerat, ne quis Epiſcopus excommunicatum ab alio Epiſcopo, ſive clericum, ſive laicum ſuſciperet, provocationem nihilominus concedit excommunicato ad plurium Eccleſiarum cognitionem & deciſionem, quando è veſtigio addit: *Sane ne hoc aut iracundiâ aliqua, aut contentione, uti fieri ſolet, injuſte factum remedium non haberet, decernunt, per ſingulos annos in ſingulis provinciis iterum ab omnibus Epiſcopis concilia agi debere, & de hujusmodi negotiis judicari, ut ſi forte ab uno aliquid inique geſtum eſt, à cœteris emendetur, ſi rectè, ut ab omnibus confirmetur.* Hinc provocationes à conciliis numero judicum minoribus ad concilia majora, à provincialibus ad nationalia, à nationalibus ad univerſalia. Quin imo in Galliis *Curiarum ſecularium judiciis* quandoque ſubjicitur *cognitio de excommunicatione factâ.* Sic enim condemnatus aliquando fuit *Epiſcopus Cenomanenſis* ad effodiendum quendam, quem ipſius officialis pendente appellatione ab ejus proceſſu, excommunicaverat, & ad eum abſolvendum atque in terrâ ſanctâ ſepeliendum uti refert *Papon. l.* 19. *tit.* 2. *arr.* 12. Cœterum notorium eſt, quod Jure Pontificio excommunicationem minorem incurrat, qui ſcienter eum excommunicet, *c.* 2. 10. *de Except.* & quod excommunicatus in judicio partes actoris ſuſti-

ſtinere prohibeatur, cum tamen non privetur per excommunicationem dominio rerum, neque jure naturali, gentium aut civili excludatur, ſed tantum bonis Eccleſiæ propriis. Nec profectò pro communicatione haberi poterit, quæ potius odia & diſſidia excitat, alio in judicio. Unde refert *Zæſius ad tit. ff. de Except. n.* 12. cum in Hiſpaniis, tum in Galliis exceptionem iſtam non amplius attendi; ſed & alibi rariorem ejus eſſe uſum propter Extrav. *ad evitanda.* Martini V. Ita ſcilicet Clerici directè & indirecte, ſub & obreptitie judiciis Politicis ſe immiſcuere, iisque leges præſcripſere, quin etiam ſubdolis artibus Laicos ad Eccleſiaſtica pertraxere judicia, uti prolixè refertur in Gravaminibus Principum Germ. in *Comitiis Norimbergenſibus* exhibitis *n.* 56. 57. 58. 59. 60. 62. 63. 64. 70. 71. 72. 73. Similes querelas in Curiâ Parlamenti *A.* 1329 *Philippo Valeſio Regi* expoſuit *Petrus de Luneriis* Advocatus Regius uti refertur apud *Papon. l.* 1. *tit.* 4. *arr.* 1. apud quem porro *arr.* 11. habetur, quod in *Francia* non poſſit *Judex Eccleſiaſticus inter Laicos judicare*, niſi de his, quæ ſunt *mere ſpiritualia, & quæ ad ſacramenta pertinent;* Quod ſi vero lis ſive principaliter ſive incidenter *cauſam pecuniariam* ſpectet, judicem Eccleſiaſticum dicit eſſe planè incompetentem. Ut hinc intelligi poſſit, quantum olim limites ſuos exceſſerint clerici, dum etiam crimina à laicis commiſſa indiſtinctè ad forum ſuum & cenſuras trahere, deque illis cognitionem inſtituere non dubitarunt. Superiore verò ſeculo ex Prudentiorum Theologorum ſententiâ diſtingui cœperunt *crimina in Eccleſiaſtica & ſecularia.* Illa in admiſſis directe contra fidem & ſacramenta conſtituta fuerunt, hæc in iis, quæ jure gentium aut civili ſunt vetita. Illorum coercitio Epiſcopis aſſerta fuit. Sed in ſecularibus porro diſtinctum fuit, utrum de jure ageretur, & peccato opinionis vel erroris, ut vocant, cum ſcilicet is qui dubitat, utrum id, quod committit, peccatum ſit, & talis cognitio ad forum Eccleſiaſticum relata fuit: an vero ageretur de facto, ſeu peccato, ut vocant, vendicationis, cum quis ipſo facto crimen committit. Et hujus coercitio magiſtratui ſeculari relicta fuit. v. *Petr. de Marca de Conc. Sacer. & Imp. l.* 2. *c.* 3. *n.* 7. Cœterum negari nequit, jam olim in Romano Imperio, Imperatoria autoritate accedente, multum valuiſſe judicia Epiſcoporum, etiam inter laicos; ſed illis ipſis tamen, cum abuſus non unus irreperet, fibula itendidem injicienda fuit. Referam id verbis Petr. Suavis ex hiſt. Concil. Trident. l. 4. Poſtquam enim de judiciis primitivæ Eccleſiæ, & quod ea ſola ſe caritate continuerint, verba feciſſet, & de Conſtantini ſeculo jam ſolicitus eſſet, ita pergit: *Tunc Epiſcopi velut tribunal ſibi erexerunt, quod litigandi cauſis una cum acceſſione facultatum temporalium auctis, evaſit ſubito frequentiſſimum. Et judicii forma, quamvis non eadem erat cum veteri illa, quâ de Eccleſiæ aſſenſu omnia ſtatuebantur, eandem tamen retinuit ſinceritatem. Unde Conſtantinus Imperator explorato hujus judicii in controverſiis terminandis fructu, quantumque poſſet vis religionis capturis ac fraudibus actionum detegendis, quas judices deprehendere non poterant, legem ſanxit, ut à ſententiis Epiſcoporum provocatio non eſſet, eaſque judices exequerentur. Quin imò lite à judice ſeculari pendente, quicunque eſſet cauſæ ſtatus ſi alterutra pars, altera licet obluctante, Epiſcopum ſibi judicem depoſceret, illicò ad ejus cognitionem lis referretur.* (Extat hæc conſtitutio in Cod. Theodoſiano *l.* 16. *tit.* 12. & repetiit eam Carolus M. *capitulo* 281. *l.* 6. apud Benedictum Levitam. vid. de ea *Selden. de Synedr. l.* 1. *c.* 10. imprimis vero *Jac. Gothofr. in Cod. Theod. poſt. l.* 16. *p.* 303. ubi totam iſtam conſtitutionem falſitatis & impoſturæ convincit) *Exinde judicium Epiſcopi cœpit eſſe forenſe, & cum Magiſtratum haberet ſententiæ executorem, jurisdictionis Epiſcopalis, it. audientiæ Epiſcopalis & ſimilium titulorum nomina ſibi vindicarunt. Etiam Valens Imp. forum ampliandum cenſuit A.* 365. *inſpectione in pretia rerum promercalium ei attributa, quæ forenſis negotiatio bonis moderatisque antiſtitibus parum placebat. Epiſcoporum verò non nemine, autoritate per Conſtantini legem conceſſâ* abutente, *eadem lex 70 poſt annis ab Arcadio & Honorio revocata, ſtatutumque, ut religionis modo cauſas dijudicarent, civiles autem non aliter, niſi de partium voluntate & conſenſu, ſimul de-*

declaratum, nullum illis forum deberi. (videtur intelligere conſtitutionem in *l. ſi qui* 8. *Cod. de Epiſc. aud.* Sed quæ ipſa anno mox ſequente denuo correcta & magis reſtricta fuit per l. 1. C. Theodoſ. de Relig. l. 16. tit. 11.) *Quæ quidem lex cum Romæ propter ſummam Epiſcopi poteſtatem parum attenderetur, Valentinianus A.* 452. *in ea ipſa urbe degens legem reſtauravit, & excutioni curavit mandandam*) extat hæc conſtitutio inter Novellas Valentiniani ad calcem codicis Theodoſiani (*Verum à Principibus ſequentibus poteſtatis antea adeptæ bona pars reddita, Juſtiniano etiam forum ſtabiliente, & audientiam, iisque una cum cauſis religionis delicta Clericorum Eccleſiaſtica, & in laicos varias jurisdictiones ſpontaneas aſſignante; His gradibus, quæ caritatis intuitu à Chriſto primum inſtituta correctio in dominationem vertit.* Perpendens iſta & imprimis quam faciles ſint Pontificii & proni in excommunicationes *Petr. de Ferrar. in prax. tit.* 4. *n.* 14. his verbis Principes alloquitur: *Heu miſeri Imperatores & Principes ſeculares, qui hæc & alia ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis, & mundum per clericos infinitis modis uſurpare videtis, nec de remedio cogitatis, quia prudentiæ & ſcientiæ non intenditis; ideò attendite, & memoriæ commendate, quid dicat Hieronymus veteres ſcrutans hiſtorias; Invenire non poſſum: ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo domini populos ſeduxiſſe, præter eos, qui ſacerdotes Deo poſiti fuerant. Iſti vero vertuntur in laqueum tortuoſum in omnibus locis ponentes ſcandalum &c.* In Galliis hanc in rem inventa eſt appellatio, tanquam ab abuſu, per quam coërceri ſolet cognitio Eccleſiaſticorum inter pure laicos v. *Io. Papon. Areſt. l.* 19. *tit.* 2. *& Petr. de Marc. de Conc. Sacerd. & Imp. l.* 4. *c.* 19.

6. *Ubi in lege promulgatâ aliquod vitium* ubi in lege Cœlibatûs & Monogamiæ, quæ difficulter in Chriſtianiſmo ſunt receptæ. De illa conſtat, quod *Siricius Cœlibatus legem* inter Eccleſiaſticos primum ſanxerit, *in Synodo Nicenâ omnium Epiſcoporùm conſenſu exploſam*, cui tamen ne 600 quidem poſt annis in Occidente, Pontificibus licet per emiſſarios ſuos omnem lapidem moventibus obtemperatum. *Morn. Myſt. iniqu. p.* 48. Deinde vero *Nicolaus* cœlibatus legem rigidius ſtrinxit, & anathematis pœnam inobedientibus impoſuit, unde toto Occidente tumultus excitati *Morn. p.* 160. Hulderico etiam Epiſcopo Auguſtenſi decretum de Cœlibatu executioni mandandum miſit, ſed ille ingenue reſpondet; *ſe decreta ipſius ſuper clericorum abſtinentiâ à diſcretione inveniſſe aliena, non facile membra ſibi cavere poſſe, capite ſuo tàm graviter laborante morbo, & à ſancta diſcretione vel minimum exorbitante, contra inſtitutum Euangelii, prædictionem Sp. S. multorum Sanctorum exempla, communem ſapientum ſententiam,* quin imo hortatur eum, *ut de grege Dei hanc doctrinam Phariſaicam, ſcandaloſam, peſtiferam eliminet.* Præterea *Alexander* in Synodo Lateranenſi maxime urſit, quod non liceat clerico uxorem ducere. *Gregorius* inſuper in Germaniâ Principibus eorumque conjugibus notum facit, ne ſacerdotum conjugatorum miſſas frequentent, decretum ſuum exequantur, qui minus obſequantur, pro excommunicatis habeantur, quippe nec ſacerdotes eſſe nec ſacra celebrare poſſint; inde vero *plebs in illos inſoleſcere*, hoſtiam ipſam ab uxoratis conſecratam pedibus conculcare, & alia nefanda perpetrare non erubuerunt. Demum *Calixtus* 1. decretum de Cœlibatu ſacerdotum denuo publicavit, cui 2. iſte extremam manum Concilio Rhemenſi præſidens a. 1119. impoſuit ordinavitque ut ſacerdotes conjuges ipſo jure exaugurarentur. *Mornaus l. c.*

Tantæ molis erat ἀγαμίας condere gentem.

Scilicet per ſex vel ſeptem fere ſecula à Pontificibus grandævis, Patriarchis Capularibus & Epiſcopis depontanis laboratum eſt, antequam cœlibatus ſacerdotum, quia erat lex iniqua, inhoneſta & ſervatu impoſſibilis, obtineret. Et quia omne conjugium, (quod impurus ſit ſtatus) Monogamiam etiam clericis interdixerunt, facile etiam Polygamiam abrogare potuerunt, præſertim quia omnes cauſas matrimoniales juxta *Lancell. Inſt. l.* 3. *tit.* 1. §. 3. Eccleſiaſtico Judici, ſiquidem matrimonium eſt ſacramentum, ſubjecerunt, & ἱερολογίαν Eccleſiaſticam, ſine quâ nullum matrimonium pro rato habitum fuit, introduxerunt,

& clericis, ne interſint ſecundis nuptiis, cum ſucceſſivis tum ſimultaneis, nec illis benedicant, ſerio & ſub pœna depoſitionis injunxerunt: ubi notanda vafrities Anti-Chriſti, qui ex una parte, quando cum clericis & bigamiæ cupidis, fuit agendum, *conjugium* pro *ſtatu impio & minus ſancto* venditarunt, ex altera vero parte, ut judex ſecularis cognitionem cauſarum matrimonialium Eccleſiaſticis relinqueret, pro *ſacramento*, quod ad Eccleſiaſticum forum pertinet, habuerunt.

7. *Efficaciam obligandi*. Abrahamus, Jacobus cœterique Patriarchæ cum toto populo Judaico neque naturaliter neque civiliter obligabantur ad Monogamiam excluſivam i. e. ad ductionem unius tantum uxoris. *Naturalis obligatio interdum à Juris autoribus* dicitur per *abuſionem* de eo, quod fieri natura honeſtum eſt, quanquam non vere debitum, Interdum vero *magis proprie* id, quod vere nos obligat, ſive inde jus alteri oriatur, ut in pactis, ſive non oriatur, ut in plena ac firma pollicitatione; Unde *Maimon. l. 3. Ducis dubitantium*, c. 54. hæc tria apte diſtinguit, & quæ non debentur, *ait* venire benignitatis nomine - i. e. quam alii interpretes *ad Prov.* 20. 28. explicant abundantiam bonitatis; quo pertinent ea, quæ non ob aliam cauſam fiunt, quàm ut liberalitas & beneficentia exerceantur ut loquitur *lex*. 1. *D. de Donat*. χρηστότης ἐκ πηγῆς πλουσίας ἀποῤῥεῖ τῆς ἡμερότητος dicit *Plut: in Cat. Maj*. i. e. *ex ubere fonte manſueti ingenii manat beneficentia*. Quæ debentur ex jure ſtricte ſumto משפט judicium Hebræis vocari ait, quæ ex honeſtate injuſtitiam צדקה i. e. æquitatem, ἔλεον κρίσιν πίστιν dixit interpres *Matthæi* 23. 23. ubi πίστιν vocat, quæ Helleniſtis plerumque eſt δικαιοσύνη. Nam κρίσιν pro eo, quod ſtricte debetur, reperias etiam 1 Marc 7, 18. & 32. *Civiliter* quoque obligari ex actu ſuo dici quis poteſt, aut eo ſenſu ut obligatio procedat *non ex mero jure naturali, ſed ex jure civili aut ex utroque* aut eo ſenſu, ut in foro actio inde detur. Dicimus ergo in contractu matrimoniali, nullus naturaliter obligatur ad ducendam tantum unam uxorem, ſiquidem ut nil dicam de natura maſculi apta ad fœcundandum plures uno anno, naturæ jure non eſt inhoneſtum plures ducere, quippe cum gentes, qui ſecundum legem naturæ vixerunt, populusque Hebræus, qui illam etiam obſervabat, habuerint in uſu. Neque etiam mulieri jus inde quæri poteſt, quia nullus tùm maritus promittere ſolitus ſe velle illa unâ eſſe contentum, & ſi vel maximè tàm liberalis fuerit in promittendo primæ uxori, in his tamen male promiſſis & ob abundantiam ſeminis ſervatu impoſſibilibus, fides poteſt reſcindi. Facta enim eſt illa promiſſio ſine deliberatione animi; Quod autem fit animo non deliberato id nos quoque ad vim obligandi non credimus pertinere, quod & *Theophraſtus l. de Legibus* notavit. imo & quod deliberato fit, ſed non eo animo, ut jus proprium concedat alteri ex eo negamus jus exigendi cuiquam naturaliter dari, *dicit Hugo Grot. l. 2. de jur. B. & P. p.* 221. Civiliter multò minus obligati Judæi fuêre ad ducendam tantum unam, ſiquidem Deus Legiſlator & Monarcha populi Judaici in hac ſua Republ. Hebraica, quæ non immerito θεοκρατία, cum ad nullam Reipublicæ formam Ariſtotelicam poſſit referri, à *Cunæo de Rep. Hebr. l. 1. c. 1.* fuit vocata, nullam legem cœteris Politicis & civilibus legibus immiſcuit, nec etiam Reges poſteà præter voluntatem Dei nati talem legem de Polygamiâ interdicta ſanxerunt. Et quanquam contractus conjugalis ſit ultrocitroque ut Canoniſtæ loquuntur, obligatorius, quoad vinculum ſcilicet, tàm arctè tamen maſculus non obligatur, quàm fœmina, ſiquidem ille cum uxor ſcortatur, jure divino poteſt repudiare, mulier verò, cum vir adhuc unam ducit, non poteſt libellum repudii mittere marito, ita ut non immerito hic contractus vocetur μονόπλευρος.

Theſis XLVII.

CAp. 20. Gen. audimus, quod Deus Gentili Regi Abimelech in ſomnio pœnam adulterii præſumti indicavit, & hoc pacto ab aliena uxore Sara nempe, abſterruerit, nuſpiam verò legimus, quod Deus illi ipſi Regi, qui multas habebat uxores, & ancillas, quarum ventres Deus occluſerat, Polygamias peccatum exprobravit. Unde ita infero; *Quicunque juſtus judex in Polygamo & adultero, punit ſaltem adulterium præſumtum & quidem ex ignorantia, non vero abſolutum; Polygamiam vero diu exercitam & continuandam non punit, ille Polygamiam non pro peccato, adulterium vero pro vero peccato habet.* Alias non eſſet juſtus, ſi utraque eſſent peccata, & non æque punirentur.

Atqui Deus juſtiſſimus judex in adultero & Polygamo Abimelecho punit tantummodo ex ignorantia præmeditatum, nondum vero perfectum adulterium, Polygamiam vero habitualem diu uſitatam & continuandam non punit. E. adulterium pro peccato, Polygamiam vero pro nullo habet.

1. *Ab aliena uxore abſterruerit.* Abimelech non ſtatuebat communionem uxorum, uti quidem *Clem. Romanus Papa.* 1. dicit: *Amicorum omnia debent eſſe communia: In omnibus autem ſine dubio etiam ſunt conjuges.* Clemens 1. Ep. 5. in tomis Conc. Colon. editis, à Petro Crabbe, Ord. Min. & Carolo V. dedicatis quæ verba in novâ editione omiſſa ſunt, cum Colonienſi, tum Venetianâ, ſed reperiuntur etiam *Ep.* 3. *Decret. Cauſ.* 12. *q.* 1. *c. dilectiſſimis Fratribus.* Quod Philoſophicus articulus fidei eſt. uti *Chryſoſt. in c.* 1. *Marc. hom. l. p.* 6. *Plato & Zeno* communes omnibus faciunt conjuges, nudas ad palæſtram virgines ducunt. & *Euſeb. de præpar. Euang. l.* 13. *c.* 12. ubi talem legem de Platone refert: Lex ponenda eſt, ut mulieres omnibus Viris ſint communes. Eadem uxorum communio Nicolaitis tribuitur. in *Decret. c.* 24. *Eraſm. in Hieron. T.* 1. *f.* 1. *fol.* 7. & cuidam ſectæ Anabaptiſtarum. *Henr. Bulling. de Anab. l.* 2. *c.* 2. & 3. uti & de Illyriis dicitur, quod in Dei gratiam uxores ſuas ex ſingulari devotione Monachis communiceat, ſi forte ægrotant, ut eo citius reconvaleſcant. *Seb. Frank p.* 90. Unde videtur probabile ſanctiſſimam ſanctitatem penitius & accuratius Philoſophis & Illyriis rem conſideraſſe, & fortean reſpexiſſe ad articulum de communione Sanctorum & ſanctarum, quod qui articulos fidei augere poteſt, facilè addet, aut addere poteſt. Multò verò aliter ſentit Owenus. l. 2. Ep. 144. cum in Abilum ſcribit:

Abilus antiquos referens ab origine mores
Conjugis incluſæ Vir Dominusque ſuæ eſt.
Scilicet hoc præſtat mulieri, quod Deus Evæ
Dixerat, ærumnas multiplicabo tuas.

2. *In ſomnio* Deus tanto amore flagrat erga genus humanum, ut illis non tantum beneficio legis naturalis cordibus inſcripta oſtendat, quid peccatum ſit, ſed & antequam perpetrentur, moneat ſuos πολυμερῶς & πολυτρόπως, illaque omnibus modis impedire conetur, uti videmus vel in exemplo Abimelechi Ethnici, à quo poſteà Marianæ Eccleſiæ addicti mutuati ſuas viſiones & apparitiones, quibus *Votarii* & *Votariæ* in voto æternæ illius caſtitatis conferrentur & confirmentur. Ita ſcribunt de *S. Katharinâ Bononienſi* Ordinis S. Claræ, quod Maria ipſi apparuerit, & Jeſulum amplexandum dederit,

atque

atque hoc pacto eam certiorem fecerit de perpetuitate virginitatis ſanctè ſervandâ *Geneal. Mar.* 9. *Mart. p.* 305. Sic etiam dicitur *Jacobo Ledeſmati*, Famigerato Jeſuitæ Auguſtæ Vindelicorum Chriſtus ipſe apparuiſſe ipſique dixiſſe, quod debeat eſſe animo forti, ſe velle ipſi hanc gratiam concedere, ut caſtus uſque ad finem vitæ in ſocietate conſervetur. Cui etiam poſteà Brixiæ mater ipſa Dei Maria ſole ſplendidior, & comitata Mariâ Magdalenâ, Catharinâ virgine & Martyrio coronatâ, & Catharinâ Senenſi apparuit, & unà cum comitibus perſeverantiam in caſtitate promiſit, adeò ut ab abeuntibus hanc cantilenam ſuaviſſimè Reſonantem inaudiret:

Ein Göttlich ding iſt die Keuſchheit
Aber viel gröſſer iſt der lohn /
Den Gott bereit ins Himmels-thron.

Quod in Latium verſum ita reddi poſſet:

Divina res eſt Caſtitas
Sed multò major eſt merces,
Quam præparat Deus in polo.

Mar. Geneal. 18. *Nov. p.* 661. Similiter & narratur de alio Jeſuitâ *Staniſlao Coſtlâ*, quòd Maria ſe ipſi manifeſtarit, & Jeſulum puerum lecto ipſius impoſuerit. Non abſimili modo legendæ de *S. Clarâ* Ordinis Prædicatorum tradunt, quòd licet Regis cujuſdam Indiæ filia, nihilominus tamen ſe virginitati perpetuæ ad exemplum B. Virginis Mariæ dedicârit, & ſe addixerit ordini Dominicanorum, multò libentius aſpiciens, non dicam portans habitum Monachalem, quàm omne mundanum faſtuoſum indumentum; ſiquidem & loco contemptus Regalis magnificentiæ in cœlum rapta, à Chriſto tunicâ & pallio Mariæ multis gemmis ornatis induta, inter ſanctos ad tempus commorata, ſed poſteà iterum non ſine triſtitia cœleſtem habitum & Paradiſum relinquere coacta, ordini iterum ſe ſuo aſſeruit, ubi inter alia teſtimonia notabile hoc, quod, qnando miſſæ intereſſet, ſemper ſplendidulus infantulus, uti à Mariâ natus apparuerit. *Geneal. Mar.* 3. *Jul. p.* 12. Ita de *Johanne Gaſto* refertur, quod aliquando habuerit viſionem, in quâ viderit S. Gregorium & ſubſequentes Pontifices bajulos quoſdam conſtituiſſe, qui ex Veteri T. in Novum, *decimas, mitras, inſulas, ſacrificia, oblationes, ſuffumigia & ferè* omnia, quæ in templo fuêre, exportarint, ſed uxores Patriarcharum exportare noluerunt, verum illarum loco ancillas juvenculas ſumſerunt, quia ſilicernia veterum ad N. T. non pertineant. Unde ortum videtur, quod hodienum Clerici non vetulas, ſed pubeſcentes ſecundum hanc viſionem adhibeant in ſervitio, præſertim cum juvencularum intellectus nondum ſit corruptus, uti vetularum, *Ioh. Gaſt. l. memorab. ap. Wolf. t.* 11. *p.* 431. Præterea etiam æternam ſanctitatem & virginitatem promovent *divinæ* & *cæleſtes admonitiones*, quæ ſæpe numerò contingunt inter Marianos. Fuit enim ante multos annos Archiepiſcopus Magdeburgenſis, nomine *Udo*, qui à principio Mariæ Virgini deſponſatus, ſed poſteà in perfectione acquiſitâ & conſummatâ cum ad Archiepiſcopatum perveniſſet, non Mariæ amplius, ut promiſit, adhæſit, verum Abbatiſſam in monaſterio Lilienthal Ciſtercienſis ordinis adamavit, & poſt aliquot noctes cum eâ conſumtas audivit vocem, dubio procul cœleſtem, qui ipſi inclamavit; *Udo ſatis jam luſiſti, deſiſte nunc. Deus aliàs puniet, ſi non ceſſaveris.* Quô facto cum non deſiſteret, à latere Abbatiſſæ abreptus, coram judicio collocatus, à S. Mauritio accuſatus, ab angelo condemnatus & dein capite plexus fuit ſingulis ſanctis poſteà evaneſcentibus, uti etiam poſteà ità reapſe contigiſſe compertum fuit, quemadmodum id refert ex *Trithemio*, *Bredenbachio* aliiſque *Geneal. Mar.* 23. *April. p.* 503. Memorabile ſane eſt, quod ex Legendâ Sanctorum de Nativ. Mariæ f 159. Norimbergæ per *Ant. Kobergerum* editâ inter Marianos vulgatur, quod Maria per 15 annos loco monialis pulcherrimæ *Beatricis* dictæ, dum illa in mundo in lupanaribus vitam ſcortatoriam exerceret, cuſtodis officium geſſiſſet, cum prius ipſa Beatrix ad altare in templo accedens, claves ad pedes Mariæ depoſuiſſet, & cum viro peſſimo ſe illinc abſtuliſſet, qui cum illâ ſcortatus repudiaret eam, deſperabunda in lupanar ſeſe conferebat, & tandem pœnitentiâ mota iterum in monaſterium ſe contulit & clavibus receptis à Maria dicente ad ipſam: *Revertere & redi in monaſterium, pæni-*

pœnitentiamque age; ſimulque ſcias me tuum officium intereà, nemine advertente optimè adminiſtraſſe. Simile exemplum refertur in eâdem *Legendâ Sanctorum f.* 246. *in* vitâ *Catharinæ*, quòd Abbatiſſa affectibus carnis devicta, cum equite abierit, & duos pulcherrimos pepererit infantes; Sed quia ante abitum S. Mariæ, claves ad altare deponendo, monaſterium commendarit, in reditu pœnitentiario à Mariâ audiverit; *eſſe tempus, ut ex mundo iterum ad monaſterium revertatur, & illa redeat ad cœlum ſe interim ſpartam illius nemine ipſius abſentiam ſentiente egregie ornaſſe.*

THESIS XLVIII.

VLterius ex benevolentia ſingulariſſima, qua Deus ſuos perſequitur, argumentum peti poteſt:

Quicunque tam benignus eſt erga alienos, Ethnicos, ut illis à peccatis in ſomniis caveat, ille multo benignior erit erga ſuos amicos in præcavendis peccatis.

Atqui Deus tam benignus fuit erga Ethnicum Abimelechum, ut illum in ſomnio à peccato meditato duntaxat dehortatus fuerit.

E. multo magis à peccati initio & continuatione ſuos filios & quidem familiariſſimum Amicum Abrahamum præſervabit. Et porro.

Quemcunque Deus à Polygamia neque per ſomnia, neque aliis dehortationum modis non abſtinet, ille Polygamiam tanquam rem indifferentem liberam, peccato vacuam permittit.

Atqui Deus ſuos fideles à Polygamia neque per ſomnia neque aliis modis dehortatus eſt.

E. ceu rem indifferentem, peccato carentem illorum libero arbitrio permiſit.

1: *Neque per ſomnia.* Deus multos modos atque infinita media impediendi & præcavendi ſcortationes & adulteria novit, quibus ſi ſe non ſolarentur pii Chriſtiani & reipſâ ſæpe non experirentur, mirum non eſſet ſi aut veri fideles ab omni conjugio non penitus abſtinerent, aut omnes virgines & uxores corrumperentur in hoc perverſiſſimo mundo, de quo Poëta Ethnicus Venuſinus ſcilicet jam ſuo tempore conqueſtus, cum canit:

Ætas Parentum. pejor avis, tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Et Seneca l. 1. de benef. c. 10. *Hoc majores noſtri queſti ſunt, hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi*: Nec abludit ingenioſiſſimus Anglus *Owenus*, dum libro ad Stuartam ſcripto Ep. 165. ſcribit:

Condiderit quamvis hominum Deus omnia causâ,
Bella tamen contra nos elementa gerunt.
Quàm multas Aër animas demiſit in orcum,
Peſtifer, ac letho res hominesque dedit:
Quàm propè Trojanum Londini ſenſimus ignem,
Incipit & fructus terra negare parens.
Fit melior nemo, cœlum noctesque diesque
Cum fleat, ac tellus crimina noſtra luat.
Terra licet madidis molleſcat ab imbribus, haut fit
Mollius { Anglorum / Evigenum } genus, quàm fuit ante,

Quò

Quò magis miranda atque æternis laudibus deprædicanda inexhauſta Dei bonitas, qui pudicitiam ſuorum in his ultimis mundi ſecibus imperſcrutabili modo contra omnes impuriſſimi ſpiritus inſultus gratioſiſſime conſervare dignatur. Non recurremus jam ad varia Marianorum remedia, quibus ſuis ἀπαρθενίας facilitatem perſuadere conantur, uti ſunt, *cruces ligneas & imagines adorare.* Sic enim narratur de *Religioſo* quodam *Franciſcani ordinis in Aquitania*, quod à Spiritu immundo graviter tentatus ſæpiſſime ad imaginem crucifixi, ſub quo Maria & Johannes ſtabant, prolapſus fruſtrà oraverit, & tempore quodam viſum ipſi fuerit, quaſi imago Chriſti faciem averterit, adeoque ille ſe ad Mariam & Johannem converterit, illoſque ſupplicibus precibus veneratus, ut cum Chriſto iterum reconciliare illum, & ab impuriſſimâ tentatione liberare haut graventur. Dictum factum. Maria & Johannes pro ipſo orant, & hoc reſponſum à Chriſto recipiunt; quod non miſericordià affici poſſet erga illum, qui ſui ipſius non miſereretur, & frigidis orationibus liberationem deſideraret. Hoc reſponſo duro ſatis inaudito, ad deſperationem fere adactus voluptatibus indulgere in animo habuit, ſed Dei gratiâ commotus ad crucis imaginem revertitur, & majori devotione imaginem ſupplicatus, Mariâ & Johanne intercedentibus & ſimul orantibus adjutus imaginem exaudit ita loquentem; *Jam eſt tempus miſerendi.* Quo facto tentatus illicò à tentatione liberatus eſt, ita ut palus in carne ab ipſo ademptus in ſolidum fuerit. *Mar. Geneal.* 28. *Jun. p.* 77. 617. *Wadding. t.* 2. *A.* 1253. Ita *Eremita in monte Oliveti habitans*, more ſolito legitur ſingulis diebus aliquot horas adorationi imaginis Mariæ impendiſſe, ſed à ſpiritu impudico maxime tentatum fuiſſe, qui etiam ipſi apparuit, dicens; *quam primum ceſſaveris hanc adorare imaginem, impuritate te non amplius tentabo, alias ego non ceſſabo, uſquedum conſentias.* Quo facto Eremita *Theodorum Abbatem* conſulit, qui reſpondit, quod, ſi inter duo hæc mala detur illi optio, potius impuritate inquinari, quàm imaginem adorare intermittere velit, quia invocatio imaginis Diabolum maximoperè cruciet. *Mar. Geneal.* 29. *Maj. p.* 657. Sic & *Ignatius* Mariæ Manreſanæ imaginem totâ nocte lacrymis colens perpetuam puritatem in ſummo gradu obtinuit. Nec mirum Chriſti & Mariæ imagines tanta patrare cum juxta Marianos non ſint inanimatæ, qui ora habent & loqui non poſſint, ſed experientia teſtetur, ipſas ſæpe locutas, uti Bernhardo contigit, qui Mariæ imaginem in genua provolutus adoravit, & cum dixerit: *Salve Regina*, clarâ voce imaginem reſpondentem audivit: *Salve Bernharde*, uti refert *Mariæ Gen.* 20. *Aug. p.* 225. Quas δουλείας & ὑπερδουλείας, uti vocant, imaginum, uti pro certiſſimo caſtitatis remedio habent, ita gratitudinis ergò nudas ſolent operire pretioſiſſimis indumentis, quia nudos homines veſtiant caſtitate. 23 *Jan. p.* 118. Quid verò de hâc Idololatria cenſendum ſit vid. *Conr. Deckeri* σταυρολατρείαν *Romanam* Hanov. 1617. in 8o. editam. *Danh. Hodom. Pap. p.* 1. *p.* 1212. *Hodom. Calv. ph.* 6. *p.* 7126. *Id. Bon. Interpr. p.* 29. *Dorſchei Vind. in Ex. p.* 86. *Mart. Geier. Conform. Iudiaco-Pontificiâ d.* 3. §. 9. *Rivet. Cathol. Orthod. t.* 1. *p.* 438. *Giſbert. Voët. Diſp. Sel. III.* 884. 893. *Valken. Id.* 247. *Broehm. Syſt. II. p.* 63. Eandem efficaciam Mariani etiam aſcribunt *reliquiis Sanctorum* in corpore portatis, aut collo appenſis, veluti narrant de famoſo quodam Epiſcopo, quod cum eſſet adhuc in perfectione acquirendâ, necdum Epiſcopus, dimiſſâ familiâ, aperuerit fœminæ pulcherrimæ deſiderium concumbendi cum illâ, quâ conſentiente abit cum illâ in locum ſeparatum, ſed conſpectis reliquiis animum mutavit, aliudque hypocauſtum intravit, & amico pulſanti omnia detexit, quòd reliquiarum interventu à re obſcœnâ deterritus fuerit, & ea propter ſe majorem poſtea honorem reliquiis exhibiturum. *Liber Vill. FF. Eremit. D. Auguſt. & Mar. Geneal.* 23. *Mart. p.* 369. Idem Judæi aſcribunt ſuis Zizis Num XV. aut, ut Chriſtus vocat, φυλακτηρίοις, de quibus vid. *Buxt. Synag. Jud. c.* 2. *p.* 138. 139. uti hiſtoriam recenſet de *Studioſo* quodam cum meretrice famoſa rem habituro, ſed aſpectu memorialis illius ſeu Zizorum, abſterrito, ita ut illa fœmina hoc ipſo mota alios mores aſſumſerit, Judaicamque fidem amplexus cum prædicto

illo

illo ſtudioſo matrimonium inierit honeſtiſſimum. & p. 140. memorat, quod Rabbini aſcribant his zizis, quòd *Boas* à concubitu Ruthæ noctu clanculum ipſi approximantis & *Joſephus* ab impudica Patipharis uxore præſervati fuerint. Adeò ut mirandum non ſit, tantam ſi non majorem ineſſe vim ipſis Sanctorum reliquiis, uti *Mariæ Geneal.* 20. *Aug. p.* 227. refert de Fœmina quadam in civitate Nantes, quòd cum Diabolo, qui ad inſtar militis ipſi apparuit, rem habuerit, & poſtea ſæpe noctu in præſentia ipſius mariti dormientis cum illa ab ipſo maximopere vexata, tandem *Bernhardi baculum* in lecto poſuit, quo Diabolus abactus nunquam rediit. Nec minore efficacia gaudet *Aqua benedicta*, corporibus, cellis, tectiſve aſperſa. *Franc. Coſter. Jeſuita de Godal. Mar. Virg. p.* 333. veluti etiam legitur de B. Maria, (ſub cujus *pallio aliquando totus ordo Dominicanorum viſus fuit*) quòd Dominicanos non tantum in choro *Salve Regina* canentes, ſed & in dormitoriis diligentiſſime viſitarit decumbentes, illiſque aqua conſecrata & cruce ſancta benedixerit, unico excepto, qui in lecto non adeò decenter & caſte decubuerit, adeoque ſe indignum Mariana benedictione reddiderit, uti narrat *Mar. Geneal.* 4. *Aug. p.* 158.

2. *Neque aliis dehortationum modis.* Viæ nempe Dei ſunt imperveſtigabiles, & modi illi ſunt inenarrabiles, quibus Deus in præſervandis fidelibus à peccato utitur, Quilibet tamen Chriſtianus cum Gubernationem Dei mundanam intimius inſpicit, & ſuum quoque curriculum vitæ exactius ſcrutatur, atque ruminat, facilè ſagaciſſimam Dei bonitatem deprehendet, quam circa peccati initia progreſſum & finem mirificè obſervat. Mariani inter alia media caſtitatis illius votariæ numerant etiam *Interceſſionem Mariæ*, veluti de *Philippo Nerio*, Fundatore Congregationis Oratoriæ, narratur, quod per Mariam (ſecus ac Chriſtus Joh. 16, dicit: *quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*) ejuſque interceſſionem obtinuerit; ut perinde ipſi fuerit, mulierem aut lapidem tangere & aſpicere ita ut mediantibus malis hominibus cum in ipſius camerâ incluſæ eſſent duæ pulcherrimæ quidem, ſed impudicæ tamen mulieres, Mariæ interceſſione tantam deportarit victoriam, ut mulieres ipſo adventante perhorreſcentes ſe abdiderint, ipſumque neque aſpicere neque alloqui auſæ fuerint. *Mar. Geneal.* 27. *Maj. p.* 644. Quibus & ſimilibus exemplis repletæ ſunt Legendæ Sanctorum. Sicuti etiam de ſimplici quodam crucigero legitur, quòd per triginta annos virgineam caſtitatem ſervarit, ſed tandem à Spiritu impuro tentatus, non obſtante quod multas noctes coram altari Mariæ fletu & oratione devotiſſimâ illius auxilium implorarit; nihilominus impudicis cogitationibus indies creſcentibus ſibi ſuccumbendum putarit, tandem verò in ſuis precibus hanc audaciam dicam an confidentiam uſurpavit, ut cum Mariam ornatam aureâ, Gertrudem verò viliori coronâ deprehenderet, Mariæ virgini minaretur, niſi ipſum citò à tentatione liberaret, ſe velle ipſi adimere auream coronam, & Gertrudi imponere. Cumque ſimplex ille homo manum ideò extenderet, tentatio in ſolidum receſſit ac in virginitate conſervatus & confirmatus fuit æternâ, itaut hoc in caſu peccare non poſſet. *Geneal. Mar.* 2. *Mart. p.* 282. Et quid Mariæ interceſſio non poſſet, cum ipſi filio imperare poſſit, uti conſtat ex communi cantilena in Eccleſia Mariana maximè uſitata: *Jube filio felix puerpera, Jure matris impera Redemtori.* Quod *Caſſander Conſult. ſuper* 21. *artic.* maximopere taxat, cum dicit; *eo deventum eſſe, ut Chriſtus in cælo regnans matri ſubjiciatur.* Quin etiam, ſupra angelos omnes elevata, ceu mater Dei regit & gubernat omnia. Quemadmodum narratur de *Alexandro Bertio*, piiſſimo, uti dicitur, Jeſuita, qui A. C. 1608. vitam cum morte commutavit, quòd ſæpè interfuerit choris angelorum, & à Maria habuerit duos angelos, ipſi aſſignatos, qui caſtitatem ipſius cuſtodirent, quin etiam ipſa, cum literis incumberet, aderat, & folia librorum vertebat, *Geneal. Mar.* 28. *April. p.* 522. Sic etiam Maria cum duobus angelis aliquando apparuit Hermanno Præmonſtratenſi, ſeque ipſi deſponſavit, nomenque ejus mutavit, ac Joſephum ob caſtitatem appellavit. *Mar. Geneal.* 5. *April. p.* 428. Similiter de *S. Clarâ* ſcribitur, quòd ipſi quo-

quotidie ſexaginta angeli miſſi fuerint, qui ab omni impuritate reſervarint, & ſecum in cœlum adduxerint, ubi ad tempus cum Mariâ ſanctisque converſata fuit. *Mar. Geneal.* 3. *Jul. p.* 11. Sic etiam de S. Cæciliâ Romæ legitur, quod ſemper ſecum habuerit angelum, qui ipſius caſtitatem conſervaret, & ſæpè ab ipſa conſpectus fuerit. *Mar. Geneal.* 22. *Nov. p.* 677. Quòd ſi vero ſpiritualis caro laſcivire cœperit, angeli media norunt, quibus domari & ſubigi poſſit, unde de *Serino* Eremita legitur, quòd aliquando impuris cogitationibus vexatus, à Deo donum continentiæ devotiſſime petierit, & nocturna viſione ab angelo ipſi venter apertus, & ignitum carnis fruſtulum exemptum fuerit, ità ut poſteà ne minimum quidem pruritum ſenſerit. Sed talia Exempla non leguntur multa, ſi quidem angeli multa haberent, quod agerent, ſi omnes impudicos *execare* deberent, quod quidem eſſet præſentiſſimum remedium caſtitatis ſervandæ. *L. Oſiand. Cent. V. l.* 1. *c.* 43. *p.* 21. Licet verò angeli non ſemper hoc utantur medio, habent tamen & alia, æternam caſtitatem promoventia. Ita de *Euſebio* in ipſius Legenda narratur, quod ob pulchritudinem ejus fœmina quædam ipſum adamarit, & magno deſiderio cum ipſo concumbendi affecta fuerit; unde noctu exiens cellam ejus quæſivit, ſed nuſpiam in tota urbe circumvagata reperire potuit, ſiquidem angeli ipſius cellam ita cuſtodierint, ut impudica iſta mulier ad ipſum pervenire non potuerit. Manè vero ad ipſum venit & appetitum confeſſa ſuum deprecata & in genua provoluta eſt. Si verò angeli ſanctulis iſtis non adſunt, inveniantur alii Sancti, qui eodem pacto fideles ab impuritate præſervare dicuntur. Sic in Legenda S. *Agnetis* legitur de quodam ſacerdote, quod illam maxime amaverit, & à Papa mandatum acceperit ut monaſterium in gratiam Dei & *S. Agnetis* denuò reædificaret, ſimulque diceret; *Agnes, tibi erit deſponſata*, atque ipſi traderet annulum ſmaragdinum pronubum, Agneti dandum. Quo facto ſacerdos exhilaratus ad templum Agnetis ſe conferebat, & imagini ipſius annulum porrigebat, quæ etiam digitum extendiſſe & annulum recepiſſe dicitur, ſicuti illa imago adhuc hodie Romæ in templo Agnetis viſitur. Illa deſponſatio vero fuit facta, ut tentatio impudicitiæ ſatis diuturna ab ipſo auferreretur, uti etiam per Gratiam Agnetis factum fuit. *Legend. Agn. f.* 316. *Norimb. per Anton. Kobergerum A. c.* 1488. edita. Similiter de *S. Seboldo* narratur, quod viginti annis à morte ſua laſcivo Monacho *alapam* inflixerit. *Legenda Sebold. f.* 127. *Ant. Koberg. A.* 1488. Eadem patravit Dominicus, cum juvenculus Monachus ordinibus exire & monaſterio exire cuperet, eaque propter veſtes ſuas mundanas deſideraret; quas cum Dominicus afferri curaret, & pro ipſo oraret, induſio induto clamavit ille Monachus, *induſium me urit, nec poſſum pati*, ejuravitque habitum mundanum. *Leg. SS. Domin. p.* 97. *Anton. Koberg.*

THESIS XLIX.

MUlti quidem hic regerunt, *Patriarchas ex ignorantia peccaſſe.* Verum enim vero quis audebit dicere Patres cum quibus Deus tam familiariter locutus eſt, ipſius voluntatem ignoraſſe. Imo Deus obligatus fuit ut ſupra dictum eſt in promulganda lege ita ſe gerere, ne ſubditi ſe ignorantia excuſent. Quin etiam ſuis fidelibus, quibus major lux competit, tenetur ignorantiam peccatorum adimere. Si enim Deus Ethnico Abimelecho ignorantiam præmeditati ſaltem adulterii exemit, multo magis ab intrinſeco amore com-

pelletur ad eximendam filiis ſuis, quibus majus lumen debetur, Polygamias illegalitatis ignorantiam. Unde ita iterum inſurgo:

Cuicunque Deus ignorantiam putatitii peccati Polygamias non eximit, ad quod lumen uti dictum eſt ceu legislator, imo Pater obligatur, ille Polygamiam ceu rem indifferentem peccato carentem concedit. Atqui Deus ſuis fidelibus ignorantiam putatitii peccati Polygamias nunquam exemit, ad quod tamen vilegilaturæ & maxime paternitatis fuit obſtrictus. E. illis ceu rem eximiam ſeu è numero peccatorum exceptam conceſſit.

Ut hæc eo melius capiantur, ſciendum eſt, *ignorantiam* conſiderari vel *ratione influxus in actionem*, vel *ratione originis*. Priori pacto erit duplex, alia enim eſt cauſa ejus, quod ignoranter fit, alia non. Illa poſſit vocari *efficax*, hæc *concomitans*. Illa negat in intellectu eam cognitionem, qua præſente actio fuiſſet impedita. Qualis erat in Abimelecho Gen. xx. 4. 5. (de quo modo diximus) qui ſi cognoviſſet Saram Abrahami eſſe uxorem, nullatenus ad eam ducendam animum fuerat applicaturus. Hæc negat in intellectu eam cognitionem, quæ factum non impediiſſet, ita ut aliquis nihilominus id facturus fuiſſet, etſi cognoviſſet, quod ignoravit. ut ſi quis improviſo hoſtem ſuum occiderit, quem nihilo ſecius occiſurus erat. Ratione *originis* ignorantia vel eſt *voluntaria*, vel *involuntaria*. Illa quibusdam etiam appellatur conſequens & vincibilis, hæc *antecedens* & *invincibilis*. Illa ſive ſit directe affectata, ſive per oſcitantiam & ſocordiam contracta, eſt cum quis ea ignorat circa certam rem, quæ nec ſcire poterat nec tenebatur. Ignorantia porro *invincibilis* eſt vel *talis in ſe*, *ſed non in ſua cauſa*, vel *in ſe & ſua cauſa ſimul*. Illa eſt, quando quis in ipſa quidem actione ignorantiam exuere nequit, in culpa tamen eſt, quare in eam ignorantiam inciderit. Ut cum ebrius peccat. Hæc eſt, quando quis non tantum ea ignorat, quæ ſcire ante actionem non potuit, ſed etiam in culpa non fuit, cur in iſta hæreret ignorantia. vid. *Ariſt. Nicom.* 11. *c.* 1.

1. *Ex ignorantia peccaſſe.* Excuſantur meritò illi, qui ignoranter peccant, & legum notitiam aut intellectum non habent, uti ignorantia legis ſi inevitabilis ſit, tollit peccatum, ſi verò cum aliqua negligentia conjuncta minuit delictum, in foro humano. *Grot. de Jur. Bell. & Pac. p.* 339. caret enim dolo, qui in delictis puniendis imprimis attenditur. *Celſ. Bargat. de dol. l.* 4. *c.* 7, *n.* 3. *Farinac. q.* 87. *n.* 4. *Andr. Tiraque de pœn. temp. cauſ.* 15. *n.* 2. Non verò excuſat, ſi ſcire quis debuit, ignorantia e. gr. in putatione arboris, ut maximè ignores aliqnem præterire, qui tamen ſcire debuiſti, ex dejectione rami damnum dari poſſe, proclamare debuiſti, idque ſi non feceris, teneris. §. 5. *Inſtit. de leg. Aqu.* Unde Deus ipſe *Levit.* 4. *ſacrificia* ordinavit *pro peccatis ex errore & ignorantiâ* perpetratis, à ſacerdotibus, à populo, à principe, ab idiota ſeu plebejo. Ubi Rabbini dicunt, quod Synedrium Magnum, ſi erraverit, ſacrificium offerre debeat, & non prout convenit in transgreſſionibus gravioribus quibus excidii ſupplicium debetur, procedere debeat, idemque integer cœtus aut maxima ejus pars ad mandatum illoru fecerit.

fecerit. q. d. Et, ſi integer cœtus Iſraël erraverit, & latuerit res in oculis congregationis. &c. *Lev.* 4. Rationem hujus præcepti hanc afferunt, ut Proceres ſeu primores populi erroris in re manifeſtâ convicti, adeoque ex infirmitate intellectus lapſi *veniant in ædem, ubi influxus intellectus, ſacrificium ibi peracturi, ſicque virtute operis illius ad animum revocent tenuitatem* (abjectam conditionem) *animæ ſenſitivæ, & præſtantiam animæ rationalis rectificatæ, emundatæ. & beneficio hujuſmodi cogitationum, puræ adeoque in demonſtrationibus ſuis cautè ſemper procedant & prudenter.* Prolixi ſunt Thalmudici in hâc materiâ, ob varietatem caſuum. Unde dicunt, *eſſe errorem in demonſtrationibus judicialibus, ob quem tenentur domus judicii offerre ſacrificium; non autem illi, qui mandatum ejus ſequantur, & eſſe ob quem, qui ſequitur reus ſit, non autem Proceres aut Synedrii Aſſeſſores.* Quando autem vel primores vel ſubditi hujus ſacrificii damnentur, fuſe in Thalmude & à Maimonide diſputatur, Compendium vid. in *Hil. Scheg. c.* 12. & deinceps *R. Levi Chinn. p.* 48. Certum eſt, ſatis caviſſe Rabbinos ſuæ famæ & autoritati, ne ſibi crebrius, quàm vulgo πλημμελῶντι ſacra hæc incumberent. Omnem ergò moverunt lapidem, ne error per ignorantiam commiſſus Synedrio toti, (nam niſi demonſtratio à toto conventu LXX virali conſentiente Rectore facta fuerit, irrita exiſtimabatur) potius, quàm plebi tribueretur. Sed & ipſum utriuſque partis ſacrificium definiunt. R. Maimon l. c. c. 15. ait ab idiota ſeu plebejo πλημμελῶντι expectari *agnam ſeu capram, à Principe hædum, & à ſacerdote uncto* (i. e. ut R. Levi explicat, qui unctus eſt oleo unctionis) *juvencum*, quod & à Synedrio exigit *R. Levi.* vid. plura in *Horai. Zebach*, & in *Lev.* 4. 27. qui commentati fuerunt, ubi dicitur, quod *omnis, qui ex ignorantiâ commiſerit peccatum ex peccatis gravioribus & notis, ſacrificium offerat pro peccato*, ſeu ut textus habet, ſi anima aliqua peccaverit per errorem de populo terræ faciendo unum ex præceptis Jehovæ, quæ non ſunt facienda & deliquerit, offeret oblationem ſuam capellam. &c. Vocant autem hoc ſacrificium *conſtitutum ratum fixum* propterea, quia hoc ſacrificium *ſemper ex animali conſtat neque ei accedit quicquam vel decedit ex offerentis vel opibus vel paupertate.* Sed & hoc obſervant, *Peccata quibus deſtinatum ſacrificium pro peccato, ea eſſe, quæ elatâ manu ſeu protervè commiſſa, excidii pœnâ caſtigentur.* Excipiuntur tamen tria peccata, uti Thalmudici dicunt: *Tria ſunt in lege peccata quibus etſi deſtinatâ malitiâ commiſſis, debeatur excidii pœna, eadem tamen ex errore patrata ſacrificio non expiantur; nempe blaſphemus, irritam reddens circumciſionem & Paſcha non celebrans.* Pro cœteris omnibus ſacrificium offerunt fixum. Exceptis *pollutis illis, qui vel ſanctum edunt, vel ſanctuarium ingrediuntur, qui, etſi protervè peccantes puniantur excidio, non tamen offerunt ſacrificium fixum, ſed ſacrificium aſcendens & deſcendens* (i.e. mobile) *avem vel farinam.* Numerant autem Rabbini πλημμελήματα 43. ob quæ ſinguli ſacrificium fixum offerre tenentur. Requirunt & hoc Magiſtri, à reo hujus ſacrificii, ut *ſit peccator per errorem ab initio ad finem.* Cœtera, quæ huic rei lucem afferre poſſunt, pete ex *Talmud. cod. Horajoth. Kerith Schabb. Schebbu. Zebach.* Habet verò hoc præceptum ſemper locum, habuitque *tempore templi in utroque ſexu: qui autem tranſgreſſus non obtulerit ſacrificium propter errorem ſuum, irritum facit affirmativum.* Ex quibus omnibus ſatis patet, quàm gravia in oculis Dei etiam ſint peccata per errorem & ex ignorantia commiſſa, ut peculiaria etiam ſacrificia pro iis populo ſuo injunxerit, & quidem diverſa diverſis & ſingularia ſingulis, adeò ut aliud ſacrificium offerret Paſtor aut ſacerdos ſi per ignorantiam peccaret, aliud plebejus, aliud Princeps; aliud populus. Ex quo conſequitur, nullo modo probabile eſſe Patriarchas, Reges, totumque populum Judaicum per tot ſecula & duo millia annorum in ignorantiâ fuiſſe, utpote quibus Deus ſuâ familiari quaſi præſentiâ, ſuiſque legibus, legumque interpretationibus Propheticis majus eruditionis lumen communicare voluit, ut non malè Pſalmiſta dicat: *Taliter non fecit ulli nationi, nec facit.* Quod ſi ergo hanc gratiam nulli facit nationi, quo pacto gloriari poteſt hodierna natio Anti-Polygamica de majo-

majori prærogativâ præ populo Judaico, ſeu de revelatione illegalitatis Polygamiæ; Certè Judæi erant diligentiſſimi in ſcrutandis legibus divinis, adeò ut ſingulos apices etiam obſervarent, hæc tamen in *Capite ſecundo Geneſeos*, aut *Lev.* 19. aut *Mal.* 11. leges Polygamiam prohibentes reperire potuerunt, uti muſtei noſtri Anti-Polygamuli ſe jactent inveniſſe ibi, ſcilicet non quod pueri in faba. Judæi à teneris unguiculis legibus divinis innutriebantur, uti notum eſt illorum πολυθρύλλητον quod ſi me memoria in hoc morbido meo ſtatu non fallit, ita ſe habet; *Natus* 10. *annos ad Miſchna, viginti annos ad Sanhedrim: 30 annos ad Biblia.* Inter Marianos ſæpe ſumma datur inſcitia non tantùm inter plebejos qui carbonaria fide ſunt contenti, ſed vel maxime inter clericos; uti jam olim ſui ſeculi mores reprehendit Guilielmus Malmesburienſis l. 3. *Literarum*, inquiens, *& religionis ſtudia obſoleverant; Clerici literaturâ tumultuariâ contenti vix ſacramentorum verba balbutiebant; ſtupori & miraculo erat cæteris, qui Grammaticam noſſet.* Petrus Damiani presbyteros ſui temporis non aliter deſcribit l. 4. Ep. 14. Epiſcopum quendam compellans in hunc modum: *quia te ſacerdotii culmen in Eccleſiâ tenere conſpicio, & ineſſe quoque tibi ſacerdotalem animum fiducialiter credo, dolorem cordis mei, qui me de ſacerdotibus cruciat, tibi potiſſimùm communicare decerno. Per Epiſcopalis enim torporis ignaviam, ita nunc presbyteri literarum reperiuntur expertes, ut non modo eorum quæ legerint, intelligentiam non attingant, ſed ſyllabatim quoque vix ipſa dccurrentis articuli elementa balbutiant.* Et porro: *Per Pſeudoſacerdotum ignorantiam, qui docere Dei populum neſciant, fieri, ut alii, quorum Deus venter eſt, & terrena ſapiunt, luxuriam colant, alii avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus venerentur, alii rapinis, alii perjuriis, alii homicidiis, alii veneficiis ſacrilegâ devotione deſerviant, & ſic diverſis criminibus tanquam ſimulacris & ſculptilibus obſequium ſervitutis impendant.* Eandem querelam ante hos centum annos prolixè repetiit *Claud. Eſpencæus* in Epiſt. ad Cardin. Borbonium præfixâ libris Digreſſ. in 1 Ep. Paul. ad Timoth: *Ignorantiæ teſtes ſunt cathedræ, à paſtoribus jam olim relictæ, & aa fraterculos mendicantes relegatæ, quædam quaſi viduæ miſerabiles, vel ſponſæ potius à Viris repudiatæ, & mercenariis paſſim ſub annuo cenſu contra juris præſcriptum locatæ, ac veluti proſtitutæ. Veſtra enim, veſtra erat. o Sanctiſſimi Epiſcopi, ea diſciplinæ doctrinæque poſſeſſio, in quam quaſi caducam atque vacuam* i. e. *à vobis ceu vobis indignam relictam, fraterculi,* (quod de Græculis ait Tullius) *& otio & literis abundantes, vobis alio diſtentis & occupatis aliaque multò curantibus involaverunt. Nam quo quæſo modo in paſcua divinorum educet eloquiorum paſtor idiota? Sed &, ſi doctus quidem fuerit, non item bonus, verendum, ne non tàm nutriat ubere doctrinâ, quàm ſterili vita noceat. &c.* Ita nota eſt querela *Agobardi* Lugdunenſis in Gallia Epiſcopi in *tr. de privil. & jure ſacerd.* Quæ etiam ſatis docet, quanta tùm temporis inter ſacrificulos fuerit ruditas & morum pravitas. Notatu dignum, mirandumque quòd refert *Petr. Suav. hiſtor. Concil. Trident. p.* 293. in Concilio Tridentino aliquando inter ſexaginta Epiſcopos non repertum ullum, qui ſpatio quatuor horarum ad præmeditandum dato concionem habere potuiſſet. Sed mirari deſinet, qui ſecum perpendet, quibus artibus Mendicantes fratres docendi munus in Eccleſia ſibi vendicaverint. Factum enim exinde, ut Epiſcopi & Parœciarum Rectores ſoliti ad id tempus ſacras conciones ad populum habere, deinceps in alto quaſi otio vixerint, quemadmodum in *tertio libro Annal.* obſervat *Papirius Maſſonus.* Atque hoc pacto officium ab Epiſcopis diu neglectum fratribus mendicantlbus ceſſit, cumque id Epiſcopi in concilio Tridentino ſibi quaſi poſtliminiò vindicare ac reſtituere conarentur, ab Mendicantibus haut pauca audire oportebat ſibi nec grata, nec decora, uti nos docet *Petr. Suav. hiſt. Concil. Trid. p.* 185. 186. Id magis miror. non improbari à Pontificiis iſtam Epiſcoporum ignorantiam & pigritiam. Scripſit alicubi *Hieronymus*, Paſtorem non eſſe appellandum, qui non poſſit docere, quos paſcit. Iſta verba non ita eſſe accipienda ſcribit *Sixt. Senenſis Bibl. l.* 6 *ann:* 301. ut credamus, neminem eſſe Epiſcopum & Eccleſiæ Paſtorem, qui non doceat

aut docere non poſſit, ſed eum, qui nec per ſe nec per alium docere curat, indignum eſſe Paſtoris dignitate ac nomine. Male igitur *Lancellotus Inſtit. Jur. Canon. l. 1. tit. 12. dicit*, Epiſcopum docere debere, quæ ipſe didicit, cùm ſufficiat alium didiciſſe, per quem deinceps doceat Epiſcopus. Et hinc igitur ſatis excuſatur ruditas Epiſcoporum, ſi Diis placet. Maxime autem omnium miror, Pontifices Summos non adeò paucos inventos fuiſſe, qui parùm ſcientiæ habuerunt. Scribit enim *Alſonſus à Caſtro*, plures eorum adeo illiteratos fuiſſe, ut Grammaticam penitus ignorarent, *l. 1. adv. hæreſ. c. 4. fol. 6.* Et tamen pro ſacrilegio habitum olim, ſi quis divinæ legis ſanctitatem aut neſciendo confunderet, aut negligendo violaret & offenderet. *l. 25. C. Theod. de Epiſc.* & ibi *Gothofredus*. Peccare etiam ſtatuitur, qui Epiſcopi munus ſuſcipit, & ignorat ea, quæ ſcire tenetur. *Greg. Sayr in clav. Reg. l. 2. c. 9. n. 31.* Refert *Sozomenus l. 4. c. 23.* Neonem Seleuciæ urbis Iſauriæ Epiſcopum abdicatum fuiſſe, quod nonnullos ſacrarum literarum legumque Eccleſiæ ignaros Epiſcopos conſtituiſſet. Sed hodie ejuſmodi Rectoribus coadjutores adjungi ſolent, uti habet *Auguſt. Barboſa de Jur. Eccleſ. l. 3. c. 10. n. 12.* Neque etiam charitas unquam ſupplere poteſt ea, quæ ad regimen Eccleſiæ conferre debet ſcientia. Voluntas enim hominis intellectus munia non occupat. Charitas inſuper humana, quantacunque ea fuerit, tota eſt imperfecta, & modis omnibus corrupta atque depravata. *Non opto Polyhiſtores*, inquit Claud. Eſpencæus l. 3. digreſſ. c. 9. *vel certè non ſpero, at multo minus admitto idiotas. Quid ergo proderit, ſi cui vel exhortandi bonos vel caſtigandi malos cura commiſſa eſt, benè vivendo bonis imitandum ſe exhibeat, & malos tacendo non corrigat? quia ad hoc eſt Eccleſiæ Dei præpoſitus, ut non ſolum benè vivendo alios exemplo ſuæ converſationis inſtituat, ſed etiam fiducialiter prædicando ſingulis ſua ante oculos peccata conſtituat. Et ſanctè igitur vivere debet propter exemplum; & docere propter officium. &c.* Qui plura deſiderat de inſcitiâ, imperitia & Priſcianiſmo ſcilicet Clericorum, Epiſcoporum & imprimis Papæ, evolvat ipſum Baron. Sedis Papalis cœteroquin aſſertorem acerrimum, *ad A. C. 362. t. IV. p. 63. Hulſem. Animadv. in Bell. t. 1. Danh. Antichr. 709. Hodom. Pap. l. 38. Zaem. Coll. Ratiſb. p. 87.* ita ſtolidam Sententiam Anacleti *C. S Sancta. D. 22.* & Vigilii P P. Cepham eſſe primitivum κεφαλὴ defendere non veretur *Conz. q. 2. in Matth. X.* Epiſcopus Calinenſis teſte Henr. III. nec Grammaticam didicit, nec *Donatum. c. fin. de ætat. & qualit. præfic.* Et credibile eſt, quia R. Epiſcopi *l. 7. decret.* abſque *titulo de V. Signif.* ediderunt, futurum propediem, ut lacunam hanc expleant, & ſub indignatione Petri & Pauli, mandent, ne vox *Eccleſia* porro quippiam deſignet, niſi curiam Romanam, vox *fidei* verihabitionem hiſtoriarum, vox *juſtificationis* habituum infuſionem, v. *conſecrationis* Transſubſtantiationem, v. *urbis* Romam. v. *miſſæ* ſacrificium. Nomina in A. habeantur pro maſculinis ut Johanna Papiſſa, aut Papa Lucretia. Omnia in Us deſinentia habeantur pro fœmininis, ut frater Theodorus, Fr. Marinus quæ fuêre fœminæ ſub habitu virili inter Monachos converſantes. &c.

THESIS L.

NOnnulli hic excipiunt, aſſerentes, Deum in fidelibus ſuis ita *diſpenſaſſe & permiſiſſe.* Verum enim vero hic reſponſionis loco addo verba ſupra laudati Theologi in tr. de Leg. *Renatis ſeu fidelibus minime permittitur, ut in legem Naturæ & Decalogum peccent, & injuſte, inhoneſte, turpi-*

turpiter agant. Nam ſi nemini permittit, nec permittere poteſt, quia à ſuametipſius juſtitia & ſematipſo deficere non poteſt, minime omnium renatis & juſtificatis permittet. In his enim juſtitiæ ſuæ imaginem peculiari & perfectiori modo relucere vult, quam in ullis aliis. Hæc eſt voluntas Dei veſtræ Sanctificationis, ut quilibet vas ſuum retineat & conſervet in Sanctitate & honore, non in concupiſcentia, ut Gentiles Deum ignorantes. Deus enim nos non vocavit ad impuritatem, ſed ad Sanctificationem. 1 Theſſ. 4. 3. 7. *Quamobrem lex juſto non eſt poſita.* 1 Tim. 1. 9. *non quod juſtus lege non obligetur, vel legem obſervare non teneatur, ſive legibus ſolutus ſit, ſed quod cum ductu & inſtinctu Spiritus Sancti ſua ſponte legi obtemperet, & quæ Deo grata agat, ipſum minis legis à peccando retrahi & deterreri nil opus ſit. Juſtus non eſt ſub lege cogente, terrente, & condemnante, tamen ſub lege obligante & dirigente eos in via Sanctitatis & juſtitiæ per quam omnino ambulare oportet.* Et in alio loco inquit ille ipſe Theologus: *Omnis permiſſio ſeu diſpenſatio præſupponit ſi non prohibitionem ſaltem libertatis impedimentum. A lege vero Naturæ ſeu præceptis Decalogi nemo eximitur, vel licentiam contra faciendi impetrare poteſt, ne ab ipſo quidem Deo, id eſt diſpenſare in lege naturæ ne Deus quidem poteſt, ſeu manente eodem objecto & iisdem circumſtantiis non poteſt fieri, nec autoritate divina concedi, ut id ab homine citra crimen aliter vel contra tractetur, quam lex naturæ exigit. Si concederetur, Deus æternæ legi & juſtitiæ, quæ ipſe Deus, derogaret, ſive utramque everſum iret, quod cogitatu abſurdum impiumque. Dico autem* manente eodem objecto & iiſdem circumſtantiis, *Deus enim illa mutare poteſt. Mutatis poterit actio non eſſe contraria legi* Naturæ, *quæ manentibus contraria fuiſſet. Rem alienam invito Domino ſine peccato nemo poteſt auferre, nec ut auferat, cuiquam à Deo vel præcipi vel permitti, quamdiu manet aliena. At quando Iſraëlitas auferre juſſit Ægyptiorum aurea vaſa, autoritate ſua Suprema hæc ipſa in mercedem maximorum laborum, quos urbes Ægyptiis ædificando exantlaverant, adjudicavit, atque adeo, ut quæ prius aliena, jam propria eſſent effecit. Iſraelitæ igitur ex Ægypto res non alienas ſed ſuas aſportarunt.* Hactenus ille.

Ex quo ſatis patet neque permiſſionem vulgo prætenſam neque diſpenſationem hic locum habere. *Permiſſio* vel eſt *plena*, quæ jus dat omnino licitè agendi vel *ſemiplena* aut minus plena quæ impunitatem dat à pœnâ, aut libertatem ab impedimento aut utrumque. Inter homines impunitatem nonnulla habent. vel quia deficit forum humanum, ut in delictis Regum, vel quod lex humana eâ de re nihil planè conſtituit, vel quia ut hoc liceret definivit, vel denique quia leges civiles multa cujuſque pudori & honeſtati voluerunt relinquere. *v. l.* 144. *D. de regulis Iuris*, & ibi notara *Jacobo Gothofredo*. Poteſt verò illa permiſſio fieri vel *actione ipſa legis. vel taciè.* Ad illam etiam communiter refertur præteritio non quidem ſimpliciter, ſed ex formulâ & conſilio legis, v. g. ita conceptæ, ut legis-

lator

lator oſtenderit, ſe voluiſſe plenâ enumeratione partium defungi. Tunc enim permiſiſſe cenſetur, quod inter vetita non recenſuit. Tacitè permiſſa intelliguntur, quæ tolerando, connivendo, diſſimulandoque vel in præſens, vel in longum, ut in conſuetudinem veniant, tranſmittuntur. Hoc inſuper notandum, quando aliquid dicitur permiſſum, quod nulla lege volente aut jubente definitum eſt, non eſſe cavillanda verba legis, ſed mentem inſpiciendam. Multa enim continentur in ſenſu legum & ex neceſſaria conſequentia aut propter ſimilitudinem ultro ineſſe intelligentur. vid. Boecl. ad Grot. l. 1. c. 1. §. 9. Nec ſecundo diſpenſatio quæ nil aliud eſt quam exemptio ab obligatione legis, huc applicari poteſt. In aliis quidem legibus ultro largimur, quod cum legislator legem ipſam abrogare poſſit, ejuſdem etiam effectum in certa perſona poſſit ſuſpendere, ita tamen ut in indulgenda diſpenſatione prudentiam adhibeat, ne dum ea promiſcuè conceditur, vis & autoritas legis enervetur, vel ſi citra graviſſimas cauſas aliquibus, qui ſunt ejusdem conditionis, denegatur, invidiæ & indignationi cauſa præbeatur, quod æquales æquali gratia digni non ſint habiti. Exemplum ſubtilis diſpenſationis extat apud *Plut. Apoph. Lacon. & in Ageſ.* ubi Ageſilaus leges ad unam diem ſuſpendit ne infamiam ſubirent, qui ex acie aufugerant. Sic apud *Eundem Demetrio* cum Demetrius omnibus myſteriis ſimul initiari cuperet, & tamen antea fas fuiſſet, parva quidem myſteria menſe Antheſtereone, magna Boedromeone celebrari, *Stratocles* legem promulgavit, ut menſis Munichion, quo Demetrius Athenas adventabat, Antheſtereon, mox Boedromion diceretur & haberetur. Favorabilius eſt, quod *idem Demoſthene* refert, cum ab exilio revocatus Demoſthenes mulcta diſtrictus pecuniaria maneret, quam gratis jus non erat remittere, hoc pacto ἐσοφίζοντο τὸν νόμον; *eludebant legem.* Morem habebant, ut Jovis Servatoris ſacrificio ei, qui aram inſtrueret, & adornaret, argentum penderent. Hoc munus & illa præbenda Demoſtheni locaverunt L. talentis, quanti & lis ei fuerat æſtimata. Et ut redeamus ad noſtram Polygamiam aſſerimus ex natura ſua in ſe licitam, & nullo præcepto divino prohiberi, adeoque nulla permiſſione ſingulari aut diſpenſatione particulari opus eſſe, quippe cujus etiam modus & tempus non poſſit probari.

1. *Diſpenſaſſe & permiſiſſe.* Magnus Theologus Polygamus quoque ſed ſucceſſivè, qui adhuc in vivis, difficultatem in hâc materiâ probè perſpiciens in tantâ eruditione ingenuam imbecillitatis humanæ confeſſionem edidit, quando in eruditiſſimis ſuis obſervationibus Biblicis ad *Lev.* 18. *v.* 18. ſic ſcribit. *Utraque ſententia tum de diſpenſatione, tum de nudâ permiſſione ita comparata eſt, ut probabili ratione videatur ſuſtineri poſſe, difficultate ſua neutiquam careat. Nam ſi lege Naturæ prohibita eſt Polygamia, quod plerique volunt, quomodo ut liberum concedi potuit, quod Naturæ lege illicitum fuit. Si diſpen-*

diſpenſatio circa legem primævam facta eſt, inde ſtatim ab invecta ob multiplicationem generis humani Polygamia, eaque univerſalis, quid attinebat illam legem ſancire ab initio, & actutum circa eandem univerſaliter per complura ſecula diſpenſare? ſi verò ob ignorantiam ſanctorum tolerata ſolum fuit, quomodo viri Dei familiares & Spiritu S. peculiariter illuminati legem primordialem ſatis luculentam ignorare potuêre, aut in illa ignorantia relinqui, ut Deus per tot ſecula populum ſuum non informarit rectius. Fateor me rationibus in utramque partem probè expenſis τὸ ἐπέχειν hic arripere &c. Sed ille ipſe Magnus Theologus, ſui quaſi, cum multa ſcribat, oblitus, priſtinum ſuum ἐπέχειν in iisdem Obſerv. ad Deut. 21. neglexit, rem ipſam determinavit, atque aſſeruit, *diſpenſationem ſpecialem* fuiſſe in Patriarchis, aliiſque Dei viris, in cœteris vero fidelibus fuiſſe *permiſſionem* cum gratioſâ non imputatione, ob ignorantiam & errorem communem cum pœnitentiâ & expiatione peccatorum generali conjunctam, in reliquis fuiſſe *tolerantiam*, ut majora evitarentur mala. Quæ ſententia hujus Viri, ſi pro opinione haberetur, & non tanquam oraculum Delphicum ex tripode Apollinis profectum mundo erudito obtruderetur, atque contrarium ſentientes in hac quæſtione annata, ad articulos fidei non referenda, ab omni injuria & maledicentia aut perſecutione etiam clamoſa & reali poſſent eſſe immunes, res eſſet in ſalvo. Egregiè ſanè Hieronymus ad Auguſtinum ſcribit in Epiſtolis ſuis: *Nec tam ſtultus ſum, ut diverſitate explanationum tuarum me lædi putem, quia nec tu læderis, ſi nos contraria ſenſerimus.* Nil dicam, quod poſterior illa determinatio Deo videatur aſcribere aliquam προσωποληψίαν dum illud, quod peccatum eſt, in altero fideli ſcilicet pro peccato non habeat, in alio vero infideli, pro delicto non ſanè parvo reputet. Quæ προσωποληψία an Deo competat, ſupra diximus in not. ad th. 40. n. 2. Deus ſanè ſuum populum ab omnibus libidinibus & impuritatibus voluit eſſe immunem, dum egregiis legibus de ſcortatione & adulteriis vitandis & puniendis illi proſpexit, contemptores quoque harum legum uti Davidem, Suſannæ tentatores extraordinariis affecit ſuppliciis, ſacra etiam Gentilium obſcœna ceu abominanda propoſuit, uti legimus 1 Reg. XV. v. 13. quod Aſa Rex Maacham matrem, quæ præerat *ſacris Miplezeticis*, ab hoc officio removerit, ſimulacrum quoque Numinis combuſſerit, ac cineres ejus in torrentem Cedron projecerit. Plerique verò interpretes *Miplezeth* de Priapo explicant, cujus ſtatua in hortorum vel introitu vel meditullio communiter erigebatur, quâ nil turpius erigi poterat, uti inter alia teſtantur Epigrammata Tirannei, Leonidæ, Apollonidæ, Luciani, Argentarii, Erycii, Antiſtii, quæ extant in *Anthal. l. 4. n. 87. p. 711.* ſequ. Ita & idolum Moabitarum *Baalphegor* de Priapo explicant *Hieron. ad Oſ. 9. & 10. Iſidor. Orig. l. 8. c. 11. Eucherius de Nominum inter pr. 4. c. 9. p. 290. Mercerus ad Lexicon Pagnini p. 2209. conf. Cæl. Rhodig. l. 3. L. A. c. 3. Barthol. Chaſſan. in Catal. gl. part. 3. p. 224.* ait: *Quidam Dæmon vocatus* Beelphegor, *qui alio nomine vocatur* Priapus, *qui eſt* Deus hortorum, *cum ſuis complicibus, tenetur in carcere inferni, & eſt capitaneus omnium Dæmonum, qui tentat de luxuria, cum quo patientur in illo carcere inferni, luxurioſi & omnes lubrici, ut puta corruptæ virgines & adulteri.* פער enim ſignificat *aperire, denudare, diſtendere*, nimirum quòd *Priapo* (quod ipſum à פער levi metatheſi deduci poteſt) ut *autor obſcœni carminis* obſcœne dicit, virile membrum ſemper ſit apertum, nunquam veſte obtectum, ſed *tentum*, ſicut τὸ αἰδοῖον Catullo & Horatio dicitur, quæ ut purgentur verba ad Anticyras mittimus. Sic autem loquentem introducit ſcriptor Ithyphallicus:

Cur obſcœna mihi pars ſit ſine veſte requiris,
Quare tegat nullus, cur ſua ſigna Deus.

Et alius Poeta:

Non ſoror hoc habitat Phœbi, non Veſta ſacello,
Nec quæ de patrio vertice nata Dea eſt.
Sed ruber hortorum cuſtos, membroſior æquo
Quo tectum nullis veſtibus inguen habet.

Figuram hanc ex antiquo marmore repræſentant *Anton. du Pais in diſcurſ. ſur les medailles*

dailles & gravetures antiques. It. *Boiſardus in Antiqu*. Sic Priapi idolum ex marmore albo cum duobus membris virilibus erectis, quorum uni inſideat puella nuda, Romæ extans etiam alii memorant autores *J. B. Caſalius* de antiq. Rom. rit. c. 13. p. 145. & declarat illam in equitationem *Lactant*. de falſ. Relig. l. 1. c. 20. *Arnob*. l. 4. *Auguſt*. l. 6. de Civ. D. c. 9. *Cartarius* de Diis antiqu. f. 296. *Briſſon*. de rit. Nupt. p. penult. *Roſin*. l. 5. c. 37. atque id *Jo. Lorinus* in Num. c 25. n. 3. f. 948. ex ſacris probat teſtimonio Rabbinorum.

2. *Diſpenſatio præſupponit*. Diſpenſatio Legislatoris aut parem habentis poteſtatem facta ex juſtâ cauſa excuſat in foro humano à transgreſſione præcepti uti docent *Sanchez*. *Azor. p. 1. l. 5. c. 15. Salas d. 20. Buſenb. Medull. Theol. Mor. p.* 33. Ille verò qui legem dedit, optime poteſt diſpenſare, vel qui in locum Legiſlatoris demortui ſuccedit, & eandem cum demortuo gerit poteſtatem. Inferioris quippe diſpenſatio in lege ſuperioris invalida eſt, ac proinde non excuſat à transgreſſione præcepti, quia qui nomine alterius majoris ſine juſſu diſpenſat, diſſipat, *Suarez l. 6. c. 19. Sanchez. l. 8. de matrim. d.* 17. Unde *Sanchez d. 17. n. 3. Suarez & Vaſquez, Pontificem*, dicunt, non poſſe diſpenſare in lege Dei nec Epiſcopum in lege Eccleſiæ & *Sanch. atque Suarez ll. cc.* aſſerunt diſpenſationem in voto vel juramento ſine juſta cauſa etiam à Papa factam eſſe invalidam. Validam vero eſſe inferioris diſpenſationem, ſi ſuperior per errorem juſtam cauſam arbitretur, & temere diſpenſet, reipſa tamen ſit. *Sanch. l. c. Azor. Sa. Salas n.* 81. Similiter ſi diſpenſet, cauſa, quæ reverà legitima eſt, non præcognita, probabiliter tamen valere docet *Sanchez Diana p. 8. t. 3. R.* 19. 21. contra Azor. Debet autem eſſe juſta cauſa diſpenſandi. Quia ſi temere & ſine cauſa diſpenſet; tenet quidem diſpenſatio, peccat tamen tàm dans quàm petens diſpenſationem contra jus naturale, dictitans partem deberi conformari ſuo toti, niſi juſta cauſa excuſet. *Sanch. l. 8. d 18. Suar. Fill. n.* 438. Si dubitet, an juſta ſit cauſa, poſſe diſpenſare, vult *Sanchez* contra Bonac. qui dicit peccare, Etſi autem cauſa ſit juſta, non tamen tenetur diſpenſare niſi cum vel jus præcipit ex ea cauſa diſpenſari, vel neceſſarium eſt ad commune bonum, vel ſpirituale pœnitentis, vel ad avertendum grave damnum, aut publicum ſcandalum, & ſine diſpendio fieri poteſt. *Dian. p. 8. t. 3. R.* 27. & 28. Jam vero nullibi legimus in ſcriptura ſacra Deum diſpenſaſſe circa legem matrimonialem, aut Patriarchas etiam, populumque Judaicum hanc diſpenſationem petiiſſe, nec jure etiam petere potuiſſe, quia matrimonium ad leges naturæ pertinet, quæ ſunt, ut ſupra *th.* 2. 1. 2. 15. 1. 33. 1. probavimus, immutabiles, circa quas Deus ipſe nec diſpenſare ſolet, nec poteſt. Licet enim cauſa juſta, multiplicatio generis humani ſcilicet allegari poſſit, præſtitiſſet tamen legem Gen 2. uti dicitur illic eſſe, nunquam tuliſſe, quàm modo latam diſpenſatione facta quaſi annihilaſſe. Myſterii vero cauſa tantum, rejecta jam adducta, ut exprimatur adumbratio typica Eccleſiæ Judaicæ & Gentilis, factam eſſe illam diſpenſationem *Autor Victoriæ* illius *Utopicæ* fruſtra comminiſcitur, ſiquidem Paulus *Gal.* 4. 22. & ex illo Patres bigamiam ſaltem Abrahami, cum liberâ & ſerva ad illuſtrandam rationem Eccleſiæ Judaicæ & Gentilis adhibent. Et ſi vel maxime omnes Polygamorum uxores (uti *Juſtinus Martyr Dial. cum Tryph. p.* 364. *ed. Græc.* Leam Synagogæ & Rahelem Eccleſiæ, *Hieron.* etiam *Epiſt. ad Geront. de Monog.* Annam & Peninnam eodem pacto comparent) aliquo modo huc applicari potuiſſent, non tamen exinde conſequeretur, factam eà propter diſpenſationem illam. Potuiſſet Deus alio modo illuſtrare ſua myſteria & arcana providentiæ circa gubernationem Eccleſiæ aliquantiſper conſpicua, ut non opus fuiſſet per tot ſecula peccatum illud, uti putatur, Polygamicum permittere aut circa illud novam anteaque inauditam diſpenſationem inſtituere. Non ſane ſunt facienda mala, ut eveniant bona, uti πολυθρύλητον illud in natura fundatum adducit ipſe Salvator. Fruſtraneus etiam eſt cornutus *cornuti Victoris* Syllogiſmus, p. 113. cum inquit, illud certum eſt & irrefragabile alterum horum eſſe concedendum, ut aut fuerit peccatum ignorantiæ Polygamia Patriarcharum,

rum, aut diſpenſatio quædam intervenerit. Ipſi Anti-Polygami his duobus cornibus non erunt contenti, ſed plura aſſument, & dicent, aut fuiſſe tolerantiam, aut permiſſionem aut privilegium aut prærogativam, aut, uti multi ἀναλφάβητοι fere miniſtri campenſes & urbici, caſtrenſes & raſtrenſes, nempe qui raſtro Philoſophantur, ganniunt, fuiſſe peccatum. Rectius vero additur hoc: aut non peccatum. Quod ſi admittitur, uti veritas ſemper admittenda eſt, omnibus ſubterfugiis carere poſſumus, ac nos facile ex hac vexata & hactenus intricata materia extricare. Præſertim cum ſufficienter probatum, & adhuc ulterius demonſtrabitur, nec *diſpenſationem* nec *tolerantiam*, nec *permiſſionem*, nec *privilegium* aut *prærogativam* hic locum habere, multo minus *inter peccata numerari poſſe*, adeoque nil remanere quàm ut ſtatuatur Polygamiam eſſe nullum peccatum, nec uſpiam in V & N. T. prohibitum. Unde recte *Lutherus T.* 1. *Jen. Lat.* in tr. de Digamiâ Epiſcoporum inquit: *Satanæ commentum eſt, peccatum fingere, ubi nullum eſt, & juſtitiam negare, ubi vera eſt*, Videmus etiam quantopere diſpenſationis, & cœterarum cerebrigenarum adinventionum defenſores ſe macerent, ut neſciant, quando cœperit iſta diſpenſatio, quibus data fuerit, quo pacto revelata, quando ceſſarit, &c. Ita ut quo ſe vertant neſciant. Autor Polygynias p. 38. dicit credibile apparere, Patriarchas in V. T. habuiſſe privilegium, modum autem & cauſam, atque ſubjecta hujus privilegii, tacente ſcriptura, ignorari. Atque ita proprio ſe jugulat gladio. Si enim tacente ſcriptura illa ignorantur, etiam ipſum privilegium, quia ſcriptura etiam tacet, ignorabitur, adeoque erit non ens in cerebro ipſius tantum natum. Non entis vero nulla ſunt accidentia, prædicata. Unde & *Fridericus Spanh. p.* 3. *Dub. Eu. dub.* 145. §. 3. *p.* 875. docet in ſexto præcepto de non mœchando diſpenſationem non invenire locum, in 5 vero & 7 ob exemplum Abrahami filium mactaturi, & Judæorum vaſa aurea Ægyptiorum ſecum auferentium, diſpenſationem poſſe fieri. Sed nec hic nec ibi, nec circa moralia omnia diſpenſationem locum habere egregiè, ut ſolet, monſtrat *Calixtus* in loco hic à Theophilo adducto, ubi & Abrahami tentatam filii mactationem, & Judaicam vaſorum Ægyptiacorum ablationem optimè illuſtrat, & à peccato omni diſpenſatione que liberat. Quicquid verò id ſit, manet certum & irrefragabile diſpenſationem illam & privilegium illud eſſe meram fictionem cerebri humani, legi divinæ nefarie affictam, unde ipſe Patronus hujus privilegii Utopici in aſſignatione hujus privilegii fluctuat, ut mare procelloſum ſpumas excrementoſas & ſtercoreas juxta prophetam, indeſinenter ejiciens. Siquidem ipſe incertus eſt quibus hoc privilegium conceſſum ſit. De Lamecho p. 130. dicit, illum ob Polygamiam peccaſſe contra legem divinam, eaque propter pœnam meruiſſe, niſi fortean (*quilibet ſit in ſuâ ſententia certus*, Rom. 14. dicit Apoſtolus ab Anti-Polygamo ipſo p. 231. allegatus) habuerit privilegium. Abrahamum etiam dubio procul (hic etiam fluctuat) habuiſſe ob cauſas Deo ſoli cognitas privilegium cenſet p. 136. 144. cœteros quoque Polygamos V. T. ſolo Salomone excepto p. 151. non peccaſſe aſſerit, ſi omnes & ſinguli habuerint privilegium; Ubi videtur mihi ſimilis illis Reformatis, qui à *Danhauero Hodam. Calvin.* vocantur Hypothetici, quales fuiſſe dicuntur *Salmero* qui ſtatuerunt, Deum velle omnes eſſe ſalvos *ſi credant*. Ita noſter Anti-Polygamus Hypotheticus aſſerit, Veteres antiqui inſtrumenti non peccaſſe, ſi habuerint privilegium. Scilicet aſinus volat, ſi habet pennas. Ubi extat illud privilegium circa legem, ut putatur, divinam Monogamicam.

Dic quibus in libris, & eris mihi magnus Apollo.

Dic quibus in dictis & Phyllida ſolus habeto.

Quod in aulis cum ſit admodum rarum, ut Mengeringius in Diabolo Aulico M S. adhuc, & merito typis mandando docet, merito ei gratulandum, qui hoc bono fruitur. Quicquid vero id ſit, hoc extra omnem nunc controverſiæ aleam ponendum eſt, nullum unquam fuiſſe, aut uſpiam apparere privilegium. Sapientiſſimum vero Deoque gratiſſimum Regem Salomonem ab hoc privilegio excipit: atque certo certius (cum aliàs de omnibus ſit incertus, & inſtar Carteſii de ſingu-

lis dubitet) aſſerit, illum nullum habuiſſe privilegium, ſed in hoc peccaſſe, atque hâc in parte adducit conſentientem ipſum Theoph. Alethæum, qui §. 78. fateatur, illum Regem contra legem *Deut.* 17. deliquiſſe. Verum enim verò aliud eſt *Polygamia*, aliud *Polygamia exceſſiva*, (ſicut aliud *bibitio vini*, aliud *bibitio exceſſiva*) hanc non illam damnat Moſes Deut. 17. atque ita contra hanc legem Salomonem peccaſſe recte *Theoph.* aſſerit, uti vel ex Ethicis Ethnicorum notum eſſe poſſit Anti-Polygamo, quod omnis exceſſus in vitio, medium verò pro virtute habendum. Sed moderni Anti-Polygami tantam inſcitiam hiſce nugis præſe ferunt, ut ſi in numerum *Fratrum Ignorantiæ* referrentur, nullam injuriam paterentur. Adverſarium verò & omnes lectores pro bardis & blennis habent, qui hæc non ſubolfaciant, nil vero aliud hac in parte lucrantur, quâ ut ipſi pro talibus habeantur, & verum eſſe illud Salomonis experiantur, *Lapis emiſſus in cœlum ſæpè recidit in caput ejus qui projecit.* Et hi, qui contra propriam ſcientiam & conſcientiam, modò ut adverſario ægrè faciant, & odium apud imperitum vulgus concilient, ſeſe gerunt, aliorum & maxime aulicorum conſcientias informare & dirigere debent, quod quomodo in honorem Dei & Eccleſiæ incrementum ſalutemque ſubditorum vergat, tempora & mores nos docent Quid enim aliud tribunitiis ſuis libris & concionibus contra Polygamiam directis agunt, quàm ut infinita ſcelera, ſcortationes, adulteria, infanticidia, abortus & Onanitica peccata multiplicent, conjugia impediant, multiplicationem generis humani Deo gratiſſimam ſufflaminent, ſeque & verbum Dei proſtituant, dum falſa ex ſacris ſtabilire ſatagentes nec valentes in aliis etiam fidem noninveniant, atque atheiſmum aliàs vulgarem plenis velis in Eccleſiam introducant, ac privilegium præſentiſſimum ejusmodi Privilegiis Utopicis concilient. Privilegium verò illud Ovidianum, ſive motu proprio eoque vero fuerit à deo conceſſum, ſive per importunitatem petentium obtentum, (de quo tamen nil invenimus) *l. quiſquis* 1. *C. de petit. bon. ſubl. l.* 10. *Reink. de Reg. Secul. l.* 2. *d.* 3. *c.* 8. ſub ſchemate legis debuiſſet proponi, & corpori Juris Moſaici inſeri. *Tapia ad l. fin. C. de Conſt. princ. p.* 2. *c.* 9. *n.* 129. *Enenkel. de privil. l.* 1 *c.* 5. *n.* 12. Ita vero comparatum debet eſſe privilegium, ut nemini læſionem præcipue enormem inferre debeant. *Lancell. Inſt. Jur. l.* 2. *tit.* 26. §. 13. Jam vero cum enormi læſione proximi eſſet conjunctum illud privilegium de ducendis pluribus, ſiquidem illud jus inter conjuges, uti putatur mutuum & æqualiter reciprocum in alterius corpus, quod Deus in prima creatione dediſſet uxori, ab illa auferretur, inque virum remitteretur, idque non modo per mortem, quæ ſecundum Juriſconſultos omnia ſolvit, affirmante id ipſum de conjugii doctrina Paulo Rom. 7. 1 Cor. 7. ſed & extraordinariâ lege in viventem, atque ita minueretur jus uxoris, quod juxta Anti-Polygamos æquale cum viro fuit ante hoc datum privilegium, augeretur verò jus viri per Polygamiæ privilegium magis extenſum & cum læſione enormi uxori ademptum. Ex quo apparet hunc diſpenſationis modum, quem quidem *autor Pſeudovictoriæ p.* 113. adducit, eſſe ſatis difficilem & improbabilem, quod nulli quidem mirum eſſe poteſt, cum ipſa diſpenſatio non poſſit probari. Cœterum de facilitate Diſpenſationum Pontificiarum ex officio ſacræ Pœnitentiariæ videri poteſt *Buſenbaum. Medull. Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *q.* 36. *Bonacina, Diana. p.* 1. *t.* 4. *R.* 71. & *p.* 8. *t.* 1. *R.* 103. *uſque ad R.* 3. & *Marci Pauli Leonis volumen integrum de hâc materiâ.*

3. *Iſraëlitas auferre juſſit vaſa aurea.* In *Bereſchith Rabba Paraſch.* 61. *fol.* 68. *col.* 21. tres actiones ab Africanis, Ægyptiis & Iſmaëlitis ſeu Arabibus & poſteris Kethuræ, adverſus Hebræos coram Judice Alexandro M. inſtitutæ narrantur, quarum nec vola nec veſtigium, quantum quidem memini, in vetuſtis ſcriptoribus ſive Græcis ſive Latinis repertum. Verba verò in Latino ſermone ita ſe habent. *Tempore Alexandri Macedonis venerunt Iſmaelitæ, ut cum Iſraëlitis litigarent de primogeniturâ. Cum illis item veniebant binæ familiæ improbæ Cananæi & Ægyptii. Conſilio inito, quiſnam advocati munus illis litibus præſtaret, dixit Gibea Ben. Koſam, ego ibo & in judicio agam cum illis.*

Ei reſponſum eſt, cave, ne terra eis velut evicta cedat. Ille vero, ibo & in judicio agam. Si ipſe vicero, benè ſe res habebit. Sin verò integrum erit vobis dicere, quid nobis cum homuncione illo? Abiit & in judicio egit cum illis. Interrogante Alexandro, undenam actores hi? illi undenam rei? Nos, *inquiunt Iſmaelitæ*, petimus quod poſſident ipſi, idque juxta ipſorum legem. *Proferimus in eos id quod ſcriptum eſt* Deut. 21. 17. ſed filium odioſe agnoſcet pro primogenito, *Unde Iſmaeli jus erat, & duplicem ſortiretur hæreditatis partem. Ad hæc Gibea Ben Koſam.* Domine mi Rex, *inquit*, nonne fas eſt cuique pro lubitu ſuo cum filiis ſeu liberis ſuis agere, *Annuenti Regi*, at ſcriptum eſt, *inquit*, & dedit Abrahamum totam ſubſtantiam ſuam Iſaaco. *Illi verò, at uti inquiunt, eſt inſtrumentum editum, quo diviſa eſt hæreditas filiis ejus. Reſpondit ille. Et filiis concubinarum (Gen. 25. 5. 6. Seld. ſucc. 37.) quæ fuere Abrahæ, dedit munera. Et pudoris cauſa ulterius litigare nolebant.* Cananæi verò, *ex ipſorum legibus contra eos oſtendimus terram ipſam paſſim nuncupari terram Canaam, unde terram, quæ noſtra eſt, nobis reddi petimus. Atqui iterum Gibea Ben Koſam* Domine mi Rex, *inquit:* nonne fas eſt cuique pro lubitu ſuo cum filiis ſeu liberis ſuis agere, *Annuenti Regi.* At ſcriptum eſt, *inquit*, Maledictus Canaan ſervus ſervorum erit ille fratribus ſuis. *Ecce* Gen. 25. *tibi terra ipſa noſtra eſt, atque illi ſunt ſervi Domino meo Regi. Unde etiam & hi ob pudorem ulterius litigare nolebant. Ægyptii demum ita agunt.* Debent nobis LX. Myriadas, *Egreſſi enim ſunt è regionibus noſtris vaſis argenteis & aureis onuſti, juxta quod ſcriptum eſt*, & ſpoliaverunt Ægyptios Exod. 12. 13. *Reddant igitur nobis argentum noſtrum & aurum noſtrum. Reſpondit Gibeah Ben Koſam*, Domine mi Rex, Sexaginta Myriades hominum, (*ex Hebræis*) operas eis 236. annos præſtabant, partim in auro, partim in argento artificium excercendo. Pro operarum igitur mercede abſtulerunt nummum ſive denarium (*ſeu ejuſce valorem*) in diem. *Inito autem à peritis, qui adeſſent computo, conſtitit, ne centum quidem annos præteriiſſe à tempore, quo primum ærarii uſus in Ægypto comperiretur. Ob pudorem igitur ulterius nec hi litigare volebant.* In quibus ultimis verbis quodammodo obſcuris hic videtur ſenſus eſſe; pluſquam mille ac centum annos ab exitu ex Ægypto tunc præteriiſſe, nec tamen centum annos à tempore, quo Ægyptiis uſum fuiſſe conſtaret ærarii, unde operarum merces præſtaretur, adeoque nihil illis probationis manſiſſe, unde ſe Ebræis mercedem aliter ſolviſſe aſſerere poſſent. Miræ ſunt hæ diſceptationes forenſes ubi omiſſa utrinque omninò tot annorum præſcriptionis ratione, ad argumenta tantum ex lege, hiſtoriâ ſacrâ ejusque interpretamentis petita convolant. An verò res ipſæ fuerint, Alexandro Judice, ita geſtæ, an ingenii Rabbinici figmenta, (uti ferè Rhetorum atque Sophiſtarum apud Græcos & Latinos controverſiæ fictæ) nolo decernere. Certè *Tertullianus adverſus Marcionem t. 2. c. 20.* juſtitiam nullam defuiſſe in vaſis, ex Numinis mandato, Ægyptiorum aſportandis aſtruens: *Age*, inquit, *infeliciſſime hæretice, teipſum expoſtulo arbitrum, cognoſce in utramque partem prius, & ita de autore præcepti judicabis. Repoſcunt Ægyptii de Hebræis vaſa aurea, & argentea, contra Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi quoque eorundem Patrum nomine ex eodem ſcripturæ inſtrumento mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſervitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus & villis ædificatis. Quid judicabis optimi Dei elector? Hebræos fraudem agnoſcere debere, an Ægyptios compenſationem? Nam & ajunt ità actum per legatos utrinque, Ægyptiorum quidem repetentium vaſa, Judæorum verò repoſcentium operas ſuas. Et tamen has juſtitiâ renuntiaverunt ſibi Ægyptii. Hodiè adverſus Marcionitas amplius allegant Hebræi, negantes compenſationi ſatis eſſe, quantumvis illud auri & argenti, ſi ſexcentorum millium operæ per tot annos vel ſingulis nummis diurnis æſtimentur. Quæ autem pars major? repetentium vaſa, an incolentium villas & urbes? Querela igitur major Ægyptiorum, an gratia Hebræorum? ut ſolo injuriarum judicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergaſtulum redacti. Ut ſolas ſcapulas ſuas ſcribæ eorum apud ſubſellia ſua oſtenderent*

fla-

flagellorum contumelioſa atrocitate laceratas: non paucis lancibus & ſcyphis pauciorum utique divitum ubique, ſed totis & ipſorum facultatibus & popularium omnium collationibus ſatisfaciendum Hebræis pronuntiaſſent. Igitur ſi bona Hebræorum cauſa, bona jam & cauſa, i. e. mandatum creatoris, qui & Ægytios gratos fecit neſcientes; & ſuum populum in tempore expeditionis auguſto aliquo ſolatio tacitæ compenſationis expunxit. *Plane minus exigi juſſit. Hebræis enim etiam filios Ægyptii reſtituere debuerant.* Ita Talmudici cum Patre hoc judicium ejusmodi memorant vid. etiam *Epiphanium in Anchorato*, de ratione hujus judicii, deque ejus juſtitia *Clementem Alex. ſtrom. L. Iſidor. Peluſ. l. 4. Ep. 87. Scal. in Sent. 3. diſt. 37. quæſt. unica. Flav. Joſephus Archæol. l. 2. c. ult. & περὶ ἀλώσεως l. 2. c. 21.* & alii eum ſecuti enarrant quidem Reverentiam atque munificentiam ſingularem, quâ erga Jaddum Pontificem omnesque Hieroſolymis Hebræos, & totam ubique gentem uſus eſt Alexander Magnus in ſuam poteſtatem eos & profectionem recipiens, ſed de judiciis ejus ſeu litibus coram eo inſtitutis, actoribus aliis gentibus, Ebræis vero reis, nihil plane memorat; Unde plerique, ut ſupra dictum, exiſtimant, eſſe ſolum luſum ingenii.

4. *Tolerando, connivendo, diſſimulandoque.* Anti-Polygami quidam, probe intelligentes lege naturali & morali Polygamiam non eſſe prohibitam, atque lege Dei poſitiva eaque tum Generali omnes homines concernente, tum ſpeciali, Judæos tantùm, non Gentes, niſi ratione moralitatis ſæpè contentæ interdictam putantes dico, non probantes, Deo aliquam tolerantiam, atque diſſimulationem attribuerunt. In quo quidem non abſimiles mihi videntur Marianis Epiſcopis, qui non adeo rigoroſe erga clericos ſe gerunt, ut eo liberior ſit obedientia caſtitatem ſervandi, ſed ſemper lenitatem rigori & miſericordiam juſtitiæ prætulerunt. Quanquam enim Romana decreta eo tendant, ut clerici, quantum infirmitas humana patitur, à concubinis abſtineant, ſub juramento tamen illud promittere non tenentur. Abbas enim *Panormitanus C. Clericos. de habitatione Clericorum* ſerio cenſet, *Non eſſe clericos cogendos jurare, dimiſſuros ſe concubinas.* Hoc dubio procul oritur ex antiquo principio ICTorum, quorum Brocardica eſt: *Ad jurandum cogi non debet, quem judex novit falſum juraturum, licet jurans ad jurandum ſit paratus quia nemo alium cogere debet ad mentiendum.* Et hoc valet etiam *cum ſuſpicio ſaltem, ſed vehemens eſt de perjurio.* Egregia vero illa eſt caſtitas votaria, quæ concubinatu, ſcortationibus non contaminatur, polluitur autem, ſi honeſtum conjugium arripitur. Quæ quomodo concordent, ſane non video, nec etiam capere poſſum, cur votum, quod eſt promiſſio facta Deo, non habeat rationem juramenti promiſſorii, & cur non, qui Deo aliquid promittit, nec ſervat, & neque animum ſervandi habet, pejerare dicendus ſit. vid. *Buſenb Th. Mor. l. 3. tr. 2. c. 2. dub. 5. p. 117.*

5. *Nec ſecundo diſpenſatio.* Diſpenſatio humana ſcilicet eſt *abſoluta obligationis condonatio*, nomine Dei facta. Ut vero illa valeat *juſta* requiritur *cauſa*, qualis eſt bonum Eccleſiæ, vel commune Reip. 2. Notabilis difficultas in obſervatione rei, 3. imperfectio actus vel levitas & facilitas, ex quâ proceſſit votum. *Suar. l. 6. c. 17. Filliuc. n. 260. Sanch. l. 4. q. 45. Bon. p. 7. n. 24. Laym. c. 8. n. 5.* Extendunt autem Moraliſtæ illam diſpenſandi poteſtatem delegatam in votis etiam ad vota jurata & *juramenta pia ſoli Deo facta.* Cum verò juxta ipſos facultas diſpenſandi conveniat omnibus prælatis, qui habent juriſdictionem in foro externo, vel privilegium *Leſſ. t. 2. c. 40. d. 12. Sanch. c. 37.* dicunt diſpenſare poſſe Papam reſpectu omnium fidelium in omnibus votis. Deinde Epiſcopus reſpectu ſuorum ſubditorum poteſt diſpenſare, non autem Parochus, quia tantum habet Juriſdictionem fori interni. *Suar. l. c. c. 12.* Porro etiam Prælati Regulares exempti reſpectu ſuorum religioſorum & novitiorum. Denique etiam ex privilegio Papæ hoc jus habent Confeſſarii Ord. Mendicantium, ſecundum conceſſionem & moderationem ſuperiorum ſuorum, ut notat *Leſſ. d. 13. n. 108.* Quanquam autem jam laudati omnes Papâ inferiores poſſint diſpenſare in omnibus votis, Papa tamen ſibi ſoli *reſervavit quinque* ſcilicet *votum caſtitatis perpe-*

petuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacob. Compoſtellam, & Ultra marina ſive in terram ſanctam, vid. *Bonac. Buſenbaum. Leſſ. Laymann. ll. cc.* Hæ vero & ejusmodi aliæ diſpenſationes & caſus reſervati in Dei immutabilis legibus invariabilibus opus non ſunt. vid. *Blaſ. à Benjumeja tr. de Legg.*

THESIS LI.

GEneſ. 21. narratur, quod Deus in colloquio cum Abrahamo denuo repetierit benedictionem de Iſmaële multiplicando & dixerit: *præterea ancillæ filium Patrem multarum gentium faciam. Propterea quia tui ſeminis eſt.* Seminis Davidici erat ille filius, quem Bathſeba primum progenuit, ſed Deus illi non benedixit, ſed percuſſit ut moreretur. Spurii non admittebantur in congregationem populi. Deus Patrum peccata punit in tertiam & quartam uſque generationem. Unde ita colligo.

Cuicunque Deus ſingulariſſimè benedicit, illum pro ſpurio & illegitimo non habet.

Atqui Iſmaëli ſingulariſſimè benedixit.

E. pro ſpurio & illegitimo non habet & per conſequens *Polygamiam approbat.*

Sicuti enim Benedictiones Patriarchales Noachi Gen. 9. 6. Abrahami, Iſaaci, Jacobi, ut & Sacerdotales, Melechiſedeci. Gen. 14. 19. Num. VI. 23. ex ſumma benevolentia paterna in filios & auditores ortum trahebant, ita multo magis benedictiones divinæ infallibile gratiæ divinæ τεκμήριον præbent. Et hanc Iſmaël reapſe expertus eſt, non tantum in infantia, ſed & poſtea, cum Deus partim 12. filiis, quos Scriptura *Principes*, Strabo *Phylarchas*, Menander *Protecteres* vocat, partim ampliſſimâ ditione beavit, quæ juxta Joſephum XII. fuit totus tractus ab Euphrate fluvio ad mare rubrum usque repletus magnis populis, qui primum Agareni & Iſmaëlitæ, poſtea Scenitæ, Saraceni & Arabes dicti, uti Gabr. Sionita Deſcr. Arabiæ cap. 1. teſtatur; *Arabia ab Araba plaga non longè à Medina ſita, nomen ſortita eſt, quam incoluit Iſmael, Abrahami & Hagaris filius, à quo etiam Iſmaelitæ & Hagareni dicuntur*; quod & oſtendit Cl. Salmaſ. Ex. Plin. p. 483. dicens, quod Scenitæ illi, quos Plinius ait incolere Arabiam ultra Peluſiacum, quæ uſque ab beatam procedit; non de quibusvis intelligendi Scenitis, ſed de Arabibus iis, qui ad Septentrionem Arabiæ Felicis incolebant, quique ex Iſmaëlis poſteritate poſtea vel Saraceni dicti, vel Saracenos vicinos habuerint.

1. *Pro ſpurio non habet.* Certè in oculis Dei neque Iſmaël neque alii ex uxoribus ſecundis (poſt primam ductis) ſeu ſecundariis vel concubinis orti in Lamecho, Nabore, Jacobo, Elkana, Davide fuêre ſpurii, ſiquidem in populo Dei, ob non procraſtinatum conjugium, Polygamiæ

gamiæ uſum & legem Leviratus pauciſſimi erant ſpurii. Quod verò hodiè ſint tàm multi ſpurii, cauſa non minima eſt Polygamiæ prohibitio. Cum enim maritus rem habet cum ſuâ ancilla, aut virgine, non poteſt illam ducere, virginitatem mediante matrimonio reſtituere, illamque à ſcorti, filium à ſpurii infamiâ vindicare, unde mirum non eſt, Pontum Heuterum de liberâ hominis nativ. p. 297. per alphabetum integrum ſpuriorum illuſtrium ſane & eruditorum magnum catalogum contexere. Fuere autem inter Pontifices nothi & ſpurii *Dionyſius Primus*, *Leo V. Joh. Decimus*, *Clemens Septimus*; *Innocentius octavus*. Inter viros illuſtres & claros *Themiſtocles*, *Marcus Brutus*, *Carolus Martellus*. Inter Viros Doctos *Bartolus Jaſon*, *Eraſm. Roterodamus* ex ſacerdote natus, *Petrus Lombardus*, *Gratianus*, *Petrus Comeſtor* &c. Sane ſi Polygamia eſſet in uſu, tot non eſſent nothi, & natalium inquinamentis infames. Et licet Cæſares, Reges & Principes σοφὸν φάρμακον, ſpuriorum puta legitimationem vel ab ipſismet, vel per vicarios Palatinos exercitam huic rei adhibere voluerunt, parum tamen profuit hoc ἔμπλαστρον μέγα, & nil ferè juvat illum, quem natura, aut potius malitia hominum ita voluit produci, uti videmus, quod bulla illa Palatini nobilibus in Heraldicis actionibus & exercitiis equeſtribus apparentibus parum adjumenti afferat. uti & ignobiles opifices & manuarii artifices nullum in Germaniâ admittere volunt in ſocietatem, niſi qui legitimos habeat natales. Scilicet Vetus noſter Adam ſolus purus eſt, & proximum, cum non videamus, manticæ quod in tergo eſt, impurum facile judicat, & impiiſſimo atque injurioſiſſimo ſuo ore quaſi reddit, unde oritur, ut tam multi, ut vocantur, ſpurii patriam, cum domi emergere non poſſint optimæ ſpei non raro juvenes deſerant, in peregrinis oris illam habeant, Marti & Minervæ ſe conſecrent, & ad ſummum honoris faſtigium perveniant.

2. *Iſmaelitæ*. Triplicem litem in Hebræos à Gentibus Alexandro M. Judice inſtitutam atque ſeveriori diſceptatione agitatam fuiſſe, Thalmudici literis conſignarunt. Et prima quidem ab Africanis, ſecunda ab Ægyptiis, tertia ab Iſmaelitis, ſeu Arabibus, atque Poſteris Kethuræ intentata fuit. Africani, ceu poſteri Cananæorum, qui ſub Joſuæ tempora è terrâ Canaam bello pulſi in Africam migrarunt, vid *Laz. de migr. Gent.* (eaque de re certe expreſſum fuiſſe in Veteri apud Africanos in provinciâ Fingitanta, inſcriptione teſtimonium tradit *Procopius. de Bel. Vandal. l. 2.* vid. & *Selden de Jur. N. & G. l. 5. c. 13.*) hæreditatem avitam repetebant. Ex jure ſucceſſionis in Abrahæ bona, ſeu familiæ erſciſcundæ agebant Iſmaelitæ, & Kethuræ poſteri. Et demum Ægyptii veluti certi, condictione petebant reſtitui ſibi aurum & argentum, quod Hebræis ex Ægypto profecturis ipſorum majores mutuo dederant. Advocati Ebræis munus præſtitiſſe ajunt, Gibea Ben Peſiſa dictum item Ben Koſam ICTum celeberrimum, ut *Abr. Zachuth. in Sepher Juchaſin. f. 13.* refert; atque ejusmodi exceptionibus ſedente pro tribunali Alexandro, viſum eſſe, ut actores, replicationes, quibus exceptionum vim refellerent, fruſtra quærentes, cauſis plane caderent, & prædia atque vineas, quas, ex certâ evictionis ſpe, vi occupaverant, derelinquentes pudefactique recederent. Quia vero hæc hiſtoria ex *Bereſchith Rabba* ſupra th. 53. adducta multum variat ab eâ, quæ in *Gemara Babylonica ad tit. Sanhedr. c. 11. f. 91.* recenſetur, placet & hanc hic ſubjungere, dubio procul, fore ut curioſus lector utriuſque verba accuratius conferat, & majus inde lumen acquirat. Verba autem ita ſe habent; *Cum adeſſent Affricani, ut litigarent cum Iſraëlitis coram Alexandro Macedone, afferentes terram Canaam ſuam eſſe, eò quod etiam ſcriptum reperiatur* Num. 34. 2. Terram eam ac terminos ejus ? Canaan dici, qui fuerat eorum Pater, *rogavit Gibeah Ben Peſiſa poteſtatem à ſapientibus, ut advocati unus patriæ præſtaret coram Alex. Macedone. Quod ſi,* inquit, *illi vicerint, integrum erit vobis reſpondere, illos privatum ex Iſraëlitis viciſſe. Si verò ego vicero, reſpondendum erit legem Moſis viciſſe. Data ei poteſtate abiit & litigavit cum eis. Rogavit eos*, unde peterent argumentum, *Reſp.* ex lege. *Quibus ille*; etiam ego neutiquam argumentum afferam contra vos aliunde, quàm

quàm ex lege petitum. *Scriptum enim eſt illud;* Maledictus Canaan, ſervus ſervorum erit ille Fratribus ſuis. *Ubi ſervus res acquiſiverit, cujuſnam eſt ipſe ſervus, cujuſnam ſervi res, Quin vos inſuper, quot annos jam nobis minimè ſerviiſtis. Alexander Rex jubet eos reſponſum dare. Cui illi;* da nobis quæſo moram tridui; *Quâ indulta fruſtra reſponſum quærebant. Unde aufugêre relinquentes agros ſuos ſeminatos & vineas plantatas. Id quod anno contigit Sabbatico. Rurſus aliquando venerunt Ægyptii, ut litigarent cum Iſraëlitis coram Alex. Macedone, cui oſtenderunt à Moſe dictum.* Ex. 12. 36. Deum dediſſe gratiam populo in oculis Ægyptiorum, ut poſtulata concederent eis, ſeu mutuo darent, quæ ipſi peterent; Reddite igitur, *inquiunt*, argentum & aurum; quod à nobis abſtuliſtis. *Petit à ſapientibus poteſtatem Gibea Ben Peſiſa, ut ipſe Advocati munus, in hoc itidem judicio, patriæ præſtaret coram Alexandro. Et inquit*, ſi vicero, integrum erit vobis reſpondere, hominem è vobis privatum ab eis victum duntaxat eſſe. Si vero ego vicero reſpondendum erit, ipſos à lege Moſis Magiſtri noſtri victos. *Poteſtate ei datâ abiit, & cum eis in judicio egit. Rogavit igitur eos, unde peterent argumentum. Reſponderunt* ex lege, *Subjungit*: etiam ego ex lege tantum argumentum contra vos petam. *Ibi ſcriptum reperitur.* Ex. 12 40. Habitatio autem filiorum Iſrael quæ manſerunt in Ægypto, triginta fuerunt anni ſupra quadringentos. *Reddite ergo nobis mercedem operæ ſexaginta Myriadum, qui per annos 430. in Ægypto vobis ſerviebant* (hic annorum numerus, non ab ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum, ſed de peregrinatione Abrahæ prædicta tum Hebræorum Chronologis, *Seder Olam Rabba & Abraham Ben David in Cobbala.* vid. *R. Eliaſer in Pirke c. 48. cum aliis Commentatoribus in Gen. 25. 12. 15. 3. Act. 7. 6. & Gal. 3. 17.* putatur) *Juſſit Alexander Ægyptios reſponſum huic argumento dare. Illi vero tridui morâ impetratâ fruſtra quærebant reſponſum, unde relictis agris ſeminatis & vineis conſitis aufugerunt. Rurſus aliquando venerunt filii Iſmael, ſeu Iſmaelitæ & Kethuræ poſteri, ut in judicio experirentur cum Iſraëlitis coram Alexandro Macedone. Aſſerebant illi, terram Canaam eſſe tàm ipſorum quam Iſraëlitarum velut cohæredum. Etenim tàm ſcriptum reperiri.* Gen. 25. 12. Hæ ſunt Generationes Iſmaël filii Abrahæ, *quàm* hæ ſunt generationes Iſaac filii Abrahæ. *Petiit igitur à ſapientibus poteſtatem ſibi dari Gebeah Ben Peſiſa, ut advocati munus patriæ hic etiam præſtaret. Adjectis, quæ in cauſis binis prioribus ſubjunxerat, poteſtas ei data eſt. Abiit & cum eis egit in judicio, Rogati igitur unde ſumant argumentum. Dicentibus illis* è Lege; etiam & ego *inquit* è lege tantùm argumentum afferam. *In ea autem dictum eſt*, Et dedit Abraham omne quod habuit Iſaaco, & filiis concubinarum, quæ fuêre Abrahæ, dedit Abrahæ, dedit Abraham munera. Gen. 25. 5. *Ubi Pater dum vixerit inſtrumenta filiis dederit, quibus nolle ſe teſtatur, ut bona inter ſe dividant, & alterum emiſerit altero ditiorem, prærogativam alterius alter jure minuere nequit.*

THESIS LII.

QUod & apparet ex ſequentibus verbis ejusdem capitis, ubi dicitur: *Deus exaudivit vocem pueri* (Davidem pro ſuo filio orantem exaudire noluit, ſed percuſſit, ut moreretur) *& angelus Domini* (πνεύμα λειτȣργικὸν ad piorum ſalutem deſtinatum) *vocabat de cœlo Hagarem & dicebat ad illam: quid eſt tibi Hagar, ne timeas* (verba eadem quæ angelus uſurpabat ad Mariam, Joſephum) *nam Deus exaudiit vocem pueri*

pueri jacentis; *ſurge cum puero* (eadem verba ad Joſephum) *& duc manu, multorum enim populorum patrem illum conſtituam, Tunc Deus aperuit illi oculos, ut fontem conſpiceret, illuc ibat & replebat lagenam aqua, & reficiebat puerum. Et Deus erat cum puero & erat in deſerto* (idem dicitur de Johanne). Unde patet Deo maxime fuiſſe cordi ſalutem hujus pueri, & ideo angelum miſiſſe, matrem conſternatam erexiſſe verbis non tantum mellifluis, ſed & putei oſtenſione. Quæ omnia utut multa nobis ſuppeditarent argumenta, brevitatis ergo tamen unico hoc erimus contenti:

Quorumcunque Deus paternam & exactiſſimam curam habet, illos pro illegitimis perſonis non habet.

Atqui Hagaris & filii Iſmaelis Deus paternam curam habet.

E. Hagarem pro ſcorto, Iſmaelem pro ſpurio non habet.

Quod tamen non aliter eſſe poſſet, ſi Polygamia eſſet contra legem Dei.

1. *Paternam & exactiſſimam curam.* Si totam ſcripturam ſacram evolvimus, omnesque hiſtorias perluſtramus vix unus invenietur, cujus ſalutem Deus ita ſibi curæ eſſe voluit, quàm ſalutem hujus pueri, cujus matri angelus bis apparuit, & à præſentiſſimo mortis periculo cum matri tum puero imminentis miraculoſiſſime liberavit, & in deſerto benigniſſime ſuſtentavit. Ut taceam omnia cœtera ſingularia, jamdum à Theophilo adducta.

2. *Hagarem pro ſcorto.* Autor Polygynias exiſtimat non eſſe adeò abſurdum, ſi cum nonnullis dicatur Theologis, quod quidem Deus in Patriarchis Polygamiam approbarit, non tamen illicò etiam in aliis approbet; Verum enim verò, non video ſi hoc admittatur, quomodo Deus à προσοπωληψία, de qua in not. ad th. 40. n. 2. & ab injuſtitia quoque vindicari poſſit. Abrahamus ſane Hagarem pro ſcorto non habuit, nec Sara, ſiquidem ipſe illam loco uxoris ut & Kethuram reputavit, atque cum illis non animo ſcortandi, ſed matrimoniali more rem habuit, non ex libidine vitioſa generandi, ſed deſiderio ſe multiplicandi. Adrianus Beverland in ſuo deteſtando tr. de Peccato Originali, dicit generandi libidinem eſſe ipſum peccatum Originale, p. 60. & 87. *Ingenitum nefas nil aliud eſt, quàm coeundi iſta libido.* Quod quàm abſonum & ἄγραφον quin etiam ἀντίγραφον ſit, nemò non videt. Negare quidem non poſſumus, intemperiem & impotentiam affectuum furores ſub jugum rationis cogendi inter mala innata recenſeri, ſed ſolam generandi libidinem peccatum Originale ſtatuere, parum ab inſaniâ abeſt, Primum enim illa concupiſcentia generandi à multis non abeſſe duntaxat poteſt, ſed & revera abeſt. Sunt enim *Eunuchi, qui de matris utero ita nati ſunt*; quique voluptatis hoc pruritu non infeſtantur, ſunt etiam *qui per homines tales facti ſunt*; Matth. 19. 12. In quibus licet fomes hic videatur extinctus, lue tamen Originali non carent. Deinde ſi dantur aliqui, uti communiter putatur, qui dono continentiæ non tantum externo ſæpè coacto, ſed interno, libero, in animis conſpicuo gaudent, illi etiam ab omni Peccato Originali erunt liberi. Et conſequenter illud malum non erit Catholicum. Quod pugnare cum ſcriptura ſacrâ lippis atque tonſoribus notum eſt. Prætereà Magiſtra Experientia docet, libidinem hanc generandi abſque ullo ſanctificationis beneficio, ſolo torreſcentis ætatis adventu magis magisque extingui, & tandem ſuperveniente ſenectute vix quicquam præter cineres ſupereſſe. At verò num ætas quoque peccatum Originale diminuere, atque extirpare valet? Non equidem arbitror. Appetitus inſuper hic vitioſus manifeſtè poteſt emendari & per ſanctificatio-

nem quaſi aboleri dum homo non ex ſervilis voluptatis amore ſed ſolo liberorum habendorum deſiderio, pie matrimonium init; quod Apoſtolus appellat *in Domino id facere.* Si velit, nubat, *in Domino modo fiat.* An vero etiam peccatum Originale *in Domino* exerceri poſſit, aliis arbitrandum relinquo. Manifeſtum quoque eſt, nos generandi aviditate ad omne malum pronos non eſſe cum ſit ſpecialis cupiditas ad factum ſingulare. Quemadmodum gloriæ cupiditate ad vanam gloriam quidem, non tamen ad omne malum proclives ſumus. Peccato Originali autem non ad ſingulare aliquod, ſed ad quodcunque malum inclinationes ſentimus peſſimas. Eſt enim totius naturæ, totius ſanctitatis defectus. Neque eam tantum ad illa, quæ carni grata ſunt, proclivitatem continet, ſed & cœcitatem intellectus, averſionem animi à Deo & converſionem ad creaturas comprehendit, eoque inepti ad omne bonum deprehendimur. Quare imperite admodum in illâ virentis ætatis flammis unice collocatur.

THESIS LIII.

SIcuti vero Gen. 22. 24. Polygamia Nahoris ceu bonum nuncium Abrahamo allatum, liberique ex illa nati ſine ulla reprehenſione narrantur, ita c. 25. memoriæ proditur, quod Abrahamus Polygamiam continuaverit, & plures uxores ſecundarias ſibi aſciverit. Abrahamus enim jam decrepitus & Capularis Senex ad nova Kethuræ (quæ non eadem cum Hagare, ut *Targum Jonathanis, Ben Uziel, Paraphraſis Hieroſ. Jarchius & Rabbi Eliezer* putant, antea ipſi ligata fuit, an vero juxta Elmacinum *filia Regis Ramæ*, vel juxta Patricidem *filia Pactor Regis Rabbæ*, vel juxta alios Cananæa in familia Abrahami & Gynæceo Saræ educata fuerit, nil intereſt) haud dubiè juvenculæ vota tranſiit. Quæ apud Moſen tum uxoris tum concubinæ venit nomine G. 25. 1. 6. 1 Paral. c. 32. Erat vero ut ſupra diximus, concubina vera quidem uxor, mutuo conſenſu delecta perpetua vitæ ac tori ſocia, ſed quæ dignitatis longè minoris & obſcurioris generis eſſet, quam maritus. Unde nec *liberi ex ea ſublati hæreditatem* adire poterant eandem, quam uxor non concubina. Atque talis erat ancilla cui nupſerat herus. Non diſſimile apud Germanos erat matrimonium ad Morganabicam quando nobilis poſt uxorem nobilem mortuam ex ignobili muliere ſuſcipit liberos ab hæreditate excludendos & certa bonorum portione tantum aut aliquà pecuniæ ſumma beandos, de quo vid. *Grot. de I. B. & P. l. 11. cap. 5. 15. & Havemann. de Connub. p.* 381. ubi ait hunc morem in Ducatu Montenſi & Juliacenſi, item apud Hiſpanos, Luſitanos, Catalonios & alias nationes valere. Tale etiam fuit Abrahami. Ex quo hoc oritur argumentum?

In quocunque Abrahamus (Jacobus, Elkana, Gideon, David, Salomon) *per dies vitæ ſuæ perſeveravit, illud non fuit peccatum.* (Quia perſeverare in pecca-

cato & pœnitentiam quotidianam agere in ſtatu gratiæ eſſe, cum Deo colloqui, non poſſunt eſſe ſimul in uno ſubjecto.)

Atqui in Polygamia Abrahamus (Jacobus, Elkana, Gideon, David, Salomon, &c.) *familiariſſimus Amicus Dei perſeveravit.*

E. *non fuit peccatum Polygamia.*

Sicuti & *Ambroſius l.* 2. *de Abrah. c.* 4. factum Abrahami excuſat, quanquam illius tres rationes (quod eo tempore adulterium non fuerit prohibitum, quod amore poſteritatis non ardore libidinis id fecerit, & factum ſit ad aliquid futurum ſignificandum) ſint nullius momenti. Ipſi enim Gentiles, Abimelechus, Pharao agnoverunt adulterium eſſe illegitimum. Deinde ſi finis à peccatis abſolvit, nullus in mundo erit peccator. Nullus enim tam malus eſt, qui non bonum aliquod intendat. Fur cum furatur etiam optimum habet ſcopum, ſui conſervationem.

1. *Naboris. Elmacinus* hiſtoriarum Arabicarum concinnator optimus in ſuis libris narrat quod in diebus Nahoris terra fuerit commota motu magno, anteà vero *nullus unquam terræ motus* fuerit, cumque Idololatria multiplicaretur, & homines liberos ſuos Dæmonibus offerrent, atque ſacrificarent, Deus ipſis immiſerit ventum vehementem, fueritque diluvium venti, (procella, ventorum turbo ſævus) qui aliquot dies duraverit, & idola eorum omnia confregerit, nimio etiam ventorum & motuum impetu domicilia eorum conciderint.

2. *Polygamia Naboris:* Non poſſe probari Nahorem fuiſſe (dicit autor Pſeudo Victoriæ) Polygamum ex eò quod habuerit concubinam Pelegeſch, Rehuma, *Gen.* 22. quia Pelegeſch non ſemper notat eam, quæ alteri vivæ adjicitur uxori: non enim aliud eſſe, quam vilioris ſortis maritam cujusque liberi ab hæreditate erant excluſi; ſed ad hoc regeritur; *à particulari ad particulare non valet Conſequentia*, quia alibi ſignificat mulierem poſt mortem uxoris ductam, ergo & hic, *nec à poſſe ad eſſe valet Conſequentia*, quia poteſt ſignificare concubinam mortuâ uxore ſuſtentatam, igitur & actu ipſo hic ſignificat. Quanquam vix dari exemplum exiſtimem ubi concubina ſolitariè ductam denotet uxorem. Fuit enim tum & poſteà communis conſuetudo, uxorem unam vel alteram habere, easque primarias, & plures etiam pro lubitu ſecundarias ſeu concubinas, & uti *Buxt. mLex.* exponit uxores ſervas i.e. ſervilis conditionis. Quò & reſpicere videtur *Epiphanius in Expoſ. fid.* § 6. interpretatus concubinam per uxorem dimidiatam, τὸ ἡμισυ τῆς γυναικὸς & ille, qui in Sanhedrim c. 2. dicit eam eſſe uxorem ſine pactis dotalibus & ſponſalium celebritate. vid. *Seld. de J. N. & G. p.* 363. & *Ux. Hebr. p.* 422. Non negamus tamen, quandoque caſu poſſe eſſe unicam concubinam, an verò illa Levitæ *Jud.* 19. 20. fuerit unica & ſola, non conſtat & an Ketura? de quâ jam dicendum. Vox tamen Hebraica *Pelegeſch* ſemper erat uxor, ſecus ac in Jure R. ubi autem uxor aut unica concedebatur concubina, quæ tamen non erat uxor, 70. reddiderunt παλλακῆς honeſtiori ſenſu ac vulgari, ubi autem ſcorto aut nihil aut parum differebat. Quos Latini *Plin. l.* 35. *c.* 10, *Sueton. Veſpaſ. c.* 21. imitati dixerunt pallaca, aut pellicem, quod apud antiquos Romanos præter ſignificationem mulieris impudicæ, quæ juſtæ adjiciebatur uxori, etiam notabat illam, quæ uni adhærebat. Itaque *Maſurius in Pand. de V. S.* pellicem apud veteres eam quoque habitam, ait, quæ cum uxor non eſſet, cum aliquo tamen vivebat, additque ſuo tempore appellatam fuiſſe *amicam* & honeſtius paulò *concubinam.* Ubi *Granius Flaccus* teſtatur pellicem, quæ uxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quàm παλλακὴν Græci vocant. *Curtius*

tius etiam ſæpè utitur hac voce, in qua videatur *Schardinus*, qui malè à pellendo vel pellicendo, cum poſterius potius à pellex, quàm hæc ab illo, ſed à Gr. παλλακὴ pellex venit, ut *Agellius l.* 4. *c.* 3. monet. Cui reſpondet nomen concubinæ in bono & malo ſignificatum quanquam hoc rejiciatur à *Franzio or.* 51. tanquam vocis Pilegeſch ſenſum haut commodè ſatis exprimens, utut à Romanis habitum aliquantò honeſtius, quam ſcorti.

3. *Per dies vitæ.* Hoc etiam vellicat *autor Pſeudovictoriæ* dicens poſt Saræ mortem tantùm habuiſſe Keturam *Gen.* 25. ſed ubi extat Hagarem eſſe mortuam, quod ille tàm certò affirmat? Etſi enim inſtinctu Saræ dimiſſa in deſertum, quis tamen nobis fidem faciet, non iterum rediiſſe ad Abrahamum, in que peculiari tentorio (Judæi enim *non in uno tentorio*, uti ex hiſtoriâ Jacobi patet, *aut cubiculo duas vel tres habebant concubinas, ſeu uxores*, ceu ſupra monſtravimus) cum Keturâ ſimul ad nutum Abrahami vixiſſe. Rediit certè ejus filius Iſmaël, & depoſita puerili petulantia ac juvenilibus affectibus, cum Iſaaco videtur amicitiam contraxiſſe, ſiquidem Iſaacus, (qui præponitur, tametſi junior in ſcripturâ, ceu unicus promiſſionis filius ex oculiſſimâ maritâ natus & hæres ex aſſe,) cum Iſmaëli dicitur ſepeliſſe decrepitum Patrem & ſenem Abrahamum. Quanquam igitur Romano jure ferè unam concubinam abſque uxore habebant, apud Judæos tamen concubinas cum uxore aut mortuâ juſtâ uxore plures concubinas poſſidebant, ita non repugnat, utut non expreſſè extet, *Hagarem & Keturam poſt mortem Saræ ſimul Abrahamum uxorum inſtar adjuviſſe.* Sicut Magnus Princeps poteſt concubinam ſuam, ut parcat ſumptibus, præficere alicui monaſterio, non tamen illi interdicitur præſentia in aula, aut reditus in palatium priſtinum, nec princeps ſe abdicat illâ, aut alteri concedit, quâ hactenus veluti conjuge uſus.

4. *Liberi ex eâ ſublati hæreditatem.* Iſaacus erat hæres ex aſſe, reliqui verò concubinarum filii. Abrahamus enim in oculis ferebat *Iſaacum*, ut à latere ſuo non facile dimitteret, ne in periculum incurreret & promiſſio in ipſo facta ſufflaminaretur. Igitur & ipſi concedere nolebat, ut Iſaacus Jacobo, ut ipſe, patriis ædibus quaſi exul, in peregrinis oris apud cognatos licet, uxorem peteret, ſed ſervum ſuum, ceu Legatum Elieſerem advocabat, & certâ inſtructione munitum mittebat ad ſuam proſapiam, ut inde filio uxorem adduceret. Sicuti enim Reges, Principes & Magnates Legatis utuntur in conciliandis matrimoniis, ita Abrahamus, qui *princeps Dei* appellatur, & in maximâ ob ſuam pietatem & divinam inauditam benedictionem apud Gentes & Reges autoritate erat, Legatum adhibere voluit, ſervum ſcilicet ſuum primarium, cujus filium, ſi ἄτεκνος mortuus fuiſſet Abrahamus, hæreditate ſuâ beare in animo habebat *Gen.* 15.

4. Hic erat ipſius *Legatus* atque *nuncius Patriarchalis*, quem ſi voces Legatum à latere uti Pontifex ejusmodi habet, vitio non vertetur. Notum enim eſt Papam multos adhibere Legatos, & alios quidem vocare Legatos à Latere, alios Legatos natos, alios Nuncios Apoſtolicos; Legati à latere non alii ſunt, quàm Cardinales, quos ex urbe & curiâ Romana mittit vel ad certam provinciam adminiſtrandam, vel ad negotia cum Regibus, Principibus aut cum aliqua Rep. tractanda. Non tamen omnes illi, qui ad Reges & Principes mittuntur tales ſunt, aliqui dicuntur *Legati de latere*, alii *cum poteſtate legati de latere*, alii vero ſimpliciter *Legati. Legati nati* appellantur Antiſtites qui ratione Eccleſiarum, quibus præſunt, Legati Apoſtolici munus & officium habent, & ideo nati dicuntur, quia ſtatim, ut Eccleſiis ſuis præficiuntur præſules, id muneris & officii nanſciſcuntur. Imò vero hæreditaria quandoque fuiſſe videtur dignitas Legati nati. Sic quidam per *Rogerium Siciliæ Comitem* atque ejus hæredes, *legatos à latere conſtitutos omnes Reges Siciliæ Legatos natos ſedis Apoſtolicæ* eſſe contendunt. vid. *Baron. ad A.* 1097. quod jus Hadrianus Pontifex à Wilhelmo Siciliæ Rege Beneventi obſeſſus confirmare coactus fuit *Baron. ad A.* 1156. *Nuncii* denique *Apoſtolici* communi vocabulo dicuntur, qui Cardinales non ſunt, ſed Antiſtites miſſi à Pontifice tanquam legati. Ex quibus omnibus patet, nullos Reges & Principes tàm accu-

curate diſtinguere claſſes ſuorum legatorum, quàm Pontificem Romanum. Ita delectum etiam habuit inter ſuos ſervos & legatos (ſi *parvis licet componere magna* quanquam Abraham in oculis Dei major eſt eo, qui ſe pro Deo venditat.) Magnus Eccleſiæ Doctor & tum temporis Epiſcopus Abrahamus, cum filio ſuo uxorem per primarium ſuum ſervum ac legatum qui ipſi ſemper à latere erat, quæreret. Atque hic quidem eſt optimus ducendi uxorem modus, quando per procuratorem proxenetam vel Legatum tota res abſolvitur, ne ſponſus per quadrantem vel dimidium etiam ſæpe annum aut plus ultra neceſſe habeat adorare ſponſam, ejusque ac parentum, fratrum, ſororum, totiusque familiæ captare benevolentiam. Quod quàm difficile ſit exemplo Sichemi conſtat, qui bene proſpiciens omnium Dinæ fratrum demereri benevolentiam & gratiam, quicquid etiam faceret, fere eſſe impoſſible, conſenſu Dinæ perſpecto, inconſultis parentibus & fratribus matrimonium conſummare voluit. Quod quidem tantùm abeſt, ut, Patri Jacobo filiæ ſuæ conjugium, quod paterni officii eſt, libentiſſime promoturo fuerit ingratum, ut potius Simon & Levi primogenitos poſt Ruben ob ſanguinis profuſionem graviſſime increparet non modo, ſed & jam moribundus ipſorum iram diris devoveret, & primogeniturâ ſeu juribus primogenitorum, quibus etiam Ruben verus primogenitus ob inceſtum ſe privarat, indignos judicaret, & Judam quartum genitum omnibus fratribus præponeret, & adorandum quaſi more civili præficeret. Cœterùm ut ad matrimonium Iſaaci iterum redeamus, ille à Patre Abrahamo quaſi edoctus eodem pacto cum inter Philiſtæos verſaretur, de ſuâ uxore dixit, quod eſſet ipſius ſoror, metuens ne forte pulchritudine allecti Philiſtæi uxorem concupiſcerent, & ut commode & absque ſcandalo adulterii fieri poſſet clàm, vel etiam rixas movendo palàm interficerent. Verum enim vero Abrahamus bonâ conſcientiâ dicere poterat, quod Sara eſſet ipſius ſoror, ut ſupra ad th. 38. 2. deduximus, Iſaacus vero hoc ſeriò aſſerere non potuit; ſed aliquid humani hac in parte paſſus ex metu hoc *mendacio neceſſario*, uti communiter vocatur, uſus, de quo quid cenſendum ſuprà ad th. 39. n. 1. 3. diximus. Neque etiam *metus* ſimpliciter excuſat mendacium, quia ex metu fit, quod ſimpliciter malum eſt, nempe mentiri, adeoque peccatur, *minuitur* tamen *malitia per metum, quia minuitur libertas*. Unde Moraliſtæ dicunt, quod *præceptum naturale negativum* (uti eſt ne mentiaris) *prohibens rem intrinſecè malam non liceat violare, ne quidem ob metum mortis;* & licet metus gravis v. g. mortis ſæpe non tantum à præcepto poſitivo excuſat tàm divino, quàm humano ſed quandoque etiam ab affirmativo naturali, & ſic (ut *Sanchez* 1. *mor c.* 18.) non tenetur quis cum periculo vitæ integrè confiteri, ſervare depoſitum, implere votum, ſuccurrere proximo extreme indigenti. *Becan. l.* 2. *t.* 3. *c.* 6. *Azor. p.* 1. *l.* 1. *c.* 11. *Laym. l.* 1. *t.* 4. *c.* 14. in præcepto tamen negativo divino metus mortis non excuſat. vid. *Buſenb. Medull. Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *dub.* 2. *p.* 31. ubi etiam egregie deducit, an metus mortis in legibus humanis excuſet, & quatenus præcepta humana, ſive Politica, ſive Eccleſiaſtica, cum periculo vitæ obligent. Quicquid vero id ſit, hoc certum eſt, Abrahamum melius abſolvi poſſe à peccato, quàm Iſaacum, ſiquidem Abrahamus vere dicere poterat, quod Iſaaco deficiebat. Videtur autem ex colloquio Iſaaci cum Abimelecho, *Gen.* 26. 7. ut & ex Dialogo Abrahami cum Pharaone *Gen.* 12. 19. *&* Abimelecho *Gen.* 20. 2. 12. colligi quod apud Ægyptios & Philiſtæos *conjugia fratrum & ſororum*, uti apud Perſas, Græcos, quod ſupra *ad th.* 38. *n.* 2. allegavimus, tunc temporis non fuiſſe in uſu. Ipſos tamen Judæos tempore Davidis non adeo abhorruiſſe à connubiis fratrum & ſororum videntur verba Thamaris inſinuare, cum ad fratrem Ammonem dicit: 2 *Sam.* 13. 12 13. *Ne frater mi, opprimas me, non enim ſic fit in Iſraële, ne facias ſtultitiam hanc. Nam ego, quo depellam probrum meum. Tu verò eris veluti è ſtultis unus in Iſraële, alloquere verò Regem, non me denegabit tibi.* Ex quibus ultimis verbis patet, Thamarem non pro re illicitâ habuiſſe, fratri nubere. Quanquam variæ ſint Hebræorum hac de re ſententiæ. *R. Sal. Jarchi*: (Non denegabit me Rex tibi)

Quia licita ego ſum tibi, eo quod gravida ea (Thamare) *facta ſit mater ejus, cum eſſet alienigena pulchra forma, quam David cepit in bello. Jam verò filius aut filia ex ancillâ non ſunt tales per omnia.* R. *Levi Ben Gerſon*, dicit illa verba Thamaris (*non ſic ſit in Iſraële*) non involvere hoc quaſi ſit inceſtus ſed quod non ſit moris in Iſraële, ut quis per ſcortationem extra conjugium rem habeat cum muliere. Matrem vero Thamaris non fuiſſe proſelytam eo tempore, quo illa gravida facta erat, idcircò filiam non fuiſſe, vel habitam fuiſſe pro filia Davidis. Filium enim Iſraëlitæ ſuſceptum ex ancilla aut ex gentili non dici filium Iſraëlitæ illius. *R. David Kimchi ad 2 Sam.* 13. 1. dicit, Maacham adhuc gentilem à Davide in bello ceptam. *Deut.* 21. 11. genuiſſe Thamarem, & poſteà proſelytam factam (quia nonniſi primo concubitu gentilem agnoſcere licebat) genuiſſe Abſalomonem & ideò vocari ſororem Abſolonis ſc. uterinam, Ammonis verò propter Patrem Davidem, Germanam. *Abarbenel* dicit Thamarem & Abſolonem ex Maacha proſelyta & Judæâ factâ prognatos & Thamarem ad Ammonem hæc verba tantum (*alloquere Regem, non denegabit*) protuliſſe, ut blande vanis ſolatiis diverteret illum, & ſe ab inhoneſtis ſolicitationibus liberaret; eſſe alias flagitium per legem prohibitum. *R. Samuel Laniado in Comment. ad 2 Sam.* 13. poſt recenſitas R. Salomonis, R. Davidis Kimechi & Abarbenelis ſententias, & hujus quidem refutatam dicit, fratres & ſorores alienigenas & proſelytas factas potuiſſe conjugia inire. Et Thamarem ſaltem ſcortationem ſeu conjugium ſine ſponſalibus inſtitutum avertere voluiſſe. Deut. 23. 17. ne ille vim inferret, ſui honoris etiam rationem haberet, atque ab hoc famoſo delicto abſtineret. Cæterùm, quòd connubia ſororum & fratrum non ſint contra jus Naturæ, immutabile, multi ICTI exiſtimant, præſertim vid. *Stryckius Anteceſſor Francofurtanus in Comment. ad Corp. Iuris* & quæ ſupra *ad th.* 38. *n.* 2. notavimus.

THESIS LIV.

Geneſ. 26. Eſavi bigamia memoratur c. 28. etiam ejusdem trigamia ſine ulla vel Spiritus ſancti vel parentum reprehenſione. Diſplicebant quidem Iſaaco & Rebeccæ peſſimi mores, quos in uxoribus Eſavi deprehendebant, non vero ipſa bigamia, unde Jacobum quidem non ab ipſa Polygamia, ſed ab uxoribus malæ notæ ablegatione ad conſanguineos abducere volebant. Sicuti & ipſe Jacobus redux Polygamus parentibus, nullo ſigno diſplicentiæ edito, fuit acceptiſſimus. Quemadmodum vero homi-aut fratricidium Eſavi propoſitum ceu peccatum contra 5 præceptum quod ex præcipiti iræ affectu ut plurimum committitur, parentibus nullatenus placuit, ita multo minus Polygamia, ſi peccatum eſſet & contra 6 præceptum, ceu delictum moroſum & voluntario animo continuatum arriſiſſet. Hinc talis fluit Syllogiſmus:

Quodcunque Spiritus Sanctus neque in locis propriis nec alibi vel ſpecialiter taxat, illud non eſt peccatum.

Sed potius licitum. Licere autem illa communiter dicimus quæ legibus

bus vel interdicto ſuperioris non vetantur, quæque adeò ſine omni peccato, vel reprehenſione ſuſcipi debent.

Sed Polygamiam Eſavi, Jacobi, Spiritus Sanctus neque in locis propriis, neque alibi, vel generaliter, vel ſpecialiter taxat.

E. Polygamia non eſt peccatum. Nolo pluribus argumentis, quæ ex ſuperioribus poſſent elici, lectorem fatigare, ſed hoc ipſum illius erudito judicio relinquo.

1. *Eſavi.* Keſſæus in hiſtoria Arabica duos Eſavo tribuit filios ex Thabothi Æthiopum Regis Filia ſuſceptos & *Romanos* appellatos; ſed hoc Judaicam redolet fabulam, ſiquidem conſtat, nomine Edom, Thalmudico ſtylo Romanorum imperium indigitari. Neque verò quod ſequitur, majori cum autoritate aſſeritur à *Keſſæo*, cum inquit: *Dixit Jacobus fratri ſuo Eſavo, annuntio tibi, ô Frater, quod Deus omnino gratioſè mihi indulſerit donum propheticum; & quod idem poſiturus ſit prophetiam in generatione tua, quodque excitaturus ſit Jobum Apoſtolum prodíturum ex lumbis tuis, & Rege oriturum, qui circum ibit orientem & occidentem. Vocabiturque* Δικέρας; Alexandrum inſinuat, cui ab Arabibus nomen hoc eſt inſitum. Uti ſupra vidimus in *not 4. ad th. 12.* conſ. *Schard. in Curtium.*

2. *Eſavi digamia.* Videtur Eſavus duas uxores vel ſimul vel parvo intervallo interpoſito *Gen.* 26. 34. duxiſſe. Quod quidem Iſaaco per ſe non erat ingratum, etſi malè morati & gentiles mores gentilium uxorum ipſi diſplicerent. Judæi aliàs cum fœmina gentili diſpenſationem nullam inibant, aut ſi talis deſponſatio fieret, caſſa erat & irrita. Unde *Maimon in Hiskuth Schot, c.* 4. §. 15. qui deſponſat Cuthæam (fœminam gentilem, infidelem) aut ancillam ejus, deſponſatio eſt nulla, ſed eſt ipſa fœmina, ſicut fuit antea. Sic *Cuthæus* (Gentilis non Judæus) & ſervus deſponſantes ſibi filiam Iſraëliticam, nihil faciunt, deſponſatio eorum nulla eſt. Hinc ſcribit etiam R. *Levi Ben Gerſon, ad Lev.* 10. 10. *non adimplentur conditiones conjugii in illis, qui non ſunt filii fœderis.* Interdictum autem hoc de infidelibus & extraneis petunt ex *Deut.* 7. 3. *Non junges te affinitate cum eis, filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam eius non accipies filio tuo. Avocabit enim filium tuum ne eat poſt me, & colent Deos alienos.* conſ. Ex. 23. 32. & 34. 15. 16. *Nam etſi hoc dicat Moſes duntaxat de ſeptem Gentibus Cananæis, idem tamen eſt judicium de cæteris gentibus. De his vero in ſpecie prohibuit eis, quod tunc ingrederentur in terram illarum. Quod ſi verò quis eas convertat ad religionem Judaicam,* (ante ſponſalia) *non eſt prohibitum, ſiquidem ex corde ſincero & integro ſe convertant, non ex timore vel amore.* ſcribit R. *David Kimchi ad* 1 *Reg.* 11. 1. Hinc dicunt de Samſone, filiam Philiſtæam Thimnathæam *Jud* 14. 2. 3. & de Rege Salomone plures mulieres alienigenas amante & ducente 1 *Reg.* 11. quod non prius eas duxerint, & per ſponſalia ſibi junxerint, quam proſelytæ factæ & ad fidem Judaicam converſæ eſſent. Sic ſcribit R. Levi Ben Gerſon de Samſone. *Rabbini noſtri dicunt, quod eam prius proſelytam fecerit.* Abſit enim ab eo, qui eſt Judex in Iſraële, ut ſe polluat filiabus incircumciſorum; *Et transgrediatur id, quod lex prohibuit, affinitatem ſcilicet cum illis contrahere, præſertim is qui eſt Nazaræus Dei.* idem ſcribitur in *Keli Jakar.* huc trahunt verba illa Simſonis ad parentes ſuos dicentis, *accipite eam mihi in uxorem;* quaſi voluiſſet dicere: *Facite eam proſelytam, & præparate eam ita, ut poſſitis eam mihi accipere in uxorem.* Eodem modo excuſant ex parte *Salomonem*, quamvis ne ſic quidem ab omni peccato eum abſolvant. Sunt qui hoc etiam ad excuſationem Salomonis afferant, quòd bonam habuerit hâc in re intentionem, gloriam videlicet Dei. *Finem enim hunc ſibi propoſitum habuiſſe quo eas ad cultum verum Dei, ejusque timorem adduceret, ut*

omnes

omnes populi invocent nomen Domini, imò etiam per hujusmodi affinitates populos ipſos tandem ſibi ſubjiceret. Sed malè ei ceſſiſse, neque eventum voto ejus reſpondiſse. vid. *Keli Jakar.* Sic exiſtimant etiam nonnulli duos filios Elimelechi *Ruth. l.* 4. non duxiſſe uxores Moabitidas *Orpam & Rutham*, niſi prius proſelytas factas. Concludunt hoc ex eo, quod v. 15. de Orpa dicitur; *& reverſa eſt ad populum ſuum & ad Deos ſuos*, Hoc ſcribit Abenezra eſſe teſtimonium, quod prius ad Judaiſmum converſæ fuerint. Paraphraſtes tamen Chaldæus putat illos peccaſſe, Sic enim trans fert v. 4. & 5. *Et transgreſſi ſunt mandatum Domini, & acceperunt ſibi uxores alienigenas ex filiabus Moab. & quia transgreſſi ſunt verbum Domini, affinitatem contrahendo cum populis alienigenis, ideò abſciſſi ſunt dies eorum & mortui ſunt ambo.* Sic ſcribitur in Medraſch Ruth: *Neque proſelytas fecerunt, neque baptizarunt eas prius.* Abarbenel putat diſparitatem hanc coujugiorum etiam inter *primi mundi peccata* fuiſſe. Nam quod *Gen.* 5. 2. dicitur, *& viderunt filii Dei filias hominum, quod pulchræ eſſent*, de commixtione Sethidarum cum Cainitis inſinuari aſſerit. Videantur *Danh. Hodoſ.* 92. *Lac. Catech. p.* 3. *conc.* 11. *p.* 302. *Quiſtorp. in V. T. Ann.* 197. *Menz. de Conjug. p.* 147. *Gerh. t.* 7. *LL. CC. p.* 599. *Joach. à Beuſt. de matr. c.* 37. *Brochm. Syſt.* 2. *p.* 5073. 5098. *Abulenſ. ad* 3. *Reg. p.* 95. *Serar. de matr. Cath. cum hæret. t.* 2. *op.* 5. *Laym. de ſacr. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 45. *c.* 14.

3. *Jacobus* qui etiam vocatur Iſraël, quod Deum pugnando vicerit, uti ſcriptura explicat. Keſſæus in vitis Patrum p. 86. aliam derivationem adducit, *Jacobus*, inquiens, *Syriâ egreſſus* noctu *meabat & interdiu deliteſcebat.* Vocatur autem *Iſraël* i. e. *noctu*, ad ſocerum ſuum Labanem proficiſcens & ad domicilium ejus perveniens. Ergo Arabica vox eſſet Iſraël, ſi fidem mereretur Keſſæus. Rectius Beidavi ad fontes Hebræos refert, ſed malè explicat. i. e. *ſignificatio ejus Hebræa eſt* Electio, *aut ut alii volunt* ſervus Dei.

4. *Jacobus Redux Polygamus.* Jacobus duas ſorores filias Labani, earumque ancillas duxit, adeoque quadrigamus, cum Lamechus, Abrahamus bigami tantum cum Nahore, Eſavus trigamus fuerint, ratione iſtarum quatuor uxorum factus fuerit. De quo facto Jacobi duas ſorores præſertim vivas ducentis Hebræi diverſimode ſentiunt; *Abarbenel* exiſtimat Jacobum *non reformidaſſe duas ſorores ducere, Amram item amitam ſuam ſeu ſororem Patris ſui* (Exod. 6. 20) *quod tum nondum eſſet data lex, neque iſtæ mulieres, quarum hic mentio prohibitæ.* Refutat etiam Abenezram, qui exiſtimavit, prohibitionem mulierum inceſtuoſarum reſtrictam quaſi fuiſſe duntaxat ad locum certum, terram Canaam videlicet, ita ut Jacob potuerit ducere duas ſorores *in Charan*, & Amram Jochebetham amitam ſuam *in Ægypto ſine pollutione. Pollutionem quippe tantùm factam fuiſse in terrâ Canaan.* Hanc, inquam, ſententiam dicit eſſe futilem & nullam, *eò quod ſine dubio pollutio & pravitas hujus actionis æqualis fuerit ubique; in Charan, in Ægypto & in terrâ Chanaan. Abarben fine Paraſchæ* אחרי עוה. Cur Deus vero Jacobum ita facere permiſerit rationes reddit in *Geneſi ſect.* ויצא יעקב, *fol.* 90. *col.* 3. 4. ſed inſipidas. Vid. eundem circa finem ſectionis קדושים; Quærit in ea ſectione c. ſc. 20. Lev. *cum pœnæ concubituum illicitorum ſingulorum ſint ſancitæ cur nulla pœna his duabus ſit aſſignata. Id videlicet* inquit *non ſactum eſse propter Jacobum, & Amramum, ſed quia in genere comprehenduntur ſub iis quibus pœna exciſionis irrogatur.* Sic ſcribit Bocchai f. 144. col. 3. *Recordatur omnium, ex captis duabus ſororibus propter honorem Jacobi.* Hic tamen faciunt differentiam in hoc & ſimilibus quibusdam caſibus & gradibus prohibitis, inter ſcortationem & nuptias, veluti *ſi quis rem habeat cum muliere & filia ejus, aut cum uxore, & ejus ſorore, per ſcortationem, id non aliter habeatur, quàm ſi quis rem habuiſſet cum duabus mulieribus extraneis, quia non fiunt inceſtuoſæ iſtæ cum iſtâ, niſi per deſponſationem & nuptias non per ſcortationem. Sic ſi pater vel filius alicujus, vel patruus vi vel blanditiis compreſſerint aliquam; is poteſt*, inquit Maimonides, *ſic compreſſam ducere in uxorem. Ratio, quia de his in textum dicitur.* אשה *Uxor. atqui ea, quam quis per ſcortationem cognoſcit non eſt uxor ejus.* Maimon. in Hilkuth. Aſuri Bia. c. 2. §. 13. vid. & R. Sa-

lo-

lomonem ad Lev. 18. 17. Maim. etiam l. c. §. 14. hanc tradit regulam: *Si pater aut filius alicujus duxerit mulierem, hic poteſt ejus mulieris ducere filiam aut matrem.* (Et ſic Pater & filius poſſunt habere matrem & filiam) *It.* permiſſum eſt, ut quis ducat *uxorem filii fratris ſui, poteſt etiam quis ducere mulierem, & filiam ſororis ejus, aut filiam fratris ejus. Permittunt etiam, imo præcipiunt, ut quis ducat filiam ſororis ſuæ aut fratris ſui ex dicto illo* & à carne tua non abſcondas te. *Eſ.* 58. 7. Hæc Maimon. l. c. Nolo impræſentiarum Patrum & recentiorum Theologorum ſententias adducere, quas in commentariis in Gen. quisque curioſus evolvere poteſt, Unus vero inſtar omnium ſit *Martinus Lutherus*, optimus ſcripturæ Metaphraſtes & interpres, qui in *Comm. ſuo in Gen. T. 4. Jen. Germ.* poſtquam antè ſuis locis Lamechi & Abrahami digamiam à peccati reatu vindicarat, & in genere ad objectiones reſpondendo aſſeruerat, Polygamiam nec in V. nec in N. T. eſſe prohibitam, ſeque hodienum improbare non poſſe, ulterius in exemplo Jacobi enucleando pergit, & Polygamiæ juſtitiâ ante jam probatâ, præſuppoſitâ, clariſſime contendit, etiam duas ſorores ducere ſimul, non eſſe contra legem Dei, ſed tantum contra legem Papalem, & ſi talis caſus hodie contingeret, ſe aliud conſilium Theologicum ex conſcientiâ profectum non poſſe ſuppeditare, quàm ut ad exemplum Jacobi ambæ retineantur & ab infamiâ vulgi liberentur. Verba ejus lectu & notatu digniſſima hæc ſunt, in Germanicâ linguâ: **Wie wollen wir aber das verantworten / daß ſallt zufährt und nimt zwey Schweſtern. Das können wir nicht läugnen / es iſt ja Sünde bey den Pabſt (NB nicht bey Gott und in der Heiligen Schrifft) die man mit feüer muß büſſen / ſo hart / daß wenn einer mit ſeines Weibes Schweſter fiele / darf er nimmen ſein Weib berühren. Hier ſiehe nun / dieſer Text gilt mehr / denn 10000. Päbſte / und weil die Schrifft Jacob nicht ſtraffet / muſtu mir daß laſſen ohne Sünde gethan ſeyn. (NB) Dazu beſtatigts Gott / daß es geſchehen läſt / darumb hat er nicht unrecht noch ſträflich gethan. (NB) Die ſo Chriſten ſeyn / wiſſen wohl / was ſie thun ſollen / doch wenn ſich ſo ein fall begebe / wüſte ich auch nicht anders zu rathen als wie Jacob gethan hatte / auff das man nicht dörffte des Pabſt Gefänguer ſeyn / und ſeines Weibes nicht brauchen.** Quæ verba, ut exteri Germanicæ linguæ ignari etiam intelligant, in Latium traducta Sermonem, ita exprimi poſſunt: *Sed quid ad hoc reſpondebimus, quod Jacob eo procedat, ut ducat duas ſorores. Hoc negare non poſſumus eſſe peccatum contra Papam* (non contra Deum NB.) *igne expiandum, ita ut ſiquis cum uxoris ſorore rem habuerit, ipſi non iterum liceat unquam uxori ſuæ cohabitare. Sed ecce hic textus plus valet, quàm centum mille Paparum decreta, & quia ſcriptura Jacobum non taxat, ſine peccato id factum eſſe dicas neceſſe eſt. Præterea confirmat Deus, cum fieri permittit, Ergo nec malè nec culpabiliter egit.* (NB. non fuit peccatum in Jacobo, igitur nec in nobis) *Qui Chriſtiani audiunt, benè nôrunt, quid ipſis faciendum ſit, attamen, ſi talis caſus contingeret, nullum aliud conſilium ſuppeditare poſſem, quàm ut fieret, ſicut Jacobus fecit* (retinuit ambas) *ut non opus ſit, eſſe Papæ mancipium, & ſuâ uxore fraudari.* Ex quibus Lutheri perſpicuis verbis luce meridianâ clarius apparet, Primùm quod præſupponat in antecedentibus ſufficienter demonſtratam Polygamiæ legalitatem, & æquitatem, & clariſſimè aſtruat, ne quidem eſſe peccatum, duas ducere ſorores ſimul, & nuſpiam in V. & N. T. eſſe prohibitum, ſed tantùm à Papâ interdictum, & ſeverius adulterio, pœnâ nempe ignis punitum, & ſub interminatione non amplius uſurpandæ propriæ caſtigatum. Tertio aſſerit, ſe plus æſtimare cum omnibus orthodoxis hunc textum, quàm infinita & innumerabilia Paparum decreta. Prætereà dicit Deum hoc ipſum Ja-

Jacobi approbaſſe & confirmaſſe factum, idque ex eo apparere, quia permiſerit. Adulterium Pharaonis & Abimelechi præſumtum & præmeditatum permittere nolebat, ſed per ſomnium impediebat. Ex quo conſequitur, Jacobum nec malè nec reprehenſibiliter feciſſe. Deinceps addit, Chriſtianos Chriſtianis quidem legibus eſſe aſtrictos, illas leges tamen ita eſſe comparatas, ut citra illarum præjudicium, ſi caſus ejusmodi emergeret, ad tranquillandas conſcientias, & regulam de *reſtitutione in integrum* obſervandam, permitti poſſit, ut ad exemplum Jacobi ambæ ſorores retinerentur, & utrique ſatisfieret, primæ quidem, vinculum conjugale ſartum tectumque conſervando, alteri vero, per ſubſequens matrimonium ab infamiâ infallibiliter incurrendâ liberando. Tandem dicit Tyrannicas & ſerviles Papæ leges non eſſe amplius attendendas, easque propter uſum propriæ uxoris non interdicendum ei, qui contra Deum non peccavit. Nec obeſt huic ſententiæ locus decantatiſſimus & vexatiſſimus. Lex 18. v. 18. *Ne ducas uxoris tuæ ſororem ipſa vivente, ipſa invita.* Qui locus tantum abeſt, ut inceſtuoſa probet eſſe hæc connubia, ut ne quidem illa ſimpliciter prohibeat, uti accurate Theophilus demonſtravit th. 68. & nos deinceps in notis ad illam theſin latius deducemus. Abſit igitur, ut Jacobo ea propter inceſtum aſcribamus, aut dicamus tum temporis nondum fuiſſe inceſtum, quia nondum lex Lev. 18. data. Etſi enim Patriarchæ nondum haberent legem ſcriptam Moſaicam, *noverunt* tamen *leges morales, legem adulterii, legem leviratus*, ut ex hiſtoriâ Judæ apparet, *legem* etiam *inceſtus*, ut ex ultimis verbis, & cygneâ cantione Jacobi patet, ubi filium primogenitum Rubenum, qui cum Patris uxore inceſtum commiſerat, caſtigat, & jure primogenituræ ſpoliat. Et ſanè ſi duas ſorores vel ſimul, vel ſucceſſive ducere inceſtus eſſet, uti hodie communiter putatur, Jacob nunquam conſenſiſſet in hoc matrimonium, multò minus in hoc inceſtuoſo crimine perſeveraſſet, & ſe gratiâ divina indignum feciſſet. Et videtur ſane ſubſequentibus temporibus non tantum in uſu fuiſſe plures ſponſas ſimul ſibi deſponſare, ſed etiam binas ſorores. vid. *Selden. Ux. Hebr. l. 2. c. 6. p.* 151. Quod autem *Lutherus l. c.* dicit, duas ſorores eſſe contra Papalem tantum legem, reſpicere videtur ad Decretal. 2. cauſ. 32. q. 7. ubi dicitur; *ubi quis dormierit cum duabus ſororibus, & una ex illis antea fuerit uxor, neutram ex ipſis habeat.*

Thesis LV.

Gen. 29. recenſentur filii Jacobi, ex Lea oriundi, *Ruben, Simeon, Levi, Juda.* Rachel vero, non Lea, erat prima uxor cum qua contractum connubialem inierat: Cum Lea rem habuerat, & ipſi florem virginitatis abſtulerat de quo elegans eſt locus apud Apulejum in Apologia: *Virgo formoſa etſi ſit oppido pauper, tamen abunde dotata eſt, affert quippe ad maritum novam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum.* Igitur æquum judicabat Jacobus, ut quod ipſi abſtulerat, iterum rependeret, benè conſcius illius, quod Natura omnibus dictitat; *Non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum.* Cumque *virginitas* ſit tantum bonum quod non poteſt niſi interveniente matrimonio compenſari, commodiſſimum erat ut illam duceret. vid. Exod. 22. 16. 17. Deut. 22. v. 28.

29.

29. Si itaque ut communiter putatur, Polygamia eſt peccatum, Lea, Zilpa & Bilha nil aliud fuerunt, (ſi ſcapha ſcapha eſt dicenda) quam *ſcorta*, & eorum liberi ſpurii. Jam vero Deus expreſſam legem dederat, quod nullus ſpurius debeat ingredi cœtum Domini, nec ad ſacerdotium promoveri. *Levi* vero ad *ſacerdotium* & ex ejus tribu oriundus *Aaron* ad Pontificatum, *Juda* ad Principatum evehebatur; *Salomon*, qui non ex prima *Davidis* uxore filia *Saulis*, ſed ex Bathſeba natus, à Deo infinitis Regalibus donis mactatur & præ Davide ad templum ædificandum electus. Et quis nobis fidem faciet, quod Magnus ille Propheta *Samuel*, qui à teneris uſque annis Deo familiariſſimus primum Regem unxit, & iterum depoſuit, aliumque prævia ſolenni electione & unctione ſubſtituit, à prima uxore Elkanæ bigami fuerit natus. Quæ omnia ſi æqua animi lance ponderemus, ſequens nobis ſuppeditant argumentum:

Quicunque venit in congregationem Domini, promovetur ad ſacerdotium, ille non eſt ſpurius ſeu illegitimus.

Atqui filii ex Lea, Bilha & Silpa orti venerunt in cœtum Domini, Levi promotus fuit ad ſacerdotium & *ipſius Nepos ad Pontificatum*.

Ergo non fuerunt illegitimi vel ſpurii. Et porro:

Quicunque cum uxoribus ſuis, quas poſt primam duxit & cum prima retinet, legitimos filios procreat, illi Polygamia ceu res indifferens eſt conceſſa.

Atqui Jacobus cum uxoribus illis tribus, quas poſt primam duxit, & cum prima retinuit, legitimos procreavit filios.

E. Illi Polygamia ceu res indifferens fuit permiſſa. Taceo jam, quod *filii Jacobi æqualia jura*, privilegia, beneficia *in adeunda Patris hæreditate* habuerunt nec unquam nomine ſpuriorum, quantum conſtat, à vicinis populis ab Ægyptiis vel etiam à ſe invicem, ut pueri ſolent, traducti fuerunt.

1. *Florem virginitatis abſtulerat.* Cum Caſtitatis obſervatio præcipuum fœminarum bonum *l. 5. C. ad. SC. Orſicianum*, & non ſuſpecta pudicitia præcipua puellarum dos ſit, multæ virgines ſæpe mortem elegerunt, antequàm virginitatem ipſorum interficii paſſæ ſunt. Ut vel ex Magdeburgenſi excidio patet. Qui tamen, ut *Teleſippe apud Ariſtænetum ait*, ſperatæ nuptiæ dulces, gratæ optandæ à puellis ad hoc natis & datis, virgines ſæpe conſentiunt in deſideria juvenum, & amorem mutuum, datam fidem, inceptos hymenæos concipiunt nec exiſtimant, fore, ut juvenes libidine ſatiati illas contempturi, & ſtudio magno petitum inſtar Ammonis abjecturi & neglecturi ſint, cum Ænea canentes:

Non conjugis unquam
Prætendi tædas aut hæc in fœdera veni.

Unde vitiatæ actio quædam ex jure naturæ & legibus divinis & humanis competit. *Sanchez l. 7. d. 14. de ſacr. matr. & Leſſius de Inſt. & Jur. 2. c. 10. dub. 2. n. 9.* cœterique Jeſuitæ quidem docent, in foro interiori, ſeu ſepoſita omni lege poſitiva, quæ non decepta conſenſit in ſtuprum, nullam, ob amiſſum virginitatis honorem contra ſtupratorem ſuum actionem habere, cum jure naturæ volenti injuria non fiat, *l. 1. §. ff. de Inj.* nec

quis cogatur reſarcire damnum cupienti illatum. (27. *c. de reg. Jur. in 6. l.* 11. *ff. ſi quid in fraud. Patr. fact.* nec referrre volunt, etiamſi prius reluctans, poſt importunis ſtupratoris precibus ſeducta, vel muneribus pellecta virgo ſuccubuerit, quia qui repugnavit initio, ſi ceſſerit, conſenſit. Aliud tamen eſſe volunt, ſi minæ blanditiis additæ fuerint, vel ſi reverentiæ metu, precibus & perſuaſu Domini, vel magnæ autoritatis homini ceſſerit tandem virgo. Verum extra hunc caſum, ipſius voluntarii ſtupri ratione nequidem ipſi Patri adverſus corruptorem ullam actionem concedendam putant, ſed duntaxat, quatenus ſtuprum etiam ejus pudorem pertingit, familiam dedecorat, curæque in collocanda filia majori doti alligat. *Sanch. d. l. n.* 11. 12. Scilicet filia ſui corporis Domina eſt, eoque ſuo jure uti poteſt, etiam ad committendum ſtuprum: qua propter ſi propria voluntate florem virginitatis ſuæ delibari ab amante patiatur, nullam patri eo ipſo infert injuriam, cum de ſuo diſponat, nec patri aliquid auferat, cum minus jus non habet in corpus violatæ quàm inviolatæ filiæ. *Leſſ. d. l. n. 5. dub.* 1. Verum enim vero utut primum hujus doctrinæ argumentum admitti poſſit, alterum tamen nullo nititur fundamento. Et enim quomodo ſui corporis domina dici poteſt filia familias, cum ipſa nativitate liberos dominio & imperio ſubjectos voluerit natura, ideoque quomodo poteſt dici non peccare in patrem, quæ volens ſtuprum patitur, cum abutatur eo, cujus pater Dominus eſt? Et quomodo non tractare rem alienam invito Domino ſtuprator, qui virgini etiamſi volenti vitium infert? Rectius dicendum videtur, hunc corruptorem naturali ratione patri obligatum eſſe tùm injuriarum quia læſit familiæ honorem & pudorem patris *l.* 1. §. 5. *l.* 26. *ff. de inj. & fam. lib.* tum ad reſarciendum damnum, quia corrupit virginem, quæ non ſui dominii, ſed patris erat, qui jam majore eget dote non tantum ad elocandam corruptam filiam, quam integram, ſed etiam, quia depreciata ſtupro puella majoribus ſumptibus domi alenda, ceu proſtituti pudoris filia. *arg. l.* 14. § 1. *ff. de ſerv. corr.* Nec minoris valoris eſt alterum argumentum: *non majus eſt patri jus in involatam, quàm violatam.* Ergo patri nulla fit injuria ex voluntario filiæ ſtupro. *Leſſ. l. c. d.* 1. *n.* 3. Nam nulli licet re aliena invito Domino uti, etiamſi non diminuat ipſum Dominii jus, multò minus abuti, unde Homerus in Odyſſ.

> *Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt.*
> *Tertia pars Patris eluit, & pars tertia matris.*
> *Tertia ſola tua eſt.*

vid. & *Covarruv. p.* 2. *de ſponſ. c.* 6. §. 8. *n.* 19. *Baſil. Pont. l.* 2. *c.* 2. *&* 5. *de ſacr. matrim.* ubi plura ſecundum jus naturæ, & quatenus conſcientiæ forum ſpectatur, de hac materia diſputata invenies. Lex divina omnino cogit ſtupratorem, virginem, quam etiam blanditiis pellexit in coitum, & dotare & ducere. *Ex.* 22. 16. 17. *Deut.* 22. 28. 29. de quibus infra ad *th.* 66. Romani injuriarum teneri eum voluerunt, qui vel aſſectatus fuiſſet (frequenter mulierem ac ſi ſcortum eſſet, ſecutus) vel appellaſſet honeſtam virginem, (blanda oratione virginis pudicitiam attentaſſet *l.* 15. §. 20.) vel ei comitem abduxiſſet, *l.* 9. §. *ult.* (effeciſſet, ut matronæ incedenti comes non ſit, ſive cum quis per vim abducat, ſive perſuadeat ut virginem deſerat, ſive alio modo efficiat, ut comes mulieri non ſit. *l.* 15. §. 16. 17. 18. *ff eod.* ita qui turpibus verbis uſus fuiſſet præſente matrona, vel virgine honeſta, etiamſi hoc ipſo non tentaſſet pudicitiam, injuriarum tamen tenebatur, *l.* 15. §. 21. *ff. de Injur:* quia pudorem offendunt, læduntque bonos mores impudici ſermones. Si quis perſuaſione ſua virginis mores corrupiſſet, luxurioſam vel contumacem feciſſet, utilis actio judicis officio æſtimanda, ad ſimilitudinem actionis ex edicto de ſervo corrupto, patri data fuit. *l.* 2. *junct. d.* 14. §. 1. *ff de ſerv. corr.* Quia intereſt noſtra animum noſtrorum liberorum non corrumpi: atque inſuper ille injuriarum conveniri potuit, quia animum injuriæ inferendæ, qui id facit, habet *l.* 26. *ff de Injur.* Apud Athenienſes fuit lex imitata divinam, *ducat uxorem, quam quis vitiavit, civem virginem*, ut ex Plaut. Aulut. act. 4. ſc. 10. & Terentio *Act.* 3. *ſc.* 4. patet.

tet. At jure Romano conſentienti in libidinem virgini nulla actio ad nuptias, dotemve exigendam prodita fuit, cum generalis fuerit regula; *volenti non fit injuria*, nec *cupienti damnum infertur*. Verum ut tuta eſſet fœminarum pudicitia, (cum certitudo familiarum dependeat ex certitudine patrum, qui certi eſſe non poſſunt, ſi incerta ſit matris caſtitas) inter crimina, publico vindicanda judicio, ſtupra poſuerunt Romani, voluerunt ſtupri pœnam eſſe, ſi cœtera honeſtæ exiſtimationis vir ſtupraſſet virginem, publicationem partis dimidiæ bonorum, ſi humilis & turpis moribus hoc flagitium feciſſet, corporis coercitionem cum relegatione §. 4. *Inſtit. publ. Jud.* Ubi apparet bene notandum, quod quando humiles ab honeſtis diſtinguat Imperator ad mores & vitæ genus referendum ſit, ingenuis vel dignum vel indignum; non ad fortunæ vel dignitatis diſcrimina, *arg. l.* 3. §. 5. *de Bon. Poſſeſſ. contra tab.* Voluit etiam Juliæ legis autor Auguſtus non tantum proſpicere pudicitiæ illuſtrium fæminarum, ſed & libidinoſis amputare anſam vitiandi pauperes, honeſtas & ingenuas tamen. vid. *Brower. de Iur. Connub. l. c.* 26. ubi prolixe de ſtupro violento, & de exaſperatione pœnarum, ſi quis ſtupro polluit eam, quam uxorem ducere legibus prohibebatur. Ut ſi libertus ſenatoris filiam *l.* 16. *l.* 32. *ff de rit. nupt.* Patronam, Patroni filiam, neptem, proneptemque corruperit *l.* 3. *C. de Nupt.* ſi quis ingenuas virgines dignitate, honore & divitiis eminentes privatus & nullius conditionis homo pravis perſuaſionum illecebris, dolo, fraude ad ſtuprum induxerit; admodum honeſtas & pudicas donis muneribusque circumvenerit. Nec malè *Solon*, (ut ex Lyſia annotat Duarenus.) *perſuaſionem* gravius puniri voluit, quàm violentiam: hæc enim corpus duntaxat violat, cum animum quoque perſuaſio corrumpat. *Perſuadere plus eſt, quàm compelli & cogi ſibi parere* ait *Ulpian. l.* 1. § 2. *ff de ſerv. corr.* Qui tutor pupillam quondam ſuam ſtuprat, deportatur in inſulam, omnibus ejus facultatibus fiſco addictis. Virginis immaturæ corruptor, ſi honeſtor ſit, in inſulam relegatur, ſi humilior ad metallum damnatur; quod ſi pudenda ruperit, ut ad concipiendum inepta reperiatur reddita puella. Ultimo puniendum hunc ſupplicio interpretes volunt. *Menoch. c.* 249. *de Arbitr. Iud. Ant. Matth. ad lib. ff* 48. *tit.* 3. *c.* 5. *n.* 8. *de Crim.* Denique qui virgini pudicitiam eripit, etiamſi ſine armis vis facta dicatur, in legem Juliam de vi publicâ inſuper incidit. *l.* 29. § *ult ff ad leg. Iul. de adult. l.* 3. §. 4. *ff ad L. Iul. de vi publ.* cujus pœna aquæ & ignis interdictio ſeu deportatio eſt, *l.* 10. §. *ult. ff ad l. Iul. de vi publ.* & §. 8. *Inſtit. de publ. Iud.* Cœterum lex Julia Ulpiano interprete non duntaxat punit, qui ſtuprum commiſerunt, ſed etiam qui ſuaſerunt, conſilium dederunt, opemque tulerunt, qui pretium pro comperto ſtupro acceperunt, aut domum præbuerunt. *l.* 13. *l.* 14. *ff de adult. l.* 37. § 1. *ff de minor. l.* 3. § 3. *ff. de accuſ. l.* 8. *ff de eo quod metus cauſa.* Attamen Jus Pontificium, emolliens legis Juliæ duritiem, divinam de ſtupro conſtitutionem recte approbavit. quam etiam verbotenus ex *Ex.* transſcripſit *Gratianus. C.* 1. 10. *de adult. & ſtupr.* vid. *Brow. l c.* 277. Deus verò voluit, ut ſtuprata ſit ſtupratori in uxorem omnibus diebus vitæ ſuæ. Inſuper præter has pœnas recinſitas, ad dotem, ceu pretium interfectæ virginitatis, ſolvendam ſtuprator tenebatur, cum ferre puerperii impenſas, tum tollere infantem. *Grot. part. ult. c.* 35. *n.* 19. *Carpz. l.* 2. *tit.* 14. *defin.* 240. *Juriſpr. Conſiſt.* Quæ omnia melius gerentur, ſi lex naturalis & divina obſervetur, & quæ ſemel placuit ducatur, uti Jacobus fecit, honori parentis, ſtupratæ pudori, & ſuæ conſcientiæ conſulens & retinuit illam, cum quâ invitus, neſcius & deceptus rem habuerat.

2. *Non remittitur peccatum niſi reſtituatur.* Hic Canon naturæ inſcriptus, & verbo divino, legibusque civilibus & Pontificiis confirmatus, magnum habet uſum in informanda & tranquillandâ, (quod eſt ſummum bonum) conſcientiâ. Deus ipſe hujus Brocardicæ fundamentum poſuit *Lev.* 6. 1. 2. 3. *Num.* 5. 7. *Ex.* 22. 5. Hoc promittit Zachæus *Luc.* 19. 8. ceu regulam vivendi ſibi propoſuit. Tobias Conſcientioſus (de quo vid. *Meng. pec. tr.* ſub hoc titulo) *Tob.* 2. 21. Samuel contra ſuſpicaces & male ſentientes uſurpat. 1 *Sam.* 12. 3. vid. *Avian. Prax.*

Eccl. p. 1. f. 42. Strigen. de Conſc. con. 27. p. 235. Io. Mich. Dilh. Pec. tr. de Reſtit. Menger. Serut. Conſc. c. 2. q. 66. p. 920. Auguſt. Ep. 54. ad Maced. Peſſimum hominum genus, quod ſceleris pœnam relaxari, & id propter quod ſcelus admiſſum eſt, poſſidere cupit, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Ita Gregor. de Reſtitutione loquitur, *falſam eſſe pœnitentiam, ſi non ſatisfiat illis quorum res occupatas tenemus. Non enim verè dolet, ſe furatum eſſe, aut rapuiſſeeum, qui adhuc furatur, Tantiſper enim fur & prædo eſt, dum eſt injuſtus poſſeſſor fidei alienæ. Civilis illa ſatisfactio neceſſaria eſt, quia ſcriptum eſt: qui furatur deinceps non furetur.* Conſul. hic etiam *Zepper. de leg. Moſ. l. 4. c. 24. p. 614. Anton. Fernan. Ex. Theol. Moral. p. 1. c. 12. ſequ.* Huc etiam pertinet egregius Apologus *Io. Val. Anr. mani p. 2. n. 50.* Zachæus, cum in publicâ diſputatione theſin propoſuiſſet: *Non remitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum:* capitis periculum incurrit. Erant enim quàm multi, qui Eccleſiæ plurimum debebant, nec tamen agnoſcebant *ſacrilegium*, qui reipubl. multum, nec fatebantur *peculium*. Et proximo haut parùm, nec *furti* reos dicere quiſque audebat, Omnes quippe nomen regenitorum ſive converſorum impetraverant, quantumvis ſpoliis alienis etiam num opulenti & conſpicui. *Nec minor erat* hæredum ſecuritas, qui paternas poſſeſſiones, quovis titulo corraſas, propitio ſc. Deo adibant, nec Euangelio ullâ ex parte contraibant; Itaque non tàm publicè irriſus Zacchæus, qui corroſas opes reſtituerat, mulcta inſuper ei impoſita, imo & capitis quæſitus, qui peſtilentiſſimam propoſitionem evulgaſſet; Turbari nempe omnes ordines ac inviſum reddi atque difficile Chriſtianorum nomen, quibus non liceret injuſta poſſidere. *Ita Zachæus quidem obrutus, ſed non ſimul bona cauſa ſuppreſſa eſt. Nam maledictio quæ comitari fures perpetuo ſolet &c.* Quæ omnia licet loquantur de reſtitutione furti, commodè tamen & paucis mutatis de furtis Veneris & famæ etiam poſſunt capi, ſicuti Moraliſtæ communiter monſtrant, inter quos quodammodo eminet omnium fere epitomator *Buſenbaum.* ſed quia Marianæ Eccleſiæ addictus cum grano ſalis legendus & intelligendus. Ille *t. 3. tr. 5. c. 2.* prolixe agit de reſtitutione, quinam teneantur reſtituere, & an qui cooperantur ad damnum alterius teneantur ad reſtitutionem & quo ordine reſtituere debeant, & an reſtituere teneatur, qui alium impedivit à conſecutione alicujus boni: it. *p.* 207. quibus reſtituendum, *p.* 210. de bonis reſtituendis à poſſeſſoribus malæ fidei, qui intulit injuriam vel materialem vel formalem, quid pro injuria illatâ corpori per mutilationem, occiſionem reſtituendum ſit. Quid pro adulterio, illato ſtupro, læſione famæ reſtituendum, quo tempore, loco, ordine, modo reſtituendum, &c. Quibus omnibus ultrò citroque penſitatis juxta ductum ſcripturæ ſacræ, quæ ante omnia eſt attendenda, ad ſcopum deveniendo dicimus, quod *qui virginem per injuriam defloraverit teneatur rependere damnum, quod ei ex tali injuriâ natum, idque matrimonio*, ut & illi & ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, ſiquidem pecuniâ vel aliis rebus reſtitutio vera, non ſecundum acceptilationem tantùm æſtimata, haberi non poteſt. Et ſi vel maximè ſtuprum clam & tectum manſerit, nec impediverit, quin æque lautè nuberet, & talem inveniret, qualem manens virgo inveniſſet, conſcientiæ tamen ſtupratoris tranquillari non poteſt, niſi ipſe ducat, unde ſcriptura expreſſe de ſtupratore, quod *non debeat, nec poſſit dimittere eam per dies vitæ ejus.* Nec obſtat quod conſentientem defloraverit absque vi & fraude vel promiſſione matrimonii, adeoque illi nulla videatur facta injuria; ſiquidem nulla honeſta virgo unquam conſentiet in deflorationem nec importunis precibus ſe flecti, aut minis etiam vel metu reverentiali, ut ſi fuerit illius Dominus aut vir magnæ autoritatis, eò ſe adigi patietur, niſi ſub ſpe matrimonii, quod ſive promiſerit, ſive non promiſerit tenetur vi conſcientiæ, cui reſtitutio à naturâ inſcripta eſt, conſummare. Multi quidem per fictam matrimonii promiſſionem debilem ſexum ſæpè flectunt, adeoque ſe ad ducendam eam non obligari putant, quod falſum. Siquidem in omni contractu, ubi alter ex parte

te

te ſuâ acceptarit & implevit, tenetur & alter implere, etiamſi ficte contraxerit, quia tenebatur ex juſtitia vere contrahere, cum alioquin omnia humana commercia fraudibus paterent, *Leſſ. l.* 2. *c.* 10. *d.* 3. *&* 4. *Trull. c.* 9. *d.* 3. *Filliuc. t.* 32. *c.* 8. *n.* 209. Tenetur etiam fictus promiſſor eam ducere, ſi vel maximè puellam notabiliter conditione (hoc enim redolet ſuperbiam, Davidis, Salomonis uxores non omnes erant Regum filiæ. Uxor coruſcat radiis mariti, & quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet.) excederet, vel verbis uſus eſſet fictionem facile indicantibus (amor enim eſt cœcus, ſæpe etiam ſurdus & mutus). Tenetur etiam, quantum video, fictus promiſſor eam ducere, ſi vel maxime non invenerit virginem, ſed putavit tamen eſſe virginem, ducat ut viduam (in adjutorium) quam prior ſtuprator conſcientiæ ſuæ nullam curam habens, ſceleſtiſſimè deſeruit & repudiavit. Inſuper fictus promiſſor etiam ducere tenetur, ſi vel maxime grave aliquod damnum aut ſcandalum, modo non ſit datum, timeatur, quia conſcientiæ tranquillandæ ratio ante omnia habenda eſt, ita ut etiam in cauſa ſit, ut alteri jam matrimonio copulatus, permittente & conſcientias tranquillante Magiſtratu defloratam ducere poſſit & debeat. Hæc eſt mea, citra tamen aliorum præjudicium, ſententia, ex indubia ſcientia & conſcientia profecta. Quicquid etiam ogganniant Buſenbaum. atque alii Moraliſtæ, quorum ſententias adducere brevitatis ergo nolui, ſed tantum veram, quæ mihi videtur, apponere volui, meliorem tamen informationem admitere paratiſſimus.

3. *Virginitas ſit tantum bonum.* S. Hieron. Epiſt. ad Euſtoch. de auſt. Virg. (quod in *I. C. cauſ.* 32. *q.* 5. *c.* 11. ceu vera ſententia repetitur) *Audacter loquor, cum Deus omnia poſſit, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœnâ, ſed non vult coronare corruptam.* Maria tamen mater Dei dicitur à Marianis *devirginatas* & prægnantes, ſed religioſas *revirginaſſe*. Ita ut impærgnatio illarum æternæ caſtitati nil obfuerit, *Vincent. l.* 6. *c.* 87. uti ejusmodi fabula narratur in *Mariæ Geneal. p.* 2. 11. *Dec. p.* 780. 781. quod olim Coloniæ in Monaſterio Mariæ fuerit virgo ſuperba, cœteras moniales deſpiciens, & impoſſibile judicans quod virginitatem amittere poſſit; ſed judicio Dei, qui ſuperbos punit, cecidit & imprægnata fuit. In quo curruptionis ſtatu primum deſperare voluit, poſtea ad Mariam unice confugit, quæ ipſius miſerta effecit ut *fœtus in utero evanuerit, & virginitas ipſi reſtituta fuerit.* Non abſimilis eſt Legenda quæ habetur de pientiſſima *Abbatiſſa* quæ licet imprægnata, ſeveriſſimè tamen diſciplinam in moniales ad laſciviam etiam pronas exercuit, in odium igitur totius conventus incurrit, & apud Ordinarium Epiſcopum de hac re incuſatur, & ceu nefandiſſimum ſcortum defertur. Illa certior de hoc facta currit plena timoris ad templum Mariam venerata, ut ex his anguſtiis ipſam liberaret. Apparuit Maria cum duobus angelis gratioſiſſime illam ita compellans: *preces tuas exaudivi, & à filio meo omnia tibi impetravi,* mandavitque angelis, ut à fœtu liberarent (exemplum fortè ſine exemplo, *angelos* fuiſſe *obſtetrices.*) Expergefacta nullum amplius ſenſit Infantem in utero. Intereà Epiſcopus ad monaſterium venit, Abbatiſſam reprehendit, & capitulo ex eſſe jubet. Ne tamen in hac prægnantiſſima cauſa cuiquam injuria fiat, miſit Epiſcopus duos ſacrificulos (forſitan in defectu obſtetricum, & quia Medicis ſacratæ perſonæ non ſint committendæ) ut expiſcarentur veritatem (modus non indicatur, an ex phyſiognomia, aut Chiromantia, an ex inſpectione Urinæ, vel ratione pulſus, &c. ipſorum ſapientiæ hoc fuit relictum) qui in exploratione nil mali invenerunt. Quod cum Epiſcopus credere non potuerit, ipſe ivit exploratum, (modus indagandi hoc myſterium ſilentio involvitur) & veritate rei perſpecta in genua provolutus veniam ab Abbatiſſa petit & moniales increpavit, quod tanta mendacia de hac ſanctiſſima Abbatiſſa effutire auſæ fuerint. *Legend. Geneal. Mar. p.* 151. *D.* 152. *A.* ubi additur, quod Abbatiſſa Deo gloriam dederit, veritatem confeſſa fuerit, & quomodo ab angelis ab infante liberata fuerit. Quibus ad ſtuporem usque miraculum deprædicantibus omnibus, Epiſcopus ad ſe infantem recepit, informari curavit & effecit, ut poſt mortem ipſius ad Epiſcopalem dignitatem fuerit evectus. Apud Ethnicos re-

recenſetur Poëtas quod Cænis virgo à Neptuno imprægnata in beneficium recompenſationis in virum mutata & in vulnerabilis reddita. *Diction. Hiſt. v. Cænis.* Eadem miracula ſi non majora in Marianâ videntur Eccleſiâ, ubi ſæpe moniales habitu virili monachorum clauſtra ingreſſæ, paulò poſt metamorphoſi quadam aut etiam poſt mortem demum viri deprehenſi ſunt, uti de *Othonis* 3. Imperatoris uxore legitur, quòd juvenem habitu muliebri ſecum circumduxerit, ſed detectâ hâc metamorphoſi unà cum juvene combuſta fuerit. *Coſmograph. Jo. Rauen. f.* 678. Sed miſſis his hiſtoriis pariter ac fabulis, ſcimus, caſtitatem, & virginitatem in maximo & nunc & olim fuiſſe pretio, uti ſupra oſtenſum in *th.* 12. 4. 19. 11. 12. 18. 2. 19. 17. Eſt autem *virgo* vel *quæ non peperit*, uti autores dicunt, vel *quæ virum non cognovit.* Prima definitio ſi firmo ſtat talo, omnes ſteriles erunt virgines. Deinde *Virgo* eſt vel *phyſica*, intacta ſcilicet, vel *moralis* animum caſtum gerens. de quâ Nazianzenus præcept. 3. de Virgin.

Virgo ſis oculis, ſis ore atque auribus ipſis,
Nam tribus his facilè eſt decedere tramite recto.
Egregiis tantùm pateant ſermonibus aures,
Turpibus & ſtultis claudatur janua verbis.

Et ſtatim.

Nec tamen æterni venit hoc ſine Numine Patris
Ut quisquis Veneris fœdæque libidinis expers
Vivat, & hoc fragili maneat tranquillus in ævo.

Plutarchus refert *Phydiam* celebrem ſculptorem ſtatuam Veneris finxiſſe, & teſtudini ſuppoſuiſſe, tùm ut lento hoc greſſu, quo hæc graditur ſignificaret, virginem clauſam & à circumcurſitatione in plateis alienam eſſe debere, & ſicut teſtudo non aliter de loco ad locum movetur, niſi intra teſtaceam ſuam domum clauſa, & ſupra ſe tenens, ita virgo nonniſi in domo ſuâ moveri debet, illamque ſemper, cum exit, illiusque curam ſecum gerere & ob oculos ſibi ponere tenetur. Quidam Gentilium, quò ſignificarent virginitati nil magis obeſſe, quàm otium atque acediam, pingebant vaſtam quandam puellam, cœlum capite tangentem, & *dextrâ* quidem *ſalicis ramum*, *ſiniſtrâ* verò *examen apum* gerentem. Salicis ramus ſymbolum caſtitatis, ut teſtatur *Hieron. in Zach.* 4. quia ejus flos ex Medicorum ſententia aquæ immiſſus carnis intemperiem & libidinem coercet. Ad cuſtodiam verò virginitatis per ſalicem ſignificatæ neceſſarium eſſe, ut *capite cœlum tangatur*, i. e. relictis mundi, carnisque illecebris ſapiat ea, quæ ſurſum ſunt, & ut apes in perpetuo ſint labore, ita nunquam ſint ſine occupatione. *Jo. Karthagena* 2. *l.* 3. *hom.* 6. *Plutarchus* narrat, quod *Boetii* ſponſam curru in domum mariti vehere, ſed currum illicò poſt deſcenſum ſponſæ comburere ſoliti fuerint, hoc ipſo indigitaturi, uxori non iterum domo egrediundum, ſed rerum domeſticarum curam eſſe commiſſam. Quò etiam reſpicit *Ovidius* de remedio amoris: *Cedit amor rebus, Res age, tutus eris.* Unde in MarianâEccleſiâMonachis & monialibus multa injuncta, Modo enim canunt *horas canonicas* mandatas à Papa Vigilio. *Henr. Pantal. Diar. hiſt.* 10. *Febr. f.* 44. à Papa Pelagio primo repetitas *Henr. Pantal. Diar. hiſt.* 4. *Mart. f.* 70. & à Pelagio 2. confirmatas *Henr. Pantal. Diar.* 30. *Nov. p.* 361. Habent breviaria, Roſaria, Officia B. M. Virginis, Vigilias, Veſperas, matutinas, Rorate, Jejunia, Proceſſiones, flagellationes, circumambulationes, templares, Periſtyliares ambulationes, peregrinationes. &c. it. ſatisfactiones, opera ſupererogationis, miſſas ſiccas & madidas, conciones, ſermones, crucis portationes, extenſiones manuum & brachiorum, conſecrationes aquæ, olei, ſalis, caſei, ovorum, candelarum, herbarum, confeſſiones auriculares monialium, & laicarum. &c. Et quis dubitet, non poſſe proinde inter tot labores & officia caſtitatem & virginitatem ſervari? Quicquid verò ejus ſit, certum eſt virginitatis ſtatum ſemper magni habitum, unde Pontifici maximo non licebat, niſi ſolam virginem ducere, non viduam, non vitiatam, non repudiatam, non meretricem, non profanam, *Buxt. de Sponſ. p.* 37. *Selden. de ſucceſſ. in Pon-*

Pontif. l. 2. *c.* 2. *&* 3. *& Joſeph. l.* 3. *Orig. c.* 10. in mandatis ſcribit peculiaribus accepiſſe, ſacerdotes neutiquam ducere debere, quæ corpore quæſtum faceret, nec ancillam, nec captivam, nec cauponariam, nec ſtabulariam, quæ vocantur aliàs ſcorta dubia, ob præſumtionem & ſuſpicionem impudicitiæ; Virgo verò inprimis commendatur Pontifici Maximo, quia primus amor eſt optimus, & virgines facilius ad ingenium & deſiderium maritorum poſſunt flecti, & in caſtitate conjugali conſervari. Scilicet *ut quiſque ſuam vult eſſe, ita eſt*, inquit *Terent. &*

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem

Teſta diu. ait *Horatius.*

Omnium verò maximè viduæ conjugalibus ineſcantur deliciis, pronioresque in Venereas delectationes rapiuntur, quàm virgines, ſiquidem conjugalis iſtius beneficii compotes factæ, ſemperque memores, gaudent ulterius iſta frui dulcedine. *Henr. Kornm. de Jur. Virg.* Et quanquam aliàs virgines quoque impetuoſe ferantur in Venerem, nimium quippe expetentes ea indulceſcere voluptate, cujus hactenus fuere expertes, ſi ad eam invitentur. *Tiraqu. l.* 9. *Connub. n.* 117. hocque præcipitantius, quò dulcius eſſe fingunt quod neſciunt. *Gloſſ. in can. viduas. verb. uſa* 27. *q.* 1. ſiquidem uti bellum, ita &

Dulcis inexpertis ſocii communio lecti;

Semper tamen impatientius viduæ, ut potè expertæ Venereis abſtinent actibus, & difficulter præprimis juniores contra fervorem naturæ reſiſtere queunt, teſtante *Imperat. in Novell.* 2. *c* 3. veluti eis in hoc maxima eſt conſtituta cupiditas *l.* 3. *C. de Ind. Viduit. tall. Novell.* 39. *c.* 2. Unde ſecundæ nuptiæ magis luxurioſæ habitæ ac proinde odioſæ redditæ. Quanquam enim jure divino ſint conceſſæ, 1 *Cor.* 7. 39. *Rom.* 7. 2. easque plane rejicere atque reprobare Catharorum, Montaniſtarum, hæreticorum ſit & ethnicorum, *Lud. Viv. l.* 3. *c.* 7. *de Chriſt. fœm. Inſtit. Baldw. Caſ. Conſc. l.* 4 *c.* 13. *caſ.* 3. negari tamen nequit Patres Eccleſiæ antiquioris ex male intellecto loco Paulino, 1 *Tim.* 3. 2. (cum tamen Paulus intelligat eum, qui concubinarum & ſcortorum vir fuit, quæ ipſiſſima eſt Theodoreti interpretatio, conf. *Chriſt. Juſtell. ad Cod. Can. Eccl. univ. p.* 190.) minus æquos fuiſſe nuptiis ſecundis. (vid *Tertull. l. de Monag. t.* 5. *c.* 3. *p.* 1138. *Hieron. Ep.* 9. *ad Salv. l.* 1. *p.* 77. *Bernegg. in Tac. q.* 110. *Prateol. Elench. hæreſ. l.* 3. *p.* 124. 125. *& l.* 11. *p.* 340. *Brochm. Syſt.* 2. *p.* 927. *& p.* 5090.) ſed obtinere tamen eorum ſententia non potuit; quia diſerte *Paulus ll. cc.* 1 *Cor.* 7. *& R.* 7. permittit. Ex ſolo igitur jure poſitivo & oneroſo quidem atque libertati conſcientiarum maxime adverſo eſt, quod qui ſecundas nuptias contrahunt, ita conſtringantur inter Marianos, ſecundum *Jus Canon. Inſtit. Lancell. l.* 1. *t.* 25. §. 20. & tanquam ignominia notati ab ordine Eccleſiaſtico excludantur. Interim fatendum eſt, propterea etiam apud laicos in imitationem Eccleſiaſticarum opinionum & regularum ſecundas nuptias quodammodo fuiſſe odioſas, tum ratione nominis falſo ipſis impoſiti, *can. hac ratione. c.* 31. *q.* 1. ubi vocantur *honeſta ſcortatio.* adde *l.* 3. *C. de nuptiis*, ubi mulier nuptias iterans ſecundis nuptiis funeſtata dicitur. Tum ratione pœnæ adjunctæ *l.* 3. 4. 5. *C. de ſecundis nuptiis*, adeoque magis commendari matrimonium cum virgine, quàm cum viduâ contrahendum. Cum virgines non tantum ratione præcedentiæ, ſed & propter amabilitatem & temporis prioritatem favorabiliores & digniores, quàm aliæ mulieres habeantur *Berlich. de Jur. Novell. p.* 1. *a.* 6. *n.* 480. *Schwendendörf. de privil. virg. c.* 6. *d.* 1. *&* 13. vid. & infra *Theoph. th.* 70. Cœterum *Gemara Babylonia de Miſna tit. Jabimoth. c.* 6. *f.* 61. *& ad tit. Ioma f.* 18. *a.* refert, quod Martha filia Baithi, vidua opulenta munera dederit ampla Jannæo Regi ut ſcilicet in Pontificatum eveheret Joſuam Ben Gambla maritum ſuum, ob quæ is eum conſtituit Pontificem. *Seld. de ſucceſſ. in Pontif. l.* 1. *c.* 12. *p.* 381. *& Ux. Hebr. l.* 1. *c.* 7. ubi Judæi (multo æquiores ſecundis nuptiis & ſacerdotio, quam Pontificii) dicunt, quod Pontifex, dum dignitate gaudet Pontificia, prohibeatur ducere viduam, vel vitiatam vel profanam; nam ſi antequam in eam dignitatem evectus fuiſſet, viduam ſeu vitiatam duxiſſet, aut

cum eâ ſponſalia iniviſſet, retinendam eam fuiſſe docent.

4. *Scorta.* Recte Poëta canit:

> *Non ſcortum eſt aliud, niſi blanda aut ſubdola Siren.*
> *Quæ trahit humanum ſub ſua caſtra genus.*

Antiſth. Athen. dixit cum his mulieribus rem habendam; quæ beneficium beneficio penſent, i. e. cavendum à meretricibus qui voluptatem inhoneſtam vendunt, nec pariunt, nec amant mutuo; cavendum à valetudinariis, deformibus & male moratis, quæ fœtus gignunt pœnitendos. *Laert. l.* 6. *c.* 10. memorat quod Diogenes *ſcorta* vocarit *Regum Reginas* quæ omnia à Regibus impetrare ſoleant. Alius comparat mulſo lethalibus venenis temperato. Quis igitur mente concipere poſſit, Patriachas tantopere Polygamiam, ſi ſcortatio eſſet, adamaſſe, & in ea perſeveraſſe, cum illuminatiores fuerint ipſis Gentilibus? Certe Deus adeo abhorruit à ſcortis, ut expreſſe dixerit *Deut.* 23. 17. *ne ſit meretrix inter vos. Leg.* 19. 29. *non profanabis filiam.* (ſacerdotis filia ſi ſcortata fuerit, comburebatur) Rationem *Maim. More Nebochim. l.* 3. *c.* 49. hanc dat, ſcilicet, ut evitentur contentionum & ſimultatum mala, quæ ex ejusmodi libidine matrimonio non cohibita oriri ſolent, tum ut bono illo fruamur, diſtinctionis & certæ notitiæ familiarum, interdicitur ſcortum & ſcortatio, nec ullus concubitus permiſſus eſt, præter illum, qui cum propria eſt uxore, eaque publice in matrimonium ducta. Etſi vero ex innuptæ (i. e. non publice ductæ primis præſertim temporibus, ubi Rabbini non adeò erant rigoroſi) coitu liberi non minus atque ex nuptæ ſuſcipi poterant, nihilominus, ne aut communio in ſpeciei propagationem vitæ deeſſet, aut non ità certa haberetur notitia, quonam ex parente prægnata eſſet proles, ſi nuptæ abfuiſſent, ideoque neutiquam ſatisfactum fuiſſe præcepto de generis humani multiplicatione volunt, niſi etiam uxor tantùm unica, quæ eſſet fœcunda, duceretur. Confer *Seld. de I. N. & G. p.* 577. Leges verò illæ *Deut.* 23. 17. *Lev.* 19. 29. non ad Judæos tantùm ſed ad omnes pertinent homines uti in ſcripturâ explicatur, ubi pœna omnibus dictatur. *Hebr.* 13. *v.* 14. *Matth.* 5. 28. *Ier.* 5. 7. *Oſ.* 4. 14. *Eph.* 5. 3. 1 *Cor.* 10. 2. 6. 10. & Salomon, ſapientiſſimus Rex, ita depingit meretrices, ut juvenum animi eò melius arceantur *prov.* 2. 18. 19. 6. 24. 25. 7. 5. nonnulli leve putant eſſe peccatum ex *Oſ:* 1. 2. 3. & *Act.* 15. 20. ubi cum aliis indifferentibus prohibetur, quaſi etiam eſſet indifferens, citra prohibitionem. Apud Gentiles pro peccatillo habitum, ut ex Terentio & Plauto videre eſt. Horatius ſcribit de Catone:

> *Quidam notus homo, cum exiret fornice; Macte*
> *Virtute eſto, inquit ſententia Dia Catonis.*
> *Nam ſimul ac venas inflarit tetra libido,*
> *Huc juvenes æquum eſt deſcendere, &c.*

Apud Pontificios itidem pro peccatillo habetur, præſertim in ſacerdotibus, quia (ut Gloſſa in *diſt.* 82. *c.* Presbyter ſi fornicationem fecerit, exponit) *hodie fragiliora ſunt corpora noſtra, quam olim* uti ſupra vidimus.

5. *Spurios.* Spurii olim apud Romanos deſignabantur per duas literas *S. P.* quaſi *ſine Patre* natos, aut quibus *Senatus, Populusque* inſtar Patris eſt juxta verſum. *Cui populus Pater eſt.* Athenienſes & Spartani vocabant *Parthenios*, quaſi virginum filios, patre deſtitutos. Homerus Scotios. i. e. obſcuro patre natos. *Plut. in Parall. Theſeum* & Romulum vocat Anengynos & Scotios; ſine ſponſore natos. *Hotom. in Reg. Iur.* 5. facit genera ſpuriorum ex inceſtu, adulterio, virgine, ſcortatione, concubinatu. Sed omnes & olim & hodiè in contemtu fuere ſummo. Interim negandum non eſt multos Reges & Magnates fuiſſe ſpurios, & habuiſſe ſuas concubinas, atque ſpurios, qui ad magnas ſæpè dignitates, imò ad Regiam pervenerunt. Ita *Phraates* filius Patris ejusdem nominis Regis Parthorum, ſed ſpurius, cum tres legitimi Regis filii Romæ obſides eſſent, Regi in regno ſucceſſit. *Sabell. l.* 1. *Enn.* 7. *Timotheus* Dux Athenienſium ſcorti, ſed poſteà honeſti filius fuit genere Threſſæ, qui cuidam hoc ipſi objicienti reſpondit; illi gratias habeo, quia ob illam filius ſum Cononis. *Athen. l.* 13. *c.* 13. *Ariſtonicus* ex Eumene & pellice quâdam Epheſiâ cithariſtæ filiâ natus ad Aſiæ regnum pervenit. *Sabell. l.* 9. *Enn.* 5. *Perſeus* Philippi Macedonum Regis filius ſpurius fuit. *Plut. in Æmil.* Romulus & Remus

ex

ex ſtupro Martis, ut Livius & alii, aut ut Otho Friſingenſis, ſacerdotis cujuſdam nati ſunt. *Hircanus* 2. Judæorum Ptinceps fortiſſimus ex concubitu Joſephi cum fratris filia natus. *Ioſeph. l.* 12. *c.* 4. *Antiqu M. Brutus*, Cæſaris interfector, Bruti ejus filius, quem Pompejus bello contra Lepidum interfecit, ex Servilia Catonis ſorore impudica, ſcorto Cæſaris natus & communiter pro Cæſaris filio habitus, & ideo quoque à Cæſare ipſo æſtimatus *Plut. in Brut. Jugurtha* Rex Maſta nobilis filius nothus, Maſiniſſæ Regis Numidarum Optimi Nepos, res contra Romanos geſſit maximas. *Heliogabalus*, filius Antonini Caracallæ Imp. & ſcorti, quam Soenidem Herodianus, Lampridius & Capitolinus Symiamiram vocant, filiam Mœſæ Variæ; *Varius* dictus, quod incerto parte natus. *Lamp. Alexander*. Imp. Mammeæ filius, (quæ Mæſæ Variæ filia, ſcortum & ipſa.) Conſobrinus Heliogabali. Verum ut ortu par, ita moribus longe diſpar. *Cuſpin.* Auſonius nothum quendam ita taxat,

Quidam ſuperbus opibus & faſtu tumens
Tantumque verbis nobilis,
Spernit vigentis clara ſecli nomina,
Antiqua captans ſtemmata,
Martem Rhemumque & conditorem Romulum
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum veſte contexi jubet,
Hos cœlat argento gravi,
Ceris inaurens januarum limina
Et atriorum pegmata.
Credo quod illi nec pater certus fuit,
Et mater eſt verè lupa.

Lamuſius 3. Longobardorum Rex matre meretrice natus eſt expoſitus *Fulgoſ. t.* 3. *c.* 4. *Fl. Claudium* Imp. qui Galieno ſucceſſit, plerique, teſte Aurelio, *Gordiano ſatum* arbitrantur, *Cuſpin. Theodorius* Oſtrogothorum Rex, qui Italiæ regnum pulſis Herulis occupavit, Valamiri Regis ex Aurilena concubina filius fuit. *Io. Magn. l.* 9. *c.* 9. *Genſericus* Vandalorum Rex in Africa, Gunderici R. in Hiſpania ſpurius. *Sigon. l.* 12. *Imp. Occid. Carolus Martellus* Pipini filius nothus ex Alpaide pellice, Franciæ primum Magiſter equitum, mox Princeps extitit, artibus bellicis clariſſimus. Carolo M. erat filius ex concubina *Pipinus* facie liberali, ſed gibbo diſformis. *Cranz. t.* 2. *l.* 7. Carolomanus Rex Bavariæ, Caroli Craſſi Imp. frater cum conjugem haberet ſterilem & infœcundam, ex quadam Carentana nobili fœmina pulcherrima *Arnulphum* genuit, qui poſteà à proceribus regni Craſſo ſubſtitutus fuit. *Cuſpin.* Fridericus 2. Imp. *Manfredum* ſpurium ex concubina Blancha, Marchioniſſa Montisferrati genuit principem Tarentinum & Regem Siciliæ deſignatum. *Cuſpin.* ſed aliter *Cranz. l.* 8. *Sax. c.* 18. Ex eadem concubina Friderico 2 natus eſt *Henricus*, vulgo *Henricus* appellatus, Rex Sardiniæ à patre inſtitutus, Longobardorum Dux, & Generalis per Haliam Sacri Imperii legatus, cui omnem Italiam commendarat pater. *Cuſpin.* Mortuo Sigfrido, uno è Saxonum primoribus, ejus ditionem *Dancmarus* Othonis 1. Cæſaris Frater, natus matre moniali, quam *Henr.* 1. pater aliquando pro conjuge tenuerat depoſcebat. *Cranz. l.* 3. *Sax. c.* 15. Johannes 10. Pontifex, Landonis l. Pontificis ſpurius ante Pontificatum ſuſceptus. Johannes vero 12. qui ei ſucceſſit Sergii 3. Pontificis ex Marozia Guidonis Thuſciæ Comitis uxore adultera filius. *Luitprand. l.* 3. Margaritæ Flandriæ Comitiſſæ Spurii Johannes & Baldwinus ex Gulielmo Præceptore furtivo concubitu nati. *Æmil. l.* 7. Adelſtanus Anglorum Rex Eduardi 1 Filius ex Edgina puella ruſtica natus. *Polydor. l.* 6. Robertus Normannorum Dux Hieroſolymam profecturus Gulielmum ex concubina natum hæredem ſuarum ditionum conſtituit, idque ſuis meritis apud Henricum 1. Regem Gallorum effecit, ut poſt mortem Patris Gulielmus opibus & militibus Henrici adjutus in provinciis Paternis ſtabiliretur, & tandem etiam ab Eduardo Anglorum Rege hæres conſtitutus cæſo Haraldo regnum Britannicum armis obtineret. *Æmil. l.* 3. Sic Henricus Frater Nothus Petri Regis Caſtellæ & Legionis, cum animadverteret Caſtellanos infenſos eſſe Petro fratri ob crudelitatem, ad Petrum Arragoniæ Regem confugit, ejusque ope & auxilio quoque Caroli V. Gallorum Regis *A.* 1365 Rex conſtitutus eſt *Polyd. l.* 19. Johannes filius νόθος Ferdinandi Regis Luſitaniæ ab initio factus Monachus

S. Senedicti aut, aliis ut placet, Ciſtercienſium ordini addictus vocantibus eum Luſitanis Principibus paternum regnum, non obſtante contradictione ſummâ Johannis Caſtellani Ferdinandi R. generi, obtinuit, & in bello navali licet devictus, Anglorum armis reductus fuit. *Polydor. l.* 20. *Angl. hiſt.* Fridericus Comes Lunæ, Martini Siciliæ Regis ex meretrice nothus, *Vall. l.* 3. *hiſt.* Amundus Gothorum & Suenonum Rex, erat Amundi Annoſi Regis ex concubinâ filius Regi Patri in regno ſucceſſit. Sic etiam Carolus Suenonum, Gothorum & Norwegianorum Rex optimæ ſpei adoleſcentem ex concubinâ procreavit, eamque jam moriturus, ut legitimum efficeret filium deſponſavit. *Johan. Magnus l.* 18. *c.* 6. Suenovis II. Danorum Regis multi fuere Parthenici; Patri primus ſucceſſit Haraldus, Haraldo S. *Canuthus* in templo à Fionibus cæſus. Canuto *O Eavus*, Olavo *lricus* in ſacra expeditione mortuus. Erico *Nicolaus*. *Saxo. l.* 2. 12. Similiter Jacobus Johannis Cypriorum Regis ex concubina filius magni ſpiritus adoleſcens regnum paternum obtinuit. *Æ. Sylv. de bello Rhodio.* Ita ſcribit Damaſus Papa in Pontificali ſummum Pontificatum etiam tenuiſſe natos habitos ut ſpurios, Oſium, Felicem, Bonifacium, Agapitum, Theodorum, Gelaſium & alios. Refertur in co. Oſius 56. d.

6. *Levi ad ſacerdotium, Aaron ad Pontif.* Joſeph. t. I. contra Appion. *Iudicium ſummæ*, inquit, *accurationis maximum eſt; Etenim qui Pontifices apud nos fuere à* 2000 *annis nomine deſignati, filii è parentibus reperiuntur in laterculis. His vero, ubi eorum, quæ diximus, quid non fuerit obſervatum, interdictum eſt, ne ad altaria accedant, aut rem aliam ſacram participent.* Scilicet qui deſiderat ſcire, quantopere in natales & genus ſacerdotis, in conjugia, in vitia corporis & animi, habitum & veſtitum inquiſiverint adeat *Selden. de Succ. in Pontif.* & quidem duobus libris, uno quidem hiſtorico, altero Juridico oſtenſa, qui *p.* 450. recenſet *vitia corporis*, quæ quia liber non eſt in omnium manibus, breviter adducemus. *Triplicia v.* illa faciebant, *Primi generis* erant illa, quæ ita vitiabant tum *ſacerdotes*, quam *animalia bruta*, ut neque hæc rite offerri, neque illi ritè miniſterium præſtare poſſint. Erantque 50. qnorum 5. *in aure.* (α.) cartilago auris lacera, (β) cartilago auris diſciſſa, (λ) perforata auris cartilago, adeo ut foramen viciam poſſit recipere. (δ) auris arida & exanguis. (ε) in aure alterutra cartilago duplex. *in palpebris tria* (α) perforata palpebra, (β) diſciſſa (γ) lacera. *In oculo octo.* (α) Cœcitas ſive in utroque ſive in altero. (β) in alterutro lippitudo. (γ) viſus obſcurior, ob tenebras utrique ſeu alteri offuſas. (δ) Tuberculum, uvæ inſtar, tametſi viſus non minueretur. (ε) Caruncula nigredinis aliquantulum operiens. (ζ) Albugo in nigredinem extenſa. (η) macula alba intra nigredinis circuitum (θ) Macula nigrior in nigredine depreſſa. *In naſo tria* (α) naris perforata. (β) diſciſſa. (γ) lacera. *In ore ſex* (α) labium perforatum (β) lacerum (γ.) diſciſſum. (δ) maxilla inferior ſuperiori prominentior (ε) os ex ſui conſtructione concluſum. (ζ) lingua impeditior. *In vaſis ſeminariis duodecim.* (1) membrum genitale compreſſum (2) contuſum (3) idem avulſum. (4) idem abſciſſum. (5) teſticulus compreſſus (6) contuſus (7) pars teſticuli execta (8) teſticulus evulſus (9) teſticulus unicus (10) uterque unico in loculo (11 utriusque ſexus ſeu Hermaphroditi membra. (12) genitalium loci obſtructi. *In manibus pedibusve ſex.* (1) claudus. (2) femur alterum altero longius. (3) femur alterum altero altius. ex utroque ſc. fiebat pedum inceſſus inæqualis. (4.) oſſis manus fractura manifeſta. (5) oſſis pedis fractura manifeſta (5) os Pedis ex ſui conſtructione clauſi, ſeu in ſe ſtrictius contracti. *In ſuperficie corporis quatuor* (1) Scabies ſicca, pſora. (2) verruca, quæ non ſine oſſe. (3) Scabies Ægyptiaca, foris humida. (4 Oſſium, quæ apertius cerni poſſunt, aliquod inciſum. His adjiciuntur (1) ab ætate provectâ tremor ab ægritudine. (3) ſordes & inquinamenta veluti *ſudor*, *fœtor oris.* Dicunt ſacerdotem ſudore inquinatum, antequam ad ſacram admittendus eſſet functionem, abluendum atque aromate conſpergendum, Oris itidem fœtor, ſi quis fuerit aromate aliquo devorato corrigendus. Aliter profanabat functionem ſeu ſacrificium ſuum.

Secundi generis Vitia, Hebræis ſunt *nonagin-*

ginta, illa nempe, quæ hominem tantùm ſeu ſacerdotem non victimas vitiabant, aliaque animalia ſacranda. *In capite octo.* (1) verticis capitis concavitas. (2) convexitas verticis, nimium exurgens inſtar ovi, (3) frons ſeu ſynciput faciei ſuperpendens (4) occiput cervici ſuperpendens (5) caput adeo deorſum amplum & diffuſum, ut etiam colli locum pars ejus occupet, (6) calvitium in toto capite. (7) calvitium (nec tamen ſine recto crinium ductu inter aurem utramque) in ſyncipite. *nam in occipite ductus ejusmodi vitium perimebat.* (8) calvitium in vertice, tametſi alias carnibus circumdaretur caput. *In collo bina* (9) Collum adeo depreſſum ſeu breve, ut caput humeris continuum videretur. (10) collum adeo oblongum, ut humeris videretur eluxatum. *In aure quatuor.* (11) aures nimis exiguæ. (12) aures nimis turgidæ, inſtar ſpongiæ (13) languidæ nimis ac pendulæ aures. (14) auris altera ab alterâ obiter intuenti diverſa. *In ſuperciliis quinque.* (15) pilorum defectus in utroque. (16) jacentia ſupercilia, puta aliquantulum pendula. (17) ſupercilium tantùm unicum (18) ſupercilia binis plura. (19) diſſidentia veluti, ſive colore pilorum, ſive longitudine, ſupercilia. *In palpebris quatuor.* (20) pilorum in utriſque defectus. (21) denſitas in pilis nimia, ſeu hirſutia ut in ſilonibus. (22) Pilorum alterius ab altero diverſitas, veluti colore, tenuitate. (23) non ita, ut par eſt, apertæ, ſed nimium conniventes palpebræ. *In oculis undecim.* (24) Oculi ſuperius quam par eſt, ſiti. (25) Oculi ſiti inferius, quàm par eſt. (26) oculi omnino rotundi, nec in longitudinem aliquantulum extenſi. (27) oculi furibundorum inſtar. (28) Oculi majores quàm par eſt, inſtar vituli. (29) minores quàm par eſt, inſtar anſeris. (30) lacrimæ perpetuo ſtillantes. (31) humor ab alterutro oculi angulo fluitans. (32) contractio palpebrarum & oculorum viſui ſolita, ſeu nictatio inter videndum frequens. (33) viſus adeo confuſus, ut ſine monitore inter objecta ampla diſtinguere nequiret. (34) oculi diſſidentes, veluti colore, magnitudine, loco. *In naſo ſex.* Superior pars naſi inter oculos depreſſior. (36) naſi medium nimium eminens. (37) Extremitas naſi repanda. (38) Naſus alterutrinque divergens. (39) naſus grandior, quàm ferret aliorum membrorum ratio. (40) Naſus exilior, quàm ratio ea ferret. Menſura autem hic erat *digitus* ejus, de quo fiebat quæſtio, *auricularis*, ſi naſus ei erat vel major vel minor digito eo, vitium erat. *In labiis tria.* Labium inferius ſuperiori prominentius. (42) Labium ſuperius inferiori prominentius. (43) os adeo laxatum, ut ſalivam non contineret. *In ventre tria.* (44.) Venter tumidus. (45) umbilicus prominens & non depreſſior ut eſſe ſolet (46) mammillæ ſuper ventrem, inſtar mulieris jacentes, ſeu pendulæ. *In dorſo tria.* (47) dorſum incurvum. (48) gibboſitas ex vertebrâ ſpinæ luxata. (49.) Gibboſitas carnoſa. *In manibus ſex.* (50) digitorum numerus excreſcens. Ab ſciſſo vero, qui excreverit, deſiit vitium, ſed ita demum, ſi exos eſſet. (51) digiti alicujus defectus. (52.) bini digiti continenter conjuncti. Sed deſiit vitium ſi à volâ ad extremitates diſcinderentur (53) digitus alter alteri inequitans. (54.) caro è pollice extuberantior. (55) uſus dextræ incommodus. Nam *ſiniſtrâ* miniſterio functum, id quod peragebat, profanaſſe ſcribunt. *In vaſis ſeminariis quatuor.* (56) Scrotum ad genua fermè pendulum. (57) Veretrum adeò longum, ut genua ferme attingeret (58) Scrotum percuſſum adeò, ut indè læderentur teſticuli. (59) Hernia. *In curibus & pedibus quindecim.* (60) Crura adeò extrorſum incurva, ut genibus nunquam conjunctis pedes facilè commiſcerentur, ut in valgis. (61) talus extuberantior. (62) Calcaneus ita retrorſum extenſus, ut crus medio pedi inniti videretur. (63) planta pedis in latum diffuſa, & inſtar anſeris plana, ut in plancis ſeu plantis. (64) caro è pollice pedis extuberantior. (65) digitorum pedum alicujus defectus (66) digitorum numerus excreſcens. (67) digitus alter alteri inequitans. (68) Bini digiti continenter conjuncti. Idem hic jus erat, quod in digitis manus ita conjunctis. (69.) Pes adeò undiquaque ſibi æqualis, ut à calce ad digitorum extremitates utrinque, ac ubique eandem haberet figuram. (70) Pes à calcaneo ad digitos ita incurvus, ut arcus inſtar alter utrinque diſtorqueretur, ut in *Loripede.* (71) Pes excavatus ſeu planta ſic conca-

cava, ut ſtans calcaneo & digitorum extremitate tantum inniteretur. (72) tali intertrigine ſe mutuo inter eundum pulſantes. (73) Genua ſe mutuò inter eundum intertrigine pulſantia. (74.) Pedis ſiniſtri potior uſus. *In corpore toto quatuor* (75) corpus grandius quam membrorum ferret ratio. (76) corpus minutius quàm eadem ratio ferret. (77) corpus longius, quàm ratio ferret eadem. (78) Pumilionis ſtatura. *In cute & carne octo.* (74) Nigrities qualis Æthiopis. (80) albor, qualis caſei. (81) rubor, qualis coiccini. (82) cutis ex cauſa interiori decolorata, veluti ex puſtulis, tentigine. (83) Cutis ex cauſa foris admiſſa decolorata, ut cicatricoſa (84) Verruca ſeu nævus in facie, aſſario minor, modo ex eo creſcat pilus. (85) verruca ſeu nævus in facie aſſario æqualis ſeu major. (86) Caro ſeu cutis languida & pendula. Adduntur inſuper hiſce. Surditas (88.) Fatuitas, quâ inſania etiam denotatur (89) Epilepſia. (90) Spiritus immundus. *Tertii generis, quæ* vitiabant quia intuenti deformitate diſplicerent, bina duntaxat faciunt. Uti erant 1 Pilorum qui in palpebris defectus; tametſi eorum radices permanerent. 2 Dentes excuſſi. De quibus omnibus atque ſingulis vid. *Miſnam & Gemaram Babyloniam tit. Bekorath. c. 6. & 7. R. Schuda Ben Elai in Torath. Cohenim. col. 188. 189. Maimon. Hala Koth Biath Hammakdaſch. c. 6. & 7. & Moſen Mikolzi Precept. Neg. 308.* conf. *& Philon. t. de Monarch. & de vict.* In enumeratis verò his vitiis alia ſunt permanentia, ſeu perpetua, alia tranſeuntia, ſeu quæ tempore deſinunt. De Univerſis ſimul dicunt, quod *ſacerdos cui ineſt vitium ſive permanens illud fuerit, ſive tranſiens,* (antequam tranſierit) *non introeat ſanctuarium uſque ad altare, nedum locum aliquem interiorem, ſecundum id quod ſcriptum; ad velum non ingrediatur nec accedat ad altare. Lev. 21. 23.* conf. *& Lev. 22. 22.* Quæ omnia nos ſatis docent Hebræos maxime phyſiognomiæ operam dediſſe & proportionem corporis atque membrorum in eligendo ſacerdote maxime obſervaſſe. Nec immerito, ſiquidem & πολυθρυλλητον illud nos monet ut *caveamus ab illis, quos natura ſignavit.*

7. *Levi promotus fuit ad ſacerdotium.* Apud Hebræos Filii Proſelytarum, Libertinarum, profanarum & τῶν Zenoth ſeu ſcortorum arcebantur ab omni functione ſacerdotali, multo magis à Pontificali. Quid *Zona* ſeu ſcortum ſit ex tit *Kidoſchim. c. 4. & tit. Jobimoth. c. 6. & 9.* docet *Selden.* prolixè *l. 2. de ſucc. in Pontif. c. 2. p. 108. 416.* conf. & *Moſen Maimon. Halak. Iſuri bia c. 18. 19. Moſen Mikotſi prac. neg. 121. 122.* Quid ſit *profana* etiam non omnes conveniunt. Maimon. *ea eſt profana, quæ nata ex perſonâ prohibita ſacerdotio* item. *ſi aliqua ex illis fœminis, quæ ſacerdotibus prohibitæ ſunt, quacunque ratione compreſſa fuerit à ſacerdote illa profana facta eſt, quamvis ſacerdos ipſe, qui transgreſſionem commiſit, non profanus factus ſit,* plura ib. in *Halkuth Aſuri biah. c. 19. § 1.* Sic in *Sepher Mizvoth gadol, Prac. neg. 121. f. 42. a.* & in *Sepher hachinnuch. f. 110. 2. Profana vocatur, quæ eſt genita ex perſonâ ſacerdotibus prohibitâ, veluti eſt filia viduæ genita à ſacerdote magno; filia repudiatæ, à ſacerdote vulgari, aut quæ profana facta eſt per congreſſum alicujus ex iis, qui inepti ſunt ad ſacerdotium.* Eadem habet *R. Salom. in Comment. Lev. 21. 7. Rabbi Becchai, R. Levi Ben Gerſon.* Abarbenel vero paulo laxius accipit. *Chalalah* i. e. *profana eſt, quæ profanat honorem ſuum aut quæ eſt filia profani, aut uxor profanati, aut quam profanam fecit ſacerdos illegitimus, profanus.* Summa eſt, nemo non arcendus erat ut profanus, qui ex concubitu jure ſacerdotibus ac Pontifici peculiari interdicto naſceretur. Hinc etiam ne hujusmodi inquinamenti ſuſpicio fraudi foret, aut fama de familiâ profanis inquinatâ ſive functioni, ſive ſucceſſioni adverſaretur, in tabulas Genealogicas *ſcripta* ſeu *libros familiæ* dictas parentum nomina, genus, qualitatem referre ſolebant, maximè ſacerdotes, unde natalium puritas, qualis ſacræ functioni atque ſucceſſioni exigebatur præſto aſſeretur. Qua de re apud *Ezram. c. 2. 62. & Nehem. 7. 64 Hi quæſierunt,* inquiunt, *ſcripturam Genealogiæ ſuæ & non invenerunt, & ejecti ſunt de ſacerdotio. Et dixit Atherſata eis, ut non comederent de ſancto ſanctorum donec ſurgeret ſacerdos doctus atque perfectus.* conf. etiam *Nehem. 13. 28.* Quia enim, ut *Joſephus l. 1. contra App.* ait, genus ſacerdo-

dotale apud populares ſuos ſemper ἄμικτον & καθαρόν, ſine permixtione & purum manere debuerit, ideo non tantum in ſacerdotum natales inquirebatur, ſed & ipſis ſacerdotibus ſolicitius erat inquirendum, de matribus aviisque uxoris ducendæ, ne proles ipſius inquinaretur & profanaretur. vid. *Selden. Ux. & de ſucc. c. 3. t. 2.*

8. *Filii Jacobi æqualia jura in adeunda hæreditate.* Joſeph & Benjamin ultimo geniti ex Rahele, unica vera, juxta Anti-Polygamos uxore, cum qua Jacobus primum contraxerat, potuiſſent & quidem Joſeph primum, poſt Joſephum vero abductum & in Patris atque omnium animis mortuum, Benjamin, jus primogenituræ, dequo *Selden. ſucceſſ. in bona def. p. 44. c. 5.* ſibi ad exemplum Iſaaci ultimo-& primogeniti Abrahami filii vindicare. Sed non legimus quicquam controverſiarum hâc de re vel inter fratres vel inter matres ortum, ſed omnia voluntati Patris relicta, qui in teſtamento (uti & ante hoc ordine ferè habentur & recenſentur) *ſecundum tempus Nativitatis* primoſillos quatuor appellat, & *Rubenum* quidem pro ſuo *primogenito* agnoſcit, ſed propter inceſtum cum Bilha *Gen. 35. 22.* commiſſum jure illo indignum judicat, uti & ſequentes duos promigenitos *Simeonem* & *Levi* ob homicidia tot commiſſa hoc jure privat. *Judæ* vero dominium ſuper reliquos fratres poſterius & prius genitos tribuit. Poſt-genitos, nativitatis ordine non adeo ſervato, poſteà ſibi proponit, ac ita ſe gerit, ut primum omnibus Leæ filiis benedictionem, Sebulon etiam ponendo ante Iſachar impertiatur, cum tamen Bilhæ filii Dan & Naphthali fuerint ante duos prædictos ultimo genitos Leæ filios nati. Inter filios Bilhæ, Dan & Naphthali filii duo Silpæ, Gad & Aſſer interſeruntur. Et ultimo loco, qui tamen *cum primis in honore erant pares, Joſeph & Benjamin* occuliſſimæ uxoris filii benedictiones excellentiſſimas nanciſcuntur. Alium *Gen. 33. 2.* ordinem tenuit Jacobus, cum Eſau ipſi occurreret, inter ſuos liberos & uxores & alius ordo obſervatur, cum in Ægyptum cum totâ proſapiâ Jacobiliticâ *Gen. 46 8. 9, 10. Ex l. 2.* proficiſcentes recenſentur. Joſephus verò cum fratres ſuos convivio exciperet, *ordinem genituræ* tenet. Ex omnibus autem apparet, Jacobum præ omnibus uxoribus & filiis adamaſſe Rahelem, ipſiusque filios, & quaſi indirectè & aliud agendo Joſephum, non adeo advertentibus fratribus, & nunc non amplius invidentibus, invidiam majori fratri, primogenituræ participem feciſſe, cum ipſius filios adoptaret, ſuis propriis & immediatis æquales faceret, eoque rem promoveret, ut poſteà in herſciſcunda terra Canaan, duplex portio Joſephi tribui cederet, ipſiusque duo filii *Manaſſe & Ephraim* tantum acciperent, quantum unuſquiſque filius Jacobi, aut unaquæque tribus à filiis Jacobi denominata. Interim tamen nuſpiam, quantum memini, in ſcriptura Lea, Bilha & Silpa concubinæ vocantur & habentur, niſi quod unico Bilha *Gen. 35. 22.* à Rubene inceſtata hoc nomine appelletur; Semper autem Bilha & Silpa ferè ancillæ vocantur, ut veræ tamen uxores, licet ſecundariæ & ex ancillarum genere aſſumtæ, æſtimantur, ipſorumque filii cœteris in hæreditate aliisque æquiparantur, licet ratione nativitatis, & tanquam ex ancillis orti, (ſervetur enim ordo aliquis neceſſe eſt) ferme ſemper poſteriori ponantur loco. *Seldenus* aliàs *libr. de ſucc. in bon. defunct. c. 3.* filios ex ancilla natos non ſucceſſiſſe in bona paterna exiſtimat, uti & nonnulli idem de filiis ex concubina natis cenſent, ſed hanc regulam non eſſe univerſalem Jacobi exemplum docet, qui filios ancillarum eodem jure cum cœteris gaudere cupit. Et miror ſanè, autores cum concubinas & ancillas veterum memorant, nullam aut parvam Jacobitici Gynæcei facere mentionem, fortean, quia vident ad præconceptas regulas Jacobi exemplum non quadrare, ſicuti etiam *Seldenus c. 3.* cum de ſucceſſ. his agit, Iacobi prorſus oblitus, & *c. 4.* cum adoptionis jus explicat, nullam mentionem facit illius ſolennis, primæque quæ narratur, adoptionis Iacobi filios Ioſephi ſuorum filiorum cohæredes inſtituentis.

THE-

THESIS LVI.

JAcobus equidem *præter intentionem* deceptus Labanis ſoceri impii fraude *Leam in uxorem* acceperat, quod facile potuiſſe fieri animadvertemus, ſi ritus priſcos nuptiales Græcorum, quos haud dubiè à Syris vel Aramæis acceperunt, obſervemus. Primum enim intempeſta nocte in thalamum deducebantur, deinde ſponſus prior intromittebatur, Poſt adducebatur ſponſa cum luce quidem ad thalami uſque aditum ſed ita velata ut à nemine in os videri poſſet. Poſtremo intrudebatur ſine luce in thalamum, & tradebatur viro ad pudoris muliebris & honeſtatis ſignificationem. Hinc factum ut apud Græcos poſterus à nuptiis dies ἀνακαλυπτήριον diceretur, quia nimirum tum nubes aut calyptra, qua obnubebatur ſponſa, eximebatur, & revelata prodibat in virorum conſpectum. vid. *Hiddeg. l. c.* 11. *p.* 431. Hoc pacto igitur facile potuit decipi ſimpliciſſimus Jacobus ut cum Lea inſcius concumberet, & poſtea matrimonium conſenſu pleniſſimo, qui verè facit conjugium, conſummaret. Abſit itaque ut cum *Palæotto de ſpur. & Cypræo* liberos Iacobi ex tribus ultimis uxoribus prognatos, ut & Salomonem aliosve pro ſpuriis, habeamus, ut potius ab hac labe illos omnes immunes cenſeamus benè conſcii quod ſpurii non tantum in oculis Dei ſint abominabiles ut ex lege *Deut.* XXIII. 2. illis uſque ad decimam generationem non licuerit intereſſe communioni ſanctorum, ſed & in civili converſatione inter honeſtos homines comparere vix audeant; ſicuti & hodienum in multis civitatibus ſat tenuis eſt ſpuriorum exiſtimatio, quanquam, quod tali modo ſint geniti, non ipſorum ſed parentum culpa verſatur. v. l. 5. *C. ad SCtm. Orfitianum, & Stobæum ſerm.* 75.

1. *Jacobus præter intentionem deceptus.* De intentione vid. *Drex.* Integro libro. Sanè *Abraham* non intendebat plures una ducere uxores, ſed ab uxore perſuaſus & impulſus ad bigamiam pervenit. *Comes de Gleicehen* diuturnæ ſervitutis pertæſus, ut exinde liberaretur, novam priori ſuperinduxit. Et ſi hodiè vel maximè à Magiſtratu, vi conſcientiæ permitteretur & nonnulli adigerentur, ut ſtupratas retinerent, plures tamen forſitan una muliere, quod eſt juxta Philoſophum, neceſſarium malum, eſſent contentæ, quàm ut plures ſibi aſciſcerent, niſi fortean ſuæ fortunæ conſulerent, aut affectibus vinoque abrepti eo traherentur, quod poſtea vi conſcientiæ continuarent, ut devirginatis honor ablatus reſtitueretur, & filiorum aliàs ſpuriorum famæ atque inde pendenti fortunæ proſpiceretur, atque abortus, infanticidia, & propricidia, quæ alias ex illa matrimonii cum ſtuprata conſummandi inhibitione & intermiſſione oriri ſæpe ſolent, minuerentur.

2. *Leam in uxorem receperat.* Matrimonium aliàs invalidatur, cum revera in perſona, non in nomine tantum erratum fuerit, ut puta, ſi exiſtimans ſe concumbere cum Gemma concumbat cum Berea. Et ratio eſt, quia

talis error conſenſum impedit circa ſubſtantialia matrimonii. Animus enim contrahentis eſt, non in quamcunque perſonam, ſed incertâ intentione deſtinatam conſentire. *Franz. ad princ. Inſtit. de nupt.* Potuiſſet igitur Jacob ſummo & optimo Jure Leam repudiare, ſed ratione habita tum parentum, quibus magnum inuſtum fuiſſet dedecus, tum famæ virginis, quæ hac in parte læſa, tum propriæ tenerrimæ ad reſtitutionem in integrum inclinantis conſcientiæ, jus ſuum proſequi noluit. In *foro ſali* alias optimè excuſare & omnem culpam devolvere poterat in Labanem, qui inſcio & invito Jacobo filiam proſtituerat, & ſibi ipſi hoc malum accerſiverat, adeoque pœnam, niſi res per ἐπιείκειαν fuiſſet transacta, meruerat. Neque enim Laban ipſum Jacobum convenire poterat de ſpolio & abrepta virginitate, ſed potius Jacobus Labanem reconvenire poterat ob dolum & ſubſtitutionem alterius filiæ, ipſo inſcio factam, quâ inductus & ignoranter deceptus virginem bono illo ſpoliaverat irrecuperabili. Neque etiam Laban Jacobum jure adigere poterat ad reſtitutionem damni filiæ & ipſi illati, quanquam juxta Homerum:

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt,
Tertia pars patris eluit, & pars tertia matris,
(*Tertia ſola tua eſt.*)

filiæ virginitas ad ipſum ex parte ſpectaret, filiaque ſub ipſius poteſtate & dominio eſſet, qui tamen Pater in filiæ devirginationem conſenſerat, quin imo prima & unica ferè illius cauſa erat, Iacobus injuriarum non poterat poſtulari, ſiquidem volenti nulla fit injuria. *l.* 1. §. 5. *ff de Injur.* nec quis cogatur ſarcire damnum cupienti illatum. *C.* 27. 10. *de reg. Jur. in* 6. *l.* 11. *ff ſi quid in fraud. Patr. fact.* Quicquid verò ejus ſit, virgo ſpoliata bono virginitatis irreſarcibili reſtituenda ante omnia erat. Sed quis tenebatur ad hoc? à Jacobo petere non poterat, ſiquidem ille nunquam in animo habuit, ut illam ſpoliaret, ſed præter voluntatem inſcius fecerat ipſa conſentiente. Pater etiam non poterat reſtituere, & devirginatam revirginare, ſi vel maxime in judicio acerrime cum eo hâc de re egiſſet; Nil igitur reliquum erat, quàm ut Jacobus precibus flecteretur atque perſuaderetur, ut reſtitutionem indebitam in ſe ſuſciperet, beneficio matrimonii illam reſtitueret atque parentum filiæque deſideria expleret.

3. *Salomon aliosque pro ſpuriis habeamus.* Judæi tantopere abhorrebant à ſpuriis, ut nullus Iſraelita potuerit ſpuriam ducere, & nulla filia Iſraëlis ſpurio nubere. *Deut.* 23. 2. non ingredietur ſpurius congregationem Domini, i. e. ut Hebræi explicant, non decet Iſraëlitidem, unde & Targumiſta Jonathan: *Non dignus erat accipere uxorem honeſtam ex congregatione populi Dei.* Cauſam hujus prohibitionis adducit Maim. in More Nebochim p. 4. c. 49. *Ne ſpurius ducat filiam Iſraëliticam, vitandæ ſcortationis cauſa factum ut ita adulteri videant, ſe totam ſuam familiam irreparabili labe affecturos, ſi actum ejusmodi infamem perpetrent. Et ſanè propter contemtum ſpuriorum in omni linguâ & natione ſemper in honore fuit habitum ſemen Iſraëlis eò quod ſe nunquam cum illis commiſcuerint. Propter honorem ergò & dignitatem etiam ſacerdotum factum eſt, quòd ſacerdotibus, ſcorta, Repudiatas & profanas ducere non licuerit. Sacerdoti autem magno, qui præcipuus & ſummus erat ſacerdos, vidua quoque & quæ jam virum experta erat, fuit prohibita. Joſephus l.* 4. *c.* 8. *Antiquit.* interdictum etiam velut Moſaicum, de meretrice, ſeu proſtibulo non in uxorem ducendo adducit; Verba ſunt inter leges apud eum nuptiales: *Neque meretricis ſint nuptiæ* (Getenius: *neque meretrici ſit jus nuptiarum*) *cujus propter injuriam ſuo corpori factam nuptiale ſacrum Deus non admittit.* Ruffinus: *Sed neque fornicariæ ſequendæ ſunt nuptiæ, pro quibus corporis injuriis nuptiales hoſtias non ſuſcipit ſumma divinitas.* Atque beneficio harum legum ac conſtitutionum rara erant ſcorta inter Judæos, rari ſpurii. Diverſi autem generis erant apud Hebræos. Erant enim Manzeres, nothi Naturales, ſpurii de quibus noti ſunt rhythmi.

Manzeribus Scortum, ſed Mœcha nothis dedit ortum,
Ut ſeges à ſpica, ſic ſpurius eſt ab amica,
Dant Naturales, quæ nobis ſunt ſpeciales.

Quid *Manzer* propriè ſit varie diſceptatum. Stricte pro illo apud Rabbinos ſumitur, qui ex coitu naſcitur exciſione ſive ultimo ſupplicio ex ſententia forenſi plectendo. *Salom. Jarch.* ad Deut. 23. 2. & *Miſna tit.* Jabimoth. c. 4. *quiſnam eſt Manzer. Omnis qui naſcitur ex conſanguineis quorum vetitus coitus. Juxta ſententiam R. Aquibæ. At* Simon Themanites *ait: Omnis natus ex coitu, qui vindictâ Numinis ex lege excidendus. Et ſententia ejus recepta eſt. R. Joſua autem dixit; omnis qui naſcitur ex coitu ex forenſi ſententiâ capitali ſupplicio plectendo.* R. Obadias Bartenorius coitum cum muliere menſtruis laborante excipit. Verba ejus ſunt: *ſic eſt recepta ſententia; omnem natum ex coitu ſub pœnâ exciſionis vetito Manzerem eſſe, excepto coitu cum fœminâ menſtrua patiente.* At verò ex coitu generatim duntaxat vetito Manzerem non naſci. vid. *Selden. ſucc. p. 24. & de Iur. Nat. & Gent. p. 657. Gabr. Palæott. lib. de ſpur. c.* 16. Pœna verò exciſionis aliæque puta infamia, &c. ſpuriorum multitudinem impediebant. Ita & hodie inter Marianos ex injuſtis nuptiis procreati ad miniſterium Eccleſiaſticum non admittuntur: vid. *Franc. Duaren. de ſacr. Eccl. miniſt. l. 4. c.* 5. monachi tamen fieri poſſunt, quia tum omnem ſuam vitam penitus innovaſſe videntur, & omnis illico macula exemplo natalium reſtitutionis aboletur, ſi credere fas eſt *Gabr. Palæotto libr. de noth. & ſpur.* poſſe tamen per diſpenſationem peculiarem ſpurios moribus & ſcientiâ inſignes ad dignitates Eccleſiaſticas admitti nonnullorum Canoniſtarum eſt ſententia vid. *Coraſ. de Eccl. Offic. p. 3. c. 2.* adeoque multo magis legitimatos per ſubſequens matrimonium. *Covarr. de matr. p. 2.* §. 2. *n* 37. *Roſenthal. de feud. c. 7. concluſ.* 18. *tit.* 11. Cœterum notabile eſt quod Mariani dicunt, eum qui ſpurium ex moniali procrearit, ſingulariſſime à Deo poſt mortem puniri, uti celeberrimus Medicus *Leonellus Fuantinus c. 7. ſecundæ partis Practicæ Medicinalis* hoc myſterium naturæ aperuit, *Qui coit, inquiens, cum Monachâ vel moniali, quando talis moritur, remanet virga ejus tenſa,* Unde dicitur in carmine apud vulgares:

> *Qui monacha potitur, virgâ tendente moritur.*

Cujus & meminit *Wolfgangus Hildebrandus Mag. Nat. l. 1. c. 31. p. 34. Erford. impreſſ.* 16. 22. Et fortean etiam moniales ſtupratæ poſt mortem peculiari ſigno notantur quod honoris & pudoris ergò reticetur. Certe ſi miracula hæc quotidie contingerent pauciores ſpurii invenirentur.

THESIS LVII.

CÆterum uti εὐτεκνία & πολυτεκνία inter Hebræos benedictionis divinæ ſignum erat certiſſimum, ut præter Davidem Pſalm. 127. Moſes docet Deut. VII. 14. *Benedictus eris præ omnibus populis, non erit in te ullus ullave ſterilis,* & Eunuchos benedictione excludit Deut. 23. 1. 2. *Nec vulneratus teſte, nec exectus virilitate venito in congregationem Domini.* Ita ἀτεκνία in Veteri Teſtamento præſertim ob amplam illam de Meſſia promiſſionem exoſa erat, ut vel ex Gen. 30. 23. Luc. 1. 25. patet. Hinc nata eſt Judaica opinio, quam Ben Syra proponit. *Qui ex ſe ſemen non edit eſt ſine bono, ſine benedictione, ſine cohabitatione, ſine lege ſine pace.* Nec multum abludunt *Gentiles, qui cœlibes* Reip. ac ſocietati humanæ vix utiles eſſe aſſeruerunt, quo ſpectat illud *Dion. hiſt. Rom. c.* 56. ubi narrat, Auguſtum Cæſarem dixiſſe, Cœlibes *homicidium* committere,

quia

quia eos non procreant, quos ex illis paſci conveniebat, *Sacrilegium*, quia fallunt genus ſuum à Diis immortalibus monſtratum. *Impios* eſſe, quia nomina & honores majorum delent. *Patriam perdere*, quam infœcundam reddunt & evertunt funditus, ſubtracta radice, ex qua naſci debebant cives. Elegans eſt *Carrerius l. 1. de ſponſ. & matr. c. 1. qui conjugium non expetit, ſui oblitus eſt, qui non quærit, præter naturam eſt diſpoſitus, non reddit naturæ, quod mutuo accepit.* Et paulò poſt, *qui uxorem non habet, curarum familiarum participem, domum non habet, quia domum non conſtruit & ſi habet, commoratur in ea tanquam peregrinus in diverſorio. Omnia ſua patent inſidiis, furtis, rapinis; decipiunt illum ſervi, defraudant ſocii, contemnunt vicini, negligunt amici, &c.* Cujus rei cum benè conſcii eſſent Hebræi, non tantum Patriarchæ, ſed & matriarchæ liberorum deſiderio flagrabant ut præter exemplum ſuperius allagatum Saræ patet ex Gen. 30. cum Rahel ex impatientiâ dicebat ad maritum ſuum: *Aut procrea mihi liberos, aut ego moriar*, cui Jacob non inconcinnè reſpondebat: *Num ego ſum Deus qui tibi fructum ventris tui concedere non vult:* Fœcunditatem, innuens non ab hominum beneplacito ſed à Deo ipſo dependere qui ſibi quatuor claves nulli Angelo aut Seraphino concreditas reſervavit, nempe *clavem vitæ, clavem pluviarum, clavem ſepulchrorum, & clavem ſuſtentationis* ut ex Targum Hieroſolymitano ad Gen. 30. & libro Taanis c. 1. ac Sanhedrin c. 113. refert Heideg. l. c. 734. Contrahere quidem matrimonium quilibet; ſed præſtare fœcunditatem nullus poteſt. Quod & *Seneca* agnovit *l. 2. Contro. 13. Non reſpondet ad propoſitum, nec ad certum diem fœcunditas, ſui juris rerum natura eſt, nec ad leges humanas componitur. Modo properat, modo vota præcurrit, modo lenta eſt & demoratur. Non ex formula naturæ reſpondet, neque ad præſcriptum caſus obſequitur. Licet lex dies finiat, natura non recipit.* Notatu interim dignum, quod eodem capite Gen. 30. 28. Dicit Lea: *Deus me præmio affecit quod ancillam marito meo in amplexum dederim.* Quaſi dicat, non eſt moris apud mulieres quod ancillam marito concedant, ſed potius omnia mariti ſibi in ſolidum appropriare, & nihil quicquam alteri uxori communicare volunt. Ego verò exuta communi mulierum natura, omnem invidiam, Zelotypiam præpoſteram atque alia depoſui & ſponte marito meo ancillam in ſinum dedi. Quamobrem Deus loco præmii proprio filio à meipſa genito me donavit. Unde hoc pacto colligo:

Quodcunque Deus recompenſat illud non eſt peccatum. Deus enim odit & punit peccata.

Atqui Polygamiam à Lea contra fœminarum conſuetudinem Jacobo ſuppeditatam Deus recompenſavit.

E. Polygamia non eſt peccatum ſed potius bonum opus. Hoc enim Deus recompenſat.

1. *Exectus virilitate non venito in congreg.* i. e. ut bene *Maim. More Nevochim. p. 3. c.* 49. exponit, *ne is, qui contuſione fractos* (Græcis θλαδιὰς) *aut abſciſſos* (. Gr. ἀποκεκομμένος) *teſticulos habet, ducat Iſraëlitidem;* prohibitum eſt, *quod tale conjugium ſit inutile & inane, & quod tales nuptiæ ſint offendiculo cùm ipſi virgini tùm illis, qui eam requirunt.* vid. *Selden. de I. Nat. l.* 5. *c.* 16. *p.* 657 Tam accurati ſcilicet erant Judæi, ut non permitterent filiam Iſraëlis nubere ejuſmodi Eunucho. Imò & in ſacerdotibus, quos ſine defectu aſciſcebant, adhuc plura, minutias quoque attendebant. e. g. qui ſcortum ad genua fere pandulum, aut veretrum adeò longum, ut genua ferme attingeret, aut ſcortum percuſſum adeo, ut inde læderentur teſticuli, habebant, aut qui herniâ laborarent, non poterant initiari: vid. *Selden. de ſucc. in Pontif. p.* 459. ubi minutiſſima corporis vitia recenſet. Quæ impedimento erant futuro ſacerdoti. Quod ex parte, more ſolito, etiam imitati Pontificii, qui hâc in re etiam nimis ſuperſtitioſi, ut patet ex iis quæ notari ſolent ad *tit.* 10. *de corp. vit. ord.* quibus addi poteſt *Paulus Laymann. Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. uti etiam fundamentum petunt ex *Lev.* 21. 18. ubi recte obſervat *Lucas Oſiander; hodie,* inquiens, *Eccleſia non eſt alligata ad has leges. Etſi enim, ſi commode fieri poteſt, tales ſunt præjiciendi, qui corporis ratione non ſint aliis contemtui; attamen, ſi aliàs ſint præclaris donis Sp. S. ad miniſterium neceſſariis ornati, melius eſt, ut careat miniſter eleganti corporis formâ, quam ut Eccleſia careat idoneo miniſtro.* Interim Pontificii omnes ſuos Monachos & clericos vellent eſſe caſtratos (qui tamen, ut dictum, in congregationem venire non debeant) aut quia hoc fieri non poteſt, caſtrationem moralem ipſis injungunt.

2. *Gentiles; qui cælibes Reip. inutiles.* Hermippus narrat, in Legumlatoribus, quod obſcurum ſit domicilium Lacedæmone, in quo puellæ omnes nubiles quotannis ſemel concludebantur, una adoleſcentibus, uxores non habentibus, incluſis, atque, quam quiſque cepiſſet, hanc ſine dote abducebat. Idcirco in *Lyſandrum* animadverterunt, quod primâ captâ relictâ formoſiorem ducere voluerit. *Athen. l.* 13. *c.* 1: *Frotho.* 3. Danorum Rex arbitrariam fœminis nubendi poteſtatem indulſit, ne qua tori coactio fieret. Itaque lege cavit, ut eis in matrimonium cederent, quibus inconſulto Patre nupſiſſent, Maribus quoque, quamcunque primitus cognoviſſent, ducendi legem inflixit *Saxo l.* 5.

3. *Matriarchæ liberorum deſiderio flagrabant.* Lea ancillam ſuam ſubſtituerat, ut ex ea ædificaretur, & præterea etiam ſperabat, fore, ut adhuc fœcunda redderetur, unde cum Rahel deſideraret *Dudaim*, fructus à Rubene, filio Leæ primogenito, in campis inventos & allatos, non prius concedere volebat petenti, quàm permitteret Rahel ut futurâ nocte concumberet Iacobus cum Lea. Sicuti & hujus promiſſis exhilarata veſperi marito domum venienti *Gen.* 30. 15. 16. occurrebat, & hoc bonum nuncium ipſi referebat. Quid *Dudaim* fuerint, diſceptant inter ſe Theologi & adhuc ſub judice lis. Nonnulli *poma* amoris ſymbolum apud *Philoſtratum, Martialem, Ovidium, Virgilium* ſatis decantata intelligunt. Ut vero *Dioſcorides mandragoram* deſcribit, nil prohibet eam intelligere, *folia enim recentia oculorum inflammationibus,* (quibus Lea vexabatur,) *iisque quæ ulceribus ſuperveniunt, rectè imponuntur. l.* 4. *c.* 76. Sed duo ejus genera narrat Dioſcorides; *niger, qui fæmina dicitur, qui graveolens, & candidus qui mas, cujus poma jucundè cum gravitate quâdam olent.* Certe gratiſſimi odoris fuiſſe ex *Cant.* 7. 13. colligere licet. vid. *Leonhardi Ryſſeni Notas ad Cant.* 7. 13. *Adrianus Beverland.* in ſuo *tr. de Pecc. Orig.* peſſime ad generandi libidinem Dudaim applicat: *Dudaim,* inquit *erat parvulus Peor apud Ægyptios, ut apud Romanos Phalli & faſcini.* Peor enim erat ſimulacrum manufactum, Priapus, ut *Hieronymus* teſtatur. Colebatur in ſummitate montis, qui inde Peor dicitur, ubi ipſius domus ſeu templum. *Num.* 23. 28. *Selden. de Diis Syris l.* 1. *c.* 5. *Coccejus ad Pſ.* 106. 28. Sed quomodo hoc convenit cum monſtroſiſſimo delirio. Quicquid enim fuerint Dudaim, nunquid inde concludi poteſt, quòd primum peccatum fuerit fornicatio, vel quod peccatum Originale in unâ generandi libidine conſtitui debet?

4. *Re-*

4. *Recompenſat Deus, non eſt peccatum.* Futilis eſt diſtinctio, quam autor Polygyniasp. 155. affert quando differentiam facit inter Polygyniam Iacobo per Leam ſuppeditatam, & inter Polygyniam aliorum in genere conſideratam, de illâ concedit non eſſe peccatum, ſed non de hâc. Sed ſi in genere ſpectata Polygamia eſt delictum, nil video cauſæ, cur non in ſpecie etiam Iacobi multinubentia ſit peccatum. Privilegium enim illud ſpeciale eſt figmentum cerebri humani. Nec Deus eſt προσωπολήπτης.

THESIS LVIII.

NEc minus etiam Deus reconpenſavit labores & ſervitia Labani à Jacobo præſtita, ita ut ad ſocerum etiam redundaverit, ceu Laban ipſe avariſſimus ille Euclio fatetur, quod Deus ipſi propter Jacobum benedixerit. Et Jacobus etiam injuſtiſſimo ſuo ſocero objicit, quod Deus ipſi benedicere cepiſſet, quam primum pedem in ipſius familiam intuliſſet. Talis enim erat Jacobus, ut quocunque ſe conferret, divinam benedictionem comitem haberet. Tales olim erant, quos *Namphaniones* lingua Punica dictos teſtatur *Auguſtinus Epiſt.* 44. *Boni pedis*, inquit, *homines, quorum adventus aliquid affert felicitatis; ſicut ſolemus dicere, ſecundo pede introiſſe; cujus introitum felicitas aliqua conſecuta eſt.* Conf. Virgilium, qui Herculem ad Sacra, quæ illi & Evandro celebrantur, invitat hoc modo: *Et nos & tua dextero adi pede ſacra ſecundo.* Sed vocem hanc *Namphanio*, quam *boni pedis* hominem ſignificare notat Auguſtinus, leviter corruptam eſſe & [illegible] *Namphanio* reſcribendum eſſe Namphano, quod eſt Punicè ſeu Hebraicè נאה פעם *pulcher eſt pes ejus* (huc pertinet illud *Hoſianna qui venit in nomine Domini*) obſervavit doctiſſimus *Samuël Petius* *l.* 11. 36. & poſt ipſum *Bochartus Georg. S. l.* 2. *c.* 16. Talis *Namphano* erat Jacobus, in quo impletum illud Davidis de homine juſto. Pſalm. l. 3. *quicquid facit proſperabitur.* Notatu verò dignum, quod Gen. 31. Laban Syrus juramento obſtringit Jacobum abiturientem in patriam, ne plures uxores ſuis filiabus ſuperinducat, non ut ſimpliciter Polygamiam, quam clocando ipſi duas filias & matrimonio ancillarum non contradicendo ſatis approbarat, deprecaretur, ſed ut moleſtias ex pluribus ſuperinductis naſcituras à filiabus ſuis averruncaret, & illarum decrepitam ætatem tranquilliorem & beatiorem redderet. Ex quibus Exemplis omnibus eluceſcit cultiores gentes quæ ſatis honeſte & legi naturæ conformiter vixere, & non tantum 7. Præcepta Noachica obſervarunt, ſed & multum lucis ex Iſraëlitica Eccleſia habuerunt, ut fuerunt Syri, quales Laban, Ægyptii, Philiſtæi, quales Pharao, Abimelech, Iſmaëlis & Eſavi poſteri, à Polygamia non abhorruiſſe, unde denuo talis propullulat Syllogiſmus.

A quocunque cultiores gentes legi naturæ ſatis congrue ſe gerentes non abhorruerunt, illud non eſt contra legem naturæ, & exinde natum Decalogum.

Atqui prædicti Ethnici moratiores à Polygamia non abhorruerunt.

E. *Non eſt contra legem Naturæ & exinde compoſitum Decalogum.*

1. *A quocunque cultiores Gentes.* Deus aliàs ſuis Iſraëlitis ſerio injunxerat, ne ambulent *in viis Emoræorum, neque in viis gentium, Regum, nationum* (i. e. reliquorum populorum) i. e. ne ambuletis in ſtatutis gentis, quam ego ejecturus ſum de facie veſtrâ. Lev. 20. 33. *Eadem ratio eſt reliquarum gentium; quia omnes recedunt à Deo & idola colunt. Innuit autem hoc præceptum, ne aſſueſcamus veſtibus aut negotiis eorum; ſequendo* (ubi dicunt in Siphri ad verba in ſtatutis eorum ne ambuletis) *leges eorum, quas ſtatutas illi habeant & fixas, cujusmodi ſunt theatra & circi, & hiſtrionia, quæ ſpecies ſunt ludorum in congregationibus eorum uſitatorum, quo confluunt ad exercendas, inſaniam, ſcortationes & idololatriam. Ibidem tradunt: R. Meir dicit, Hæ ſunt viæ Emoræorum, quas numerarunt ſapientes. R. Jehuda filius Bethirâ dicit: Ne alas cincinnos capitis ſicut illi. Neque detondeas comam, i. e. nequis temporibus detonſis pilis quos appellant Cæſariem, relinquat in medio.* Repetitur hoc præceptum alio loco & aliis verbis. q. d. Cave tibi, ne illaquees te eundo poſt eas. *Deut.* 12. 30. Quod quidem præceptum Rabbini in *Siphri* de ornamentis gentilium explicant, ut ne illis quidem Iſraëlitæ ad gentes ejectas & expulſas accedant, dicendo: Ecce purpurati hi in publicum prodeunt, idem liceat mihi. Ratio vero præcepti eſt omnis idololatricæ ſpeciei amolitio & abolitio. Obſtringit autem hoc præceptum omni loco & tempore utrumque ſexum, & transgreſſor, qui ulla ſe in re commemorata ſimilem præbuerit gentibus, *flagris cæditur, qui verò quàm longiſſimè recedit à conſuetudinibus eorum, & ab omnibus legibus eorum, & animum ſuum, cogitationesque ſuas Deo & præceptis ejus pretioſis impenderit, anima ejus habitabit in bono, & ſemen ejus hæreditario jure poſſidebit terram.* vid. plura & quidem ſpecialia in *Talm. Maſſ. Schabb. c. 7. in Toſepht* in eundem codicem. *Maim. Hil. Abb. Zar. c.* 10. Verum enim vero, cum Gentes etiam habeant aliquid boni & nonnihil honeſtatis ex lumine naturæ, nobis vitio verti non poteſt, ſi iis inſiſtamus, non quidem eo pacto, quatenus à Gentilibus proveniunt, ſed quatenus rectæ rationi, juri naturæ & juri divino ſunt conſentanea. Quemadmodum enim complurium virginum pulcherrimarum, quas ſeligendi poteſtatem Zeuxi publico conſilio dederant Crotonitatæ, formæ, invicem ſatis diſſimiles, id ei præſtiterunt, unde unicam Helenæ quæ ei magno pretio ab illis conducto depingenda erat, faciem velut excerperet. *Cic. de Invent. l.* 2. Ita ex multarum Gentium honeſtis & ſanis inſtitutis, illa quæ natura juſta aut turpia ſunt, recte colligimus. Unde cum Polygamia omnium Gentium moribus conveniat, legi etiam naturæ, & divinæ non contraveniat, nec *Lev.* 18. inter illa peccata, ob quæ gentes ejiciendæ erant, numeretur, & престereà à populo Dei honeſtiſſimis legibus inſtructo, ſemper ſine ulla taxatione fuerit uſurpata, nil video cauſæ, cur non inter honeſta collocari poſſit. Huc ſpectat illud Alberti Balogneti Iuriſconſulti non incelebris, quod vicem aliorum, quæ deduci facile poſſent è Theologis Juris conſultisque ſimilium ſortiri hic volumus. *Generatim,* inquit de lege jure & æquitate c. 18. § 6. *concludimus naturam, ut aliis omnibus ſemper in rebus ita in hoc maxime providam, pleniſſime illa omnia nobis ſuggeſſiſſe, quibus ad vitam juſte, pie & honeſte degendam optime inſtrui poſſimus, Quæ ut perfecte ac diſtincte à nobis cognoſcantur, ſciendum eſt, bipartitam eorum rationem eſſe, Quædam enim ſunt, quæ natura neque prohibentur, neque imperantur, ſed libero ipſorum hominum arbitrio permittuntur, ita ut poſſint homines libere decernere, quæ pro locis & temporibus ſibi magis expedire judicaverint. Quædam vero ſunt, quæ determinate; ut ita dicam, natura imperantur, vel prohibentur, ita ut ejus imperii vel prohibitionis*

mi-

mutandæ nulla hominibus facultas conceſſa ſit, In illis quidem primis maxime inſpicitur utilitas, in his vero honeſtas ac juſtitia ſola attenditur. Solaque hæc poſtrema ſunt, quæ ipſi naturæ præcipuo quodam jure tribui poſſint. Hactenus ille, idque ad mentem autorum, qui ex recto rationis uſu fines illos, quos ultra citraque naturaliter nequit conſiſtere rectum, in natura reperiri ediſcique dictitare ſolent. Iuxta & illud Euripidis in Hecuba:

Novit id, quod turpe eſt, malum ſeu prorſus fugiendum ex canone, Regula ſeu norma illa, quâ bonum, honeſtumque deſignatur, e doctus. Quam regulam ſeu normam in Ratione humanâ ſeu ex ejusdem dictamine haberi paſſim inculcatur. Ita Cic. l. 1. de Leg. *Nos legem bonam, ait à malâ nullâ alia niſi naturali norma dividere poſſumus, Nec ſolum jus & injuria à natura dijudicantur, ſed omnino omnia honeſta ac turpia. Nam & communis intelligentia nobis res notas efficit ea, quæ in animis noſtris inchoavit, ut honeſta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opinione exiſtimare non in natura poſita dementis eſt.*

2. *Non eſt contra legem naturæ, & exinde compoſitum Decalogum.* Autor Polygynias ut habeat, quæ chartis illinet, & aliquid videatur ad theſin *Theophili* non præter ſolitum taxare, dicit primum, non ſequi, quia Polygynia non ſit contra jus naturæ, illico etiam non eſſe contra decem præcepta, ſiquidem intermiſſio obſervationis ſeptimæ diei, non contrarietur quidem legi naturæ, ſit tamen peccatum contra Decalogum. At enim ipſa lubentiâ lubentius concedimus, omiſſionem hujus feſtivitatis eſſe contra decem præcepta, at non contra jus naturæ, de aliis vero moralibus dici hoc non poteſt, ſed omnia, quæ ſunt contra naturam, ſunt etiam contra Decalogum, & vice verſa quæ ſunt contra decem præcepta, ſunt etiam contra jus naturæ, excepto hoc unico, de obſervatione ſabbati. Deinde majorem etiam *Theophili* negat, quia Lithuani, Nomades, barbaræ ſcilicet gentes inhoneſtè vixerunt. Sed *Theophilus* loquitur de gentibus moratioribus & cultioribus. Tertium deploranda eſt malitia Anti-Polygami, qui contra propriam ſcientiam & conſcientiam Labani verbis alium affingit ſenſum, quaſi Polygyniam deteſtatus fuerit & contra illam fœdus cum Jacobo pepigerit. Siquidem *Theophilus* in theſi hâc ſufficienter docuit, Labanum non in genere Polygamiam, quam ipſe duas filias tradendo in conjugium, & duas ancillas permittendo, ſatis approbarat, eſſe deprecatum, ſed in illo fœdere cum Jacobo inito caviſſe; ne plures ſuis filiabus ſuperinduceret uxores, & moleſtias ex hâc juniorum fortean uxorum adductione orituras inevitabiliter crearet, & tranquillum ſeneſcentium filiarum ſtatum turbaret. Sed hunc verum ſenſum ſtudio Antipolygynos & vaſerrime pervertit, alios viam ad integros mores, bona opera, & vitam docturus æternam; aut ſi à tanta malitia abſolvendus eſt adverſarius, nil aliud reſtat, quàm ut ipſum ignarum Logicæ cenſeamus, quod an convenire poſſit illi, qui Lectorem in celebri Academia egit, equidem non video, niſi forſitan nobis in memoriam revocare velimus illum verſiculum, quem in Virgilio olim legimus:

Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.

Tandem Anti-Polygamus hic adhuc regerit, quod ſcilicet Laban non adeo congrue legi naturæ vixerit, patere ex eo, quia Jacobum injuria quadam affecerit. Non vero in ſpecie exprimit injuriam, quam nempe intelligat, an illam, quando Laban Iacobo invito filiam primogenitam Leam obtruſerit, an quod mercedem nullam dederit, aut illam ſæpè immutarit, & hac in parte maximam avaritiam & tenacitatem pariter præ ſe tulerit? Verum enim vero Iacobus in obtruſionem iſtam tandem conſenſit, & mercede ſua, benedictionem dei præſentiſſimam expertus fuit, ceu αὐταρκέςατος, contentus. Jam vero volenti non fit injuria. Deus etiam non permiſit, ut Iacobus injuria afficeretur, ſed omnia, quæ Laban fraudulenter intendit, in optimum & Iacobo maxime proficuum finem direxit. Et præterea quot ſunt inter Chriſtianos tenaciſſimi Euclziones, & avariſſimi Midæ, qui tamen ſecundum Chriſtianorum jura utcunque dicuntur vivere. Denique Anti-Polygynos addit, *Theophilum Ale-*

thæum

thæum cauſam nullam habuiſſe Syros inter illas collocandi gentes, quæ ſatis bene juxta ductum juris naturalis vixerint, cum unitatem Dei non agnoverint, ſed πολυθεότητα ſtatuerint, ut ex libro (eſt *Seldeni*, ſi forſitan tantus Anti-Polygamus neſcit) *de Diis Syris* conſtare poſſit *Theophilo Alethæo*, niſi forſitan dicere velis nunquam aliquid *Theophilum* audiviſſe de hoc aliàs noto libro. Sed ne hic Anti-Polygynos ſibi ſoli magnam librorum notitiam arroget, ſciendum ipſi eſt, *Alethæum* plures fortean Bibliothecas perluſtraſſe, libros etiam plures perlegiſſe & excepſiſſe, meliori etiam fortaſſe adhuc inter tot peſſimæ fortunæ agitationes memoriâ & judicio pollere; quanquam, cum omnis comparatio ſit odioſa, cum nullo ipſum conferre velim, optime gnarus, quod ipſe ea propter neminem contemnat, ſed ſe omnium minimum in vineâ Domini cenſeat, Deoque ſuo indeſinenter pro beneficiis immeritis gratias agat nunquam intermorituras. Sed ut ad rem redeamus, ſi ex πολυθέου ὄψει Syrorum colligi poteſt, ipſos ſecundum jus naturæ non vixiſſe, ſequeretur, nullas gentes, exceptis ſolis forſitan Judæis, legem naturalem obſervaſſe, ſiquidem pleræque omnes, ut vel ex Voſſio de Idololatria conſtat, fuerunt πολύθεοι. Pauci quidem & literati Philoſophi beneficio Polyhiſtorias eò devenerunt, ut unitatem Dei excluſivam, absque trinitate tamen, adorarent, ut cum Ariſtoteles inquit, in agone mortis conſtitutus: *ens entium miſerere mei*; & *Socrates* dixiſſe fertur, quando cum *populo* loquatur, ſe *de multis Diis* diſſerere, quando vero *cum eruditis*, ſe *unum* profiteri Deum: populus tamen & plebs inter omnes fere gentes nonniſi de pluribus Diis nugari poterat. Ex lumine naturæ *Rom.* 1. gentes etſi Deum aliquem agnoverint, in applicatione tamen errarunt, nec concipere potuerunt, quo pacto unum ens tot rebus gerundis & gubernandis ſemper ſufficere poſſit.

THESIS LIX.

GEn. 32. Notatu dignum occurrit, quod Iacob ad fratrem reconciliandum ipſi obviam miſerit dona nempe 200. capras, & 20. capros, 200. & 20. arietes. 40. vaccas, & 10. boves. (Talem proportionem decuplam in capris & ovibus hic ſervatam Varro etiam de Re ruſtica, l. 2. c. 3. ſuo exemplo commendat: *De maribus*, inquit *fœminis fere diſcrimen ut alii ad denas capras parent ſingulos hircos ut ego.* conf. 2 Par. 17. 11.) Ubi animadvertimus Iacobum Paſtorem inter beſtias & jumenta ſua Polygamiam, ſi ita appellare licet, obſervaſſe, quod & hodienum faciunt omnes Paſtores bubulci, equiſones, imo univerſi Oeconomi & Patres familias, qui Gallis plures adjungunt gallinas. Iam ſi polygamia inter homines eſt peccatum, quia eſt contra primam creationem, ubi Deus maſculum & fœminam creavit, etiam Polygamia inter bruta erit peccatum, quia etiam cum prima creatione non concordat, ubi Deus etiam par & par creavit. Par & par intrabant in arcam. Nec hominibus citra peccatum licet abuti brutis, ſeu non uti illis contra beneplacitum divinum, & illa ad gemitus contra nos, ut Apoſtolus loquitur, provocare, Sicuti vero Paſtores non peccant, quando brutis maſculis plu-

plures fæmellas admittunt, ita Magiſtratus qui Paſtorum officium gerit, non peccat, ſi ſubditis Polygamiam concedit. Paſtores vero non peccaſſe patet, quia Deus nullibi eos propterea reprehendit, nec legem ſingularem dedit. Nec in exemplis punivit. Cæterum multas circa animantia bruta leges promulgarat, uti nota eſt lex ipſi Decalogo inſerta *de non concupiſcendis aliorum jumentis*. Præterea leges propoſuit de *puris animalibus*, *de eſu ſanguinis*, *de bove petulco*, ſeu cornupeta, qui cum hominem occidiſſet lapidandus juxta Exod. XXI. 28. erat, non quod ipſe peccaſſet, ſed partim, ne in poſterum aliis ſimilem noxam inferret, partim ut puniretur dominus in re ſua, qui eam negligenter cuſtodiiſſet. Quæ etiam cauſa erat, quod ejusmodi bovis carnes non deberent comedi. Et hoc modo plectebatur dominus amiſſione ſui pecoris, quando levis tantum culpa ipſius intervenerat, ſeu quando ignorarat forociam bovis. Aſt ſi Dominus vitium noverat, ipſe quoque pœnas capite luebat. Ubi obſervant Hebræi bovem fuiſſe occiſum tantum, quando Iudæum occiderat, non verò quando gentilem. Enim verò inſtrumenta alicujus maleficii aut infortunii aboleri apud reliquas quoque gentes non inuſitatum fuit, ſic ex *Demoſth. Oratione contra Ariſtocratem & Æſchinis contra Cteſiphontem* apparet ex Athenienſium legibus lapidem, lignum, ſecurim & id generis alia, quotiens homicidii inſtrumenta fuerant, in prytanæo in judicium deducta velut in pœnam. Sic ſtatuam Theagenis, quæ caſu ſuo aliquem oppreſſerat, Thaſii in mare protrahendam decreverunt, vid. Chryſoſtomus in Rhodiaca p. 340. edit. Morelli.

1. *Jacob miſerit* 200 *capras &* 20 *capros.* Hic Paragraphus & ſequentes Anti-Polygamis ſunt ſudes in oculis, qui magno conatu magnas nugas agunt, & *Theophilum* exoſum mundo, & præſertim mulierculis ſuperbis facere ſatagunt, quod Polygamiam à brutis accerſat, & Polygyniam exinde probare conetur; quæ tamen *Theophili* mens non eſt, ſed tantum eo ipſo vult oſtendere, Anti-Polygamorum argumentum, (quodcunque eſt contra primam creationem & inſtitutionem, &c) eſſe nullius momenti. Eodem enim pacto Polygamiam brutalem, à plerisque Patribus familias, ſi occaſionem habent, exerceri ſolitam eſſe contra primam creationem; ubi etſi bruta, in quæ peccatum non cadit, non delinquant, homines tamen nihilominus culpandi eſſent, quod contra primam agerent creationem. Neque propterea par conditio hominum cum brutis aſſeritur, uti quidem autor Pſeudo-victoriæ *Theophilo* affingit; nemo tamen *ceu mens eſt ſana in corpore ſano*, inficias ibit, beſtias cum hominibus, ut ſupra *th.* 16. *n* 2. vidimus, in multis convenire. Sunt enim utræque creaturæ Dei, & gaudent anima vegetativa & ſenſitiva. Bruta vero habere conjugium indiſſolubile ut homines nemo dicet, adeoque non opus ſit, ut autor perverſi Colloquii Polygamiam Gallorum à *Theophilo* bono ſenſu adductam ceu peſſimus alienorum verborum interpres, tàm odioſe proponat. Non neſcimus quidem bruta animantia, absque ulla ſanguinis aut propinquitatis conſideratione, cum eis, per quos aut cum quibus genita ſunt miſceri, ut Ovidius canit. *l.* 10. *Met.*

Coeunt animalia nullo
Cætera delicto, nec habetur turpe juvencæ

Ferre patrem tergo: fit equo ſua filia conjux
Quosque creavit init pecudes caper, ipſaque cujus
Semine concepta eſt, ex illo concipit ales.

At vero inficias ire etiam non poſſunt appetitum Veneris homini rationali cum brutis eſſe communem, ſicut vere ſcribi à *Virgilio* potuerit, *l.* 3. *Georg. v.* 242.

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furiasque (*veneres*) *ignemque ruunt; amor omnibus idem.*

Brutorum tamen venerem aut nulla, aut eâ tantum lege ordinavit ſupremus rerum arbiter, ut mas cum fœmina, non tamen extra ſuum genus miſceatur, adeoque (id quod *Ariſtoteles* etiam *l.* 2. *de Gen. c.* 7. ex naturali jure didicerat) *animalia ejusdem generis ſecundum naturam coeant*, atque uti id docet *Seneca* Poetarum prudentiſſimus in *Hypol. a.* 3. *v.* 910.

Feræ quoque, ipſæ Veneris evitant nefas
Generisque leges *inſcius ſervat pudor.*

Sic ut hanc ferarum legem & morem non inutiliter in exemplum ſiſtat Agathias, quando in carmine aliquo ſic ſcribit: *Anthol. l.* 1. *c.* 78.

Δίζηκτο τῶν ἀλόγων ζώων, γένος, ὃ γὰρ ἐκείνων
Φυσις ἀλλ' ἔζευ θέσμια συζυγίης.
Ἄρσενι γὰρ θηλεῖα συν[illegible]ται.

Hominibus autem conjugium inſtituit creator, illudque legibus certis circumſcripſit, determinavit, ordinavit, quia homo ratione gaudet, & multo perfectiorem naturam atque formam poſſidet. Etſi enim homo cum animantibus communem habeat naturam genericam, illa tamen ita eſt comparata, ut per aliam formam eamque excellentiorem, quam eſt forma brutorum, ſit reſtricta. Unde fieri videmus, quod homini ex operatione formæ plurima competant, quæ brutis non competunt animantibus, utpote quæ ſunt ἄλογα ζῶα; i. e. rationis expertia animantia. Imo non cum animantibus brutis duntaxat, verum cum viventibus etiam cunctis homo habet τὸ vivere, creſcere, nutriri commune, nec tamen modus, quô vivunt, creſcunt, nutriuntur, plantæ, frutices, herbæ, flores, arbores, homines, omnibus eſt communis; cum non ex terra inſtar graminis ſeu herbæ, progerminet homo, non per inſitionem, uti arbores propagetur, non indigeat radice, ex qua in corporis membra aſcendat humor, ut nutriatur, non amputatione phyſica creſcat, ut arbor; ſed modo alio, naturæ humanæ convenienti, hæ naturales operationes ab homine perficiuntur. Ita ex convenientia naturæ genericæ cum brutis animantibus hoc commune eſt homini, ut ſui ſimile appetat, ut habeat inſtinctum naturalem, per generationem propagandi ſpeciem; nec tamen modus propagationis ea propter homini cum brutis communis eſt dicendus in omnibus. Pleraque animantia actum generationis ſuſcepturi non locum quærunt ſecretiorem, ſanguinis reverentiam non attendunt; legitima non inſtituunt matrimonia; ſed impetu naturali per indiſcretas quasdam generant commixtiones. Apud homines autem hæc omnia turpia eſſe, recta clamat ratio.

2. *De puris animalibus.* Deus optimus Maximus tàm benignus fuit erga Iſraelitas; ut multas leges ipſis communicarit de vero uſu & abuſu animalium, de non commiſcendis brutis diverſæ ſpeciei, de mulierum concubitu cum brutis, de aſino inimici ob onus premens ſublevando, de ore bovis non obdurando, de puritate animalium, volatilium, & reptilium *de pollutionibus reptilium; ciborum immundorum*, &c. & dubio procul etiam ſanxiſſet legem de *Polygamia brutorum* ab hominibus non inſtituenda, ſi ea eſſet contra naturam. Fundatur autem Polygamia brutorum in facultate ipſorum naturali ſe multiplicandi cum pluribus; quam cum homines etiam naturâ ſentiant, nil video cauſæ, cur illa facultate non æque ac bruta uti debeant. Quicquid vero ejus ſit, videmus Deum maximam accurationem obſervaſſe in præſcribendis cibis mundis & determinandis cibis immundis, quorum quidem

dem cauſas ſufficientes ut dare poſſit, nemo illam ſapientiæ arcem ingreſſus eſt, uti *R. Levi* ait: *Nemo ſapiens dubitat, quin nullus in mundo ſit homo, qui ſapientiam omnem ad finem uſque ſit aſſecutus, adeò ut ipſum nihil lateat. Nam & de Moſe dixerunt Magiſtri noſtri:* Sexaginta ſunt portæ ſcientiæ, & omnes Moſi ſunt traditæ, exceptâ unâ. *Ita & Salomon, ſapiens ille Rex de ſemetipſo dixit:* Dixi, ſapienter agam & ſapientia receſſit longe à me. Proinde non eſt maximopere mirandum, ſi vel maxime omnium præceptorum ratio non ſit plene & accurate perſpecta, uti præſertim cauſæ phyſicæ in pollutionibus præprimis vaccæ rufæ, quæ purum polluat, & pollutum mundet. Sufficit, nil Dei providentiam permittere, quod non ſuis cedat in bonum. Ut iterum R. Levi: *Nemo, inquit, præterea dubitat, qui cerebrum habet in capite quin in Deo benedicto patre ſapientiæ, univerſa reperiatur ſapientia, Neque verò ambigendum, quin pater omnium bonorum nil præcipiat creaturis ſuis, quod bono & commodo ipſorum non inſerviat. & quo omne damnum ab illis averruncetur. Proinde, ſi ſapientiâ noſtra præceptorum quorumdam uſum, qui inde ad nos redit, aſſequamur, lætemur de eâ, ſi autem commodum illud ſapientiâ noſtra aſſequi non poſſimus, cogitandum tamen eſt, Deum ex abundantia ſapientiæ, qua ſuperat omnes creaturas, poſſe utilitatem, quæ in illo nobis præcepto reconditur, proptereaque illud nobis præcepiſſe.* Signa verò quibus diſtinguamus beſtias (mundas ab immundis, duo ſunt, *ruminatio & fiſſio ungularum. Lev.* 11. 1. 2. 3. eaque ſemper conjuncta, ita ut omnis ſpeciei, quæ has duas notas conjunctas non habet, eſus ſit interdictus, Opus autem eſt, ut ungula ſit diſtincta ſuperne, & inferne; Quod ſi ſciſſa fuerit pars ſuperior, inferior verò conjuncta, aut vice verſâ, impura eſt. Per *ruminationem* vero intelligunt, ut animal revomat cibum ex viſceribus, & in os reducat ad conterendum eum, & minutim commolendum. Rationem verò præcepti dicunt conſiſtere in *συμπαθείᾳ animæ & corporis, ita ut noxius ciborum eſus & uſus ipſi quoque animæ periculoſus ſit.* Prætereà aſſerunt hanc legem *utrumque ſexum* (uti & reliquæ de piſcibus, avibus, reptilibus &c.) *omni loco & tempore obligare, qui verò transgreſſus tantum ederit, quantum oliva, de quolibet animali immundo aut biberit quartam partem de adipe ejus contumax, vapulat; ignorans liber eſt.* Quod ſi verò propter immundas illas beſtias, quæ alteram munditiei habent notam, ut porcus, camelus, vapulant, qui tantillum comederit, quantò magis reatus ille contrahitur per eſum beſtiarum quæ neutro munditiei charactere inſigniuntur quærit *R. Levi.* Plura vid. ap. *Majm. Hil. maa col. c.* 2. De ſignis verò mundæ beſtiæ res clara eſt ex ſcriptura ſacra, ſed quæ indicia ſunt feræ licitæ? Traditioni hoc deberi fatetur Rabbi Levi, qui *γνωρίσματα ferarum in carnibus* oſtendit, quæ ſi accedant ad ſimilitudinem bovis, capræ & capreoli, feram dabunt mundam. Quod ſi vero animal aliquod repertum nullum habeat cornu, tuto illud Iſraëlita comedat, ſi uſu & conſuetudine didicit illud cognoſcere, & ab aliis diſtinguere. Conſul. *Thalmud in Chol. Maim. Hil Maa kol. c.* 2. (β) In *piſcibus* verò *ſigna munditiei* ſunt, *habere ſquamas & pinnas.* Ita ut piſcis unicâ ſquama præditus eſui licitus reddatur, ſi nempe, ut eſt in *Toſiphtha*, ſquama illa ſubter branchiis aut pinnis inveniatur, in cœteris locis duæ minimum requiruntur; quod ſi ergo, loco dicto ſquama ſe prodat, nequidem ulteriori inveſtigatione opus eſt, an etiam pinnam habet; quod neceſſario ſequitur, verùm cum reperta fuerit in eo pinna, explorari debet, an & ſquamas habeat; quia multi piſces immundi pinnis præditi. Deinde omnis piſcis natura ſquamoſus, etſi ſquamæ non creſcant, dum parvus eſt, ſed demum, ubi adoleverit, ut tunnia & aphion permittitur. Tandem omnis etiam piſcis, qui quamdiu in mari eſt, ſquamas habet, etſi eas, cum è mari aſcendit, abjiciat, licitus eſt: plura ap. *Maim. Hil Maa col. c.* 1. Scilicet Deus benedictus removit à populo ſuo, quicquid noxium eſt, ſive beſtia fuerit, ſive volucris ſive piſcis. De piſcibus verò notanter textus ait *Lev.* 11. 11. De carne immundorum piſcium ne comedatis & *cadaver* eorum abominabimini. *Cadaver* nempe *pollutum erat & polluebat*. i. e. Cum autem mortuum fuerit al-

aliquod animal quod ſit vobis in cibum, qui tetigerit cadaver ejus, erit immundus. Rectè ex Maimonide R. Levi annotat, præcepta affirmativa de pollutione nolle hoc, quaſi quisquam ſe polluere juberetur; quin potius, ut qui rem immundam contrectavit, ex legis præſcripto immundus pronuntietur. Ad ſenſum enim & mentem legis ejusmodi transgreſſionem eſſe definiendam. Eſt autem cadaver ex Rabbinorum arbitrio *ex pollutionibus paternis, adeo ut tantum carnis ejus, quantum eſt olea, ſolo contactu polluat hominem, & vaſa; & vaſa quidem teſtacea in ſpatio vacuo.* Vocatur porro cadaver *quicquid ſua ſponte perit, aut cui profani quid ex mactatione accidit.* Unde Canon Thalmudicorum, *quicquid mactationis vitio profanum habetur* cadaver *dicitur.Quod verò rite mactatum aliam cauſam, ob quam profanum cenſeatur, habuerit,* diſcerptum *vocatur.* vid. paſſim *Talmud. Maſſ. Kel. Tohor.* Inter animalia eſui apta eſt tertio loco (9) avis, quæ ſi eſt immunda, etiam non edenda. *Lev.* 11. 13. ubi obſervant Rabbini quod *ſigna beſtiæ & feræ exprimantur in lege, ungula nempe fiſſa,* qualis eſt bovis & agni & *ruminatio*: ſigna vero avium non exprimantur, quia lex omnes aves immundas quæ in univerſo ſunt mundo, ſuis proponit nominibus. Neque proinde opus fuerit ſcribi omnes earum notas, quia *omnis avis, quæ in toto terrarum orbe reperitur, exceptis illis* (24) de quibus *Lev.* 10. 13.) *legitima & licita eſt. Quatuor* nihilominus monent Rabbini eſſe *ſigna*, quibus aves immundæ à mundis diſtinguantur, ſi forte avium nomina ignota eſſent; Scilicet mundi volatilis notæ ſunt 1 *ſi non infigat ſuas ungues*, ita enim R. Levi explicat, i. e. non ſit *rapax*, Arabes vocant aves timidas. 2. habeat *redundantem digitum* nempe pollicem, qui præ cœteris digitis eminet 3. *Ingluviem* 4. *veſiculam gutturis nudam.* Quia vero, quod ipſi fatentur Rabbini, has avium ſpecies Judæi diſcernere non poſſunt, neque eas aliis ferè exprimere nominibus, ne in hanc legem impingant, quærunt, quid de illis ſentiendum ſit avibus, in quibus tres tantum munditiei notæ apparent, *digitus nempe redundans, ingluvies, ſtomachus denudatus*, & dicit R. Levi in confeſſo eſſe, quod *avis* illa ſit *munda.quartam enim notam tùm ſponte ſequi, quod non ſit rapax, quia nulla in orbe reperiatur avis, tribus his ſignis notata, rapax, & tum absque ullo ulteriori ſcrutinio poſſe comedi. Si vero reperiantur tria munditiei ſigna ex quibus unum, quod non ſit rapax, jam manifeſtum eſt dubium, quia multa aves ſunt immundæ, quæ easdem munditiæ habent notas, de tali ave omnem hominem, qui ſpecies in lege numeratas explorate diſtinctas non habet, inquirere oportet.* Deinde quærunt, quid faciendum in locis exteris in avium mundarum & immundarum examine, & ſtatuunt Rabbini *eas comedi per traditionem* i. e. ſi incolæ loci eas admiſerint; & ſimpliciter, quod *puræ* conſuetudine habeantur, edere conſueverint, non eſſe dubitandum de illis, nec ſigna perſcrutanda. Tandem etiam quærunt *quot modis dubius* reddatur eſus avium, & ajunt duobus modis; nempe ſi tria habuerint munditiæ ſigna & unum ex illis fuerit, non eſſe rapacem, dubitandi occaſionem naſci èx multitudine ſpecierum immundarum, Sin autem duo tantùm habuerit ſigna, quorum alterum etiam eſt, non eſſe rapacem, dubitandi rationem dari ex eo, quod corvus & ſpecies ejus eadem notâ inſigniantur. In omnibus cœteris modis nullum eſſe dubium, ſed è veſtigio judicandum de illis, ſintne mundæ vel immundæ. Cœtera pete ex *Thalmud c.* 3. *Chol. Maim. l. c.* qui transgreſſus tantum ederit, quantum oliva, vapulat, ignorans vero liber pronuntiatur. Quæ pœna etiam de locuſtis valet, de quibus Lev. 11. 21. (ↄ) *Hoc comedetis ex omni reptili alato, quod graditur ſuper quatuor pedes, cui ſunt crura ſuper pedes ſuos, quibus ſaliant ſuper terram.* Rabbini vero 8 *ſpecies* locuſtarum mundas dicunt, 1 *Chagat, locuſtæ ſpecies*, quam alii cicadam, alii *bruchum.* 2. *Rabbanith.* 3. *Chargal*, juxta quosdam *cantharus* 4. *Uzercaja* ſpecies chargal. 5. *Arbeh*, vulgo locuſta; 6 avis vinearum, ſpecies Arbeh. 7. *Solham bombyx* 8. Juhanna Hieroſolymitana ſpecies Salham, ſi quis ſubtilior fuerit explorat eas pro ſubtilitate ſuâ, ſecundum nomina earum, & poſtea *edit.* Tardior vero in examine illarum ſcrutatur illa per ſigna in lege data, cujusmodi ſunt tria, nempe *quatuor alæ*, quibus teguntur,

lon-

longæ valdè & amplæ in ambitu corporis, quatuor pedes & duo crura, quibus ſaltare poſſint ſuper terram (ε) Porro dantur etiam 8 *reptilia*, quæ & polluta ſunt, & polluunt Lev. 11. 29. ut *muſtela*, *mus*, *& rubeta* cum ſpeciebus, *mygale*, *chamæleon*, *ſtellio*, *lacerta & talpa* & hæc octo tantum reptilia, ſi *mortua* fuerint, *contactu polluunt*. ut R. Levi ait. octo reptilium ſpecies vocantur *paternæ pollutiones*, quod ſcil contactu polluant homines & vaſa, & hæc quidem ſi teſtacea fuerint, polluunt, ex quo vacuum ejus locum, concavitaem intraverint. Atque *hoc diſcrimen* eſt inter pollutionem *Patrem* & *prolem*: *Paterna pollutio* polluit hominem & vaſa. Reptilia autem hæc non polluunt, antequam mortua fuerint. q. d. quicunque tetigerit ea (*Lev*. 10. 13.) poſtquam mortua, immundus erit. Sunt autem expreſſè *octo hæc reptilia* quæ polluunt, cœtera reptilia omnia, ſerpens, ſcorpio, ſcarabæus, ſcolopendra &c. non polluunt. Pollutionis macula æſtimatur in illis *ſpatio lentis* vel lentiginis, in his vero quantitate olivæ. Cum enim lex abſolutè pollutionis horum reptilium miminerit, quædam vero lentiginem ſuâ magnitudine non excedant, tantillo ſpatio definiendam eſſe pronuntiant. Tamdiu vero eſt pollutus, uſque aqua abluatur. Transgreſſor, qui tantum proterve ederit de vermibus terræ, quantum oliva fuerit, vapulat, Si vero ederit ex 8 illis reptilibus, quantum lens eſt, etiam plagas accipit, errorem ignorantiæ impune fert. Denique (ζ) non ſunt edendæ ſpecies reptilium minutiorum, quæ naſcuntur in frugibus & ſeminibus, ex quo prodeunt & repunt ſuper terram. Id quod intelligendum de omni tempore, ex quo adnaſcuntur frugibus ſolo adhuc adhærentibus, etſi non egrediantur, & ſuper terram repent; appellantur ea tamen ita, ex quo annata ſunt frugibus, fundo adhuc junctis. q. d. *omnia reptilia, quæ reptant ſuper terram, non comedetis*. *Lev*. 11. 42. Et quoties egreſſa fuerint ſuper terram, etſi poſtea redeant in frugem, vocantur quodvis *reptile ſuper terram ex quo tempore egreſſum eſt*. *Maim*. ait negativum hoc intelligi (de inſectis illis,) primum atque prodierint in aërem, aut reptarint per circumferentiam fructus, à quo *R. Levi* diſſentit, propterea quod expreſſe in *Chalin* habeatur, *relinqui hanc rem in thecâ ſuâ*, i. e. ut *Maim*. obſervavit, *negotium hoc dubium eſſe*, *neque propterea plagas infligi cuiquam*. Excipiuntur tamen ab hâc lege multa inſecta, ut *vermes lentes infeſtantes*, *vermes ciceris*, *vermes it. quæ ſunt in dactylis & ficis aridis*. Eadem eſt etiam ratio omnium vermium fructibus, poſt quam evulſi fuerint, adnaſcentium, & ab iis recedentium, qui præcepto negativo reptilis reptantis ſuper terram non includuntur, ſed jure illiciti ſint, niſi quod nauſeam aliquam creent. Quod ſi cui dubium fuerit ortum, utrum vermes fructibus antequam evellerentur, an vero poſteà demum fuerint annati, probè eos exploret. Si exiles valde fuerint, adeo ut eos explorare non poſſit, retineat eos ſecum duodecim menſes, poſteaque eſui omnino ſunt liciti abſque ſcrutinio. Nititur enim hoc trito Rabbinorum axiomate; *nullos ejusmodi fructuum vermes durare* 12. *menſes*. Nam poſtquam 12 menſes præterierint inſtar pulveris eos eſſe minutiſſimos. Ita etiam definierunt Rabbini, vermes, qui reperiantur in viſceribus piſcium, eſſe illicitos propter rationem reptilis, quoniam forinſecus accedunt, qui vero extant in iis inter cutem & carnem, aut in medio carnis liciti ſunt. Qui reperiuntur in inteſtinis beſtiæ vetiti ſunt, quia extrinſecus accedunt; etiam illi illiciti ſunt, qui reperiuntur in cerebro beſtiæ, & in medio carnis ejus, quia nil occurrit in beſtia licitum, niſi mactetur, at hi mactari non poſſunt. vid. plura ap. *Maim*. l. c. *Talm. in chal. libr. Chinu. p.* 66. Transgreſſor, qui ſuperbe hanc creaturam parvam prorſus immundam comederit tatam, vapulat propter eam, ſive viva fuerit, ſive mortua, etſi minor ſit grano ſinapis, putida etiàm tàm à maſculo, & fœmellâ, quàm ex quolibet mucore progenita, ſi per terram reptaverit. Si vero unicus tantum beſtiolæ defuerit pes, non accipit plagas, niſi tantum de illo ederit, quantum eſt moles oleæ. Neque etiam volunt comedenda (η) *reptilia aquatica* juxta illud: ne impuras reddatis animas veſtras. *Lev*. 11. 43. quomodo vero polluatur anima pollutione corporis non facile explicari poteſt, niſi quod pollutio ejus-

modi corporis ipſi animæ noxia ſit & inimica. Etſi enim corpus & anima rationalis multum differant, ut animæ à corporis morbis & malis nihil extimeſcendum videatur; interim tamen ei propter χοινωνίαν animæ cum corpore hoc accidere poſſe videtur. Conſtat autem reptilia aquatica eſſe exiles creaturas per aquas diſcurrentes, & in illo interdicto de piſcibus immundis non comedendis non contineri, ſed integram per ſe ſpeciem conſtituere, ut Maimonides contra Nachmaniden probat. Qui vero talem integram creaturam comederit, etſi parvam valde, vapulat. Si autem perfecta non fuerit, non vapulat, niſi molem olivæ de ea comederit. Edere autem ex legis præſcripto ne minus quidem licet, quàm olea ſit, quia æſtimatio dimidia legis vetita quidem, ſed non contrahitur reatus flagellationis, niſi propter comeſtionem æſtimationis Cabbala traditæ. Ultimo etiam (θ) non comedenda eſſe dicunt *reptilia ex putredine nata*, nec procreata ex mare & fœminâ. *Lev.* 11. 44. quia generali interdicto prohibentur omnis generis totius mundi reptilia ex putredine nata, & per terram reptantia, exceptis iis quæ ex frugibus putrefactis, poſtquam jam evulſa ſunt, progignuntur; reptilibus item omnibus ex aquarum vaſis contentarum putredine procreatis. Unde & *aquæ verminoſæ* à Rabbinis conceduntur. Nam de poſterioribus hiſce eſt Rabbinorum Canon: *licitas eſſe aquas, quæ in aquis produxerunt vermes, imò etiam in puteis, foveis & ſpeluncis, atque adeo in omnibus aquis congregatis.* Pœna transgreſſores juxta Thalmudicos manet eadem quæ anteà dictata.

3. *De eſu ſanguinis.* vid. ſupra. *th.* 44. 1. Vicina huic lex eſt de non comedenda *adipe bovis, agni, capræ*, cadaveris diſcerpti &c. *Lev.* 7. 23. Cujus præcepti rationem R. Levi phyſicam reddit, quia ſcilicet *temperamentum corporis ipſa ſequatur anima, ideo ſingulari Dei beneficio interdictum fuiſſe ait uſum & eſum omnium ciborum noxiorum*. conſtare autem *adipem adhæreſcere, & malos humores gignere*. Statuunt vero Rabbini non prohiberi adipem niſi trium tantum beſtiarum, bovis, agni & capri. Reatum autem contrahi propter trium harum beſtiarum adipem, ſive eſui illæ ineptæ fuerint, ſive diſcerptæ, ſive caſu fractæ vel attritæ. Reliquarum ſive beſtiarum ſive ferarum tàm immundarum quam mundarum eſſe licitum. Quod tamen videtur eſſe contra *Lev.* 7. 25. ubi de adipe omnis beſtiæ, Deo in ſacrificiis offerri ſolitæ, loquitur Moſes. Intelligunt etiam trium beſtiarum adipem triplicem, quorum ille inteſtina, iſte renes, hic ilia munit. de quibus prolixè *Gemara & Talmud Maſſ. Chol. c.* 7. *Maim. Hil. maacol. c.* 6. ubi etiam tradunt, transgreſſorem, qu' tantum ederit, quantum fuerit olea, vapulare, ignorantem autem ſacrificium deſtinatum afferre. Ut vero hæc materia rectè intelligatur, aſſumenda eſt vicina de diſcerpto, ſeu lacerato non comedendo. *Ex.* 22. 31. Ubi non intelligitur naturale aliquod vitium, ſed plaga lethifera forinſecus ſive à lupo, leone, urſo, illata, ſive alio pacto percuſſa vulnere lethali, ita ut plagâ acceptâ vel è veſtigio, vel non longè poſt (quod Rabbini annuo ſpatio definiunt) moriatur. R. Levi fuſe hac de re agit, veſtique regiæ ſenſum ſcripturæ confert, cum *Neceſſitas*, inquit, *porro ei incubuit, ut ſcriberet in agro, ut inde multa alia diſceremus. Legis enim verba multis explicari poſſunt modis. Extrinſecus veſtem induunt Regiam è byſſo, ſerico & opere variegato. Intrinſecus autem micat aurum & multitudo unionum. Veſtis igitur* verſiculi *apparens, & in ipſo fronti ſpicio magis conſpicua eſt, ut diſcamus inde, quid ſentiendum de diſcerpto tantum; ſicut ſcripſimus; & de carne vivi, quod & ipſum generaliter ſub diſcerpto continetur. Intrinſeca vero nos docet de omni carne, quæ ſepimentum ſuum egreditur, quæ vetita ſimilis eſt rapto, cujusmodi cenſetur caro ſancta; extra atrium egreſſa. Talis etiam eſt embryo, qui exit extra viſcera matris ſuæ. Senſu ergo liberali ſcriptura dicere vult; Caro, quæ in agro, i. e. caro ſepimentum ſuum egreſſa raptum eſt.* De Ratione hujus præcepti prolixè agit R. Levi, cujus verba Latio veſtimento induta καθὰ πόδα adducemus. *De fundamento ſeu rationibus hujus præcepti eſt: Cum corpus ſit animæ receptaculum, quo opus illa ſuum peragit, & ſine quo nunquam illud perficitur, propterea ſe in ejus recipit umbram, non vero, ut quicquam inde accipiat commodi. Neque enim Deus ulli ſubſtantiæ malè*

Sed

ſed bene facit. Eſt autem corpus in manum ejus (animæ) *ſicut forceps in manu fabri, cujus illa beneficio inſtrumentum parat operi ſuo aptum. Et certe, ſi forceps bona fuerit & firma, atque recipiendis vaſis bene accommodata, efficiet mechanicus polita; ſin minus apta fuerit, nihil unquam præclari dabit aut pulchri. Eadem ratione, cum corpus aliqua corruptio, undecunque illa ſit, infeſtaverit, irrita reddetur operatio intellectûs ſecundum illam corruptionem. Unde lex noſtra perfecta ab omni re, quæ cauſa eſſe poſſit illius corruptionis removet. Atque hâc de cauſâ, ſecundum ſenſum literalem dicitur, prohiberi nobis in lege omnes cibos illicitos. Quod ſi qui ex illis ſint, de quorum noxâ nec nobis conſtat, nec medicis, ne propterea mireris, Fidelis enim ille Medicus, qui à talibus nos dehortatur, ſapientior eſt te & illis. Quàm ſtultus autem & præceps fuerit, qui exiſtimat, nullis ineſſe rebus vel damnum vel utilitatem, niſi quantum ille aſſequitur. Scito etiam, noſtro commodo non revelatas eſſe cauſas, & nocumenta earum, ne ſurgant forte homines, qui magnam ſibi vendicantes ſapientiam καθαροφίραντες dicant: damnum, quod lex huic rei tribuit, tantum cadit in N. locum, quia natura ejus talis eſt, & in virum N. locum, quod natura ejus hoc ferat, ſicque verbis eorum pelliciantur quidam ſimpliciores. Ideo ratio earum non eſt manifaſtata, ut utilitatem inde capientes hoc ſcandalum evitemus. Clarum inſuper eſt ex medicina*, omnem carnem raptam, *quæ nobis prohibetur*, corruptionem corporis, edenti illam, gignere, *quia laceratio iſta morbum innuit in beſtia. Ne vero objicias. Quæ ineſſe poterit corruptio beſtiæ repenter raptæ & mactatæ? Nec enim prudenter hanc moves objectionem; Annon noſti ſuum unicuique rei eſſe principium. Quod ſi ergo conceſſeris mihi, progreſſu temporis invenire in ea corruptionem, propterea quod rapta ſit, neceſſario etiam dabis, primo ſtatim momento corruptionis illius fieri initium, etſi tunc exigua adhuc ſit; Hanc vero, parvam licet, noxiam eſſe dubitandum non eſt.* Hactenus ille. Octo vero hujus in beſtiis caſus ſpecies principales Rabbini aſſerunt. Ita enim affecta creditur beſtia, cum fuerit *calcata, perforata, mancâ, ablata, diviſa, diſrupta, caſu ſancia, vulnerata.* Atque ita ejusmodi beſtia eſui cenſebatur inepta. vid. *Maim. & Rab. Lev. in Chinnuth. p.* 34. *Talm. Maſſ. Chal. c.* 3. *cap. ult. Macc. c.* 1. *Bicur. Maim. Hil. Maacol. c.* 4. Repetitur hæc admonitio *Ez.* 44. 31. quando ſacerdotibus comeſtio cadaveris & rapti prohibetur, de quo loco vid. citatos.

4. *De bove petulco ſeu cornupeta.* Bos hic ſynecdochice ſumitur pro omni jumento, beſtiâ, avi, quæ nocent, uti ejusmodi caſus ſuppeditantur & uberius explicantur capitibus ſex primis in Baba Kama. conf. *Maim. Hil Nezke Mam. c.* 81. *Moſes Mikolzki præc. aff.* 67. *Miſna tit. Sanhedr. c.* 1. qui æque cœteras beſtias ac bovem hic inſinuari & lapidari volunt; ratione non abſimili ab eâ, qua animalia cœtera lege Cæſareâ; *ſi quadrupes pauperiem fecerit*, continentur, de quâ Comment. in jus Juſtinianæum. Cum itaque ejusmodi animal hominem interemiſſet, lapidandum erat, *Ex.* 21. 28. non quidem juris ab eo violati nomine, quia illud in bruta non cadit, ſed partim ideo, ne quid, hominis cauſa, denuo ab eo parile fieret, partim, ut Dominus in ſuâ re puniretur, quia negligenter cuſtodiiſſet. *Maimon. More Neboch. p.* 3. *c.* 40. *Quod beſtia occidi debuit quando hominem interficiebat, id non fiebat ad pœnam ab illa exigendam, quemadmodum improperant nobis Sadducæi, ſed ad pœnam à Domino beſtiæ exigendam. Atque inde erat, quod probibebatur ei uſus carnis bovis hujusmodi, ut ſcilicet etiam boum Domini majorem in eis diligentiam adhiberent.* Et *Flav. Joſeph. l.* 4. *Arch. c.* 8. *Labidetur*, inquit, *bos*, μηδ' εἰς τροφὴν εὔχρηστος εἶναι κατη ξιωμένος, *quem nec in alimentum ſumi* (unde ſcilicet in Domini commodum cederet) *æquum exiſtimabatur.* Veruntamen ſi animal hujusmodi occiderit gentilem, juxta forenſem, qui ad Gentiles pertinet, morem, occidendum non erat, ſecundum ſententiam *Moſ. Maim. Hal Nezke Mammon. c.* 10. & *Miſna tit. Baba Kama c.* 4. §. 6. & 7. ſed ſcriptura *l. c. v.* 36. etiam lapidandum dicit. Quando ſervum & ancillam interemiſſet, qui erant mancipia & ſæpe numero proſelyti juſtitiæ ſi non, attamen domicilii. Deinde etiam Moſes determinat v. 35. qua pœna ejus-

ejusmodi cornupetæ Dominus afficiendus eſſet, ſi alterum animal vel læſerit corpore ſuo, ſive pedibus ſuis, ſive momorderit ipſum dentibus ſuis, vel ſi cornibus etiam ſuis eum petierit, quod ſcilicet vendendum ſit animal petulcum & pecunia dividenda cum cadavere, aut ſi Dominus conſcius & admonitus cornupetam non cuſtodiiſſet bovem pro bove dare debeat, atque cadaver retinere. Quæ leges circa beſtias latæ nil aliud intendunt, quàm ut nobis virtutes inculcare debeant, ſicuti præſens nobis ſatisfactionem & reſtitutionem Deo & proximo præſtandam inſinuat. Nec multo abſimilis eſt illa *Ex.* 23. 4. *de inimici* (non tantum Iſraëlitæ, ſed omnis) *aſino* ab oneris preſſura liberando & ſublevando, ubi rationem hujus præcepti hanc volunt eſſe Rabbini, *ut doceat animos noſtros virtutem* manſuetudinis, quæ laude digniſſima eſt, Neque neceſſe fuerit dicere, teneri nos miſereri hominis afflicti in corpore ſuo; etiam & periclitantis de facultatibus, præcepto jubemur miſereri, eumque liberare. vid. *Talm. Maß. Mezia c. 2:* ubi circumſtantiæ & caſus ventilantur & quæritur, quid facto ſit opus, ſi jumentum fuerit gentilis & onus ejus Iſraëlitæ aut vice verſa. Deinde quærunt quæ ratio ejus ſi in Iſraëlitam incidat geminum, alterum amicum, alterum inimicum; & Reſpondent, quod vi præcepti ad ſubigendam pravam cupiditatem major inimici habenda ſit ratio. 3. quousque *τὸ videris* ſe extendat, & dicunt quod longius ſpatium non teneatur deflectere à viâ ad ſublevandam beſtiam, quam ad ſeptimam & dimidiam partem milliaris. Præterea dicunt præceptum eſſe Catholicum absque ullo loci, temporis & ſexus diſcrimine, ac transgreſſorem probare ſuam crudelitatem, quæ turpe eſt vitium, & ſe indignum reddere miſericordiâ Dei. Plur. *Maim. Hil Rozeach c.* 13.

THESIS LX.

ITa etiam apud Hebræos inter alia occurrit lex *de bove triturante non obdurando*, *de commixtione brutorum cum hominibus.* Si nunc hæc omnia & præſertim hæc poſterior lex, quia contra naturam & primam creationem, à Deo fuerunt promulgata, etiam ferri potuit, imo debuit altera de Polygamia, quæ juxta tuam opinionem etiam eſt contra naturam, & primam creationem. Conſtat enim ex Lev. XVIII. 23. & XX. 15. 16. quod beſtiæ, quibus vir aut mulier ad libidinem abuſi fuerunt, ad internecionem uſqne lapidandæ fuerint ſine ullo ætatis diſcrimine, vetula vacca, an juvencula fuerit. Quod diſcrimen tamen Hebræi in hominibus utriusque ſexus obſervandum volebant, adeò ut ſi puer novennium non excederet, nec puella triennium, neque ipſis, neque beſtiæ qualiscunque ætatis ex hac lege mortem infligendam aſſeverent, quod ante iſtam ætatem coitum in lege interdictum fieri non admittant. Enim vero id factum non quod brutum deliquerit, ſed partim, ne illud alium forte ſuo aſpectu ad ſimilem libidinem irritaret, partim ne beſtia ſuperſtes hominis ſupplicio affecti memoriam cum ignominia ſemper refricaret. Uti *Gratianus Cauſ.* 15. *quæſt.* 1. *c.* 4. *Pecora* inquit *credendum eſt juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti*

facti memoriam. Cui addit *Philo Judæus* de ſpecialibus legibus: *ne pariat abominandum aliquid, qualia naſci ſolent ex hujusmodi piaculis deteſtabilibus, quæ nemo honeſtus ferat in ſuis poſſeſſionibus.* Sic Deus Deut. XIII. 15. 16. bruta idololatriæ ſane non capacia interfici jubet, ad repræſentandam delicti atrocitatem. Id prætereà obſervant, quando gentilis apud Hebræos degens cum bruto rem habuiſſet, hominem quidem ſupplicium luiſſe, bruto autem nil mali illatum. vid. *Mornacius ad l. ult. D.* Tam abominabile ſcilicet apud Deum erat ut abuſum brutorum in brutis ipſis puniret. Deus non poterat permittere, ut Bileam aſinam ſuam male tractaret, ſed ipſi aperiebat os ut cum iniquo illo Domino expoſtulare poſſet; multominus ergo conceſſiſſet, & concederet, ut homines per tot mille annos abuterentur brutis & Polygamiæ inter ipſa autores eſſent. Deus *abuſum vini* aliarumque rerum maximopere taxavit, nuſpiam vero per Prophetas ſuos Polygamiam brutalem in Judæis, qui Paſtores erant cum patribus ſuis, reprehendit.

1. *Lex de bove triturante non obdurando.* Lata eſt *Deut.* 25. 4. & repetita atque explicata ab Apoſtolo *Paulo* 1 *Cor.* 9. 9. atque denotat non eſſe fiſcellâ vel fune obſtruendum rictum bovis, qui crebro atque moleſto circùm actu meſſes terit in areâ; & quaſi aliud agendo cum ſingulæ res ſint quaſi hieroglyphicæ notæ laborantis, mercedemque laboris juſtam recipientis, ex intentione Spiritus S. literaliter & hiſtoricè ſignificat, dignum eſſe operarium mercede ſua, id quod oſtendit Apoſtolus, *nunquid boves curæ ſunt Deo,* inquiens, *an hoc propter nos omnino hoc dicit.* Non negari quidem poteſt, quin qui legem hanc ſanxit, geſſerit & boum curam, ſed non præcipue neque tam boum; quàm hominum cauſa hæc ſcribi curavit, ut ſequentia docent. conf. *Danh. Hadas.* 214. *Herman.* 36. Voluit autem per hanc legem Deus ſuo populo juſtitiam, gratitudinem & liberalitatem commendare atque ab avaritia, tenacitate aliisque vitiis dehortari. Juſtum enim & æquum eſt, ut is qui laborat, mercedem ſuam nanſciſcatur, neque id illi detrahatur, quod ad labores exantlandos neceſſarium. Cumque *avaritia* ſit *radix omnis mali,* atque idololatria juxta Apoſtolum, ideo Deus multis legibus cavit, ne illa inter Iſraëlitas vigere poſſit. Neque alia eſt cauſa cur Deus in meſſe colligendâ, in uvis comportandis ſuo populo injunxerit, ut aliquid etiam pauperibus relinquatur, In omnibus ſacrificiis & feſtis pauperum etiam cura adhiberi debebat. Annus Sabbaticus atque Jubilæus ideo inſtituti inter alia, ut depauperati, atque ære alieno obſtricti ad priſtina bona redirent, & in poſſeſſionem avitorum bonorum alienatorum denuo, ceu veri proprietarii, immitterentur. Inſuper Deus etiam ſerio mandavit, ut ſi quis ad incitas eſſet redactus omnes concurrerent ad ſublevandam illius paupertatem & præveniendam ejus mendicitatem. Siquidem Deus noluit ut in populo ſuo oculiſſimo ſit aliquis mendicans, qui oſtiatim colligat panem propter Deum, ſed quilibet aliquid proprium, quo vivat, poſſideat. vid. *Nicol. Serar. de Rabb. l.* 2. *ſcrup.* 38. *&* 39. *Jo. Druſ. Selden. de ſucc. c.* 9. *de jur. Nat. & Gent. l.* 6. *c.* 6. *p.* 734. Hodiè verò inter Marianos ſtudio quærunt paupertatem, omnibus rebus ſe abdicant, & voto paupertatis jurato ſuperſtitioſam illam & ſupererogatoriam mendicitatem, (cujus hiſtoriam erudite contexuit *Chemn. in LL. Theol. de pauper.*) dedita opera eligunt. Et profecto fallunt & falluntur, qui præiviſſe exemplo ſuo Salvatorem & oſtiatim mendicaſſe contendunt. Peculiare verò hic habent *fratres Minores,* quippe qui bonorum omnium poſſeſſionem & proprietatem tùm communi-

niter, tum ſingulariter abdicant, cum in aliis ordinibus nonniſi ſinguli dominio, quod interim toti ſodalitio ſervatur integrum, renuntiare ſoleant. Quæ res tantas in Eccleſia turbas dedit, ut non inter ſe tantum ſummi colliderentur Pontifices, *Nicolaus* ſcilicet 3. & *Johannes* 22. dum planè adverſas ediderunt decretales, ſed plurimi etiam, inter fratres Minores, quod ſententiæ ſuæ tenaciores eſſent, comburerentur. Cum enim urgerentur Minores, quod nemo, qui ſe vivum velit, uſum rerum ſuſtentandæ vitæ neceſſariarum abdicare poſſit, harum autem pleræque & maximè neceſſariæ ipſo uſu conſummantur, & propterea ſine dominio & jure proprietatis ad uſum licitè transferri nequeant, & hinc concluderetur, aut omni uſu ſegregato moriendum eſſe, aut res ad uſum illicitè & injuſtè adhibendas, nempe quarum utendarum nullum jus ſit, aut denique regulam violari oportere, *expropriationem* igitur illam laqueum conſcientiis injicere, & proinde *illicitam, inobſervabilem & diſcriminoſam eſſe*; Illi verò uſum rerum neceſſariarum à jure utendi & huic connexa proprietate & dominio ſeparabilem conſtituebant: judicem ſe interpoſuit *Nicolaus* 3. & pro fratribus Minoribus pronuntiavit *c. exiit, qui ſeminat* 3. *de V. S. in* 6. At contra Johannes 22. ſimplicem uſum facti in rebus uſu conſumtibilibus ſc. ad victum neceſſariis à proprietate & dominio ſeparari poſſe negat, *Extrav.* 4 *&* 5. & ſententiam Nicolai atque fratrum Minorum erroneam & hæreticam declarat. Cumque nihilominus pertinaciter ſententiam tuerentur Minores, & Generalis eorum Michaël Cæſenas generale capitulum celebraſſet Peruſii, ibique ex conſenſu omnium declarationem promulgaſſet, quam refert *Alvarus Pelagius de planct. Eccl. l.* 2. *c.* 62. non dejectus tantum fuit ille Generalis, ſed plurimi etiam inter Minoritas combuſti. vid. *Abrah. Bzov. ad A.* 13. 23. *n.* 13. *A.* 1337. *n.* 3. *A.* 1354. *n.* 18. Sanè quomodocunque ſuam illam *expropriationem* pallient *Minoritæ*, proprietatem tamen rerum ad victum neceſſariarum abdicare phyſice & moraliter impoſſibile. Verus enim & proprius panis vinique uſus eſſentialiter poſitus eſt in deſtructione ſubſtantiæ, exemtione eorum à cujusvis alterius poteſtate, & uſu atque translatione in ſuum unius uſum; alterius namque ſi fuerit, injuſte in ſuum uſum transfertur. At qui talem verum & proprium uſum habet atque exercet, is neceſſario habet jus dominii & proprietatis in panem & vinum. Quia jus conſumendi non poteſt conſiſtere ſine jure dominii & proprietatis in ejus rei ſubſtantiam; quemadmodum enim mutuum ſine translatione in alterius dominium perfici nequit, cum principalis finis mutui hic ſit, ut uti mihi liceat pecuniâ mutuo datâ. Cum igitur non Minores tantum, ſed omnes in univerſum ordines etiam illi, qui dominium in communi non refugiunt, ſed ſingulariter tamen proprietates rerum ejurant, in iis, quæ ad victum neceſſaria ſunt, nullum ſine proprietate uſum habere queant, nulla prorſus eſt, quam ambitioſe & multo cum ſupercilio magnaque merito jactant, bonorum abdicatio. Nec profecto eſt, quod de paupertate ſuâ multum glorientur Monachi. Ita enim Zoſymus *l.* 5. *hiſt. Illi*, inquit, *legitimis nuptiis abſtinent, & populoſa collegia implent hominibus innuptis, & dum paupertatis votum præferunt, & pauperibus omnia erogare videri volunt cunctos propemodum ad inopiam redegêre.* Quanquam vero Monachi nil proprii poſſideant, *Concilium Tridentinum* tamen *ſeſſ.* 25. *c.* 3. de quo vid. *Petr. Suav. hiſt. l.* 8 *p.* 894. & *Philipp. Decius conſ.* 530. *n.* 17. aſſerunt, poſſe Pontificem proprium quid permittere Monacho ex cauſa, diſpenſando ſaltem ex plenitudine poteſtatis. conf. *Jacob. Menoch. de arbitr Jud. quæſt. c.* 504. *n.* 13. Cœterum Oudines Mendicantium propriè quatuor ſunt, vid. Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, quibus per ſpecialia privilegia annumerantur adhuc alii; de quibus *Auguſt. Barboſ. de Jur. Eccl. l.* 1. *c.* 41. *n.* 208. Quos autem orbi Chriſtiano illi creent moleſtias, vid. querelam civitatum in Comitiis Spirenſibus apud *Sleidan. l.* 6. Eleganter eos deſcribit *Polyd. Virg. de Iuvent. Rer. l.* 7. *Porro*, inquit, *hodiè viget omnis generis fraudulentorum hominum facta, qui ſimul induſtria, ſimul laboris fugientes, quo plus ſanctitatis præ ſe ferunt, hoc intrinſecus diſſolutiores ipſos*

Dei ſacerdotes naviter æmulantur. Quippe qui per inſidioſam pietatem, tanquam Divorum omnium miniſtratores, dolis apprimè inſtructi, hic pro templi ædificatione, alter pro veſtimentis coëmendis, alii pro alendis pauperibus, alius pro redemptione captivorum, nonnulli pro educandis expoſititiis, circumeuntes caſtella, pagos, villas, urbes ab hoc credulo ruſtico blandulè poſcunt, & cupidiſſimè accipiunt bovem, lanam, agnum, hædum, ab illo gallinam & ova, ab alio porcellum vel pernas, ab alio caſeum & linum, ab alio ſuperſtitioſe attonito tritici ſextarium, aut cadum vini, vel olei lecythum. Ad hæc aut ſanctorum reliquias, vel Apoſtolicas tabellas, ſeu quorundam Antiſtitum chirographa vetuſtate aſſiduoque uſu paſſim obliterata è pyxide depromunt, illaque magna cum veneratione offerentibus oſculanda porrigunt, porrigentes pro datis munuſculis vitam cunctis cæleſtem. Sic ejusmodi ruſticanis donis onuſti prædam vendunt, in argenti laminam conflant, atque mox domum redeunt gaudentes, quod ſimplicia ruſticæ plebis corda, ac pias mulicrcularum mentes illuſerint gnaviter. Hactenus ille de Mendicanthus. Qui aliàs proprie Monachi non ſunt, eò quòd aſſidue inter homines verſantur, cum tamen Monachi nomen proprie competat illis, qui vitæ contemplativæ dediti ſunt. *Valenſ. h. t.* §. 1. *n.* 3.

2. *De Commixtione brutorum cum hominibus.* Vocatur aliàs *Beſtialitas* graviſſimum ſcelus, & eſt congreſſus, cum non ſervatur identitas ſpeciei, v. g. ſi homo coëat cum beſtia, ſive ejusdem ſexus ſit, ſive non. Neque opus eſt explicare, qualis, ſive cujus ſpeciei fuerit, quia eſt differentia tantum materialis, & in genere entis, non autem formalis, & in genere moris. *Eſcob. E.* 2. *c.* 6. & *Fill. t.* 2. *tr.* 30. *c.* 7. *n.* 131. Deus ſeveriſſime hoc crimen puniri voluit: *Lev.* 20. 15. 16. & 18. 23. & non minus beſtiam quàm hominem ſive maſculum ſive fœminam è medio tollendam dictitavit; Per beſtiam vero omnes indiſcriminatim intelligunt, ſive feræ fuerint, ſive cicures, etiam aves. Quemadmodum & in jure Cæſareo, ex *lege, ſi quadrupes pauperiem fecerit*, actio utilis competit, etiamſi non quadrupes, ſed aliud animal id fecerit. *L.* 4. *ff. ſi quadrupes pauperiem.* Cum vero nefando ſcelere commiſſo, non perſonæ ſolum ipſæ, quæ reæ ſunt, ex lege interdum aliàs puniantur, verum res etiam inanimatæ in loco ſceleris commiſſi repertæ ex eadem lege ſunt igne comburendæ cum brutis ſimul, quod tamen in horum pœnam fieri dici non poteſt, (cum juris violatio, unde pœna ſequitur, in illis fingi non poteſt) ſic in exemplo hoc de beſtiâ, quâ cum concubuerit homo, occidendâ etiam aſſerendum, in illam beſtiam neque jus, neque juris obligationem cadere, & tamen merito ob certas quasdam cauſas puniri. Nempe quemadmodum urbis apoſtaſiæ reæ, non incolæ duntaxat, ut pote Apoſtatæ, gladio erant ob ſcelus admiſſum plectendi, ſed etiam jumenta ac pecora *Deut.* 13. 15. 16. gladio itidem tollenda & bona cœtera comburenda, uti pariter Chananæorum ſculptilia, & luci Diis Gentium dicati, idque non ob culpam ab jumentis aut pecoribus, nedum à bonis ſculptilibus & lucis admiſſam, ſed ut ab Apoſtaſia, etiam bonorum amore, poſteritatis gratia, ducti magis deterrerentur aliarum urbium cives, ſcelerisque cum memoria, cum novandi ejus, quantum fieri poteſt, anſa demeretur, ſic etiam beſtiam ex lege jam allata è medio tollendam volunt, tum ratione exitii, (*Gemar. Babyl. tit. Sanh. c.* 7. *f.* 55. *a.*) in quod per ea incurreret forſitan homo, cum ea concumbens (nempe *ne conſpecta alium quempiam in nefandam libidinem forſitan irritaret*) tum ratione ignominiæ, quæ hominis, poſtquam pœnas luerat, nomini, quoties ante oculos illam haberet vulgus, neceſſario recrudeſceret. Uti utramque hanc rationem adducit *Miſna tit. Sanhedr. c.* 7. conf. & *Peſichtha Zoleitha fol.* 26. *c.* 2. vid. & *Gloſſ. Jarch. ad Lev.* 20. 15. & *Baal Ara. in* חקל. Et quia homo hac in parte ſuperat malitia ſua bruta animalia, cum teſte Platone in Politico aſinorum & equorum tantum promiſcua ſit commixtio, reliqua vero animalia ſine aliena commixtione ex propria procreent ſpecie; Recte igitur Imperator. Conſtantius & Conſtans jubent inſurgere leges & armari jura gladio ultore ut ejusmodi ſcelera exquiſite puniantur. Ex quibus ſatis conſpici licet, quantopere Deo curæ fuerit, ne homines brutis abuterentur,

Tt 2 quem-

quemadmodum & aliam legem *Lev.* 19. 19. tulit de non permittendo heterogeneis animalium ſpeciebus congreſſu, ut omnia primo creatoris ordini, quo perfectioni creaturæ conſultum voluit, reſpondeant &, ut R. Levi explicat, *mandatum illud obſervetur, quo unicuique ſpeciei præcepit, ut fructum ſuum edat ſecundum ſpeciem ſuam Gen.* 1. *neque commiſceantur ſpecies, ne perfectio earum deficiat, ſuper quibus proinde benedictioni ſuæ non præcepit.* Volunt autem Thalmudiſtæ, non præciſe beſtiam tantum hoc interdicto contineri, ſed etiam feram & volucrem, & qui heterogeneas has commiſcet, vapulare; neque Judæis licere, ut per Gentiles hanc legem violent, nihilominus tamen fœtum heterogeneorum nec uſu nec eſu interdictum, dicunt, ſi ex beſtiis fuerint mundis. vid. plura in *Thalm. Maſſ. Kilaim. Maim. Hil. Kil. c.* 8.

5. *Abuſum vini.* Maxime Deus taxavit per Salomonem, Eſaiam, Jeremiam, Syracidem. Imprimis verò notanda illa lex ſacerdotibus *Lev.* 10. 9. lata: *Vinum & ſiceram non bibes, tu & filii tui tecum, cum intraturi eſtis tabernaculum conventus, & non moriemini.* Cujus præcepti ratio facilè dari poteſt. Quia enim non convenit res tractare pretioſiſſimas, cujusmodi ſunt res ſanctuarii & negotia Legis, niſi eo tempore, quo homo eſt compoſita mente, & recte diſpoſitus in omnibus ſuis operibus, ſacerdos omnis ſi vinum biberit, prohibebatur ab altari, & obeundo cultu legitimo; ſi vero nihilominus ingreſſus ſacra fecerit, cultus ejus cenſebatur profanus, ipſe autem fiebat reus mortis θεηλάτῳ. Quin etiam *omnem Iſraëlitam* arcebant ab ingreſſu ſanctuarii, *ſi fuerit potus vel ebrius* vel *ſi biberit quartam partem Logi quæ continet ovum cum dimidio* (Eſt verò Lag ſextarius, menſura reliquorum, vigeſima quarta pars Seæ, ſive ſati, ſex ova continens. *Kimchi libr. Rad*) *ſi illud biberit unâ vice. Quod ſi ſacerdos plus biberit, quàm quartam partem vini, etſi mixtum illud fuerit, & per interſtitium paulatim biberit, ipſe mortis reus eſt, cultus verò ejus illegitimus.* Sed ſi linutes & menſuram præſcriptam non tranſilierit, cultui ejus nil decedit. Nam ſi biberit quartam partem tantilla permixtam aqua, *aut dormiverit nonnihil, aut iter unius quaſi milliaris fecerit, adeoque vinum tranſierit, miniſtrare ipſi licet.* Quid ſi verò inebriatus fuerit *alio potu inebriante, non licet ei ingredi ſanctuarium. Si tamen ingreſſus fuerit cultumque adminiſtraverit ebrius ex reliquis inebriantibus, imo etiam ex lacte aut palathâ, plagas accipit, ſalvo tamen cultu ejus, quia non in mortis reatum incurritur, niſi propter vinum tempore miniſterii, nec irritus redditur cultus niſi ab eo, qui vino eſt inebriatus.* vid. *Maimon. Hill. biat. Kammik. d. c.* 3. *Quemadmodum autem,* inquit, R. Levi, *interdictum eſt ſacerdoti ingredi ſanctuarium propter ebrietatem, ita unusquisque, ſive ſacerdos fuerit, ſive Iſraëlita probibetur docere cum potus fuerit, etiam ex potu mellis dactilorum,* (Arabes vocant vinum dactylorum) *aut lactis, & turbata fuerit mens ejus, ne doceat, juxta monitum Paraſchæ.* Vinum & potum inebriantem ne bibat. Interim *docere* ſeu ſententiam pronuntiare, *de re in lege ità clarè traditâ, ut ne à Sadducæis quidem in dubium vocetur,* licet. Permittunt etiam ebrio *legere in lege*: imò etiam *in Hilkath & Medraſchoth, non tamen eo fine ut demonſtrationes faciat;* Ordinario Doctori nequidem diſcipulos inſtituere licet, quia inſtitutio demonſtrationi reſpondet. Et quidem *hoc interdictum ingreſſûs in ſanctuarium ob ebrietatem obtinuit, ſtante templo in utroque ſexu. Probibitio verò demonſtrationis obſtringit omni loco & tempore maſculos & fœminam, ſi quæ ſit faciendis demonſtrationibus apta, ſapientem. Omnis autem præclarè ſapiens, cujus demonſtrationibus alii innituntur, probibetur docere ſuos diſcipulos, ſi potus ſit, quia talis inſtitutio demonſtrationi ſimilis eſt. Qui vero violato hoc præcepto vino madidus progreſſus fuerit, inde ab atrio ad altare, & ulterius, reus eſt flagellationis; Si cultum adminiſtrarit, mortem meretur* θεήλατῳ: *Si poſtquam de cæteris inebriantibus biberit, ſacra peragat, in plagarum tantum pœnam incurrit, mortis non item. Qui autem docuerit, aut demonſtrationes fecerit potus ex quocunque potu, tàm vino, quàm reliquis inebriantibus, ſive ſacerdos fuerit ſive fuerit Iſraëlita, transgreditur negativum.* Conf. *Maim. Hil. Bial. Mikd. c.* 1. סמג *N.* 300. 301. 302.

Theſis LXI.

NEmo vero hic exiſtimet, nos male facere, quod *bruta cum hominibus comparemus.* Nulli enim dubitamus, quin omnibus notum ſit quod ratione animæ vegetativæ & ſenſitivæ in pluribus conveniamus. Neque tamen huc deſcendimus, ſed aliis prægnantioribus rationibus ſententiam noſtram ſtabilimus. Non enim ignoramus *jus homini cum brutis commune nullum eſſe*, quippe cum jus in eum cadere, à quo ratio exulat, intelligi nequeat. Quod enim communem JCtorum Romanorum definitionem juris Naturæ, quod ſcilicet *natura omnia animalia docuit*, quodque adeo homini peculiare non ſit, ſed cujus peritia, cœtera quoque animantia cenſeantur, concernit, videtur id profluxiſſe ex dogmate illo nonnullis antiquorum celebrato de *andma univerſi*, cujus reliquæ animæ ſint quædam ἀποσπασμάτια ſeu particulæ, quæ in ſe ejusdem naturæ, diverſas edant operationes, prout in diverſum corpus inciderint, organaque vires ſuas exerendi ſortitæ fuerint. Cui cognatum fuit dogma de μεθεμψυχώσει, quod homines & bruta figura duntaxat corporeâ differre ponebat, ſed animas habere ſimiles, atque invicem communicare. *vid. Virgil. Æneid. 6. v. 124. Ovid. Metamorph. l. 15. v. 75.* Tantum verò abeſt, ut *nullum brutis atque hominibus, commune jus* ſtatuamus, ut nec ulla quidem eſſe cenſeamus, in quæ bruta & homines æqualiter ferri, & à quibus communiter abhorrere deprehendentur. Et quanquam complures dentur actus hominum & brutorum inter ſe ſimiles, quibus exercitis homo legi ſatis feciſſe dicatur, revera tamen magnum inter eos eſt diſcrimen, quod ex ſimplici naturæ inclinatione apud bruta iidem proveniant, quos homo velut ex obligatione exercet, cujus ſenſum iſta non habent. Unde non ſine figurâ intelligendi ſunt, qui brutis quibusdam animantibus juſtitiam, fortitudinem, miſericordiam, caſtitatem, gratitudinem aſſignant, ideo quòd iſtarum virtutum ſimulacra quandoque in quibusdam brutorum actionibus cernantur. Nihil jam dicam de illis, qui brutis plus rationis ferè ineſſe, aut illa melius ratione uti quàm homines putant, ut *Rorarius* integro ſcripto probare conatur. Conf. etiam Anton. de Balinghen ζωοπαιδία ſeu inſtitutionem morum à brutis petitam. Quæ enim extrinſecâ facie ſimilia videntur, haut quidquam eadem ſunt, ſi ex diverſo intrinſecus principio profluxerint. Quod egregie *Plutarchus* de amore prolis illuſtrat: *Natura ſicut in plantis ſylveſtribus, ut labruſcis caprificis, oleaſtris principia fructuum mitium cruda & imperfecta gignit. Ita* brutis quoque amorem fœtus *inſerit imperfectum, & non pertinentem ad juſtitiam neque ultra utilitatem*

ſeſe proferentem. Homini vero quem protulit, ut animal eſſet ratione præditum & civile, juſtitiamque & leges & Deum coleret, urbesque conderet, & amicè cum aliis viveret, ſemina quoque harum rerum præclara, pulchra & fœcunda inſeruit, amorem ſcilicet prolis ſecuta in hoc prima principia, quæ in ipſa corporis inſunt conſtructione. vid. Selden. de Jur. Nat. & Gent. l. 1. c. 5. Sam. Puf. l. 2. c. 3. de Jur. Nat. Quicquid verò ejus ſit, noſtræ ſententiæ nil præjudicat, dum aſſerimus, quod Polygamia brutalis æque ac humana in prima creatione, quod tuum præcipuum eſt argumentum, non fuerit, nec tamen poſtea à paſtoribus introducta à Deo fuerit vel verbis vel factis punita. Unde ita infero:

Quodcunque poſt & præter primam creationem introductum ab omni reprehenſione divina fuit liberum, illud Deo placuit & placet. Deus eſt immutabilis.

Atqui Polygamia brutalis poſt & præter primam creationem introducta à Paſtoribus, ab omni improbatione fuit libera. E. Deo placuit & non fuit peccatum. Et ulterius: *Quicunque habet majorem complacentiam in hominibus quàm in brutis, ille majorem complacentiam etiam habebit in propagatione eorundem poſſibili ſeu Polygamia.*

Atqui Deus majorem complacentiam habet in hominibus, quam in brutis.

Ergo etiam majorem habebit complacentiam in hominum propagatione poſſibili ſeu Polygamia. Cœteris paribus ſcilicet, ſi nullibi ſuam diſplicentiam hac in re conteſtatus fuerit, quod nuſpiam apparere hactenus ſatis probatum eſt.

3. *Bruta cum hominibus comparemus.* Miros triumphos ſibi hic concipiunt Anti-Polygami quidam, & præſertim *Autor perverſi Colloquii*, quando de Gallis aliisque beſtiis nonnulla proferunt, quæ in hominibus non reperiantur, quod non negamus. Dicunt autem, Gallos non inſtinctu naturæ ſenſitivæ, ſed humana permiſſione pluribus miſceri. Sed unde hoc probatur? Gallos quidem & Gallinas non invenimus in ſylvis & deſertis, ſed plerumque ſemper in hominum domibus, & tuguriolis, ubi cum matres familias animadverterint, Gallinam nullos educare puellos, ſi gallus non habeat plures fœmellas, ſed ſemper à Gallo turbari in fovendis ovis, quod & videre eſt, in aliis *aviculis*, quæ ex *Canariis* advehuntur inſulis, & inde nomen ſortitæ, quod maſculus, ſi tantum habeat unam fœmellam, non permittat eam requieſcere in ovis, ſed ſemper moleſtias, utut ab amore profectas, faceſſat ita ut fœmella ſæpius calorem ovis ſuppeditatum, ob iſtas turbationes interrumpens nullam aut tantum unam aviculam, ob laſciviam maris educet, (quod perverſus Dialogiſta ipſe de hœdis & arietibus quoque affirmat.) Si vero maſculus, ſenio præſertim non emaciatus duas aut tres habeat fœmellas, omnes facilius matres erunt plurium volucrium Quod vero Anti-Polygamus dicit, Gallos nullam pullorum habere curam, ſed illos potius odio habere (unde ſecundum leges Romanas Gallus juxta cum aliis animalibus, quæ ſuæ familiæ non parcant, in ſacco coriaceo Parricidis & infanticidiis adjungantur. *Scholiaſt. Germ. ad Jus Sax. Provinc. l. 2. c. 14.* hoc experientiæ eſt contrarium, ſiquidem vel ruſticorum mulierculæ norunt Gallos cum grana & alia inveniunt, advocare gallinam & hanc advocare pullos ſuos, adeoque mediante matre, cujus officii eſt pullis cibum ſubminiſtrare, fœtus ſuſtentare ſuos. Non negamus etiam, Gallos, cum pulli exorbitant, illos nonnunquam corripere & caſtigare, ſed hoc odii loco non eſt habendum. Natura enim omnibus implantavit ani-

animalibus, ut velint obſervari & timeri quaſi à ſuis fœtibus, in quos tot beneficia conferunt.

2. *Jus naturæ, quod natura omnia animalia docuit.* Ita dixere Juriſconſulti tàm Orientalis (*Baſilic. l. 2. Harmenop. Proch. l. 1. tit. 1.*) quam Occidentalis (*l. 1. ff. de Iuſt. & Jur. & Inſtit. de Jur. N.*) Imperii, atque *jus iſtud naturale non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſſe voluerunt.* Unde etiam habent illud: *hinc deſcendit Maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio Videmus enim cætera quoque animantia, feras etiam iſtius juris peritia cenſeri.* Accedunt quæ in ſui tutelam bruta faciunt, atque in poſterorum conſervationem, Apum item Reſp. Columbarum conjugia. Hæc ſcilicet dum ſimilitudinem quandam rei, quam pro jure normaque vivendi accipiunt homines, i. e. *μιμήματα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς. vitæ humanæ imitamenta* ut habet *Ariſtoteles l. 9. Hiſt. Anim. c. 7.* ſeu *virtutum ſimulacra*, ut *Cic. l. 2. 15. fin.* vocat, exhibent, etiam & juris adeoque hominum, cœterorumque ſimul animalium communis, ac naturâ in ipſis brutis pariter ſubnixi nomen ſubinde induunt. Verum enim vero ſi accurate rem penſitamus, non poſſumus non animadvertere, jura hominibus ita eſſe propria, ut nec eorum atque brutorum ullatenus ſint communia, nec bruta juris proprie dicti aut obſervatione omnino teneri, aut permiſſione laxari ut ſupra *th. 11. ſ. 2.* diximus.

2. *De mundi animâ. Pythagoras* ſtatuit animam univerſi, & hauſit vel ex *Thalete*, (ſicut etiam fere omnes de ſcholâ Jonica hujus fuere opinionis) vel à *Chaldæis*, à quibus mânaſſe *Philo περὶ ἀποικίας* oſtendit. vel ab *Orpheo*, cujus imitator fuiſſe fertur, Ariſtoteli etiam hæc ſententia attribuitur. vid. *Chythr. de diſc. de Vacuo. c. 1. §. 6. 7.* an mundus habeat unam numero formam ſubſtantialem recte negat *Voët. Diſp. Sel. l. 857.* Spiritum noſtrum eſſe ex mundi animâ, ex quo generali ſpiritu omnia corpora ſuo modo participent, aſſerit *Comenius*: vid. *Voet. l. 814. 851. prol. 586. Jonſton. Thaum. Sperling. diſp. integra in Exerc. contra Scal.* Quando Gentiles dixere *Deum eſſe animam mundi*, de divinâ virtute & omnipræſente providentiâ intellexêre, ſcil. non proprie ſed *metaphorice*; non formaliter ſed *effectivè. Steph. Kloz. Theol. Nat. 624. 788. 249. 410.* Stoici etiam hoc affirmarunt. vid *Lipſ. Phyſ. Stoic. Danh. Dram. p. 24. 25. Petrus Abailardus* ſtatuit *Spiritum S. eſſe animam mundi* (ex *Gen. 1.* merachebith. incubabat aquis) vid. *Klaz. p. 387. 388. Voet. l. c. 855.*

3. *De μετεμψυχώσει.* Hanc Pythagoræi & Phariſæi ſtatuebant. vid. *Valent. t. 1. d. 6. q. 2. p. 2. Polan. l. 5. c. 32. Sigfrid. diſc. de an. l. 2. §. 16. Danh. Pſychol. p. 25. Zanchius p. 3. l. 2. c. 2. Alſt. Phyſ. 333. Voet. Sel. Diſp. l. p. 825. 363. 761. & ibi cit.*

4. *Ullum brutis ac hominibus commune jus ſtatuamus.* Cum Deus Optimus Maximus *Gen. 9. 5.* dicit ſe *ſanguinem humanum à beſtiis requiſiturum*, interdictum homicidii, adeoque pœna & obligatio ad cœtera animalia etiam ſpectare videtur. Antiqua interpretatio eſt, denotari verbis illis cœdem humanam à bruto ex hominis inſtinctu factam, Vindictam ſcilicet Numen ſumturum non tantum de cœde humana ab homine ipſo manu, jactu, telo patranda, ſed etiam de eâ, quæ à beſtiâ, homine inſtigante, fit. Sic enim ajunt in *Bereſchith. Rabb. paraſch. 34. fol. 38. col. 2. Maimon. halach. Rozach c. 2. Moſes Mikozi. Præc. Neg. 163.* à manu cuncti animalis, cum indicat, *qui alium animali alicui tradit, ut ab eo occidatur.* vid. & *Joſeph. Arch. l. 1. c. 4.* Neque aliud innuit illa *Salom. Jarchi.* Gloſſa ad *Gen. 9. 5. Id quod legitur à manu omnis beſtiæ* (ſeu ab omni beſtiâ ſanguinem hominis requiram) *ideo adjicitur, quia apud homines, qui ante diluvium vixere, per impietatem mos invaluerat beſtias nocentiſſimas nutriendi, ut ſcilicet earum auxilio commodius dominarentur.* Nimirum in non obtemperantium cœdem, nullâ juſtitiæ ratione habita, eas irritatas vult, unde ſubjungit: *eam ob cauſam neceſſarium erat, ut de animalibus* in hunc uſum enutritis *monerentur.* Nonnulli de pœnâ homicidio cœlitus infligenda capiunt, quod Deus, ſi homines ſuperſtites non velint, judicium ſumere de homicidâ, excitaturus ſit beſtias, quas in

in ſceleſtum illum immittit. Ita *Abarben. in Piruſch. thora f.* 46. *col.* 3. conf. *Moſ. Nachmanidem in Gen.* 9. 5. *&* *Seb. Munſt. ac Paul. Fagum Comment. ad h. l.* Codex Samaritanus vertit : *à manu cuncti viventis* (i. e. hominis *Gen.* 3. 20. non beſtiæ.) *requiram ſanguinem.* conf. *Gen.* 8. 21. *Pſalm.* 145. 16. Non defuere qui de 4 imperiis in Daniele per beſtias deſignatis, locum caperent. *Bereſchith. Rabb. par.* 34. *f.* 38. Perinde ac ſi numen ibi vindictam cœdibus etiam ab Imperatoribus per tyrannidem poſtmodum patrandis tum minitaretur. Alii Hebræorum (vid. *Bened. Perer. l.* 14. *in Gen. c.* 9. *& ibid. Mercerum. Abarben. l. c. & R. Becchai in Bereſchith. f.* 20. *col.* 3.) de vindinctâ ſeu vindictæ ſpecie etiam ab ipſa beſtia hominem occidente, nunc in foro ſumendâ nunc cœlitus infligenda locum capiunt. Nullus tamen inter omnes hos invenietur, qui obligationem ad bruta pertinere aut jus ab iis violatum velint.

5. *Qui brutis juſtitiam, gratitudinem, caſtitatem. D. Ambroſius Hex. l.* 5. *c.* 3. aſinorum & equarum coitus *adulterina conjugia* & *vera adulteria naturæ*, & *adulterium jumentale* appellat. Atque ad hominem, cujus curâ hæc, ut ait ille, perpetrantur; *ipſe* inquit, *genera aliena confundis, diverſaque miſces ſemina, atque ad vetitos coitus plerumque cogis invitos, & hoc induſtriam vocas. Hoſpitalia* item *avium jura, ib. c.* 16. memorat, quæ ex iis homines vult diſcere. Et, *aves*, inquit, non ſcripta, ſed nata lex ſtringit. Namque homonymicè & per ſimilitudinem brutorum propenſiones & actus naturæ plerumque conſtantes *leges & jura* vocantur, neque enim revera ſunt magis atque arborum, atque fruticum aliorumque corporum naturalium actiones ac motus naturales. Tantundem ſanè voluit *Ariſtophanes in avibus.* ubi lepide *πολλοὺς ὀρνίθων νόμους* *multas eſse avium leges* ait, etiam & ipſas ciconiarum *κύρβεις* ſeu *legum tabulas* feſtivè memorat. Quin & ad hunc modum *legis* etiam uſurpatur nomen in illo *Senecæ Quæſt. Nat. l.* 3. *c.* 29. *legem barbæ & canorum nondum natus infans habet.* Sic capienda etiam ſunt illa, quæ *Ambroſ. l.* 5. *c.* 17. 18. *&c. Hexaem. & l.* 6. *c.* 4. de Ciconiis, hirundinibus, cornicibus, turturibus, apibus, animalibusque aliis è quorum uſu & exemplo formari ac reformari vult hominum mores. Quin & *Hieron. in Epiſt. ad Eph. ad c.* 5. *l.* 3. *Quod in animalibus & beſtiis ipſo naturæ jure præſcriptum eſt, ut prægnantes ad partum uſque non coëant, hoc in hominibus ſciant arbitrio derelictum, ut merces eſſet ea abſtinentiâ voluptatum.* Ex jure illo igitur aliorum animantium abſtinentia illa hominibus inſinuatur. Camelos porro matrum coitum fugere ſcribit *Ariſt. Hiſt. anim. l.* 9. *c.* 47. *Avic. de nat. an. l.* 9 *ſermone de moribus animalium.* adeo ut etiam *Camelus* qui cum matre à curatore gregis, ne eam agnoſceret, operta coiviſſet, ac delapſo operimento eam tandem agnoviſſet, memor commiſſi ſceleris paulo poſt Camelairum illum morſu defixo interemerit. Quale item de equo narrat *Varro de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 7. *& Ariſt. l. c.* de Regis Scytharum equo qui ejuſmodi arte ad matris coitum admiſſus, ſimul ac eam viderat, in præcipitium fugiens ſe dederit. Quin *Ælianus de Anim. l.* 4. *c.* 8. expreſſe; *utrique*, inquit, *præcipites ſeſe agentes τὸ ἀσέβημα διέλυσαν τῷ θανάτῳ morte flagitium ſeu ſcelus diſſolvebant.* Et *Plin l.* 8. *c.* 42. *Equa eâdem ex cauſa in Reatino agro laceratum perorigam invenimus. Namque & cognationum intellectus in illis eſt, Itaque in grege prioris anni ſorore libentius, quàm matre equa comitatur.* Huc ſpectat illud ejusdem *l.* 8. *c.* 16. *Odore pardi coitum ſentit in adulterâ leo, totaque vi conſurgit in pœnam.* & Theſeus apud *Sen. in Hyp. a.* 3. de Hyppolyto filio inceſtus in Phædra noverca, ut falſo credebat, reo.

O tetrum genus
Nullaque victum lege melioris ſoli.
Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas.

Accedit huc quod ſcribit *Plinius l.* 29. *hiſt. an. c.* 4. *Eâdem de cauſa* ſupplicia *annua canes pendunt inter ædem juventutis & Summani* vivi in furcas *ſambuccâ arbore fixi.* habito interim anſeribus obſervabam arcem præ canibus honore in iisdem ſolemnib. annuo; quod & memorant *Plut. l. de fort. Rom. Auguſt. de Civ. D. l.* 2. *c.* 22. *Ambroſ. hexaëm. l.* 5. *c.* 13. *Guilielmus* item *Alvernus* Pariſienſis Epi-

Epiſcopus *p.* 1. *de Univ. part.* 3. *c.* 8. de Belluarum, ut ipſe vocat, juſtitiâ & juribus; *Diligentem*, inquit, *conſiderationem faciens per ſingula invenies, nihil vacare à creatoris juſtitiâ: quando & ipſas belluas & penè omnia genera animalium invenies quandam exercere juſtitiam, & jura ſua defendere. Attende qualiter urſa rapinam vel necem catulorum ſuorum vindicet. Similiter & leo, qualiter pro uxoribus, proindis, pro eſcis, & pro pullis ſeu fœtibus ſuis pugnet, quantâ juſtitiâ labores ſuos maſculi & fœminæ invicem patiantur, ut fœminâ remanente in nido vel ſpelunca, maſculus ad perquirendum cibum & reportandum fœminæ ſuæ & fœtibus regrediatur. Tempore etiam vero ciconia tanquam de adulterio convicta per olfactum maſculi ſui congregata multitudine ciconiarum, neſcio qualiter accuſante maſculo vel detegente ejus crimen, à totâ illa multitudine deplumata atque dilacerata eſt; tanquam concilio aut judicio omnium eſſet adulterii judicata. Narratur de equo, qui ignoranter cum matre ſuâ concubuerat, poſtquam hoc deprehendit, propriis dentibus ſibi genitalia abſcidiſſe, tanquam in ſeipſum vindicans inceſtum quem commiſiſſe ſibi videbatur, licet ignorans, quod operimento abſcondita fuiſſet mater ejus, dum eam aſcendebat.* Piſces item aliquos, aves, & quadrupedes nonnullos adulteria fugere notatum eſt: v. *Jod. Damhouder. Prax. Crim.* c. 91. § 101. & *Vincent. Turturet. in Parall. Eth. & Jurid. diſſ.* 34. Quin palumbium cœtum, velut judicio ſolenni, morte punire ſui generis adulteros ſcribit *Philo c.* 19. Elephantorum it. odium & vindictam in adulteria hominum, perinde ac juris officio ſubniterentur legimus apud *Ælian. de Anim. l.* 2. *c.* 15. *Juſtitia* etiam eorum celebratur in Exemplis *Elephantorum*, qui pabulum ad equos, velut ex debito, parilisque cum eo, quod ipſi ante ab illis eripuerant, menſuræ reportaſſe dicti. *Gillius* ap. *Ulyſſ. Aldrov. de quadrup. l.* 1. conf. & *Lipſii Epiſtolas duas eruditiſſimas de Elephantis & Canibus*, ubi ſtupenda invenies. Hinc *Ariſt. hiſt. An. l.* 1. *c.* 1. *animalia* quædam *Politica* ſeu *civilia*, & *eſſe* ὑφ' ἡγέμονα *ſub Duce* ſeu *Rege*. ut Grues, Apes; de quibus multa *Virgil. Georg.* 4. Sic nota eſt lex 12 Tabularum & juris Cæſærei, *ſi quadrupes pauperiem fecerit:* ſupra citata, & hauſta è *Platone l.* 9. *de Leg.* qui ex ſacris literis. Quemadmodum & apud Chriſtianos ſcimus in foro aliquoties deciſum, ut porcus qui puerum occiderat, mulus it. qua cum rem habuerat mulio, morti traderentur. *Guid. Papa deciſ.* 238. & ib. *Ranchinus.* adde *Rebuff. ad Reg. Conſtit. Gloſſ.* 5. §. 46. *Abulenſ. ad Lev.* 20. *q.* 14. Nota etiam eſt *Empedoclis* aliorumque Pythagoræorum de Jure & Juſtitia hominum Brutorumque communi, opinio: vid. *Sixt. Empir. adverſus Mathem. l.* 8. *c.* περὶ Θεῶν & *Porphyr. l.* 3. & 4. *de abſtin. Anim.* Unde & Jurisconſulti nonnulli obligationem naturalem brutis ineſſe expreſſe dicunt. vid. *Eguinarius* Baro *de divid. & Indiv. Oblig. l.* 1. *c.* 4. §. 16. At vero hæc omnia ſi æqua animi lance perpendimus, non videtur brutis, proprie loquendo jus ſive obligativum ad culpam aut pœnam, ſive permiſſivum, ſive quocunque nomine vocetur, competere.

6. *Brutis plus ferè rationis ineſſe.* Non ratio ſed umbra rationis ineſſe videtur *Kekerm. Syſt. Phyſ. l.* 1. *c.* 1. *p.* 560. *Scalig. exerc.* 317. *ſect.* 5. *Sperling. Exerc. contra Scalig. Danh. Phyſ. p.* 134. *Voet. Diſp. Sel.* 1. *p.* 852. & ib. cit. vid. & *notata ſupra ad th.* 16. *n.* 2. conf. & *Joach. Camer. app. ad Philen. c.* 10. *Ulyſſ. Aldrov. de Quadrup. l.* 1. *Jo. Lupus de matrim. ap. Aldrov. l. c. Anton. Gubertus de matr. c. de his qui nupt.* §. 151.

7. *Brutis quoque amorem fœtus.* Silentio hic non prætereundum, brutorum animalium *quædam vagam venerem* ſectari, *quædam matrimonium imitari.* Promiſcuâ libidine utuntur illa, quorum fœminæ alendis pullis ſufficiunt, nec ad hanc rem marium vicariâ ope indigent, non vero illa, quorum fœminæ ſolæ huic operi ſufficere non poſſunt. Hæc autem communis *bipedum indigentia*, non quadrupedum, ideoque videmus omnium ferè avium mares uni fœminæ adhærere, & fœminas uni mari. Atque inter eas eſſe matrimonii ſimulacrum, quia ad excludendos & excluſos alendos pullos alter alterius vicariâ operâ indiget; quadrupedibus verò vagam venerem indulſiſſe naturam, quia eorum fœminæ conceptum edere, & partum fœtum propriis viribus tuer

poſſunt. Quod ipſum etiam confirmat *Thomas. l. 4. Sent. diſt. 26. q. 1. a. 1. Unde*, inquiens, *dicit Philoſpohus, quod filiorum procreatio communis eſt omnibus animalibus, tamen ad hoc non inclinat eodem modo in omnibus animalibus, quia quædam animalia ſunt, quorum filii ſtatim nati poſſunt ſibi ſufficienter victum quærere, vel ad quorum ſuſtentationem alter ſufficit: & in his non eſt aliqua determinatio maſculi ad fœmmam, in aliis autem, quorum filii indigent utriuſque ſuſtentatione, ſed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad illud tempus, ſicut in avibus quibusdam patet. Sed in homino, quia indiget filius curâ parentum uſque ad magnum tempus, eſt maxima determinatio maſculi ad fœminam ad quam etiam natura generis inclinat.* & paulo ſupra: *A parentibus habemus eſſe, nutrimentum & diſciplinam: filius autem à parentibus educari aut inſtrui non poſſet, niſi determinatos & certos parentes haberet, quod non eſſet, niſi eſſet aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit.* Quod ſi enim indigentia inter aves, maris & fœminæ conjunctionem neceſſariam flagitavit, quidni & propter eandem rationem, inter homines matrimonium perpetuum voluit eſſe natura. Siquidem mulier vicariâ viri opera, imo præcipuâ & primaria indiget ad educandos, ſubſtentandos & erudiendos liberos.

THESIS LXII.

GEneſ. 33. infit ad Eſavum Jacobus cum in via illi occurreret cum uxoribus & liberis ſuis & de his omnibus interrogaretur ab Eſavo dicente: *quinam ſunt illi*; tum Reſpondebat Iſraël: *hi ſunt illi, quos Deus tuo ſervo dono dedit*. Unde ita colligo:

Quodcunque eſt donum Dei ſeu provenit à Deo, non eſt peccatum.

Atqui Polygamia & πολυθεκνία eſt donum Dei ſeu provenit à Deo juxta pronunciatum Jacobi à Spiritu Sancto nuſpiam repehenſum, ſed potius concordans cum effato Nathanis: 2 Sam. 12. tot uxotes dedi in ſinum tuum, &c de quo infra.

Unde *Origenes* dicit illum eſſe *fœliciſſimum, qui plures habet uxores.* Et uti ἀθεκνία inter pœnas, uti ſupra demonſtratum ita πολυθεκνία inter beneficia numeratur, ſicut & apud homines πολύτεκνος beneficiis afficinntur, quod vel ad minimum ex jure trium liberorum Romano conſtat, de quo *Sueton.* & *Alex. ab Alex. 4. c. 7. ex Ariſtotele Polit. l. 2. c. 7.* refert, quod Lacedæmonii jamdum trium liberorum patres à cuſtodiâ & excubiis, quatuor vero liberorum patres ab omni onere immunes pronunciarint. Ubi etiam recenſet, quod Romani præturas, quæſturas & conſulatus aliosque honores nonniſi illis qui plures habebant liberos, conceſſerint.

E. *πολυγαμία & πολυτεκνία non eſt peccatum.*

1. *Donum Dei.* Mulierem eſſe *beneficium & donum Dei*, non tantum ex eo apparet, cum Creator dicit, *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, & ſimul innuit eſſe bonum ſeu beneficium donumve, quando quis habet uxorem; ſed etiam exinde cum uxor *ſocia*

&

& *adjutorium* appellatur (*vid th.* 30. *n.* 1. 2.) atque comparatur cum *nave*, *viti*, *ædificio*, (*v. th.* 30. *n.* 3. 4.) Et de utriſque uxoribus & liberis, quorum numeroſitatem Eſavus contemplabatur, loquitur Jacobus cum fratre ſuo colloquium amicum & familiare inſtituens, ita tamen, ut primario ad liberos reſpiciat, cum hi magis de Dei benedictione & beneficentia teſtentur, & donis Dei annumerandi. *Fœcunditas* namque *non eſt* ita *in noſtra poteſtate*, uti uxorem ducere, quod hominis arbitrio magis eſt relictum, ita tamen, ut Deus etiam ſimul concurrat. Homini liberum eſt ducere uxorem, ſive hanc, ſive illam, pulchram vel deformem, non autem ita integrum eſt generare infantes, filium vel filiam; Unde ſæpe videmus multos, ſi vel maxime operam dent liberis, ut Cicero loquitur, non poſſe tamen eo pervenire, ut hæredem habeant, quod vel exemplum Abrahami docet.

2. Πολυτεκνία *eſt donum Dei.v.* not. ad th. 35. Ita noſter omnium Parens *Adamus* primæ benedictionis (*creſcite & multiplicamini*) hæres ex aſſe, dubio procul multos habuit liberos, ut Moſes innuere videtur *Gen.* 5. 4 *Joſua Bencarchia* de primo parente ſcribit; in *Bereſchith Rabba*, *paraſch.* 22. (conf. *R. Becchai ad Vaicra f.* 145. *col.* 3.) aſcenderunt in torum bini; deſcenderunt ſeptem (adjectis ſcilicet parentibus) nempe Cain & *gemella* ejus ſoror, Abel cum ſororibus duabus *gemellis*. In univerſum autem *filios* fuiſſe *duodecim*; & *binas filias Epiphanius* ex Leptogeneſi tradit *hær.* 39. Alii filios *triginta tres & viginti ſeptem filias* ex veterum Orientalium edocti monumentis ſcriptum reliquere *Cedren. p.* 7. quin & nomina filiarum quarundam recenſent, *Save*, *Azura*, *Azua*. Epiphanius, Cedrenus, *Pſeudophilo in Antiquit. Bibl.* In *Methodii* Patarenſis Epiſcopi hiſtoriæ editionibus nonnullis (v. *Orthodoxographiam Jac. Grynæi fol.* 93. & 101. Calemera & Lebora, (quæ aliis Debora *Petr. Comeſt. hiſt. Schol. l.* 1. *c.* 35.) pro Calmana & Lembora (uti rectius ſcribendum *Allatius in Not. ad Euſtath.* Antiochenum *p.* 213. cenſet) Adæ filiæ nominantur. Apud *Saidum Batriciden*, Patriarcham Alexandrinum Azrona & Awina Adæ filiæ primæ nuncupantur. Apud Mahumedanos (vid. *Vetuſtus autor de Generatione Machumed ab Hermanno Dalmatâ* verſus) etiam habetur filia Adæ & Evæ *Machuveliet* nuncupata ubi etiam adjicitur *præter Seth omnes Evæ gemellos fuiſſe, ſingulos ex maſculo & fæmina.* Adeo ut de primorum parentum gemellis opinio veteres ſuos, tametſi non ubique ſimiles autores non ſolum apud Hebræos, verum etiam apud Mahumedanos, ipſosque denique Orientis Chriſtianos habuerit. vid. *Hieronymus de Sancta fide in Hebræo Maſtigis. l.* 2. *c.* 1. De liberis vero Adæ ante Sethum ſuſceptis conf. *Sepher. Zohar Cremonæ ad Bereſchith. fol.* 45. *col.* 177. *in More Neboch. l.* 1. *c.* 7. *Sepher Juchaſin fol.* 8. *a. Gemar. Babyl. ad tit. Erubin c.* 2. *fol.* 18. *Sepher Zohar.* (Mantuæ) ad Vaicra *fol.* 76. & 77. *Pirke R. Eliezer. c.* 22. Sic & poſteri Adami etiam fuere πολύτεκνοι. *Lamech* juxta Zonaram ſeptuaginta ſeptem ſuſtulit infantes. *Jerub Baal* habuit ſeptuaginta filios *Jud.* 9. 2. qui *Jud.* 8. 30. & Gideon vocatur. *Sair* triginta filiis in mulorum pullis 30. equitantibus gaviſus & fortean loco comitatus & cuſtodiæ uſus eſt. *Iud.* 10. 3. Sic etiam Judex *Ebzan. Iud.* 12. 8. perhibetur habuiſſe triginta filios & in eodem capite *v.* 13. Judex. *Abdon* dicitur habuiſſe quadraginta filios & triginta nepotes eosque etiam filios qui omnes in mulorum pullis equitantes Patrem dubio procul magna cum lætitia comitati ſunt. Ita *Artaxerxes* fortean ille qui *Eſth.* 1. *Abaſverus* dicitur, ex Regina tres & ex pellicibus centum & quindecim ſuſcepit infantes *Iuſtin. l.* 10. *Abab* habuit 70. filios. 2 *Reg.* 10. 1. *Rehabeam*, qui octodecim uxoribus & 60 concubinis gaviſus genuit *viginti* & *octo filios* atque *ſexaginta filias* 2*Chron.* 10. 21. *Abia* ex quatuordecim uxoribus ſuſcepit *viginti duos filios & ſedecim filias.* 2 *Chron.* 13. 21. Et ut ad profana deveniam, *Hieronymus Rex Arabiæ ſexcentorum filiorum* Pater dicitur. *Sabell. Enn.* 6. *l.* 3. *Proculus* Imperator ex *centum virginibus* Sarmatis in bello captis intra quindecim dies fœcundatis liberos ſuſcepit. Rex quidam Ciambæ quæ Indiæ provincia eſt ex multis uxoribus trecentos ſex & viginti ſuſtulit filios & filias. *Marcus Paul. Venet*, *l.* 3. *de Reg Orient. c.* 9. *p.* 400. Endymion, Eleorum

rum Rex filias quinquaginta ſuſcepiſſe dicitur. *Pauſan. l. 5.* Ægyptus, filius Beli, Rex Ægypti quinquaginta maſculæ ſtirpis liberos, & frater ejus Danaus tot filios habuit. *Sabell. l. 4. Enn. 1. Phlegon Trallian. de mirab. & longævis.* Lycaon Arcadiæ Rex ante ſuam metamorphoſin ex diverſis quinquaginta ſuſtulit filios *Natal. Com. c. 9. c. 9. Mythol.* Theſpiis Erechthæi Athen. R. filius è pluribus fœminis filias quinquaginta genuit, cum quibus vocatis ad epulas Hercules ſigillatim una nocte concubuit, & totidem mares ſuſcepit, qui Theſpiadæ dicti. *Diod. l. 5.* & *Suid.* Hercules inter 62 liberos unicam filiam habuit. *Antigon. in mirab. nat.* Priamus ex Hecuba 19. ex aliis pellicibus 31 liberos ſuſcepit, unde Maro: *Quinquaginta illi thalami, ſpes magna nepotum.* Scilurus quinquaginta juxta *Poſidon.* juxta *Apollonidem* 80. habuit *Strab. l. 7.* Maſiniſſa 44. filios genuit. *Euſ.* Atila Hunnorum R. 60. liberis inſignis. Carolus M. ex Hildegarda Sueva Carolum, Pipinum, Lotharium & Ludovicum, & filias Ruthruden, Bertam, Giſlam, Hildegardam, Adelheidam, Bellinxandam, Immam, Gertrudim. Ex concubinis Gerſwinda Adeltrudem Reginam, Drogonem & Hugonem: Adelinda Theodoricum: Himmeltrude Pipinum: Rothilde Adelroden, Roynam, Adelindam. Tres filias ex Taſtradra Franca ſuſcepit, Theodoretam, Hilbrudim & Rothaidem. Et ita 23 liberos genuit. *Hedio in Chron. Germ.* & *Bruſch. in monaſt. Germ.* Babo ab Abensſperg, Comes & Præfectus Ratisb. ex 2 uxoribus legitimis 32 filios & 8 filias eosque ſibi ſuperſtites ſuſtulit. quos Henr. 2. Imp. multis Baronatibus, comitatibus &c. donavit. *Avent. l. 5. Ann. Baj. Hieron. Ziegle Hiſt. Illuſtr. vir. Germ.* Albertus 1. Imp. ex Eliſab. 21. liberos habuit. Barrabas Dux Mediolan. 39. & Conradus Moſcoviæ Dux 80 liberorum Patres.

3. *Ατεκνία inter pœnas.* Cum liberorum multitudo ſit ſignum benedictionis divinæ, ut jam deduximus & ſuprà ad *th. 35. n. 5.* monſtravimus, eò magis puniendi ſunt illi, qui ſterilitatem procurant. Unde non malè *Lancell. Inſt. Iur. Can. l. 4. tit. 10. §. 7. quod is*, inquit, *qui vel cauſa explendæ libidinis vel odii meditatione, viro aut mulieri aliquid fecerit, vel potandum dederit, quominus poſſit generare, vel concipere, vel naſci ſoboles, ut homicida puniendus ſit.* Plerique ſane libidinis tantum gratia conjugia ineunt, cum tamen primarius fœminæ uſus ſit, ut ex eâ procreentur liberi, non ſolum, ut libido expleatur; Unde Spartianus laudat Peſennium Nigrum, quod rei Venereæ, niſi ad creandos liberos prorſus fuerit ignarus. *Non ad voluptatis uſum, ſed ad propagationem ſobolis hanc mihi adjungere conſtitui*, inquit Thyamis apud *Helidorum l. 1. Æthiop. p. 40.* Et *Ioſephus* Judæos hunc tantum ob finem cum uxoribus congredi ait. *l. 2. contra Appion.* Quisquis ergo finem hunc intervertit, & libidinis tantum explendæ cauſa muliere utitur, atque eum in finem ſterilitatem procurat, ipſum naturæ ordinem impetit & turbat. Nec illi excuſandi, qui ſufflaminare conantur, ne hæres naſcatur, qui ſucceſſionem ſperatam impediat, aut ſi uxor ipſa vim inferat viſceribus ſuis, ne inimico marito filium procreet, quod exemplum eſt in *l. 39. ff de Pœn.* Multi etiam hac in re incantationibus utuntur. Quemadmodum *Ferdinandus Rex* Neapolitanus fecit, ut Jo. Galeazius Sfortia aliquot menſibus impotens eſſet, quo ſc. ſponſam ejus Iſabellam Alphonſi Ducis Calabriæ filiam Ludov. Sfortiæ nuptui dare poſſet. *Fr. Guic. hiſt. Ital. l. 1.* Quod autem hanc impotentiam vel ſterilitatem procuratam concernit, negant Doctores pro vero homicida haberi eum oportere, & proinde nec ordinariam pœnam locum habere, ſed mitiorem aliquam relegationem vel fuſtigationem *Berlich. p. 4. concl. 8. n. 89.* Dicunt etiam nonnulli, ſterilitatem tum demum fœminis procurare licere, quando probabiliter conſtat, mulierem in partu vitæ diſcrimen ſubituram, vel quia nimis arcta, vel præ uteri anguſtia ferre fœtum nequeat. *Barboſ. ad. c. 5. 10. de homic.* Sed male omnino, cum non liceat facere mala, ut eveniant bona, & propter incertum puerperii eventum impium eſt, impedire, ne naſcatur proles. Magnum etiam ſcelus eſt, quando nonnullæ, (ut ait *Hieron. ad Euſtoch. de cuſt. Virgin.*) ſterilitatem præbibunt, & nec dum ſati homicidium faciunt. Aliæ, cum ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortii venena me-

meditantur. *Euſebia* Conſtantii Imp. uxor ſterilis, Helenæ, mariti ſorori, Juliano Apoſtatæ nuptæ, ob fœcunditatem invidebat, ut medicamentis per dolum abortire illam cogeret. *Marcellin.* Sterilitas quippe & olim & hodie in viris & fœminis probroſa. Ita *Cambyſes* ἄπαις à Crœſo ea propter Cyro Patre inferior judicatus, quod talem non reliquiſſet *Herod. l.* 3. *Ariſton* R. Spart. infœcundus cum ex duabus uxoribus liberos non ſuſciperet, Ageti Alcidis filiam uxorem duxit, ex quâ 7. menſe *Demaratam* progenuit. *Herod. l.* 6. *Sp. Carbilius* ſterilitatis cauſa uxorem, alioquin cariſſimam *repudiavit* primus. *Dion. Halicarn. l.* 2. *Stratonica* Deiotari Galatarum R. uxor ſterilis, Electram ſervam, animo & corpore pulchram, marito adduxit, & ex eâ natos filios, æque ac ſuos, amavit, & in regno ſuccedere permiſit. *Plut. de mul. virtut. C. Iul. Cæſ.* ex quatuor uxoribus cum nullos ſuſciperet liberos, C. Octavium ex ſorore nepotem adoptavit. *Cuſpin. Lucardis* à Præmiſſo Polonorum Duce ob ſterilitatem repudiata. *Crom. l.* 10. *&* 11. *Caſimirus* R. Poloniæ 2. ſine filiis maritus obiit *Cramer. l.* 12. *&* 13. Fuere tamen multi ad tempus ſteriles, qui deinceps facti ſunt fœcundi. Ut jam nil dicam de *Sarâ Gen.* 17. *Rebeccâ Gen.* 25. uxore Manoæ *Iud.* 13. *Annâ*, Elkanæ uxore 1 *Sam.* 1. & *Annâ* uxore Joachimi, patris Mariæ Deiparæ, *Eliſabetha*, uxore Zachariæ. *Luc.* 1. *Herodotus l.* 5. refert quod *Labda* uxor Eetionis ſterilis, tandem Corinthiorum Tyrannum Cypſelum pepererit & Anaxandridæ uxor ſterilis primo, mox tres filios ediderit, Doricum, Leonidem & Cleombrotum. *Diodor. l.* 1. 31. narrat, quod *Antiochides*, Antiochi M. filia, verſuta admodum & ſterilis duos filios Ariarathem & Holofernem, ignorante viro, ſuppoſuerit, ſed tandem, cum duas filias & filium *Mithridatem* peperiſſet, monuit maritum de ſubjectitiis. *Rachel* diu ſterilis, mandragoræ pomorum uſu refrigerata fertilitatem adepta dicitur à nonnullis. *Sunamitis* Eliſæi precibus filium impetravit. 2 *Reg.* 4. Ita *Hilarion* precibus ſuis mulieri cuidam Eleutheropolitanæ filium donaſſe quaſi dicitur. *Hieron. in vit. Hilar. Iuno* diu ſterilis eſu *lactucarum agreſtium* repente citur fuiſſe gravida facta, atque Heben filiam peperiſſe. *Nat. Com. l.* 2. *Mythol. c.* 5. *Coſroes* Rex Perſarum inter alia à Sergio Martyre fœcunditatem conjugis ſterilis. Quo impetrato miſit ad Gregorium auream crucem, thuribulum, diſcum, poculum, aliaque dona in honorem Sergii. *Euagr. l.* 6. *c.* 21. Narrat locum fuiſſe vicinum *Hymello*, cui nomen fuerit κυλλοπηρα i. e. claudi mantica, ibique fuiſſe templum & *fontem*, ex quo *libentes ſteriles* fiebant fœcundæ. *Eraſm. in Adag. ex Suid. Zazomus* Sarracenorum Princeps à Monacho, ſi in Chriſtum credat, promiſſum filium recipit, & Chriſtianus cum omnibus ſubditis factus. *Sozom. l.* 6. *c.* 38. Fœminæ Romanæ, cædi ſcuticis *pellium caprarum* Lupercalibus immolatarum ad fœcunditatem facere perſuaſæ Lupercis currentibus ſe offerebant, tendentes manus, ut ferirentur. *Plutarch. Ladice* uxor Amaſis R. Ægyptiorum, cum uxore concumbere non valentis & veneficio aſcribentis, minas mariti capilales metuens, & excuſationibus ſuis nil obtinens, vovit Veneri, ſi ea nocte ſecum coiret Amaſis ſe ſtatuam Cyrenas miſſuram. Voti particeps ſtatuam illuc miſit, quæ usque ad Herodoti tempus ibi extitit. *Herod. l.* 2. Henricus 4. Hiſpaniæ Rex à Blancha Johannis Navarræ R. filia, ob ſterilitatem Pontificia autoritate ſeparatus, tandem cum Johanna Eduardi R. Luſitanorum filia, etiam diu ſterili filium procreavit. *Nebriſſenſis l.* 1. *de cur. l. c.* 1. Sæpè vero cauſa ſterilitatis eſt ira Dei, ut in Michol Davidis uxore, 2 *Reg.* 6. & familia Abimelechi *Gen.* 20. apparet, quod & dicit de Salomone R. Ungariæ & Davide ejus fratre, *Bonfin. l.* 3. *dec.* 2. Sæpe dyſcraſia naturalis, uti Auguſtus & Livia privata quadam corporum conſociatione ſteriles inter ſe fuerunt, cum aliis fœcundi *Plin. l.* 7. *c.* 12. Ariſtoteles *l.* 2. *de Gen. anim. c* 2. multas cauſas naturales recenſet ſterilitatis. Sæpe *præmaturus congreſſus* (de nimio & exceſſivo nil dicam. meretrices non facile concipiunt) eſt in cauſa. Crates Tribellorum Princeps quadragenarius *Simonidem* Andronici Palæologi filiam *octennem* cognoſcens matricem ejus læſit, ut deinceps concipere amplius non voluerit. *Gregoras l.* 7. Irene Imperatrix in vena-

natione equo excuſſa, ob matricem læſam parere deſiit. *Gregoras. l.* 2. Romanus Argyropolus Imperator, cum ex Zoe Uxore quinquagiariena, medicamentis lapidibus appenſis, quin & carminibus & incantationibus uſus, nullam prolem haberet, Venere abſtinuit. Sed illa cum odio mariti tum libidine incenſa cubicularium poſt Romani obitum nuptum quæſivit. *Cuſpin. Clementia* Burguinda ſoror *Calixti* 2. & uxor Roberti 2. Flandriæ Comitis, cum intra 3 annos 3 filios enixa, ne prolium multitudine gravaretur, ſterilitatem ſibi acerſivit, docente *Iac. Marchant. de Reb. Flandr.* ſed poſtea pœnitentia ducta, cum filiis ſuis ſuperſtes alios videret regnare.

4. *Ius trium liberorum*. Cum multiplicatio prolis maximum videatur, ob ſuſtentationem (utut Lutherus in gloſſa dicat marginali Bibliorum: **Wir eſſen mit den Kindern.** Nos comedimus cum infantibus, ob benedictionem divinam, quam Deus concedit balbutientibus precibus *Pſalm.* 8. Sed quis credit huic ſermoni? *Eſ.* 53.) & informationem onus, ideo ſapientiſſimi Legiſlatores illuſtria propter ſtudium πολυτεκνίας conceſſère privilegia: *v.* 6 *C. de Decur. l.* 6. *in fin ff Eodem princip. Inſtit. de Excuſ. tutel. tot. C. de his qui numero liberorum l.* 1 *C. de Legat. Add. Jo. Aven in Seſqui Cent. Quæſt. Nomico-Politb. q.* 117. Taceo *Privilegia divina*, quæ Deus πολυτέκνοις conceſſit. Unum inſtar omnium oſtendit nobis Pſalmiſta, quando illum *beatum*, *felicem eſſe*, *& ſummum Bonum* (ut Hebraicum *aſchre* explicatur) *poſſidere* aſſerit, qui ſuam pharetram plenam ejusmodi ſagittis, filiis puta, gerit. Sicuti enim miles hoſtem ſuum non metuit, ſi eſt inſtructus optimis armis; ita fidelis, στρατιώτης ſeu *miles Ieſu Chriſti*, juxta *Paulum*, militans ſemper bonam militiam contra perpetuum hoſtem Diabolum, nullatenus timet:

Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Neque formidat etiam adverſarios temporales, ſiquidem ut Pſalmus ait, confundetur neutiquam in porta, ubi judicia olim exercebantur. Quæ bona ſpiritualia & mundana ut obtinerent veteres, ſterilitatem maxime deprecabantur; nihilominus tamen clariſſimæ fœminæ & matres ſanctiſſimorum ad tempus erant ſteriles, unde ſuſpicio erat alicujus criminis, propter quod communi illâ benedictione privarentur. Ut videtur colligi ex *Oſ.* 9. *& Gen.* 20. *Origenes*, *Theodor. q.* 83. *in Gen. Chryſoſt. in Gen. hom.* 49. aliquas rationes hujus ſterilitatis afferunt & quidem primo quia volens Deus componere genus Iſraëliticum oſtendit, illud non naturali ſucceſſione, ſed gratiâ & favore ſuo multiplicandum. Quam providentiam genus iſtud eſt adeptum, quod ex illo Meſſias erat naſciturus. *Theodor. & Chryſ.* 2. ut ex mirabili partu ſterilium fœminarum jamdum præſtrueretur ac præmuniretur fides partui virginis. Unde & angelus fidem à ſe nuntiati partus Virginei confirmavit exemplo Eliſabethæ, quæ ſterilis erat; & ne inſignes illi viri, ex quibus natus Meſſias, non naturæ dono, ſed per miraculum dati dignoſcerentur. Hinc infamiæ ſignum eſſe illiberem ob ſpem Meſſiæ. 3. ut harum exemplo ſe moderentur conjuges nec contemnant alios, quaſi ex naturæ vitio ſit. Diſcimus & inde vim precum.

THESIS LXIII.

Jacobus Gen, 35. à Deo benedicitur, & jubetur iisdem verbis, quibus Adamus & Noachus compellantur, ſe multiplicare, addito inſuper fine Numini divino acceptiſſimo, *ut multi* ſcilicet *populi ex illo oriantur*, ubi eadem argumenta ſuperius adduct

ducta poſſunt repeti & hæc inſuper adjungi: *Quicunque jubetur ſe multiplicare, ut multi populi ex illo oriantur, ille jubetur facere modo aptiſſimo* (legitimo tamen ſeu legi divinæ conformi, quod ubique obſervandum) *ad illum finem aſſequendum.*

Atqui Jacobus juſſus fuit ſe multiplicare, ut multi populi ex illo oriantur.

E. juſſus fuit facere modo aptiſſimo ad illum finem obtinendum.

Jacobus ſane non tantum lege naturali, quæ præcipit, ut quis ſeipſum quàm maximè amet, ſeipſum ſtudeat omnibus modis conſervare, quæ bona ſibi videntur, nitatur acquirere, mala repellere, ſed etiam hâc lege Dei poſitiva particulari ad Polygamiam quodammodo adigebatur. Deus enim ſerio volebat, ut ex ipſo multi populi fierent. Qui vero alicui pro imperio injungit finem, cenſetur quoque eundem obligaſſe ad uſurpanda illa media, ſine quibus finis obtineri nequit: vid. M. Antonius l. 9. § 1. Populorum vero multorum excitationem pro imperio à Numine Jacobo injunctam eſſe non ſolum patet, ex verbis hiſce imperatorio modo conceptis, ſed & ex promiſſione Abrahamo & Jacobo factâ. Et quanquam negari non poſſit, per monogamiam etiam multos populos oriri poſſe, diffitendum tamen etiam non eſt, citius, commodius & felicius per Polygamiam hoc ipſum effectui dari. Unde ulterius argumentor:

Per quodcunque medium Jacobus uno anno ſeu brevi tempore plures & multos potuit procreare liberos, illud medium eſt aptiſſimum ad multos populos oriundos.

Atqui per Polygamiam Jacobus uno anno ſeu brevi tempore potuit plures & multos procreare liberos.

E. Polygamia eſt aptiſſimum medium ad multitudinem populorum excitandam.

1. *Iacobus non tantùm lege Naturali.* Ipſi Jacobo jus naturæ & ex eo fluens Decalogus ſatis erat cognitus, unde bene novit, Polygamiam per ſe & intrinsece non eſſe peccatum, & ſibi permiſſum eſſe abſque condemnatione plures etiam ſimul habere uxores. Non enim fugitivo oculo eſt aſpiciendum, quòd Deus verba illa Imperatoria & benedictoria: *Creſcite & multiplicamini* ante lapſum in primâ creatione Protoplaſtis dictata & commendata nulli ſingulariſſime inculcaverit præter Noacho & Jacobo. Quanquam enim hæc benedictio omnes homines attingat, & obliget quoque ad contrahendum matrimonium & ſe multiplicandum, Deo tamen benigniſſimo placuit peculiariter hoc Jacobo injungere, quod ante nulli niſi Noacho, & poſteà, quantùm memini, factum nemini legitur. *Adrianus Beverland. in tr. de Pecc. Orig. p.* 150. audaciſſime aſſerere nititur, verba illa: *creſcite & multiplicamini* ad naturam non pertinere, & ante lapſum à Deo non fuiſſe dicta, ſed per incogitantiam ſcribarum ſecundorum ſeu ſequentium fuiſſe *Gen.* 1. inſerta, poſt lapſum enim in ſtipendium obedientiæ Deum Adamo & Evæ conceſſiſſe; *Creſcite & multiplicamini.* Verum enim vero hæc omnia dicuntur ſine ullo fundamento. Quanquam enim feſtinatione & incogitantia verbum aliquod poſſit omitti & prætermitti; à poſteriori tamen parte ad ea, quæ præceſſerunt, quæque jam ante deſcripta forent, aliquod retrahi non poteſt, niſi deſtinato & profano id fiat ſcriptoris conſilio. Quod vero ſuſpicari hic nemo po-

poteſt; quoniam nil inde lucri ſperari cuiquam poſſet. Et quis mortalium tàm ſagax, ut in tanto codicum numero id præſtare ſciret, omnibus dormitantibus, & nemine animadvertente. Sane Ptolemæi Philadelphi tempore, ter centum pene ante Chriſtum annis, eodem loco hoc ſcriptum extitiſſe, verſio 70 evincit; Atque hæc tempore Chriſti & Apoſtolorum vulgo ab Judæis Græcis legebatur. Quanquam & tum codicum Hebræorum copia eſſet, qui publice in Synagogis legebantur, *Act.* 15. 21. nec non etiam privatim. *Act.* 8. 28. Poſt Apoſtolorum autem tempora *verſio Aquilæ*, quam *Baronius ad A. C.* 137. refert, atque *Hexapla* atque *Octapla Origenis, ad A. C.* 233. promulgata vel pertinaciſſimum convincunt, benedictionem illam omni ſeculo eo ſcriptam ſtetiſſe loco. Quis vero tàm audaculus ſit, ut ſolâ animi protervia motus nullo plane argumento ſuffultus contrarium mundo erudito perſuadere præſumat? Imprimis cum eadem benedictio; *Creſcite & multiplicamini* biduum ante creatum hominem *v.* 22. *piſcibus* etiam denuntiata legatur. Nec obſtat *Patres quoſdam* ſtatuiſſe, homines non per generationem, ſi in ſtatu innocentiæ manſiſſent, ſed absque conglutinatione angelorum inſtar multiplices futuros fuiſſe. Primùm enim, qui id faciunt, Patres, certè benedictionem, ſine quâ nulla animalium multiplicatio contingere poteſt, ad Adamum ante lapſum pertinere palàm aſſeverant, adeoque ſententiam hanc profanam damnant. Quanquam non adeo id urgeant Græci Patres, ſed ad potentiam Dei, quà ex lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare poteſt, reſpicientes, Deo alium modum poſſibilem, melius illi ſtatui juxta ipſorum mentem, convenientem ſtatuunt, quem Deum pro lubitu electurum fuiſſe, modeſte conjiciunt. Quod tamen innumeris modis infringi poteſt. Idem enim quoque dictum erat piſcibus *v.* 22. qui absque procreatione aucti non fuiſſent. Verba quoque *creſcite & multiplicamini* manifeſte activum habent ſenſum, ut Theologi obſervant, unde &c. 8. 17. 9. 7. *propagate*, additur. Et Deus ex uno ſanguine quærebat ſemen. *Mal.* 2. 15. *Act.* 15. Atque ideo conjugium inſtituerat, quo fierent *una caro Matth.* 19. 4. Sufficit ergo cum *Auguſtino* dixiſſe, quod *ſolo piæ charitatis affectu, nullâ corruptionis concupiſcentia filii naſci potuiſſent. de Gen. ad Lit. l.* 3. *c.* 21.

THESIS LXIV.

COgnoverunt ſcilicet Sanctiſſimi Patriarchæ & imprimis Jacobus, voluntatem Dei in verbis illis Imperatoriis propoſitam, & turpe putarunt, Imperatorem ſuum, ut Tertull. loquitur, non ſequi. Quamobrem juſſu Dei expreſſo freti tranquillam hac in re habuerunt conſcientiam, & nunquam pœnitentiam egerunt ob Polygamiam ſemel ſuſceptam, ſed potius illam ſanctiſſimè continuarunt. Jacobus maxime turbabatur, cum ipſius filii innocentem ſanguinem profudiſſent, & Hemorem atque Sichumitas ethnicos licet, ſatis tamen honeſte viventes & cum Jacobo πολυγάμῳ amicitiam intimam contracturos occidiſſent, qui non ignorabat, hoc eſſe contra voluntatem divinam poſtea in præcepto 5. expreſſam. Filius ipſius Joſephus in ſtatu licet ſervili & afflictiſſimo conſtitutus nolebat tamen in duumviratum ſeu Polygamiam muliebrem Gen. 39. concedere, bene conſcius, ut ipſe ajebat, il-

illam voluntati divinæ in 6 & 10. præcepto poſthac expoſitæ nullatenus eſſe conformem. Quis igitur dubitabit, quin æque Sanctiſſimi illi viri à Polygamia virili abhorruiſſent, ſi voluntati divinæ in 6 præcepto poſt promulgatæ illam repugnare putaſſent.

Igitur & illos duos ſanguinarios filios Simeonem & Levi, una cum *Ruben, qui inceſtum* cum Patris uxore contra 6. præceptum commiſerat, à jure primogenituræ in ſuo teſtamento excluſit. Cum verò conſtet ex Gen. 46. Simeonem etiam habuiſſe Concubinam, adeoque fuiſſe πογύλαμοι, dubitandum non eſt, quin Jacob æquè ac homicidii & inceſtus contra 5. & 6. præceptum perpetratorum, mentionem etiam feciſſet hujus Polygamiæ, ſi peccatum eſſet contra ſextam legem. Et quanquam Jacobus ipſe quatuor uxores habuerit, vero tamen nihilominus abſentaneum non eſt, illum in *agone mortis conſtitutum* ab his delictis juventutis ſuæ, ſi fuiſſent vera peccata, ſuos filios dehortaturum fuiſſe.

1. *Ruben qui inceſtum cum Patris uxore.* Licet concubinâ, vera tamen uxore, vid. *Buxt. de ſponſ. p.* 2. & novercâ ſcilicet quæ non erat mater ipſius Rubenis, & quidem patre adhuc vivente, *Gen.* 35. 22. *c.* 49. 4. *unde duplex reatus inceſtus & adulterii.* Quale matrimonium inter Chriſtianos etiam graviſſimum reprehendit Paulus 1 *Cor.* 5. 1. *Omnino auditur inter vos ſcortatio & ejusmodi quidem ſcortatio, quæ ne quidem inter gentes nominatur nempe ut quis uxorem patris ſui habebat.* Ex quo colligere eſt, Gentiles etiam à tali matrimonio abhorruiſſe, qui ſecundum naturæ jus & Noachidorum præcepta vivebant, & illas Leges *Lev.* 18. non habebant, ubi Deus exterminium ſeu exciſionem huic delicto dictitavit. Et ſecundum Leges civiles etiam ob affinitatem filius patris ſui concubinam (quæ tamen non erat legitima & vera uxor ſecundum jus civile, quemadmodum quidem apud Hebræos) ducere prohibebatur *l.* 4. *C. de Nupt. aut in concubinatu habere l.* 1. §. 3. *ff de Concub.* conf. *Rauchbar. p.* 2. *q.* 13. *Sig. Scacia de Jud. l.* 2. *c.* 2. *n.* 563. *Mazius de matr. c. ult. n.* 41. *Matth. Berlich. p.* 4. *concluſ.* 35. *n.* 37. 28. Ita & *Lev.* 18. 6. ſeveriſſime interdicitur conjugium cum Nuru, qualis concubitus fuit *Judæ cum Thamare Gen.* 38. 14. 15. conf. *Ezech.* 22. *v.* 11. 14. Multi ipſum quidem excuſare volunt, & aſſerere ante legem Moſaicam *Lev.* 18. fuiſſe licitum hoc conjugium, vid. *Sepher. Siphri op Sal. Jarchi. R. Bechai ad Bereſchith. fol.* 51. *col.* 3. *Abarben. ad Bereſchith. f.* 140. *col.* 4. uti quidem nonnulli etiam Chriſtiani hujus nuptiis adſtipulantur. Ita *Paulus de Abbatia Pallicinii, Calmaldulenſis* J. U. D. Congregationis ſacræ Eremi Abbas olim Generalis in Theoremate Geſtorum *Thamar. p.* 145. & 151. *in hoc myſterio*, inquit, *neceſſe erat, ut Judas voluntarie corrigeret ſeu expelleret motum illum deformem, qui fuit per concupiſcentiam carnis, cûm altero motu honeſto, hoc eſt per matrimonium factum, ut eſſet Thamar nurus Judæ* (pro ſolatio triſtitiæ, quam habuit) mater *honorificata in avum.* Et paulo poſt: *Itaque perſuaſiſſimum nobis eſt, quod eâdem hora, qua mulier accerſita comparuit ante tribual, deſponſaverit eam ſibi Iudas, inſtigante Deo, perinde ac ſi torqueretur anxietate expellere pudorem.* Adeoque nuptias ejusmodi, Legibus Moſaicis non conſonas, licitas volebant antequam lex traderetur *Gloſſ. Thalmud. ad Sanh. f.* 58. 6. *R. Iſu Abarben. ad Vaicra f.* 255. *col.* 3. &c. Sed neque tum temporis Lex de leviratu, & de concubitu cum patris uxore ſeu noverca erat lata, & tamen Judæi obſervabant, utpote qui multa licet non ſcripta, oraliter tamen

per majores tradita habebant. Præterea Ipſe Juda agnoſcit ſe male feciſſe *Gen.* 38. 26. eoque propter non amplius rem cum ipſa voluiſſe habere. Illud Judam quodammodo excuſat quod ignoranter (vid. ſuper. *th.* 49. *n.* 1. & *th.* 46. *n.* 2.) fecerit propter calyptram pendulam, ſeu ut alii vocant pallium velamen vel theriſtrum, quo uſa fuit Thamar ne agnoſceretur, de quo vid. *Selden. l. v. de Jur. Nat. c.* 5. & *Ux. Hebr. l.* 3. *c.* 17. *p.* 421. & *Ioh. Sopranem de re Veſtiaria Hebr.* qui inter alia docent, fœminas capite non operto prodeuntes in publicum *infames* fuiſſe, & *repudiari potuiße*. Ita mulieres in publico per orientis regiones velatas fuiſſe teſtis eſt *Hieron. in Eſ. c.* 3. & *Tertull. de velandis virg. c.* 17. *Iudicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint dimidiam frui lucem, quàm totam proſtituere faciem.* In Occidente etiam fuiſſe in uſu *Plut. in Probl. Rom.* 14. *Val. Max. l.* 6. *c.* 3. *Et Alcoranus Azoar.* 34. *Bonæ fœminæ ſuos viſus, quàm licet, tegant, merebraque genitalia ſimiliter. Hoc enim eſt optimum apud Deum, omnes ſuos actus dignoſcentem. Mulieres itaque bonæ ſe curent, ne Lunaticum aſpiciant, ſuoque peplo tegentes collum & pectus, omnemque ſuam pulchrititudem, niſi quantum apparere neceſſitas cogit, celent omnibus, ſpieciemque pedum etiam eundo, niſi maritis ſuis, eorumque parentibus & filiis ac prinignis & fratribus atque nepotibus & ancillis omnibusque non ſuſpectis, ſuæ ſubjectis manui, vel prius non pollutis.* Idem repetitur in Alcorano *Arab. ſur.* 24. & 33.

2. *In Agone mortis conſtitutus.* Nec obſtat, quod Patres in liberis non facile dinat, quod ipſi faciunt vel amarunt, ne invidiæ informiâ apud liberos traducantur. *Novellus. c.* 3. §. 10. niſi forſitan parentes ejusdem profeſſionis fuerint, & anſam dederint diſcordiæ cum nil mels concordiâ. *Novell.* 30 ſiquidem noſtra infirmitas hoc pacto confirmatut. *Senec. c.* 7. *de beneſ. p.* 27. Jacobus vero erat rigidiſſimus, in caſtigandis ſuis filiis adeo ut etiam jam moriturus illos reprehenderet, & priorum criminum accuſaret. Inter Marianos *laico non licet quemlibet clericum accuſare*, uti Pontifex *Marcellinus* hoc ſtatutum reliquit. *Luc. Oſ. Cent.* 3. *l.* 4. *c.* 10. *p.* 113. Multò minus *Epiſcopum*, uti *Euſebius Papa ap. Platin. de vit. Euſeb. f.* 60. hoc decretum ſanxiſſe ſcribitur; quod *nullus Laicus poſſit accuſare* (ſive Cæſar Rex Princeps) *Epiſcopum.* Quod ante ipſum Pontifex Evariſtus jam caverat, hoc decreto: *Non eſt à plebe aut vulgaribus hominibus arguendus vel accuſandus Epiſcopus, licet ſit imordinatus. Tom.* 1. *Concil. p.* 170. *Luc. Oſ. c.* 2. *l.* 1. *c.* 2. *p.* 5. Cujus rationem *Marcellinus* adducit; *Major. non poteſt à minori judicari. Oſiand. c.* 3. *l.* 4. *c.* 10. *p.* 113. *Tom.* 1. *Concil.* 282. & *Pius* 9. *Oves paſtorem ſuum non reprehendant, plebs verò epiſcopum non accuſet, nec vulgus eum arguat, quoniam non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, neque ſervus ſupra Dominum. Luc. Oſ. c.* 2. *l.* 2. *c.* 10. *p.* 7. Cum quo eandem tibiam inflat Cornelius: *ſummopere*, inquiens, *cavendum, ne paſtorem ſuum oves, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere, niſi à fide exorbitaverit, neque accuſare præſumant, quia tales accuſationes vim non habent, neque eis nocere poſſunt. Luc. Oſ. c.* 3. *l.* 3. *c.* 8. *p.* 62. *T.* 1. *Concil. p.* 224. Quibus aliam rationem ſuer addit *Calixtus* in ſuâ Conſtitutione: *Non oportet filios reprehendere patres L. Oſiand. c.* 3. *l.* 1. *c.* 8. *p.* 17. Et quod adhuc magis eſt, Teleſphorus præſtantiorem adjungit: *Dei*, inquiens, *Ordinationem accuſat, qui ſacerdotes accuſat*, & quantum hoc ſit peccatum innuit, cum didicit: *Omnes qui adverſus Patres armantur, infames etiam cenſemus, Patres enim omnes venerandi, ſed non reſpondendi aut inſidiandi.* (Ciceronem ſapit hæc Latinitas) *Luc. Oſ. c.* 2. *l* 2. *c.* 2. *p.* 28. *Tom.* 1. *Concil p.* 181. Perſecutionis igitur loco habetur, ſi accuſantur, uti Euſebius in quadam Epiſtolâ dicit: *Servos Dei nolite perſequi, Epiſcopos nolite infamare nec accuſare. Tom.* 1. *Concil. p.* 306. *L. Oſcand.* 4. *l.* 1. *c.* 15. *p.* 26 Unde Papa *Zephirinus*: *Væ væ illis, qui detrahunt ſervis Dei, quia detractio ipſorum ad eum pertinet, cujus miniſterium agunt, & vice funguntur*, de quibus Deus ipſe dixit: *noli tangere unctos meos. Tom. l. Concil. p.* 197. *Luc. Oſcand. c.* 3. *l.* 1. *c.* 2. *p.* 4. Et ſi vel maximè accuſentur, deficiunt tamen *teſtes*, ſiquidem contra Epiſcopum tot quot diſcipuli

Chriſti

Chriſti 72 nempe requiruntur teſtes ut *Zepherinus* Papa conſtituit. *T.* 1. *Concil p.* 196. *Luc. Oſiand. cent.* 3. *l. c.* 2. *p.* 3. Quod & in Concilio Romano 2. confirmatum, quod ſc. Papa ſuperiorem non agnoſcat; *contra Epiſcopum* opus ſit 72 *teſtibus*, *contra Cardinalem* 42. *Diaconum Romanum* 26. *contra ſubdiaconum reliquos* 7. ita tamen, ut omnes teſtes ſint clerici, quia *teſtimonium laici adverſus clericum nemo recipiet. Tom.* 1. *Concil. p.* 355. *Luc. Oſiand. Cent.* 4. *l.* 2. *c.* 12. *p.* 135. Quæ conſtitutio in Synodo Magnutinâ *A.* 891. confirmata fuit. *Hiſt. Magdeb. cent.* 9. *c.* 9. *Luc. Oſcand. cent.* 9. *l.* 4. *c.* 4. *p.* 53. Præterea à Papâ Sylveſtro. I. autum ne in judicio ſeculari clerici conveniantur. *Platina vit. Sylv. p.* 65. *Oſiand. c.* 4. *l.* 1. *c.* 24. *p.* 56. ſiquidem non obligantur comparere, juxta Canonem Sylveſtri: *Clericus cauſas in curiâ non agat. Plat. in* vit. *Sylv. Oſiand. cent.* 4. *l.* 1. *c.* 24. *p.* 56. Quod privilegium à Papa Julio X. corraboratum. *Plat. vit. Jul. p.* 72. & inſuper à toto Concilio *Rom.* 2. quod æque ſcilicet, ut Papa, eſt inſallibile, confirmatum hoc canone: *Clerici in curia cauſas non agant, neque curiam intrent, quoniam omnis curia à eruore dicitur. Tom.* 1. *Concil p.* 355. *L. Oſiand. c.* 4. *l.* 2. *c.* 12. *p.* 135. Huc maxime vero facit, quod ibi accuſati non poſſint condemnari, ſiquidem Alex. V. legem tulit: *non poteſt humano condemnari examine, quem Deus ſuo reſervavit judicio: T.* 1. *Concil. p.* 174. *L. Oſiand. cent.* 2. *l.* 1. *c.* 6. *p.* 12. & tota ſedes Romana hoc privilegio in Concilio *Rom.* 3, munita eſt. *Non eſſe judicandam à quoquam primam ſedem* (Romanam) *neque ab Imperatoribus, neque à Regibus, neque à clero neque à populo. T.* 1. *Concil. p.* 356. *Luc. Oſ. c.* 4. *l.* 2. *c.* 13. *p.* 138.

Thesis LXV.

Silentio non eſt prætereundum, quod c. 38. Gen. annotatum eſt, de Onane audiente Filium ex ipſo & fratris uxore naſciturum fratri eſſe (juxta legem leviratus, de quo Heideg. Vitt. Patr. 1. ex 1. §. 16. & 11. ex 18. jamdum quidem notam & poſtea tantum à Moſe in Deuteronomio confirmatam & obſignatam) aſſignandum, quod ſemen in terram cadere & perire permiſerit. Quod ſcelus ab ipſo, malignitatis & invidentiæ œſtro percito, commiſſum, non uno modo graviſſimum; & cum maxima inobedientia, primogenituræ, ejusque bonorum erga primam Paradiſi legem præſertim ſpiritualium contemtu, abuſu ſeminis nefario, & attentata fœtus in ipſo ſemine cœde conjunctum, Deus præſenti ultione vindicatum ivit, & ſimili nempe pœna 9. ἄλω in ipſum animadvertit qua antea animadverterat, in fratrem, qui, ſi *Abarbenel* ex Hebræorum mente id referenti, credendum eſt abegit à Thamare fructum ventris, ne pariendo amitteret famæ ſuæ decus. Quia vero Deus ſemen Jacobi creſcere & multiplicari ſuper terram volebat, eo magis ſupplicio mortis hoc ſcelus erat digniſſimum, quanquam & ex judicio filiorum Noachi mortis reatum incurrit, *qui ceſſare facit fructificationem, quia præceptum de fructificatione & multiplicatione acceperunt*, quod ipſum etiam patet ex affini flagitio, *abactione* nempe *partus*,

quæ ſive ſtudio, medicamentis, vel manibus committatur, ſive inopinatò, ex rixis & verberibus Ex. 21. 22. accidat, morte digna eſt. Appoſitè ſane Ant. Matth. De Crimin. tit 5. *Grave ſcelus eſt partus abactio, nam ſi cœlibes odio legum digni viſi, quod Reip. civem dare nollent, quid in eos ſtatuendum, qui civem conceptum, antequam lucem aſpiciat enecant*, &c. Ubi inter alia egregia refert ex ſcriptore nobili *Thuano l.* 19. *hiſt.* quod etſi Henrici ſecundi lege hoc crimen capitale factum eſſet, nulla tamen hebdoma ferè abierit, quin una plures hujus ſceleris reæ eſſent *adeo* inquit *malus pudor in verecundo & impotenti ſexu ſupplicii terrorem, & quod omni corporis pœna gravius eſt, conſcientiæ morſus vincit.* Quò etiam facit, quod Tertullianus Apol. *Nobis*, inquit, *homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in utero delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcendam diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus, etiam fructus omnis jam in ſemine eſt.*

Ex quo, niſi planè cœcutimus, clariſſime in genere perſpicimus, in oculis Dei maxime abominabiles eſſe, qui ſemen illi fini, cui à Deo conſecratum eſt, nempe procreationi ſobolis non deſtinant, quod non tantum faciunt ii, qui ad modum Onanis ſemen in terram cadere permittunt, ſed & qui cum uxore prægnante, quod irrationalia animalia non faciunt, concumbunt, ad quod Monogami propter perpetuam conjunctionem cum uxore, ſemine inſtigante, & uxore ex amore nimio viri tandem conſentiente, adiguntur quodammodo. Quod ipſum tale nobis inſinuat argumentum.

Quicunque ſemen ſuum non adhibet ad procreationem ſobolis à Deo deſtinatum eſt, ille, æque ut Onan reus eſt mortis. Æqualia enim peccata, æquales merentur pœnas.

Atqui Monogamus juvenis abundans ſemine, ut juvenes communiter ſolent, ſive concumbat cum uxore prægnante ſive non concumbat, *non adhibet ſemen fini à Deo deſtinato nempe procreationi ſobolis.*

E. Monogamus juvenis abundans ſemine eſt morte dignus, aut ut clarius res appareat.

Quicunque ſemen à Deo creatum deputat procreationi ſobolis, ille eſt dignus vita. Qui perire ſinit, dignus morte.

Atqui Polygamus ſemen à Deo ipſi concreditum deputat procreationi ſobolis.

E. eſt vita dignus & non morte puniendus, ut modernus mundus ſolet illos plectere capitaliter, qui Polygamiam exercent.

Olim in Regno Neapolitano (ſicut apud Gallos furca juxta Mornacium, apud Friſios fuſtigatio cum relegatione in uſu erat) duas uxores ſimul ducenti candente ferro ſtigma duorum numerorum inuſtum eſt. Hodie

die autem Polygamia ſimultanea gladio punitur juxta pœnalem conſtitutionem Caroli V. *vid, Joach. Beuſtius part. 2. de matr. c. 4. p. 106. Hahnius ICtus part. 2. Obſerv. Theor. Pract. ad l. Jul. de adult. lib. v. p. 735.* ſic ſcribit: Accuratè hic diſcernendæ ſunt pœna Bigamiæ Jure civili præſtituta & ea, quæ eſt ex jure noviſſimo conſtitutionis Carolinæ. Illo jure pœna Bigamiæ eſt, quæ adulterii, (errore enim vulgari æquiparantur) hoc eſt in viro fuſtigatio & relegatio, in fœmina ut virgis cæſa detrudatur in monaſterium *Authent. hodie l. de Repud.* Hoc jure bigamia pœnam habet indiſtinctè capitalem per textum noviſſimum *in d. art.* 121. quem omnes de capitis pœna interpretantur, &c. deinde inter alia quærit, ſi maritus ſit deſertus ab uxore & retro, & ſic cum alia perſona contrahat ante factum divortium, Reſpondet, pœnam ordinariam hic locum non habere, quia remedio uſtionis maluit matrimonium contrahere, quàm luxurioſè vivere, quod etiam obſervari ſolet in viro aut muliere, quando conjugem obiiſſe probabiliter crediderunt, & ſic matrimonium audacter contraxerunt. Succedit quæſtio ſi forte prior ſeu legitima uxor pro bigamo intercedat, & velit ipſi iterum cohabitare, an illa interceſſio vel remiſſio conjugis efficere poſſit, ut locus fiat pœnæ extraordinariæ? Reſpondet autor, videri quod ſic, quod talis remiſſio operari ſoleat in adulterio etiam duplicato. Sed id negare *Danielem Mollerum ad Conſtit. Elect.* quia bigamia gravius ſit delictum, quàm adulterium (*quod quam verum ſit, Deus qui eſt ipſa veritas optimè judicare poteſt. Deus verò in Davide adultero & πολυγάμῳ adulterium puniebat, ſed nequaquam quatuordecim-gamiam, uti nec in Jacobo quadrigamiam nec in Salomone millegamiam, nec in Rehabeam octodecim-gamiam. Deus autem verus eſt juſtiſſimus*) quia in ſe adulterium (*ex mente hominum, quæ an cum mente Dei, qui ὁ ἀμὴν congruat, ex prioribus conſtat*) continet, & ſpeciem duplicis vinculi conjugalis. Tandem quærit, an in bigamia punienda diſpenſatio, & jus aggratiandi locum habet? Reſp. Weil keine Straffe in Gottlichen (NB) und gemeinen Kaiſerlichen Rechten au das laſter *loquimur cum vulgo & ſentimus cum eruditis.* Alias Abrahamus, Jacobus, David, Elkana, Salomom fuiſſent vitioſiſſimi) der ſweyfachen ehe verordnet / ſonderu dis crimen erſtlich durch die peinliche Halsgerichte Ordnung Car. V. Capital worden / auch die Bigamia mit dem adulterio eine groſſe verwandnus (*jure humano, ſed nullatenus divino*) hat / maſſen mangezogner peinlichen Hals-gerichts Ordnung ſei ein Ehebruh (*à Carolo V. qui homo, non à Deo, alias prædicti Patriarchæ etiam adulteri*) genennet wird / und aber in pœnâ adulterii die diſpenſatio oder das jus aggratiandi ſtai hat / wie nicht allein Facultas Juridica Marpurgenſis A. 1629. ſondern auch unſer Collegium Juridicum allhier. Menſ. Ian. An. 1627. erkant / als kan in gegenwertigen

fall aus Fürſtlicher Macht wohl diſpenſiret werden. Richter l. 1. Conſil part. 5. Conf. 11.

Addo denique & hoc prioribus ex facto Onanis adductis argumentis.

Quicunque pluribus vitam communicare poteſt & non facit, ille peccat, juxta regulam Jacobi, *qui ſcit bona facere & non facit*, peccat. Iam vero procreare ſobolem ſeu generare non eſt malum opus ſed ut Ariſtoteles ait naturaliſſimum & optimum. Fuiſſet enim in ſtatu integritatis, in quo nullum peccatum, etſi hodié poſt lapſum multæ imperfectiones & mala ſeu peccata adhæreant. Ita ut vix ob infirmitatem noſtram poſſunt ſeparari, unde Deus legem promulgaturus in monte Sinai, inter alia præparatoria ſuo præcipit populo, ne appropinquent ad uxores Exod. 19. 15. conf. 1 *Sam.* 21. 4. nam in maritatis & legitimo concubitu aliqua immunditiés hærere videtur Lev. 15. 16, 18. quare ob preces & jejunia ritè aliquis poteſt abſtinere à conjuge 1 Cor. 7. non quod edere bibere, in conjugio vivere ſi perſe peccatum, ſed quod illæ actiones ſæpè ſint impedimenta devotionis, ut aliquis non poſſit venire ad Deum, ut ex parabola illa nuptiali conſtat. Hinc Canones in *Concilio Eliberino* caverunt non tantum ut in tribus quadrageſimis, in Paſchate, & die dominico, ut & quarta & ſexta feria conjugati ſe continerent, ſed & ut ante communionem ſacram 7 aut 8 diebus ut ad minimum tribus ſub interminatione pœnæ abſtinerent à conjugibus.

Atqui omnis juvenis maſculus pluribus poteſt communicare vitam per Polygamiam, quod Monogamus non facit.

E. Omnis juvenis maſculus Monogamus peccat. Quemadmodum enim nullus ſanus juvenis, qui edit & bibit, prohibere poteſt, ne augeatur longitudine, latitudine, & profunditate, ita etiam non poteſt impedire, quo minus ſemen in eo creſcat, & mediante cibo & potu generetur. Sicuti autem cœtera bona corporis ut fortitudinem ad ſe & proximum deſcendendum aliaque ad gloriam Dei & bonum proximi uſurpare debet. Ita etiam ſemen rite uſurpare debet, nempe ad procreationem ſobolis. Sed non omnes capiunt hoc *qui poteſt capere capiat*, dicit Salvator in materia conjugii, quod etiam hic repetendum. Deplorandum autem Diabolum tantopere excœcaſſe mundum, ut ſcortationes, quas peccata Onanitica, abortus, infanticidia atque alia ut plurimum comitantur, capitaliter non puniat, cum ſit via mortis ſecundum Solomonem, & ſecundum Apoſtolum excludat à regno cœlorum, bigamiam vero, quæ eſt via vitæ, Deo vitę autori non repugnans capitaliter puniat. Imo in multis locis inter Chriſtianos, ubi adulterium non eſt capitale, quod eſt via inferni & jure divino indiſpenſabili eſt capitale, (*lex humana non poteſt prohibere, quæ jure divi-*

vino poſitivo ſunt mandata) bigamia tamen eſt capitalis. Gentes majori luce gaudent ex luminæ naturæ. Illi ſurgent & hos Chriſtianos, quibus majus lumen datum eſt condemnabunt.

1. *Silentio.* Deus Sanctiſſimus & puriſſimus tantopere abhorruit ab immunditie, ut ſuo populo multas præſcriberet leges, ne polluantur eſculentis & potulentis, de quibus ſupra, ne etiam polluantur cadaveribus, & ſi quæ contingerent pollutiones, offerant ſacrificium aſcendens & deſcendens, atque alia. Cum enim homo ſemper peccatis immerſus, imò in peccatis conceptus & natus ſit, Deus voluit hoc pacto immunditem illi ob oculos ponere, & abulutionibus atque purificationibus ceremonialibus monſtrare, omnem movendum lapidem, ut ab immunditie, quæ à teneris hominibus adhæret, liberentur; Unde videmus ipſas *puerperas* fuiſſe in & poſt puerperium immundas, & opus habuiſſe expiatione & purificatione *Lev.* 12. 2. 5. adeò ut Deus interdixerit conſuetudinem puerperæ non ſecus ac menſtruæ & fluxum poſſæ, cujus rei rationem hanc ſcilicet Rabbini ſuppeditant, *ut conſulatur* ſcilicet *hominis valetudini.* Omnem enim vel defectum vel redundantiam, ajunt, ità noſtræ naturæ eſſe inimicam, ut ex alterutro omnes morbi hinc ſuam habeant orginem. *Non eſt dubium*, inquit R. Levi *quum morbi humani pullulent ex redundantiâ corporis, aut de ſectu, aut reſpectu corruptionis, ex quâcunque cauſa ea concipiatur. & poſt*: Ex hâc ratione reſpectu ſcilicet πλεονάσμα præcipit lex, ut immunda ſit puerpera ob maſculum, ſeptimanam, ob puellam duas ſeptimanas, quia major in illius, quam hujus puerperio eſt πλεονασμός vid *Chinn. p* 68. *a.* Hanc ipſam etiam, ait R. Levi eſſe rationem, cur mulieris immunditiâ menſtruâ laborantis ἀφορισμός ſeu ſeparatio juxta legem ſeptimo die terminetur, ſi vel maximè eo ipſo demum die fluxus ceſſet; Mulieri verò fluvium extra tempus ordinarium paſſæ integri ſeptem dies puri deſtinentur, *vid. plur. in Thalm. Cod. Nidda*, conf. *Maimon. Hil metammee Miſchab. umaſch. c.* 4. ubi docent quod qui rem habeat cum menſtruatâ protervè reus ſit exterminii menſtrualis filius non vocetur quidem ſpurus, ſed proles inhoneſta. Pontificii quidem hodie pro non peccato habent, ut *Gerhardus* recitat *tr. de Conjug.* § 438. *p.* 655. uti & *Anton. Fernand in Exam. Theol. Mor. p.* 3. *c.* 20. § 1. *n.* 6. ex Socienuorum ſententia hanc rationem affert; quia licet proli videatur irrogari gravis injuria propter monſtruoſitatem, vel infectionem lepræ, in qua quidem concipietur; parva tamen illi melius eſt eſſe, utut monſtruoſitate affectæ, quam omnino non eſſe. Verum enim verò hæc ratio eſt parùm Theologica & ſufficiens; Non enim eſt verum illud per omnia; *Melius eſt malè eſſe, quam omninò non eſſe*, ut fortiſſima ἔνστασις datur de damnatis conſer. *Marc.* 14. 21. ſic quod adulterii prolem *Sap.* 3. 16. imò ibidem. c. 4. 1. dicitur κρεσσων eſſe ἀτεκνίαν quàm ſcilicet malos habere filios. Idem & multò magis cogita, præſertim cum ipſa ſua libidine in culpa & cauſa fueris. Quin imò quantò rectius illis laſcivis & indomitis capris occini poterit. ex *Luc.* 23. 29. *Beatæ ſteriles & ventres, quæ non conceperunt.* Quid enim calamitoſius, miſerabilius & deteſtabilius tali monſtroſa & leproſa prole, quam turpis & nefanda libido ſeminavit. Taceo quod expreſſe ſit contra legem Dei *Lev.* 18. 19. 20. 18. *Ez.* 18. 6. 22. 10. & quod hoc non ad ceremonialem ſed ad moralem pertineat legem ex contextu *Lev.* 18. 19. ſatis conſtat, uti & monſtrat *Gerh. l. c.* vid & *Zepper. Expoſ. Leg. Moſ. p.* 458. *Alſted. Caſ. Concſ. p.* 388. *D. Jac. Horſt. in Comment Lemn. de Occult. N.* 1. 2. *c.* 8. Sicut verò puerperæ, menſtruatæ & ſanguinis fluxum patientes pollutæ erant & polluebant alia & alios, ita & in viris tales erant pollutiones in ſemini fluis, gonorrhæis *Lev.* 15. 2. 13. Polluebat autem talis, ut R. Levi ait, ſtratum, ſagma ephippium, ſtando, ſedendo, pendendo, nitando, & pœnam ideò inflictam vult à Deo ut ſanctitatis & ſobrietatis in nobis ardentius ſtu-

ſtudium excitet. Quin etiam, qui cum uxore rem habebat, polluebatur & polluebat & immundus erat uſque ad veſperam *Lev.* 15. 16. 17. Quo ipſo Deus moderatiorem conjugii præſcribere voluit. Quia enim maritus & uxor poſt concubitum immundi erant uſque ad veſperam non poterant exire & vocationis operibus laboribus domeſticis vacare; atque ea propter opus, ut temperantius conſueſcerent, ne ſibi indies incommodarent. Totum vero corpus in omnibus his pollutionibus erat abluendum aqua, cujus menſura erat 40 ſatorum, ut qui intingitur, indice aqua, animam ſuam purgat ab omni peccato Ablutionem vero illam peragebant interdiu, excepta menſtruali & puerpera, quæ noctu lavabantur, & licet baptiſmi quidam fierent interdiu, purificatio tamen illorum demum perficiebatur ad occaſum ſolis.

2. *Onan.* Peccatum Onanitium Paulus 1 *Cor.* 6 9. vocat mollitiem Neque molles regnum Dei poſſidebunt, ubi molles Syrus Paraphreſtes Termellio interprete, exponit *corruptores ſui ipſorum* Quò dictum quoddam Salomonis trahere videtur Epiphanius in libr. ad verſ. Valeſios qui ſeipſos caſtrabant, ubi inſit: *Salomon reprimens Enunchorum turpitudinem, dicit Beatus Enunchus qui non operatur in manu ſcelus, neque cogitat malum adverſus Dominum.* Loquitur de Eunuchorum titillanti laſciviâ & impudicitiâ apud Anaſtaſ. Nicæn. q. 79. inſcriptu-ram. Adde *Vicent. Belvacenſen Epiſc. in Spec Nat.* Adjicio civilem pœnam quam multi ignorant, qui hoc flagitium elevare, quod in ſe eſt, ſtudent. *Angel, Aretinus tr de malf. n.* 53. cenſet, eum, que propriis manibus fallit, pœnâ capitis officiendum ſuffragante *M. Anton. Delcio in Miſcell ad L. eum vir nubit; C. ac. L. Jul. de adult. Jo Gerſon tr. deConfeſſ.* ſcribit mollicici leges publices pœnam ignis infligere. NB. quoque *Bernhardus* Abbas Claræвall. Cum eoque idem *Jo. Gerſon in ſolemn. omnium Sanct.* mittunt ad latrones, ad ignem ad ignem. *Plato in LL. tanquam* homicidii ſpeciem acerrimè deteſtatur, quippe non minus homicida cenſendus, qui hominem præcipit naſciturum, quàm qui natum tollit è medio. Audacior quidem, qui præſentem abrumpit vitam, crudelior autem, qui lucem invidet naſcituro, & nondum natos ſuos filios enecat. *Marſ. Ficin. Comment. in Corvio Platen. p.* 164. Mitius tamen cum illis agendum *Jodoc. Damhouder* magnus ille quondam Magni Imp. Caroli V. Conſiliarius, cenſet, dum ſcribit Primam ſpeciem Sodomiticam committunt, quicunque ſecum Venerea ſecretò exercent, quod ſcelus Apoſtolus *mollitiem* vocat Latine verò magis propriè *maſtrupationem* nominant. Hos itaque maſtrupatores damnant propter fœdam enormitatem aut *exitio*, aut aliâ *pœna extraordinaria* in *Prax. Rex. Crim.* c. 96. *n.* 5. vid. *Georg. Erhard. in Petr. p.* 579. *Gerhard. tr. de Leg.* §. 165. *Anton. Fern. p.* 4. § 4. *p.* 970. *Alſted. in Encyclop. Philoſ. p.* 1705. *& in Theol. Caſ p.* 386. *Pollutio nocturna,* inquit *eſt contra rectam rationem, quoniam petulanter effunditur ſemen humanum extra copulam matrimonialem, quod tamen à naturâ eſt inſtitutum ad conjugalem copulam, ut proles inde naſcatur.* vid. & *Corbonem in* 2 2. *quæſt* 145. *a.* 11. *p.* 632. Lutherus pro graviori peccato habel, quàm eſt inceſtus aut adulterium. *Comment. in Gen.* 4. 38. Abuſus ſeminis homicidii reum facit. *Selnecc. p.* 3. *Exam Ordin. p* 3. Imprimis verò caveant Chriſtiani hoc ſcelere, quod ſemen taliter effuſum ad Campoſinum generationem à Dæmonibus incubis adhiberi Doctores & autores graviſſimi ſentiant. v. *Zepper. de Leg. Moſ. l.* 4. *c.* 18. *p* 462. 463. *Alſted Theol. Caſ p.* 389. *Epiphanius Tom. l.* 2. *hæreſ.* 36. poſtquam diſſeruiſſet de turpitudine quorundam *Origenicorum*, quod turpiter more Onanitico agerent cum fœminis, tandem etiam ſic ait: Alii verò hoc deteſtabile opus perficere ſtudent, non per fœminas, ſed aliis propriis manibus ſe polluentes: Et ſimiliter imitantur prædictum filium Judæ, terram nefandis ſuis operationibus & abominabilibus guttis polluentes, & pedibus ſuis fluxiones ſuas conterentes in terrâ, ad ſuſceptionem imprægnatonis &c. Vide autores *Mallei Maleficarum & D. Jac. Baro de Liechtenberg & Martinus de Arles. Sodoc. Hockerius in tr. cujus Titulus: Diabolus ipſiſſimus c.* 42 *in Theatr. Diab. p.* 1. *f.* 56. ambigit quidem de ſententia, ſed tamen ad-

addit, in Italia tot Onanitas inter Monachos & Clericos dari, ut mirum non ſit Diabolum permiſſione Dei ſemine abuti. Olim quidem pro maximo crimine habitum fuit, ut ita pollutus non potuerit celebrare miſſam. Sed quia hoc pacto multæ miſſæ fuiſſent intermittendæ ob creberrimas nocturnas & diurnas ſanctulorum & caſtorum Clericorum pollutiones, hæc conſtitutio in deſuetudinem venit. Unde *Franciſc. à Victoria q.* 81. *p.* 43. de ſacrâ cœnâ quærit: An pollutio nocturna impediat ſumptionem & adminiſtrationem Euchariſtiæ? & Reſpondet: *quod non* vid. *Luther. Dipnoſ. de conj. p.* 454. Ignoſcat autem pius & pudicus lector, multa de hoc flagitio hic fuiſſe dicta; Certe potens eſt Diabolus in corrumpendis pueris & adoleſcentibus, præſertim etiam Scholaſticis, ubi unus ſæpè alterum atque iterum alterum ſeducit & inquinat, quod de Scholis imprimis provincialibus non inauditum, præſertim in *Sueviâ vinoſâ*, ubi bini & bini jacent in uno lecto, ita ut vix cenſeam unum Scholarem eſſe alienum ab iſtis ſceleribus & peccatis Sodomiticis pariter & Onaniticis, quæ deinde in Academiis continuantur, uſque dum ad cathedras Scholaſticas & Eccleſiaſticas promoveantur. Melius eſſet iſtas Scholas totaliter aboleri, quàm optima ingenia corrumpi. At quàm turpia & nefanda ibi condiſcuntur & patrantur, & nimis verum evadit de Scholarum ejusmodi converſationibus, quod Solomon dicit *Eccleſ.* 9. 18. *Unus peccator multa bona perdit.* i. e. Unus impudicus & Onaniticus nebulo ſæpè bonos multos alios & frugi pueros inficit & conſpurcat. Leve enim & ludicrum putatur, quod tamen adeo fœdum & abominandum Domino eſſe, ex dictis patet. Unde unus & alter habet, quo ſe examinet & diſcutiat, & ab hoc βδελυγμα ſedulo ſibi caveat. Incidi (ſcribit B. D. *Hunnius*) in utroque monaſterio in corruptiſſimos adoleſcentes, per quos Diabolus mihi vehementer inſidiatus eſt, ut ſuis retibus totum implicaret. *Threnol. de ob. Hunn. D. Hutt. p.* 8.

Sciendum etiam porro eſt, quod involuntariæ etiam pollutiones non ſint ſine peccato, uti *Oſiand. in Deut.* 23. ſcribit: *Etſi involuntaria ſeminis effuſio non damnat hominem, tamen, ſignificat, hominem illum affectibus carnis aliquo modo coram Deo ſordidatum; aliàs ſi cor hominis totum eſſet purum, ne dormienti quidem tale quid accideret. Quare per fidem ſanguine Chriſti nos conſpergamus, quoties aliquid labis eſt contractum* &c &c. *S. Auguſt. in ſerm. comm. ſerm.* 4 dicit, *Quid pravius, quid malignius, quidque adverſario noſtro nequius, qui poſuit in cælo bellum, in paradiſo fraudem &c. in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad ſomnia turpia.* Notatu vero digniſſima ſunt verba, quæ idem Pater Hipponenſis protulit *l.* 10. *Confeſſ. c.* 30 *Sed adhuc vivunt*, inquit, *in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi conſuetudo mea fixit, & occurſant mihi vigilanti quidem carentes viribus, In ſomnis autem non ſolum uſque ad delectationem, ſed etiam uſque ad conſenſionem factumque ſimillimum. Et tantum valet imaginis illuſio in anima mea, & in carne mea, ut dormienti falſa perſuadeant, quod vigilanti vera non poſſunt.* Et dein ſubnectit, *Nunquid non potens eſt manus tua*, Deus Omnipotens, *ſanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tuâ laſcivos motus etiam mei ſoporis extinguere? Augebis* Domine, *magis magisque in me munera tua; ut anima mea ſequatur me ad te concupiſcentiæ viſio expedita, ut non ſit rebellis ſibi, atque ut in ſomnis etiam non ſolum non perpetret iſtas corruptelarum turpitudines, per imagines animales uſque ad carnis fluxum, ſed ne conſentiat quidem.* conf. etiam *Gregorium Iſidorum in Iure Canonico diſt.* 6. *Menger. Scrut. Conſc. c.* 10. 4. 34. *p.* 774.

3. *Fructus omnis jam in ſemine eſt.* Sic & *Synodus Sexta* in *Trullo* habita *can.* 91. *Eas, quæ dant medicamenta partum abigentia, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidii pœnæ ſubjicimus.* Ita & Arnob. contra Gentes *Sunt quæ in ipſis viſceribus medicamentis epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant.* Athenagoras it. in Apolog. pro Chriſt. *Qui mulieres, medicamentis abortivis utentes, homines occidere & rationes redituras Deo dicimus, quâ ratione jam natos & perfectos homines nos jugulabimus?* Nec abſentit Navarrus c. 15. *Peccat* inquiens, *mulier*

mulier gravida, quæ procurat abortum, ſumendo pharmaca in eum finem confecta vel nimio labore corpus defatigando, vel quocunque alio modo etiamſi effectus non ſequatur, Nam ut quis lethaliter delinquat; ſatis eſt malum animum habere, vel culpam, quam latam vocant, admittere. vid. *c. de præſumt. Si quis per neglig. de Conſecr. diſt.* 2. Eadem ſentit quoque D. D. *Rungius* cum in Comment. in Ex. 21. furorem Diabolicum vocat, *quando fœminæ virginitatem mentitæ* (ſic viduæ) *cum ex libidine prohibitâ conceperint, medicamentis, aliisque modis conceptum abigunt, vel etiam partum in lucem editum planè necant.* Hoc & Gentiles agnovêre. *Plato* l. 9. de LL. pro magno crimine habet. Sic & *Martial.* l. 9. Ep. 42;

Hoc nihil eſſe putas, ſcelus eſt, mihi crede, ſed ingens,
Quantum vix animo concipis ipſe tuo.
Ipſam crede tibi naturam ducere rerum.
Iſtud, quod digitis, Pontice, perdis homo eſt.

conf. *Menger. Scrut Conſc. c.* 9. *q.* 124. 133. *p.* 731. 735. Circa pœnam autem abacti partus ita diſtinguunt Doctores, ut, ſi abactus fuerit fœtus, qui jam eſt animal, παιδίον ἐξεικονισμένον, utero ſcilicet jam verminante, tum capitale ſit crimen. Sin verò nondum fuerit animal, tum minor pœna infligatur, veluti ſi in primis menſibus, intra 40 aut 90 diem abortus procuratus fuerit *Cujac. l.* 19. *Obſerv.* 9. *Paul. Zacchias quæſt. Medico Legal. tit.* 2. *q.* 9. *Valent. Volzius in app. ad L. Corn. de ſicar. n.* 99. In Conſtitution. *Elect. Sax.* 4. *p.* 4. tum demum mortis ſupplicio afficiuntur abigentes partum, quando fuerit jam in utero vitalis, i. e. quando dimidium temporis jam ſuperavit, quo alias in utero ſolent eſſe infantes. Sed enim, ut maximè pœnarum gradus ſtatui & decerni queant, ita ut gravius puniatur ille, qui παιδίον, quàm qui ἔμβρυον, & gravius qui ἔμβρυον, quàm qui κύημα vel γονὴν abigit, in omnibus tamen his vitam illicò poſt conceptionem adeſſe, dubitare hos hodiè non ſinunt Phyſici & Medici qui docent ſemen, quod in utero benè diſpoſito miſtum & ſuſcitatum eſt, illicò poſt talem miſtionem, vitale eſſe. Nec tamen hinc faciendum arbitror cum *Anton. Theſſauro*, qui, quanquam & ipſe diſtinctionem eam inter fœtum animatum & nondum animatum non admittat, nunquam tamen *locum* eſſe vult *ſupplicio mortis deciſ.* 12. *Canoniſtæ* aliàs ſtatuunt, licitè poſſe abortiones poculum præberi quando evidens periculum ex partu apparet, quod ſcilicet puerpera ſoleat ad extremum deduci, aut nimis arcta ſit, ut præ uteri anguſtia fœtum ferre nequeat, *Barboſ. ad c.* 5. 10. *de homic*, aut fama ejus lædatur, aut aliter diſcrimen exiſtimationis metuatur. Sed nihil horum ſufficiens eſt, ut abortionis poculum licitum reddi queat. Vid. *Danh. Diſp. Decalog.* 2. §. 15. Neque enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona, & propter incertum puerperii èventum impium eſt impedire, ne naſcatur. Ita & *Joſeph. l.* 2. *adverſum Appian. Liberos nubere præcepit lex, univerſis autem mulieribus interdixit, vel celare, quod natum eſt, vel alia machinatione corrumpere filios. Infanticida enim eſſet animos demoliens, & genus imminuens.* Quæ verba Joſephi etiam citantur ab *Euſeb. præpar. Euang. l.* 8. *c.* 8. Scilicet maximum apud Hebræos crimen erat, fœtus humanos teneros in utero extinguere, vel etiam abjicere, vel exponere, quod apud Gentiles erat frequentiſſimum, qua de re vide ſi placet, quæ toto demenſa horreo congeſſit ICTus Hiſpanus *Alphonſus à Caranza lib. de partu nat. & legitimo c.* 4. & *Philo tit. de Leg. ſpec. ad præc.* 6. & 7. dicit; lege Moſaica vetitam eſſe *expoſitionem infantum, quæ apud multas gentes propter nativam inhumanitatem eſt vulgaris impietas:* conf. *Selden. de Jur. Nat.* 4. 1. *p.* 480.

4. *Reus mortis.* Abſurda hinc nonnulla ſomniator Pſeudovictoriæ ſomniat, & primum quidem putat, inde ſequi, omnem juvenem maſculum, ne corrumpi ſineret ſemen, protinus debere ducere uxorem unam, vel alteram, cum tamen non illico detur occaſio honeſti & decentis matrimonii, atque ætas triginta penè annorum juxta Plat. l. 4. de Leg. *Criſtot. l.* 7. *Polit. c.* 16. *Solonem apud Philonem de mundi opificio l.* 1. *Heſiodum in Ergois, Clementem* 6. *Strom.* requiratur. Quibus Philoſophis omnibus oppo-

no φιλοσοφώτατον *Paulum*, qui unus inſtar omnium dicit: *melius eſt nubere, quàm uri*, i.e. qui ſentit pruritus uſtiones, & pollutiones carnis, ſive profluvium ſeminis, ad conjugium obligatur, etſi vix vigeſimum annum attigerit, ut Judæi moderni, nullis officiis, beneficiis, præ'iis, artificiis inſigniti, rectè faciunt. *Propter ſcortationes*, quibus ejusmodi homines juvenes, calore primo æſtuantes ſunt obnoxii, *habeat unuſquisque uxorem ſuam.* Nec deerit occaſio honeſti & decentis matrimonii, ſi Deum oret, & media à Deo per proximum oblata, atque occaſionem fronte capillatam, quam juvenis ætate florens non poteſt, non habere, non negligat, atque ſumtibus, ceremoniisque parcat. Alterum abſurdum Anti-Polygami, quod offertur, eſt, quod multi Monogami ante Chriſtum natum & poſt Chriſtum fuiſſent hoc pacto morte digni. Sed Reſpondetur, quid illi ad nos? manemus in verbis animi, corporis, & fortunæ ſerò nempe ſæpè quadragenarii, & unicam tantùm duxerint, nec plures forſitan, quæ ratione iſtarum trium facultatum ipſis placuerint, invenire potuerint, negare non poſſumus, nec in illorum tamen cauſas, quas habuerunt, anxie inquiremus, aut an peccarint ſolicitius perſcrutabimur. Multi certe ex ignorantia & diffidentia propriarum virium & facultatum Monogami ſunt & manent. Mirâ occaſione niſi Jacobus ad quadrigamiam perveniſſet, in Monogamia fortean etiam permanſiſſet. Neque enim adducor ut credam, ipſum in itinere hoc concepiſſe, aut concipere potuiſſe, quod quatuor uxores poſſet cum infantibus inde naſciturus alere, regere, educare & informare. Et quid præterea obſtat, ſi dicatur illos Monogamos peccaſſe peccatum ignorantiæ & omiſſionis illius, quod non illicò eſt in ipſorum poteſtate, & quod conducibile non adeo eſſe putant. Mulierem ſanè invenire, regere, & ad placitum inflectere res eſt non minimi momenti, poſt lapſum præſertim. Si Abrahamus exteram æqualem Saræ, & Jacobus alias non inferiores Rahele duxiſſet, Oeconomia fortean peſſundata fuiſſet. Sorores autem facilius concordant, & ancillæ, ad faſtigium uxorium deductæ, rebus domeſticis fidelius non ſine reverentiâ uxoribus honoratioribus debitâ conſulent. Prudentiâ enim opus in uxore & uxoribus ducendis, ne ſalus domeſtica evertatur, & maxima perpetiatur damna. Quæ ſi quis inſuperabilia concipit, nullumque adjutorium in ductione plurium ſentit, adeoque ſe incapacem æſtimat, vitio vetti non poteſt, ſi id omittit, ad quod in propriis cœcus ſe ineptum videt. Regibus, Principibus, Davidibus, Salomonibus, aliisque magna ſpirantibus, & in magnâ autoritate conſtitutis, omnes, præſertim debiliori animo præditi, ad nutum obediunt. Tertiò diſtinguit Anti-Polygamus inter Onanem & alium juvenem Monogamum, atque dicit illum malitioſe & protervè peccaſſe, quod de hoc non ſemper dici poſſet. Quod ipſum libenter concedimus, non negantes interim, quod in hoc utrique conveniant, quòd inutiliter ſemen perdant. Loquitur verò de Polygamia tanquam re malâ & prohibitâ, juvenibus non affectandâ, quod prius probandum. Porrò Anti-Polygamus noſter Pſeudovictor ſcilicet, dicit ſuperfluum ſemen in juvene à naturâ ſanâ & incolumi per pollutiones nocturnas Deut. 23. 10. Lev. 15. maxime in quiete excerni. At enim hæ pollutiones peccatis annumerantur, quæ expiationibus & ablutionibus habent opus. Paulus conjugium omnibus commendat, ut ſcortationes diurnæ & nocturnæ vigilantibus vel dorminentibus in ſomno & ſomniis quaſi peractæ evitentur. Sicuti & conſcientioſi Medici ſæpe numero juvenibus & virginibus, ex ἀγαμίας & ὀψιγαμίας nonnulla incommoda ſentientibus, & periculum ſanitatis incurrentibus hoc conſilium ſuppeditant, ut ducant & nubant. Neque enim laudandi ſunt Abbates & Gardiani, qui ſuis Monachis frigidantia propinant, atque cibum potumque herbis Venerem extinguentibus coquunt, ſicuti ſupra retulimus exemplum uxoris, quæ noluit ut maritus amplius in Monaſterio laboribus defungatur & cerviſiâ illorum, Veneris impetus frangente, utatur. Tandem præſcribit etiam Pſeudotriumphator media quædam ſanitatis & caſtitatis ſervandæ eaque vel naturalia, ut jejunia, abſtinentia, vel moralia, preces, otii fugam &c. Si legiſſet illa Centum media & ad-

adminicula æternæ illius Caſtitatis Pontificiæ, in peculiari libro prolixè deſcripta, ut A. 1654. edita, mirum in modum potuiſſet triumphos & aureas ſibi fingere victorias. Optimum adminiculum nobis ſuppeditat Paulus dicens: *melius eſt nubere quàm uri.* Siquidem caſtitas etiam eſt in conjugio, nec nos creati ſumus ad continentiam à Venere, ſicuti nec conditi ad abſtinentiam à cibo, potu, & miror, cum Anti-Polygami cum Marianis putent ſe poſſe obtinere precibus abſtinentiam à Venere juxta illud: petite & dabitur vobis: cur deſperent ſe à cibo & potu poſſe abſtinentiam impetrare, & cur non has preces etiam pauperculis cibo & potu deſtitutis præſcribant. Ipſi Monachi, qui dono continentiæ gloriantur, non poſſunt ſuis precibus horariis & roſariis innumeris à Deo obtinere donum continentiæ à cibo & potu, ſed cotidiè per plateas, pagos, villas circumcurſitant, & panem atque pannum, ova & oves, pernas & perdices, aliaque omnia, quæ ipſis à ſimplicibus reſticulis offeruntur, convaſant & conſarcinant, Monaſteriaque important. Sanè Anti-Polygamus præſens non poſſet melius ſuo Hoſpitali, quod ad omnia à Deo obtinenda dona informat, proſpicere, quam hoc donum continentiæ à cibo & potu ſi à Deo precibus ſuis impetret. Sed Deus vult temporalia dona & omnia ut in nomine Chriſti & ſub conditione petamus, ſi nobis ſint ſalutaria, & Eccleſiæ proficua. Unde verò Eccleſia ædificaretur, ſi omnes continentiæ à Venere donum haberent, & nulli amplius procrearentur. Deus ipſe inſtituit conjugium & ad hoc omnes homines per præceptum illud Catholicum: creſcite & multiplicamini: vocavit, primoque miraculo confirmavit, nec vult, ut abſtineamus à conjugio, ſed illud primum præcipuum Univerſaliſſimum & naturaliſſimum mandatum obſervemus; Quod cum non alio pacto fieri poſſit, quàm ſi contrahamus matrimonium, neceſſe eſt, ut illud medium, ſine quo finis obtineri nequit, attendamus, atque ità etiam continentiam moderatam teneamus, quam Deus deſiderat, non totalem illam à conjugio abſtinentiam, quam Anti-Polygàmi fingunt & pingunt.

5. *Richterus l.* 1. *Conſil.* Quia hoc conſilium Germanica lingua conceptum ab exteris capi non poteſt, ideo in gratiam illorum in Latinam convertam linguam, ut omnes intelligant, poſſet verò hoc pacto reddi, *Quia nulla pœna in divino & communi Cæſareo jure bigamiæ vitio* (ita appellatur cùm vulgo, ſed eruditi aliter ſentiunt, cœteròquin Abrahamus, Jacobus, David, Elkana, Salomon fuiſſent vitioſiſſimi, ſi Polygamia eſſet vitium) *aſſignata eſt, ſed in hoc crimen* (uti putatur) *primùm per Criminales Caroli V. Conſtitutiones capitale ſupplicium conſtitutum eſt, bigamia quoque cum adulterio magnam cognationem habet,* (jure humano ſc. Pontificali & poſt Imperiali, non divino) *ut pote quæ etiam in prædictâ Conſtitutione Criminali adulterium* (à Carolo V. qui homo, non à Deo, aliàs omnes Patriarchæ adulteri) *appellatur, nunc verò in pœnâ adulterii diſpenſatio ſeu jus aggratiandi locum habet, uti non tantùm Facultas Juridica Marpurgenſis A.* 1629, *ſed ad Collegium noſtrum Juridicum menſe Ianuario A.* 1627. *decidit, itaque in præſenti caſu de bigamia autoritate Principis etiam diſpenſari poteſt.* Hoc Judicium Senenſe dudum præceſſit Conſilium Facultatis Lipſienſis, quod habetur in Tom. 2. Conſiliorum Francofurtenſium A. 1568. editorum quod eſt 53 ſeu penultimum, cujus verba ita habent n. 24. *Nec obſtat, quod Romanus in d. ſingular.* 535. *voluit adverſus eum, qui binas nuptias contrahit capitis pœnam ſancitam eſſe per textum d. l. Eum qui duas,* (18. Cod. ad L. Jul. de adult) *Et enim hæc* (Ludov) *Romani jamdudum rejecta & exploſa eſt ſententia, ut pote qui ab aliis omnibus uno ore reprehendatur, Sic enim Angelus in tr. Malef. in verbo;* Ohe hai adulterato, n. 56. *in genere reprehendit omnes, qui puniunt capite eos, qui duas uxores habent dicens,* eos errare in intellectu d. l. Eum qui duas. *Sic & Auguſt. Ariminenſis in Adelid ad Angel. modò allegato in loco nominatim & in ſpecie reprehendit Romanum. itemque facit Nicol. Pigius in addit ad ſingul. Romani, d. ſingulari* 537. *& Didac. Cimar. in d. c.* 7. §. 3. *n.* 6. *in.* 2. *part. Epit. in libr.* 4. *Decr. tinentes textu expreſſo in d.* §. *it. Leg. Iul. Inſtit. de publ. Iud. qui mitiorem,*

quàm

quàm gladii pœnam facit in eo, qui ſtupri crimen committunt, *quemadmodum ſupra dictum eſt. Et quanquam ad collocandam ſententiam Romani textus in d. l. 1, §. fin. de Extraord. Crim. ubi ſtuprum capitis pœnâ plectitur, adductus fuerit, ille tamen textus* non de ſimplici ſtupro, *de quo textus in d. §. it. Lex. ſalia loquitur*, ſed de ejuſmodi ſtupro, in quo inter venit violentia, interpellando, conducendo vel communicando, *intelllgendus eſt. Bartol. d l. §. fin. de Extraord. Crim. & Alex in d. Conſil.* 165. *in princip. 7. volum.* Tertium Conſilium ſuppeditat Facultas Juridica Juliana, quæ ſuperiori anno 1679. Menſ.

Hoc reſcriptum petenti communicavit

Erkennen darauch vor recht/ Ob zwar in Kaiſer Carel des V. und das Heil. Römiſche Reich peinlicher Halsgerichtsordnung auf das übel der Zweyfachen Eh/ wenn nur ſolches böſer betrüglicher weiſe mit wiſſen und willen vollenbracht worden / die ſtraffe des Ehbruchs / und folglich des ſchwerts / weil es ein Ehbruch / und Inhalt des 121. Articuls noch gröſſer / denn daſſelbe laſter iſt gehezet worden / ſo gar / das ob gleich in dem laſter des Ehbruchs / wenn ein Ehgatte dem andern ſein verbrechen verzeiht / und ferner Ehlich bey zu wohnen verſpricht / die Lebens und Leibsſtraffe gar wohl in eine Landtsverweiſung und auch ferner beſundenen umbſtänden nach in eine leidliche Geldbuſſe von der Oberkeit verwandelt werden kann / jedoch ſolches alles in dem laſter Zwiefachen Eh nicht ſtatt findet / ſondern ſolches indiſtinctè mit dem Leben vermögen ob angezogener Peinlicher Halsgerichtsordnung gebüſſet werden mus / und es dahero das anſehen gewinnet / ob were auch Sempronius dieſes begangen laſters halben mit dem Leben zuſtraffen. Dieweil jedoch die Polygamia Simultanea ſo wenig dem Natürlichen Rechte / als der Heiligen Schrifft zu wieder iſt / in betrachtung das Gott auch den Heil. Vätern und andern Perſonen / die nach dem willen Gottes gelebet / zwey und mehr Weiber zu einer Zeit zu heyrathen dergeſtalt zugelaſſen hat / daß ſie ſich dadurch ſeiner Göttlichen Gnade durchgantz nicht verluſtigt gemacht / man auch in der Heil. Schrift Neues Teſtaments / noch ſonſten nirgends erweislich findet / das die Jüden / ſo ſich zu der Apoſtel und kurtz darauff folgende Zeiten zu der Chriſtlichen Lehre bekennet / wenn ſie etwa mehr Weiber als eine gehabt / ſich derſelben abthun müſſen / und nur eine behalten dürfen / und alſo keine gewiſſe / noch weniger aber Leibs und Lebenſtraffe auf die Polygamiam ſimultaneam geſetz / und daher klar zu ſchlieſſen / das die darauf in der Peinlichen Halsgerichtsordnung geſetzte lebensſtraffe ſchlechter dings in jure poſitivo humano gegründet ſey / davon aber einer Chriſtlichen Obrigkeit aus triftigen urſachen abzureichen allerdings zugelaſſen iſt / Demnach halten wir dafür / das wenn gleich der Sempronius in einem zu dem Römiſchen Reiche gehörigen Orte / und all wo nach der Peinlichen Halsgerichtsordnung geſprochen werden muß / und alſo vielmehr / wenn ſolcher Ort auſerhalb Römiſchen Reich gelegen /

eine Chriſtlichen gewiſſenhafte Obrigkeit in betrachtung daß er dem Fürſten ſelbiges Orts bereiteter maſſen groſſe dienſte gethan/ und ſonſten geſtallen ſachen nach mit Leibs und Lebens-ſtraffe zu verſchönen/ ꝛc. Ne exteri habeant, quod conquerantur, in gratiam illorum Latio ſermone conſilium hoc proponam; hoc pacto: *Proinde ceu juſtum pronuntiamus, Etſi in Caroli V. & Sacri Romani Imperii Criminalibus Conſtitutionibus bigamia, ſi doloſe & voluntarie conſummata fuerit, pœna adulterii, & conſequenter gladii, quia adulterium, & juxta tenorem articuli* 121. *major adulterio, aſſignata fuerit; adeò, ut licet in cauſa adulterii, ſi alter conjux alteri delictum condonat, & matrimoni aliter cohabitare iterum promittit, pœna gladii in relegationem, aut habitâ circumſtantiarum ratione, in quandam mulctam pecuniariam à Magiſtratu permutari poſſit, hoc tamen in bigamiâ locum non inveniat, ſed illa indiſtinctè capitali pœnâ, vi prædictæ Conſtitutionis criminalis, afficienda ſit, atque ità etiam Sempronius ob hoc delictum commiſſum capite plectendus videatur: Quia tamen* Polygamia ſimultanea neque legi naturæ, neque ſcripturæ ſacræ contrariatur, *ſiqnidem Deus* Sanctiſſimis Patriarchis, aliisque perſonis, qui ſecundum voluntatem Dei vixerunt, plures una uxores ſimul in matrimonio habere permiſit, ita ut ea propter divinâ gratiâ non exciderint; *neque etiam ex Novo Teſtamento, aut aliorſum demonſtrari poteſt*, quod Judæi, qui temporibus Apoſtolorum & ſequentibus ad Chriſtianam ſunt converſi fidem, ſi forſitan plures uxores habuerunt, ſe iis abdicare & unicam tantum retinere obligati fuerint; *atque ita nulla certa, multò minus capitalis pœna* Polygamiæ ſimultaneæ adjudicata ſit. *ac proinde colligi poteſt, quod in Conſtitutionibus Criminalibus dictata* pœna capitalis ſimpliciter in jure humano poſitivo fundata ſit, *a quò tamen Chriſtiano Maigſtratus ob prægnantes cauſas recedere omnino licet. Quamobrem æquum cenſemus, quod licet Sempronius in aliquo Sacri Romani Imperii loco, & multo magis ſi extra Imperium Romanum commoretur atque habitet, Chriſtianus Conſcientioſus Magiſtratus ob prædictas cauſas, & quia Principi egregia præſtitit ſervitia*, capitalem pœnam remittere *atque condonare poſſit*. Hæc ſunt trium Facultatum reſcripta graviſſima, optimo fundamento ſubnixa, & à Magiſtratu Conſcientiario, à ſanguinis, quem Chriſtus ſuo ſanguine pretioſiſſimo redemit, profuſione abhorrente, merito æſtimanda atque obſervanda. Sunt & aliæ tres Facultates, quorum reſponſa adhuc expectantur, & cum hactenus tacuerunt, conſentire ſimul videntur. Sed ſufficit ille numerus ſacer ternarius, de quo Poëta:

Necte tribus nodis, numero Deus impare gaudet.

Funiculus ille triplex non facilè rumpetur. Siquidem in ore trium eſt veritas. vid. Bongus de Myſt. Num. Quamobrem Magiſtratus Chriſtianus maximopere cavebit, ne in gratiam mulierculárum mariti primi pertæſarum, & Polygamiæ muliebri deditarum, atque nullam aliam ob cauſam, quàm ob laſciviam, γυναικοκρατειαν, aut etiam alimoniæ, ut potius ſexus diffidentiam maritos Polygamos accuſantium, ſanguinem innocentem profundat, viduas & orphanos efficiat, & fœminas in malitiâ atque peſſimo jure hactenus in præjudicium damnoſiſſimum virorum obſervatum confirmet. Quamquam enim ſummo jure, quod ſæpè ſumma injuria, Magiſtratus ſuarum legum prævaricatores acerrime punite poſſit; quia tamen ἐπιείκεια ſummo præſtat rigori, & Magiſtratum nil magis deceat, quàm clementia, poteſt omnino ſuas mitigare pœnas, & cum videt leges Reipublicæ, Eccleſiæ & Oeconomiæ damnoſas, leges ſuas benignâ interpretatione mutare, ſenſim connivendo, & quaſi aliud agendo abrogare, præſertim cum hæc lex & pœna capitalis, Polygamiæ impoſita falſo nitatur fundamento, & communi opinioni, quaſi Polygamia ſit contra ſcripturam ſacram, innixa ſuffulciatur. Quod fundamentum arenoſum cum jam ſit ſubrutum, non poteſt non illud, quod ſuperſtructum eſt, ſimul cadere. Quin potius fœminæ, quibus olim maritos

ritos accuſare aut in curiâ apparere non licebat, acerbiſſime ſunt redarguendæ, & ob vitia atque peccata detrimentoſiſſima ſeveriſſimè puniendæ. Quid enim aliud ſuis his temerariis & inconſideratis accuſationibus produnt, quàm laſciviæ amorem, dominandi libidinem, γυναικοκρατείας deſiderium, invidiæ & zelotypiæ præpoſteræ vitium, atque alia innumera huic propullulantia peccata, & Reip. Oeconomiæ atque Eccleſiæ maxime damnoſa. Quæ ſi impunita aut irreprehenſa permittat Magiſtratus, nulli boni cives, atque incolæ impoſterum erunt futuri. Qualis enim educatio poteſt ab his oriri fœminis, & qualis Oeconomiæ adminiſtratio. Et unde hodie tot calamitates & plagæ inſupportabiles in Oeconomiâ & omnibus ſtatibus hominum, niſi ab his fœminarum vitiis, à paſtoribus & Magiſtratu eradicandis.

Quicunque pluribus vitam communicare poteſt. Non inficias imus, ut ſomniat Pſeudo-Victor, Deum eſſe fontem & autorem vitæ, ſed parentes etiam ſuo modo concurrunt. Sicuti dictum etiam à Gentilibus: Sol & homo generant hominem, Deus eſt cauſa univerſaliſſima, ſol univerſalis, particularis & ſingularis ipſi parentes, qui etiam præter modum cauſandi & efficiendi ſuppeditant materiam & formam. Præterea verò procreare liberos neque bonum eſſe, neque malum, ſed indifferens eſſe ſcripturæ ſacræ repugnat, ſiquidem Deus in primo Catholico præcepto; Creſcite & multiplicamini; illud mandavit, & Pſalmiſta dicit, quod liberi ſint donum Dei. *Quomodo* ergo *poteſt indifferens ad bonum & malum quod per ſe eſt bonum.* Nec blaſpheme etiam adducuntur verba de non defodiendo talento, & opere Dei non fraudulenter faciendo, (de quibus ſupra. *ad th. 2. 2. 3.*) & peccato ejus, qui ſciens bene facere omittat. Loquuntur nempe non de ſpiritualibus tantum & moralibus, ſed de omnibus bonis, à Deo conceſſis, ut conjugium eſt, quod cur Pſeudo-Victor numero moralium eximat, equidem non video, cum ad legem moralem, ſextum ſcilicet præceptum, pertineat. Talentum defodit, qui ſpiritualibus & temporalibus donis animæ, corporis & fortuna non lucratur; Deinde *conjugium* etiam eſt *Donum opus Dei*, uti *Lutherus* ſupra laudatus *in tr. de bigam. Epiſcoporum* bigamiam expreſſe opus Dei binis vicibus appellat. Atque proinde non eſt fraudulenter faciendum, aut etiam omittendum. Denique præſupponit (quod prius probandum erat) Polygamiam eſſe rem prohibitam ad quam Deus nulla concedat bona, non magis, quàm ad ſtuprum aut adulterium. Sicut concedit vires ad conjugium vi benedictionis divinæ, ita & ad Polygamiam, quæ eſt verum, ſed multiplex conjugium; ſtuprum verò & adulterium ad ἀταξίαν & illegalitatem ſunt referenda. Quod Lutherum & Hieronymum adductum attinet, illi nil habent de Polygamia ſed loquuntur in genere de libidinibus & infirmitatibus, quæ poſt lapſum inſeparabiliter omni prope conjugio adhærent.

7 *Generare non eſt malum opus.* In tr. peſſimo de Pecc. Orig. *Adrianus Beverland.* aſſerit uſum conjugii id ſe & omni tempore malum & κατ᾽ ἐξοχὴν peccatum eſſe. Quod falſiſſimum. *Non* enim *conjugii* amor, non conjugum conſociatio, non liberorum deſiderium, *res per ſe mala ſunt, ſed unus* ejus *abuſus.* Quod ſi conjugii leges Adam violavit, producatur edictum, demonſtretur factum. Nihil hic ænigmate, nihil conjectura efficitur. Apoſtolus Paulus Heb. 13. 4. conjugii *torum rem per ſe honeſtam eſſe*, dicit. & 1 Cor. 7. 28. *Si uxorem ducis non peccas & virgo ſi nubat, non peccat*; & jubet, ut *maritus uxori debitum officium, atque illa viciſſim marito præſtet.* Quin imo conjugium eo ipſo Sanctum pronuntiat Apoſtolus, ut *incredula mulier Sanctificetur per credentem maritum*, & vice verſa. & 1 Tim. 4. 3. *doctrinam Diabolicam*, appellat ſiquis *conjugia prohibita* doceat: Præterea *ipſum conjugium per ſe nil impuri*, nil indecori, nil abſurdi continet, imo vel prophetam & Apoſtolum ac Epiſcopum decet. 1 Cor. 9. 5. 1 Tim. 3. 2. Neque *finis* conjugii, legitima proles Reip. & Eccleſiæ fulcrum, mutuumque adjutorium in proſperis & adverſis culpari poteſt. Quicquid Kathari blaterent. Neque abuſus conjugii, vitia adhærentia, delectatio vitioſa concomitans ipſum conjugium per ſe malum reddunt.

THE-

Thesis LXVI.

ATque hæc quidem *ex Geneſi* ſufficiant, quanquam multo plura exinde poſſent elici. Quia tamem alias in hoc iprimo libro, qui prim ordia mundi continet, fuimus ſatis prolixi, cœterà ſilentio in volvimus, & erudito lectori relinquimus. Neque etiam in cœteris ita prolixi erimus, ſatis beati, ſi pauciſſimis præcipua ſaltem delibavimus. Quod in Exodo habetur de hac re, jamdum adductum eſt, cnm 6 & 10 præceptum explicavimus. Nonnulli quidem urgent, præceptum de non mœchando ſtringere viros æquè ac fœminas, & maritum committere adulterium quotiens fidem matrimonii dederit alteri, aut in torum receperit alteram, invita ea, cui poteſtatem in ſuum corpus fide interpoſita primum dedit. *Gratianus cauſ.* 32. *quæſt.* 5. *c.* 15. 16, 23. *vid. Boecler. ad Grot. lib.* 2. *c.* 5. §. 9. *Anton. Mathæus de Crimin. ad L. de adult. c.* 1. §. 13. negat & quidem rectè per Polygamiam committi adulterium, uti § 12. negaverat adulterium à marito committi cum innupta; Adulterium enim committi cum nupta alteri *l.* 6. §. 1. D. Sicuti & *Lev.* 18. 20. & 20. 10. adulterium definiri per acceſſionem ad uxorem alterius, aut violationem tori alterius. Dicta vero ſacrarum literarum, ubi etiam alterius uxorem concupiiſſe adulterium vocatur, quibus plurima Patrum dicta allegata *Gratiano c.* 3, 4, *&* 11. *quæſt.* 4. *cauſ.* 32. *& c.* 5. *quæſt.* 6. *cauſa eadem*, *c.* 4. innitentur, perinde eſſe habenda, atque illa, quibus homicida vocatur, qui fratrem ſuum odit. Cœterum ſciendum non omnem violationem fidei conjugalis eſſe adulterium. Qui enim non alit uxorem, qui debitum non reddit, qui malitioſe deſerit, contra fidem agit conjugalem, nec tamen ideo adulter audit. Addit prætereà, licet iniquum videatur, juxta *Ulpianum*, ut vir ab uxore exigat pudicitiam, quam ipſe non exhibeat, non tamen exinde effici, *æquale utriusque peccatum eſſe*; quem enim ignorare, majorem pudicitiæ rationem conſtare uxoribus debere, quapropter ſexus verecundiam, quapropter fœdam ſeminum confuſionem, & adulterinorum ſuppoſitionem, quapropter dedecus familiæ totiusque civitatis. Et enim ſi dedecori habitum, altero parente cive, altero peregrino natum, *hybridæque* olim tales nuncupati, quanto grandius dedecus, & totius civitatis, ſi incertum ſit, ex adulterio an legitimo matrimonio cives ſint concepti. Deinde ait in aprico eſſe, eum qui in ſolidum uxori corpus ſuum addixít, fidem violare, ſi vel ſcortetur, vel aliam uxorem priori ſuperinducat. At quomodo fidem violaſſe videbitur, qui uxo-

uxorem ducendo facultatem ſibi reſervavit aliam quoque aſciſcendi, atque debitum conjugale ſubtrahere, qui nonniſi *partialem* velut *uſum ſui corporis* addixit. Et ſi vel maxime totalem addixerit, in malè promiſſis fidem ſervare non tenetur, ſed Deo magis obedire quam omnibus hominibus. Jam vero Deus & natura ipſum creavit ad Polygamiam ut ſupra probatum. Neque ſequi, ſi viro in fœminam jus eſt quærendum tanquam in uxorem, per naturam juſti matrimonii nonniſi in ſolidum id quæri poteſt. Igitur vice verſa mulieri quoque nonniſi in integrum virum jus quæri debere. Sed nec *æqualitatem hominum* naturalem hoc pacto infringi. Illam enim haut quicquam requirere, ut *præſtationes mutuæ* inter homines ſemper ſint *æquales*. Alias enim juri naturali repugnaret, alios poſt antegreſſum factum, etiam alienum, ipſa naſcendi ſorte, imperio, alios obſequio deſtinari. Ac in *ipſo matrimonio* neminem ſanum *æqualitatem hominum* eo uſque extendere; ut imperium domeſticum alternis vicibus gerendum velit aſſerere. Sic circa procreationem ſobolis quam facile opera perfungi patrem? Quantos contra dolores, quantas moleſtias matri exhauriri? In civitatibus ultro irrideri mulieres, ſi & ipſæ in patrem regiminis publici velint admitti. Quod vero maritus non poſſit honeſtè conſentire in adjutores tori aliam eſſe rationem. Igitur non eſſe quod uxor ſuæ conſcientiæ metuat, ſi in ejusmodi matrimonium, ubi id publicè receptum eſt conſentiat, præſertim cum moraliter ſit impoſſibile à ſolis mulieribus publico more firmatam conſuetudinem aboleri, ſi vel maxime vitioſi quid illa haberet, quippe quæ & viribus deſtituuntur & à Republ. excluduntur, & inter quas non defuturæ ſint, quæ in parte amicitiæ hærere velint. vid. plura ap. Matthæum quæ ſanè non parum faciunt, ad intelligendam legem Exodi de non mœchando. Quam ipſe Moſes ſtatim ſequenti cap. 21. v. 9. egregiè illuſtrat, dum patri præſcribit quomodo ſe gerere debeat, ſi ſuam ancillam ſuo filio deſponſet, quod ſcilicet inſtar filiæ illam debeat dotare, & ſi filio adhuc aliam ſecundam ſcilicet deſponſet, priori nempe ancillæ nihil de alimentis, veſtimentis & debito conjugali debeat detrahere. Quæ lex, ſi ulla alia in tota Scriptura S. clariſſimè docet Deum permiſiſſe parentibus, ut filiis ſuis quærant duas uxores. Hoc vero ſalva ſua juſtitia & Sanctitate nullatenus facere potuiſſet; ſi Polygamia contra primam inſtitutionem, aut alias ipſius leges eſſet. Adhuc unicum duntaxat ex cap. 72. Exod. v. 16. afferam. Ubi dicitur: *Si quiſpiam* (in genere ponitur ſine determinatione ad cœlibem. Quia ergo Spiritus S. non determinat nec hic nec alibi, nec nos determinare debemus, ſed de omni viro accipiamus, ſive ſit uxoratus, ſive non) *cum virgine non deſponſata rem habuerit, debet illam pro uxore habere.* Qui locus ſi conferatur cum parallelo Deut. 22. v. 28, 29.

ubi Spiritus S. infit. *Si vir* (ſimiliter in genere ponitur) ***invenit virginem non deſponſatam, quod debeat dare Patri ipſius quinquaginta ſiclos : & illam humiliatam ceu uxorem ſuam retinere***, ubi notanter additur ſequens epiphonema omnium juvenum cordibus aureis literis inſcribendum: ***non poteſt*** dimittere per dies vitæ ſuæ. Ubi docemur, quod virginitas ſit tantum bonum, ut ablatum non poſſit reſtitui vel compenſari niſi per maritationem, & quod ejusmodi vir, qui rem habuerit cum virgine, vi conſcientiæ teneatur illam retinere per dies vitæ ſuæ Quod olim penſi habuit Jacobus ante legem hanc latam, qui cum rem habuerit cum virgine Lea, errore & dolo inductus, noluit, nec potuit ſalva conſcientia illam relinquere, nec alteram etiam Rahelem cui conjugium promiſerat, repudiare. Hoc ipſum Jacobo dictavit (lex enim hæc nondum erat lata) lumen naturæ, quod Diabolus hodie per Polygamiam prohibitam conatur extinguere. Sane hac permiſſa purior & tranquillior multorum eſſet conſcientia, pauciora ſcorta & ſpurii.

Ex Geneſi. Caſtiſſimus Joſephus optime gnarus, quod Polygamia muliebris, ſeu multiviratus eſſet graviſſimum in oculis Dei peccatum, verumque adulterium, nolebat in Patipharis uxoris libidinem conſentire, ſed mollibus verbis, multùm verò in receſſu habentibus, illius deſideria deteſtabatur, atque illius præſentiam, approximationemque ut ita dicam, antipathia pientiſſima motus, cane pejus & angue fugiebat. In Legenda Exaltationis Crucis à Gregorio deſcripta legitur quod Judæus quidam aliquando Romam veniens, & nullum hoſpitium inveniens, tandem in templo Ethnico Apollinis manſerit, & horrore nocturno perculſus, ſigno crucis more Chriſtianorum facto placide obdormiverit, noctu vero viderit multos malos ſpiritus intrare templum, qui ſuo Archidiabolo de nefandis in mundo perpetratis rationem redderent quorum unus narravit, ſe bellum cruentum excitaſſe, & interrogatus, quantum temporis neceſſe habuiſſet, Reſpondit, triginta dies, antequam hoc effectui dediſſet; Quo Archi-Satanas male contentus ipſum ceu pigerrimum plagis dedolari juſſit. Alter gloriatus, ſe in mari maximam tempeſtatem excitaſſe, & multas naves ſubverſiſſe, & quidem intra 20 dies. Qui itidem colaphis ob deſidiam dimiſſus. Tertius recenſuit, quod in nuptiis pugnam gladiatoriam, & cultralem ſuſcitaſſet, ita ut ſponſus cum multis interfectus fuerit atque opus habuerit 10 diebus. Sed hic ibidem ob pigritiem plagas meruit. Tandem ſurrexit quidam Diabolus qui ſuo Generali retulit, quod integros 40 annos conſumſerit, antequam caſtum monachum in retia ſua pertrahere potuiſſet, ſed hodiè demum factum. Quo audito Archi-Diabolus præ gaudio exultavit, & huic Diabolo coronam impoſuit dicens: *Euge, bone ſerve, magna patraſti & utile mihi fuiſti inſtrumentum.* Ita de *Anaſtaſio* in ipſius Legenda hæc narratur fabula, quod *centum Diaboli integris* 40 *annis* ipſum tentaverint, nec tamen ipſum, ut barbare ibi dicitur, ſuper diabolizare potuerint, unde in pœnam & aliis in exemplum centum Monachis ipſis fuit ædificandum & aquâ ſufficienti ditandum. *Legenda Koberg. p.* 160. Sed miſſis his fabulis ſcimus Joſephum non potuiſſe à Diabolo ſuperari, eaque propter occaſionem omnem, præſentiamque impudiciſſimæ uxoris evitaſſe. Gloriantur quidem Mariani quod Monachi inter medias Moniales & Moniales ſæpe inter medios Monachos caſtitatem ſartam tectamque conſervarint. De *Eugeniâ* ſiquidem fabulantur, quod Monachali habitu induta, ſeu Eugenium appella rit, & comitata duobus Studioſis, Protho & Hyacintho, ſe in Monaſterium contulerit, & Abbatem Elenum propter

pter Deum orarit, ut omnibus tribus ordinem conferre dignetur. Abbas ex revelatione divinâ deEugeniâ virgine certior factus, hoc non obſtante, ordinem contulit, & ipſius auribus inſuſurravit; Rectum eſt, Eugenia, quod nomen habeas virile, cum tamen ſis virgo, virtus enim virilis tibi ineſt. Eugenia vero tàm bene meruit de fratribus, ut mortuo Abbate in ipſius locum fuerit ſurrogata. *Anton. Koberg. in Leg. Proti & Hiacinthi. p.* 157. Simile legitur de *Euphroſynâ*, virgine Alexandrinâ, quod 18. ætatis anno juveni deſponſata, ſed ob votum caſtitatis, Dei beneficio à Monacho pientiſſimo cœlitus miſſo caput tonſa (quod Monachi optime norunt) & habitu monachali induta ſe clàm & incognito (excepto tonſore) cum illo in monaſterium contulerit, & Smaragdum appellarit. Ne vero de hoc pulcherrimo Smaragdo vel Rubino iniquæ Monachis orientur cogitationes, ad excuſationem ipſius & totius conventûs additur; *quia facie formoſa & eloquia ſuavis fuit, ideo cellæ per 38 incluſa* (claves dubio procul Abbas ſecum retinuit) *dici non poteſt, quàm angelicè vixerit.* Itaque & nos nihil dicemus. *Caniſius* Metaphraſtes. *Geneal. Mar.* 18. *Dec. p.* 803. *Anton. Koberg. in Leg. Euphroſ. p.* 383. Ita de *Theodora* nobilis uxore legitur, quod diu cum marito optime & unanimiter vixerit, ſed adulterata maxime pœnituerit, & monachali habitu induta, in abſentia viri, & capite tonſa virili ſe manciparit monaſterio, & ab Abbate cum conſenſu fratrum recepta, ſe Theodorum appellarit. Atque omnibus Monachis ob virtutes inſignes maxime accepta fuerit. Hic non immerito potuiſſet dici: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres & ſorores in unum. Anton. Koberg. Legend. p.* 224. Eadem Confraternitas utriusque ſexus etiam inter *Eremitas* eſt uſitata. De *Jachelinâ* namque devotiſſima virgine legitur, quod, à fratre ad nubendum diviti Comiti in Apulia coacta, habitu virili aufugerit; & ob Comitem inſequentem, & vel ad captivitatem vel ad ſuffocationem in mari ipſam obligantem, ſigno crucis facto ſe in mare præcipitaverit, & per aquas, veluti in arida, ambulans pervenerit in Græciam in deſertum, ubi per tres annos Eremitæ habitu virili inſervivit, & ne fortean Satanæ aſtu proderetur, proxeneta fideli viro (qui forſitan Eremita juvenculus fuit) in arborem ſe contulit, & ibi tuguriolo ædificato ex eleemoſynis illius viri per novem annos ſine ullo deſcenſu vixit. *Cantiprat. l.* 2. *c.* 29. *p.* 300. *Genealog. Mar.* 22. *Mart.* 367. Similter *Socrates hiſt. Ecc. l.* 4. *c.* 23. *p.* 355. narrat, quod *S. Ammus* à cognatis ad conjugium coactus, ſponſæ introductæ in cameram Epiſtolas Pauli prælectas explicarit, & cum eâ convenerit, quod conjugio relicto in montanis monaſticam degere vitam velint; quod & fecerunt, in tuguriolo quodam monaſticam vitam communiter ducunt, nullum habentes maſculini & muliebris ſexus diſcrimen, ſed unum exiſtentes ſecundum Apoſtolum in Chriſto.

Et ne quis putet hanc habitus mutationem eſſe iniquam, legitur de *Johannâ de Cruce* Franciſcani ordinis, quod à parentibus ad conjugium coacta, in Monaſterium ſe conferens, habitu virili induta, à Maria honorifice excepta, & in propoſito confirmata fuerit. *Geneal. Mar.* 3. *Mart. p.* 549. 550. Sicuti vero honeſtum & Mariæ acceptum, ſi moniales habitu Monachali in Monaſteriis commorentur, ita non minus gratum, ſi Monachi, quia non ſunt deterioris conditionis, veſtibus monialibus inter Nonnas verſentur. Quæ exempla etſi ſint rariora, narratur tamen de *Radegunda* Abbatiſſa quod à duabus monialibus Chradielſi & Baſina accuſata fuerit ob virum, indumentis monialibus in monaſterio ſuſtentatum, ſicuti & multæ ſacratæ virgines inibi imprægnatæ fuerunt, nihilominus illa abſoluta, & binæ accuſatrices excommunicatæ fuerunt. *Turon. l.* 10. *c.* 15. *L. Oſiand. c.* 6. *l.* 2. *c.* 19. *p.* 154. De Ottonis 3. uxore cubicularium inſtar fœminæ ſecum ducente Henric. Pantal. libris Heroicis p. 2. f. 130. nuper quædam audivimus. Noſter vero Joſephus habitu virili relicto alium non aſſumſit, ſed pallium adulteramque deſeruit, poſt quam prius mellifluis verbis ab hoc crimine dehortatus ipſam fuiſſet. *Soſymas* Monachus dicitur in ſylvâ occurriſſe nudo homini, qui longos crines geſtarit, quemque pro ferâ habuerit, & inſequendo, ut ſubſiſteret, fruſtrà in-

inclamarit, uſquedum ſemper recedendo ad aquas pervenerit & Zoſymam demum venit, oravit, ne male ſibi verteret, quod ipſum non præſtolata fuerit, quia præ pudore, ut fœmina nuda hoc fecerit. Si verò Zoſymas vellet cum ipſa loqui, opus eſſe, ut pallium ſeponeret, quo ſeipſam cooperiret. Cum ad Colloquium veniſſent, cognovit, quod Maria Ægyptiaca eſſet quæ 17 annis in lupanaribus vixerat, ſed poſt, pœnitentiâ verâ & ſeriâ commota in magnis ſylvis & deſertis commorata fuerat, uſquedum veſtes omnes computruerent. Quid Zoſymas hic alter facere potuit, quàm ut veluti Boaz pallio illam cooperiret. *Anton. Koberg. Leg Mar. Ægypt. p.* 4. Multò aliter ſe geſſit *Thomas Aquinas* ex Comitum familiâ oriundus, qui mirabiliter contra impudicitiam pugnaſſe dicitur, ſiquidem laſcivam mulierem, *candenti ligno* è Muſæo expulit; Quo facto ab angelis zonâ caſtitatis eductus angelicam puritatem perpetuò obſervavit. *Geneal. Mar. 7. Mart. p.* 298. Magis Heroice ſe oſtendit Abbas nomine *Apelles*, qui quondam in officinâ ferraria, ceu frater ſecundum ſuum ſtatum mundanum, fabrilibus pro fratribus operam navans, Diabolum, in formâ mulieris ſeductricis apparentem, in facie & toto corpore laminâ, ignita ita dicitur, pavit & ambuſſit, ut virginitate ſervata, illi ruborem incuteret, *Sozom. l. 6. c.* 28. *Geneal. Mar.* 27. *Febr. p.* 268. Abbas Claravallenſis *Bernhardus* facie pulcherrimus multas inſidias ab impudicis perpeſſus, hoſpitam ſuam, ubi divertebatur, noctu ad ipſius lectum venientem, & ſeducere ſatagentem, clamando à ſe abalienavit, vociferatus: *Latrones, Latrones, Mordio Mordio. Geneal. Mar. Leg. Bernh.* 20. *Aug. p.* 226. Sic etiam Monachus pientiſſimus Cracoviæ, nomine *Iſacus Boner* tantâ antipathiâ erga mulieres præditus fuit, ut etiam *poſt mortem* miracula juxta ſuum ſepulchrum patrârit. Quando enim mulier impudica pedem ſepulchro imponebat, magno impetu retro in terram rejiciebatur. Sed quid mirum, cum Ulrici ſepulchrum non patiatur mures majores. Tanta ἀντιπάθεια etiam in Fiacrio fuit, Eremitâ Burgundico, qui non ſolum ipſe, ceu maximus Mariæ amator, mulieres fugit, ſed ipſius etiam Monaſterium hâc virtute fuit præditum. Cum enim aliquando Domino ancillam innocentem ſuam ignominioſe in Monaſterium pedibus protruderet, ancillæ quidem ipſi nil mali evenit, ſed ipſa illicò Domina oculo fuit privata. Hic facile conjici poteſt, nullam libenter mulierem pedem Monaſterio intuliſſe; ſiquidem & aliâ legitur fœmina, quòd pedem modò in monaſterium extenderit, & ex templo in tibiis, & ſura tumorem (quid ſi venter fuiſſet) ſenſerit. Hic namque ſanctiſſimus Monachus ſolitus fuit dicere, quòd *Virorum Monaſteria ſint ſel & virus fœminis, & monialium Cœnobia inſtar veneni ipſis viris. Geneal. Mar.* 30. *Aug.* 269. Quæ hiſtoriæ, dicam, an fabulæ cum mirificè illuſtrent hiſtoriam Joſephi, placuit hic prolixius, præſertim etiam in gratiam ἀντιπαρθένας Marianæ, apponere.

2. *Exod.* 21. 7. 8. 9. *Patri præſcribit.* Ut Hebræam ancillam quam emit, & in uxorem ducere non deſiderat, ſed filio elocet, non male tractet, & ſi aliam nobiliorem filio adducat, illi nil detrahat de alimentis, veſtimentis, & debito conjugali. Ex hoc loco & ex *Deut.* 24. 1. Judæi deſponſationis fundamentum atque modum petunt uti videre eſt ap. *Buxt. de ſponſ. p.* 7. Dicunt autem *Ex.* 21. 9. haberi præceptum affirmativum, ut captam aut venditam ancillam aut ipſe ducat, aut filio ſuo in matrimonium concedat. Quia enim virginitas etiam ancillæ multis periculis & inſidiis obnoxia, & vix veriſimile videatur, Domini, vel filii appetitum ex perpetuâ cohabitatione, familiaritate, atque converſatione erga ancillam non moveri, ancillamque in voluntatem Domini aut filii ejusque affectus inordinatos non aliquando conſenſuram, ideò Deus ſcortationem præcavere, virginitati & conſcientiis conſulere, atque Dominio ancillæ ſeriò injungere voluit, ut ſiquidem ancilla per venditionem patria poteſtate exierit, & Dominus jam patris inſtar eſſet, maximam ejus virginitatis curam habere velit, & vel ipſe ducere quam primum, vel filio eam elocare debeat, ne de virginitate periclitetur, & terra ſcortis atque meretricibus impleatur. Cum autem præceptum redemtionis præcedat mandatum deſponſationis; videtur Deus miſ-

miſereri afflictæ venditæ, & Patris ejus, qui vendere eam coactus fuit, adeoque emtori præcepit, ut vel ducat ipſe, & faciat Dominam, & ita aſſueſcat miſericordiæ, quæ Deo eſt gratiſſima, vel elocet filio, ſi illam ipſe contemneret, conf. *Maimon. Hil Avadim. c. 4. & Hil. Iſchoth. c. 14.* Si hæc res hodie obſervaretur, pauciores eſſent meretrices, obſtetrices, ſcorta & ſpurii; Sed nunc eſt mos ſeculi, ut quando Dominus ancillam ſub ipſius poteſtate collocatam devirginavit, aut dimittat, (quod Deus prohibere videtur, cum aſſerit, quod Dominus non poſſit illam vendere aut communicare alteri, ſuſpectus jamdum de devirginatione & contemptu) aut illam cuidam deſponſet, ut poſtea eo tectus & cautius libidines priores continuare, & deſideriis ſuis ſceleſtiſſimis ſine periculo fœminæ ſatis facere poſſit. Anti-Polygamus quidam Autor ſc. πολ υλυνίτας hunc locum etiam evertere conatur, ſed conatur. Nihil autem affert dignum relatu, ſed tantum ex gloſſa interlienari; quæ addit: *iſtâ repudiata*: ſed & aliam ex Menochio, qui itidem in notis adjicit: *ſervâ abire juſſa.* Polygamiam hîc non fundari aſſerit. Sed iſtæ gloſſæ in textu non inveniuntur, ſed ex privatâ autoritate inſeruntur, & inferuntur, cum tamen ſenſus ſcripturæ non ſit inferendus, ſed efferendus, ut Glaſſius in Philol. docet. *Bibliâ* ſane *Erneſtina* à tantis Theologis confecta hac gloſſa non utuntur, ſed pro polygamiâ explicant, atque dicunt, quòd *filia Hebraica*, vendita à Patre, ut ſit ancilla, non debeat exire libera, quemadmodum ſervi, qui ſeptimo anno fiebant liberi, & exibant è poteſtate Dominorum ſed quod debeat interea ancillæ proſpici de matrimonio ab ipſo hero, ceu Patre, ità, ut vel ipſe herus ceu proximus & aptiſſimus illam ducat, vel filio ſuo in matrimonium collocet. vix enim credibile eſt, virginem in aliqua domo per ſeptem integros annos commorari; & nulli placere aut ſalivam movere. Qui verò illius deſiderio trahitur, omnes ingenii nervos adhibebit, ut bono illo deſiderato fruatur, nec quicquam intermittit eorum, quæ ad finem conſequendum ullo modo facere videbuntur. Nec eventus fortean ipſum fruſtrabitur. Quis enim novit vias viri circa virginem, quas inter imperſcrutabilia Salomon experientiſſimus collocat. Quam obrem ſeptimus annus non expectandus, ſed mature ipſi, ne virginitas periclitetur, de matrimonio proſpiciendum, adeo, ut ſi herus vel heri filius ipſam contemnat, nec ducere aveant, alteri, ſi quis inventus fuerit, ante adventum ſeptimi anni redimendam permittant, ipſis vero non ſit integrum in alieno populo ipſam vendere, quia illam contempſerunt, & ſpe matrimonii inani, cum illam emêre, lactarunt. Si vero deſponſat filio, inſtar filiæ ipſam dotet, & ſi *filio aliam præter primam iſtam ancillam* (ſunt verba ipſiſſima Bibliorum Erneſtinorum) *adhuc acquirat*, aut accipiat quod filius uxori ſuæ, quæ Patris anteà ancilla erat, nil de alimentis & debito conjugali detrahere debeat; Si vero Pater aut herus illa tria (nempe ſi non vel ipſe ducat, vel filio concredat, vel redimendam concedat) ancillæ non præſtet, quod debeat libera ſine pretio redemtionis exire. vid. *Catwrigt. in Ex. p. 262. Lyran. ad h. l. Gerh. de Conjug. §. 480. Piſcat. q. 227. in Ex. Varen. in Ex. 338.*

3. *Exod. 22. 16. 17. Si quis cum virgine non deſponſata.* Ex hoc loco aptiſſime Lutherus tr. de Digam. Epiſcoporum Polygamiam colligit quando §. 650. ita infit. *Siquidem nota ſunt jura Moſaica de fratris defuncti uxore & filià corrupta invito Patre* (NB *quæ cogunt plurium* (NB NB NB) *plurium eſſe uxorum virum*, & §. 66. *quæ non magis ſunt abrogata, quàm reliqua omnia i. e. libera nec prohibita nec præcepta.* (NB) Textus vero ſcripturæ ita ſe habet: *Siquis pellexerit*, (perſuaſerit, ſeduxerit, illecebris feſellerit, ἀπαθὴσει, verbis veris, vel falſis tamdiu demulſerit, donec puellam ad nutum benevolam habuerit) *virginem non deſponſatam* (cum deſponſata erat adulterium) *& coierit cum eâ, dotando dotabit, eam ſibi in uxorem &c.* Obſervat autem *Maimon.* quod omnis, qui in urbe eſt, pelliciens habeatur, uſque dum probaverint teſtes, clamorem cum ſtricto gladio, fuſte, minis repreſſiſſe, adeoque raptorem eſſe; qui vero in agro raptor cenſeatur, & quod virgo, quæ in urbe fuit compreſſa, quod clamando facile eluctari potuiſſet, non pro

raptâ & coactâ; ſed pellecta repetitur; illam enim coactionem in urbibus, in tantâ hominum frequentia locum non habere. *Maim. Hil. Naarah betul. c.* 1. *Talmud. Rebub. c.* 3. *&* 4. Non autem hic ſermo eſt propudiis, proſtibulis, ſcortis & meretricibus, quæ pro libitu amaſiorum ſe iis crebrius permittunt, interdictus *Lev.* 19. 29. *Deut.* 23. 17. ſed de virginibus obiter quaſi ſtupratis, quæ erant & ducendæ & dotandæ (conjunctive non alternative, aut ducat, aut dotet, intelligendum Biblia Erneſtina, ac uti & *Lancell. Inſtit. S. Can. l.* 4. *tit.* 8. §. conjunctive ſumunt; Legislatorem tamen humanum disjunctive id jubere poſſe contra legem divinam, docet *Ant. Matth. tit. de adult. & ſtupr. c.* 7. *n.* 17. & Rabbini quidam intellexerunt, ut nihilominus integrum ſit vel ſtupratori ipſi, vel puellæ, vel puellæ patri, in matrimonium conſentire, uti notat *Selden. Ux. Hebr. l. c.* 16.) ſolvendo dotem 50. ſiclorum more ſolito apud Hebræos. Maxime vero notandum eſt in hac lege, quod non violatæ, non ſtupratoris, vel patris ejus, ſed patris puellæ defloratæ arbitrio committantur nuptiæ, idque ideo, quia *parentum* eſt collocare liberos matrimonio, & honori ſimulque commoditati familiæ proſpicere; *filia vero*, quæ volens ſtuprum paſſa eſt deprecari culpam: *ſtupratoris*, afflictam à ſe puellam erigere, & ignominiæ labem, ſtupro ejus nomini aſperſam, honore matrimonii ſepelire. Si nuptias elegerit Pater, nunquam libelo repudii dimittere potuit, actu & malis artibus primo vitiatam, deinde ductam uxorem hic maritus *Deut.* 22. 29. idque ut deterreatur juventus, cum ſummo probro familiarum, ſeducere virgines; utque ſciat, non leve crimen eſſe pellicere in meretricios concubitus puellam Iſraëliticam, quæ vitiata Hebræis *humiliata* dicitur; quia, ut *Arniſæus docet c.* 3. *ſect.* 3. *n.* 12. *de Jur. Conn.* de ſtatu ex Lege Dei ejicitur, & infamis ſervaque ſit pœnæ. Et quamvis utriuſque tùm puellæ, tùm viri verſetur turpitudo, imputandam tamen ſtupratori maxime commiſſam luxuriam voluit Deus, ut qui libidinis primus autor creditur fuiſſe, blanditiis, & amoris lenocinio ſeducens fragilem ſexum. Cœterum uti diximus dos erat conſtituenda ſtupratæ, & quidem eâdem erat ex lege ſacrâ, neque ob puellæ dignitatem aucta, aut ob conditionem humiliorem diminuta; Scilicet, *quicquid præſtitutos habet ex ipſa lege terminos, æqualiter ſe habet ad univerſos*, Unde *Rabbi Zira Gemar. Babyl. ad tit. Ketuboth c.* 3. *f* 40. vid. *R. Levi Barcenon in Chim. præc. affirm.* 57. *Dici ſolet, ejus, qui cum filiâ Regum coiverit, multam eſſe quinquaginta ſiclorum, perinde ut ejus, qui cum filia privatorum.* Quamobrem cum ex hâc causâ, tùm ne tam exili tantùm pretio honor virgineus conſtare videretur, fiebat, ut ex ſuperinducto Legi ſacræ inſtituto majorum, pro ratione dignitatis ac conditionis cùm ſtuprantis tùm ſtupratæ, aliæ accederent pœnæ pecuniariæ, ex ſententiâ forenſi, ubi de illâ aliter paciſci non poterant ii, quorum intererat, æſtimandæ. Nam mulctam illam dotis velut in oblectationi pretium dari tantum volunt. Qui verò illectam puellam ſine vi compreſſerat, binis mulctabant pœnis, alterâ nomine pudoris, ſeu ignominiæ, altera nomine corporis vitiati. Qui autem vi compreſſerat, mulctabatur pœnâ tertiâ, pro dolore, quo virginem in ipſo amplexu affeciſſet. vid. *Selden. Uxor. Hebr. l.* 1. *c.* 16. *p.* 123. Filia verò *ſacerdotis*, ſi illa ſcortata fuerat, quia patrem ſuum profanavit, igne comburebatur. *Lev.* 21. 9. quando quidem profanat & ignominia afficit dignitatem ejus, Inde enim dicitur vulgo, maledictus qui hanc genuit, maledictus, qui eam educavit. conf. *Joſeph. l.* 4. *c* 8. *Antiqu. Jud.*

4 *Non poteſt vi conſcientiæ dimittere per dies vitæ.* Rabbini explicant de vi compreſſa, quæ juxta ipſorum jura civilia non poterat repudiari, quos & ſequitur Victor Utopicus, qui p. 160. dicit, non eſſe intelligendum de matrimonio, ſed de excludendo omni divortio, ſi ducta fuerit, uti Jonathan dicit, nec erit illi poteſtas ejiciendi & dimittendi eam omnibus diebus vitæ, Verum enim vero, quicquid jura ſtatuant civilia de ſtupratâ, quæ nonnullas pœnas, legis divinæ pœnis adjecêre, ſtatuimus, hic legem divinam vim conſcientiæ & reſtitutionem in integrum, quæ in vitiatâ, nonniſi matrimonio interveniente, fieri poterat, intendere, quam lex Judæorum forenſis confirmavit, dum

dum ne judicialiter permiſerunt, ut devirginata libello repudii dimitteretur. Neque Anti-Polygamus Victor ſcil. Utopicus contra Polygamiæ æquitatem aliquid obtinet, cum dicit, nonnullas leges in V. T. aliquid permittere, & de permiſſis aliquid ſtatuere, quæ tamen non illico ea approbent, uti de de furto. Ex 22. de homicidiis Num. 35. de meretricibus Deut. 23. de divortio frivolam ob cauſam Deut. 21. &. 24. Verùm ad hoc regeritur, quòd licet in illis locis non ſint reprehenſa, tamen alibi præcepto 5. 6. 7. & Matth. 19, ſint taxata, quòd de Polygamiâ dici non poteſt Illa enim nuſpiam & nunquam in numero peccatorum poſita.

THESIS LXVII.

QUæ ipſa omnia obſcure Polygamiæ legalitatem nobis inculcant. Si enim nullus devirginatam poteſt per dies vitæ ſuæ dimittere, nec uxoratus, poterit, & conſequenter cogitur eſſe Polygamus. Quod Jacobus exemplo ſuo probavit, qui jamdum, ut ita dicam, erat uxoratus, qui matrimonium cum Rahele contraxerat, etſi nondum conſummaverat. Huc etiam pertinet, *Lex de Leviratu* ſeu fratris uxore ducenda, ad quod quilibet frater ſeu proximus agnatus (in genere iterum Deus loquitur de fratre ſine determinatione, an ſit uxoratus vel non) obligabatur, uti hiſtoria Ruthi teſtatur. Egregie vero hanc materiam Leviratus illuſtrat *Franc. Junius* quando de Iudæ, primogeniti uxorem filio altero deſpondentis facto ita loquitur: *Hic incidit quæſtio, unde Juda illud hauſerit de filii defuncti conjuge filio alteri elocanda, & quo jure fecerit? Nam hanc videtur primum tuliſſe Dominus in Deut. Reſpondeo quam legem Deus in Deuteronomio ſancivit de uxore fratris defuncti poſteriori fratri elocanda, ea lex tamen primum de ſcripto tradita eſt, ſed jam ante divina quadam revelationo apud populum obtinebat. Quapropter lex illa Deuteronomii non recens inſtitutio, ſed antiqua obſervationis confirmatio. Hujus autem obſervationis autor idem qui confirmator dicendus eſt. Cauſa vero illius inſtituendæ fuit benedictionis divinæ in familiam continuatio, ſecundum quam benedictionem ad primogenitos quoque prærogativæ duæ pertinebant. Una ſacerdotii ad cultum Domini, altera vero potentiæ ad benedictionem terrenam pertinentis. Nam primogeniti & ſacerdotes erant in familia univerſa & hæredes duplicati. Atque hæc res quidem ceremonialis fuit, quæ inde à conditu orbis dignitas Chriſti, qui primogenitus eſt inter multos fratres, fuit adumbrata. Sed uti benedictionis illius ratio ceremonialis fuit, ita etiam continuatio illius. Secundum quam factum eſt primum, ut primogenitus ex primogenito primogenita obtineret. Dein ut extincto ſine liberis primogenito & ſine uxore, ſecundus filius divinitus in locum primogeniti arrogatus fuiſſe videretur. Poſtremo ut ſi quis primogenitus ſine liberis ſed relicta uxore, hanc eandem uxorem ſequens frater una cum benedictione à primogenito defuncto transfuſe ſibi aſſumeret.*

1. Lex

1. *Lex de Leviratu.* Ex hoc loco *Lutherus* itendidem noſtram Polygamiam ſtabilit tr. Digam. de Epiſc. §. 65. cum inquit: *Siquidem nota ſunt jura Moſaica de fratris defuncti uxore, & filia corrupta invito patre, quæ cogunt plurium* (NB NB NB.) *uxorum eſſe virum* & §. 66. *Quæ non magis ſunt abrogata, quam reliqua omnia i. e. libera nec prohibita nec præcepta.* Nec *Chriſtus* improbat aut abrogat jus hoc leviratus à Moſe propoſitum *Deut.* 25. 5. & in Juda atque Thamare anticipatum *Gen.* 38. 8. quando Sadducæi ad Chriſtum venirent, Matth. 22. 24. Marc. 12. 19. Luc. 20: 28. & interrogarent de uxore ſeptemvira, quæ ſeptem nupſerat tratribus, cujus futura eſſet uxor in futura die, nunc Chriſtus reſpondit, quod in futurâ vita nullus ducet, aut nubet, *nulla mentione facta improbati aut abrogati hujus juris Leviralis*, quod & obſervat *Danh. Lact. Catech.* 3. *conc.* 9. *p.* 279. Victor quidem Utopicus dicit, omnes Leviros, ducentes fratrias, fuiſſe cœlibes, & ideo in hiſtoria Ruthæ illum noluiſſe ducere fratriam quod uxorem jam haberet; At hoc in textu non reperitur, ſed hoc dicitur; *non poſſum redimere, ne perdam hæreditatem meam* Ruth. 4. 6. Præterea Lex *Deut.* 25. 5. de Leviro omni in genere & indeterminate loquitur, nec permittit, ut nos determinemus, quod ſcriptura non determinat. Imperat autem hæc lex, ut ſuperſtitum frater primogenitus aut ſaltem Germanus non tantum eodem Patre genitus, fratriam duceret, ut Talmudici in Gemar. Babyl. tit. *Baſa Bathra f* 3. *Halach. Gedaloth n.* 31. *Moſes Mikotki præc. aff.* 51. vid. & *Selden de ſucc. c.* 14. ſed & uterinus, uti in Genealogiâ Chriſti, Jacob & Eli, uterini fratres, alter alterius ſine liberis demortui uxorem ex hâc lege ſumſiſſe contendunt Chriſtiani Patres & Theologi. Quod & Julius Africanus apud *Euſeb. hiſt. Eccl. l.* 1. *c.* 7. adde *Damaſc. de fid. Orthod. l.* 4. *c.* 15. affirmat, ſe à deſpoſyniis ſeu ipſis, qui Chriſto juxta carnem cognati erant, dejeciſſe. Quæ Patrum ſint de hac re ſententiæ, vid. ap. *Sixt. l.* 7. *hæreſ.* 2. *Baron. in Appar. Petr. Galat. de Arcan. l.* 6. *c.* 7. *Helvici Genealogia C. & autores in Matth. & Marcum.* Non autem ſolenniter contrahebatur matrimonium, cum fratria, ſed niſi renuntiatio interveniret, ſtatim pro Leviri uxore ex ipſius Numinis autoritate habebatur, ſive ſponſa eſſet demortui, ſive juſta uxor. *Maim. Hal. Jebom Vejaliza, c.* 1. *Miſna & Gemar. tit. Jabimoth.* Bartenor. Sulcan Aruch lib. Aben hæzer, c. 156. Moſes Mikolzki præc. affirm. 51. Halak. Gedaloth c. 31. Coram teſtibus ad minimum duobus, idque numulo dato contrahebatur matrimonium, & ante hunc contractum licitus non erat concubitus, quin & acceſſit ſequioribus temporibus ſacra nuptiarum benedictio & inſtrumentum dotale. *Selden. Ux. t.* 2. *c.* 2 & 10. Si verò intermiſſis his ſolennibus Levir cum eâ rem haberet ob inobedientiam verberibus plexus tenebatur dotem conſtituere. Integrum autem erat Leviro ſive fratriam ducere, ſive ei renuntiare. *Deut.* 25. 5. & expectandum erat tempus trimeſtre, ut an gravida eſſet, conſtaret, Si verò viduas plures demortuus relinqueret, unam tantùm capere tenebatur. Pluribus verò fratribus demortuis ſine prole relictis uxoribus à ſingulis, frater ſuperſtes arbitrio ſuo aut omnes capiebat, ſi eſſent nuptialis contractûs capaces, aut omnibus renuntiabat, aut unâ & alterâ pro libitu captis, cœteris renuntiabat. vid. *Selden. Ux. Hebr p.* 98. 99. & uti & formula calcei exuendi. *l.* 1. *c.* 12. 13. 14 prolixe. Cœterùm ante aliquot centum annos adhuc in Scotiâ Chriſtianâ defuncti fratris uxorem ducebat frater ſuperſtes, & autor vitæ Margarethæ R. Scotiæ Macolmi. 3. uxoris, quæ in Divas relata, docet in *Novell. Legend. Angl. p.* 226. Ita Innocentius III. diſpenſavit cum Infidelibus, fratre & fratris viduâ, recens ad fidem converſis. Alexander VI. cum Rege Luſitaniæ: Julius II. cum Henrico VIII. & Catharina Angliæ Regibus. Quibus adjungit Sanchez Clementem VII. quem dicit, conſultis totius orbis illuſtribus Univerſitatibus, autoritate Pontificiâ decreviſſe, legitimam fuiſſe Julii diſpenſationem.

2. *Unde Juda hauſerit de defuncti conjuge filio alteri elocandâ.* Apud Noachidas jamdum ante legem ſcriptis mandatum obtinuiſſe jus Leviratus obſervant *Abarbenel in Piruſch. f.* 104. *col* 2. & 3. *R. Menahem Recanat. in Paraſch.* ויקהל וגו. *Maimonis in More Neboch.*

Nebocb. l. 3. c. 3. &. c. 49. conſ. & *Buxt. de ſponſ. & divort. p. 25.* ubi & conciliat illam contradictionem apparentem inter *Deut. 25. 4.* ubi jus Leviratus fundatur, & *Lev. 18. 16.* ubi dicitur. *Nuditatem uxoris fratris tui non reteges, nuditas fratris tui eſt.* & aſſerit cum Hebræis quod in Levitico fratris uxor prohibeatur, ſi frater liberos habuerit. vid. *Maim. in Hilkuth. Aſuri. Biah. c. 2. §. 1.*

THESIS LXVIII.

LEV. 18. Deus proponit leges connubiales, & Sodomiam, inceſtum, adulterium, aliaque ipſis prohibet, ſimulque injungit, ne ſecundum mores gentium ambulent. Nunc vero apud Gentes Polygamia erat uſitata; Unde apparet luculenter, hanc conſuetudinem Gentilium Deo non diſplicuiſſe, alias eodem modo illam, uti cœtera, taxaſſet. Sicuti etiam Deut. 21. & alibi ubi leges matrimoniales recenſentur, nulla uſpiam Polygamiæ fit mentio. Quis vero concipere poteſt, Deum ceu prudentiſſimum, omniſcium & juſtiſſimum legislatorem, Polygamiæ, ſi peccatum foret, oblitum eſſe. Oblivio quippe cum Dei omniſcientia & perfectione ſtare non poteſt. Nec Deum ſtudio Polygamiam omiſiſſe, & ſubditos in ignorantia reliquiſſe, ſalva ejus juſtitia & benevolentiſſima in ſuos voluntate dicere audemus. Quid igitur aliud ſupereſt, quàm quòd Polygamia ipſi arriſerit.

Nec obeſſe nobis poteſt, quod nulli recentiores, cum nuſpiam in tota Scriptura Polygamias prohibitionem reperire potuerunt, hîc invenerint ſcilicet non quod pueri in faba. Cum enim Moſes *Lev. 18. 18.* dicit: *ne ducas uxoris tuæ ſororem ipſa vivente, ipſa invita*; putant, hic ſuperinductionem alterius fœminæ ſatis clarè eſſe interdictam. Verum enim vero tantum abeſt, ut ſororis voce omnem fœminam hic intelligamus, ut etiam dicamus, nec hic quidem duarum ſororum copulationem prohiberi. In aprico enim eſt, hic non ſimpliciter interdici, quod nemo debeat ducere duas ſorores, quod etiam Concilium Triburienſe concedit, ſed cum addito duplici, ut in Scholis loquuntur, ne fiat citra prioris ſororis antè ductæ conſenſum, & dum ipſa adhuc eſt in vivis, ac quia *fratrum & ſororum gratia admodum rara eſt*, anſam forſitan præbitura eſt multis rixis & contentionibus. Neque enim ulla neceſſitas nos cogit, uti *Danh. Id. B. Interpr. & Hermen. Sacr.* docet, ut à nativo ſenſu vocabuli *ſororis* hoc in loco, ubi de gradibus conſanguinitatis & affinitatis ſermo eſt recedamus, & in ſenſum omnium Patrum explicationi contrarium deflectamus. Nec etiam ab eo, quod cum conditione profertur, colliger e poſſumus, quod omni mo-

modo nobis illud non liceat. Niſi dicere velimus Elkana, Saulem, Davidem, Salomonem, Rehabeam, aliosque, quorum innumerus eſt numerus, hanc legem non intellexiſſe, & citra interpretationem divinam in Polygamia perſeveraſſe. Qua in re ſi vel pietati Patriarcharum, vel bonitati ipſius Dei aliquid detraheremus, inevitabilem divini Numinis vindictam nobis imminere in propatulo eſſet. De quo cum ſimus maximè ſecuri, non poſſumus non aſſerere, Polygamiam neque hic neque uſpiam in tota Scriptura Sacra eſſe prohibitam.

1. *Lev.* 18. Leges hoc capite & *Deut.* 24. recenſitas non eſſe *Forenſes* ſolos Judæos, ſed *morales*, Gentiles quoque & Chriſtianos obligantes Hebræi ipſi agnoſcunt, & quidem ex reiteratâ voce *homo, homo* ad tit *Sanh. c.* 7. *fol.* 57. Unde habetur in *Peſichtha Zotherțha fol.* 23. *col.* 3. *Sepher. Siphra col.* 173. conf. & *Gemar. Hieroſ. ad tit. Kidoskim c.* 1. *f.* 58. *col.* 2. 3. *& Rabbi Bechai in Biur. Zajiekra f.* 148. 2. 3. quod Rabbini ideo geminatum dicant τὸ homo, homo, ut metu ducantur Gentiles, qui de inceſtu tùm præmoniti quàm Iſraëlitæ. Eadem loquendi formula uſupatur & alibi: *homo, homo* qui maledîxerit Deo ſuo (quicunque) portabit peccatum ſuum. *Lev.* 24. 15. & homo homo, *Lev.* 20. 20. qui dederit ex ſemine ſuo Moloch &c. ſcilicet, ut comprehenderentur etiam gentiles, qui interdicto quidem tàm de maledictione Numinis, quàm de Idololatria tenentur. vid. *Selden. Ux. Hebr. l.* 1. *c.* 1. 2. 3. & de *Jur. Nat. & Gent. l.* 2. *c.* 12. *p.* 262. *& l.* 5. *c.* 11. *p.* 616. 618. atque ita etiam dicunt has leges, quia in principio extat: *homo homo non accedat ad aliquam propinquam ſuæ carnis*, obligare omnes homines; Diſtinguunt tamen inter gradus prohibitos in linea rectâ aſcendente & deſcendente & transverſa gradibus primis, & addit *Maim.* harum prohibitionum *duas* eſſe *cauſas*, *priorem naturalem aliquam verecundiam*, quæ non ſinat ortus autores eum ſua ſobole, aut in ſeipſis, aut etiam per perſonas, ſanguine; aut nuptiali ſanguinis commixtione proxime cohærentes, miſceri, *alteram* verò, ne quarundam perſonarum nimis quotidianus & inobſervatus concurſus ſtupris & adulteriis occaſionem præberent, ſi amores tales nuptiis poſſent conglutinari, quas leges dicunt eſſe perpetuas, & omnibus hominibus communes, & quæ naturali honeſtate nitantur, ità ut irritum fiat, quicquid contra has leges factum fuerit, ob vitium permanens, cœteras non item, ut quæ cautionem magis contineant. Neque vero obſtare poteſt, quòd de peccato, Cananæis & finitimis populis imputato, ob transgreſſionem harum legum dicitur. Poteſt enim locutio Univerſalis reſtringi ad *præcipua ejus capitis*, ut de concubitu cum maſculis, cum beſtiis, cum parentibus, ſororibus, cum nuptis alienis, in quorum προφυλακήν, & ut Hebræi loquuntur præmunimentum additæ ſunt cœteræ leges. *Hugo Grot. de Iur. Bell. & P. p.* 153. Ulterius progrediendum non eſt, ſiquidem ab omni pietate alienum, quando dicitur, jure naturæ prohibita ſola matrimonia in primo gradu lineæ rectæ, non vero in reliquis ejusdem lineæ, & ſolis parentibus immediatis deberi per ſe honorem & reverentiam, avis & proavis non deberi per ſe ordine naturali, etſi debeatur in ordine Politico & ex diſpoſitione juris. Ex quibus porro conficiunt, Sodomiticam conjunctionem in primo ſolùm gradu eſſe inceſtuoſam. vid. *Hurtad. tr.* 1. *reſol.* 28. *n.* 299. & Scholaſtici magno numero citati à *Broch. Syſt. t.* 2. *de Conjug. p.* 5077. 6005. *prol. Chemn. Ex.* 2. *p.* 423. *Hemming. Hafenreff. Bidembach. Menzer. Gerhardus de Conjug.* conf. & *Alphonſus à Vera Cruce Spec. Conj. p.* 2. *a* 25. *Buſenbaum. l.* 6. *tr.* 6. *de matrim. p.* 624. *Danh. Hodoſ. p.* 92. *Colleg. Decal. p.* 337. *Lac. Catech. p.* 3. *conc.* 8. *p.* 255. 262. 268. *Abr. Calov. Annal. Anti Grot. in Lev. c.* 18. *v.* 42. edit. in 4. dicit: Non opus eſſe cenſemus

mus (quod ſedulo notandum) ut ἀποθοινως hoc evincatur gradus omnes hoc capite 18. prohibitos *lege naturæ, quæ merè naturalis, omniumque mentibus natura impreſſa ſit*, vetitos, dum modo id obtineatur, *lege divina non ſpeciali & Judæorum propriâ, ſed communi & omnes homines aſtringente, quam nemo præter unum Deum relaxare aut diſpenſare poſſit*, interdictos. Nihilominus tamen conſtat, Pontificem Romanum in his gradibus ſæpiſſimè diſpenſaſſe, uti refertur de Alex. V. quod prohibuerit copulari ſorori Patris quemquam, ſed Ferdinando Regi Siciliæ indulſerit, ut Johannam Patris ſororem duceret. Unde *Rubens* in 4. Sent. diſt. 41. *Solus*, inquit, *primus gradus conſanguinitatis in linea recta impediet & dirimet matrimonium jure naturæ, adeo ut inter parentes & liberos nullo modo cadere poterit diſpenſatio aliqua humana, ut inter eos matrimonium eſſe poſſit. At inter reliquos omnes conſanguineos Pontificia autoritate, ſi ſibi placeret, diſpenſari poteſt, & ſi non diſpenſaret, non eſſet ex impotentia*, (videatur Pennaloſa de indefinibilitate controverſ.) *Sed quoniam aliqua de cauſâ, nobis occulta Pontificii ſummo non liberet*. vid. *Cajet. in art.* 9. *q.* 151. *Thomas* 2. 2. Ita *Angelus Clavaſius* Summa in Papâ dicit ſe audiviſſe, quod *Mart. V.* habitâ conſultatione cum multis Viris Doctiſſimis in Sacrâ Theol. diſpenſarit cum quodam: qui *Germanam ſuam* uxorem ceperat, quod ipſum habetur & apud *Almanum de poteſtate Eccleſiaſt. c.* 13. vid. *Brow. de Jur. Conn. l.* 2. *c.* 16. *p.* 486. ubi prolixe agit de diſpenſ. Notatu digniſſima ſunt verba Celeberrimi Theologi *Coccejì in Lev.* 18, cum ita inſit: *Conjunctio fratrum & ſororum per ſe non inceſta ut conjunctio patris cum filia, & matris cum filio, ſed tùm demum conjunctio fratrum & ſororum quando locus eſt illius magni boni & utilitatis eximiæ, ut fratres & ſorores omnes proximi, qui illorum loco ſunt, ſive proximos fratres & ſorores, ut caro eorum repræſentent, per totam vitam privatim & ſeorſim ab hominum Oculis unà agere & converſari, atque in contubernio eſſe poſſint. Quæ converſatio ſine dubio debet eſſe & haberi honeſta, atque* ideo ſine ſuſpicione & *infamia libidinis. Quod non erit, ſi ſub nomine conſanguinitatis ſcortatio tegi poſſe videatur*, uti apud Ovid. l. 9 Metam. ad Cainum fratrem ſcribit.

> *Dulcia fraterno ſub nomine furta legemus,*
> *Eſt mihi Libertas tecum ſecreta loquendi.*
> *Et damus amplexus & jungimus oſcula coram.*

Hoc autem bonum locum non habet & uſum, niſi cum familiæ plures factæ fuerint, ex quibus etiam ad eas propius adjungendas conjuges peti poſſunt; ità ut cæteri remotioris cognationis non ſine teſtibus familiarius eſſe debeant, ut honeſte unà eſſe poſſint. & ad Lev. 18. 9. dicit Rationem præcepti eſſe, quod ad infamandam fratrum & ſororum in toto mundo cohabitationem ad neceſſarium auxilium pertineat, ſub velo fraterni amoris poſſe tegi libidinem. Quæ verba omnia Coccejì, licet aliquo modo obſcura (an ſtudio, non dicam) videantur, illud tamen exinde colligere poſſumus, fratrum & ſororum conjugia non eſſe per ſe inceſtuoſa, quod etiam ſupra citati autores ad *th.* 38. 2. 53. 4. docent. Cœterùm Pontificiæ diſpenſationis rationes peti poſſunt ex *Hiſt. Concil. Trid. Petr. Suav. l.* 1. *p.* 79. & *l.* 8. *p.* 923. Scilicet magna auri vis per diſpenſationis flumen, quotidiè in curiam Romanam defluit, & hoc quoque medio Pontifices, quaſi nexu ſibi mancipatos Principes tenent, qui ſua conjugia, ex ſolâ libidine, vel prætextu neceſſitatis ad promovendam publicam tranquillitatem inita, non aliâ ratione juſta eſſe, legitimosque ex iis procreatos liberos defendere poſſunt, quàm adductâ Pontificis Romani, quaſi Chriſti vicarii, obſervatione legis divinæ ſolutione, Quâ ratione cum indulget Papa Principum deſideriis eos, eorumque liberos devincit, & quaſi Herculano nodo ligatos conſtringit ad defendendam eam autoritatem, cui ſoli tùm filiorum ſuorum legitimus ſtatus, tùm ipſorum conjugii vinculum innititur.

2. *Sororis voce omnem fœminam*. In textu Lev. 18. 18. (*ne ducas uxoris tuæ ſororem ipſa vivente, ipſa invitâ*) primùm ita explicarunt Karæi, & Sadducæi, eaque propter pro hæreticis habiti. *Selden. Ux. Hebr. p.* 98.

p. 98. Quos deinde ſecuti ſunt moderni nonnulli præſertim ex Reformatâ Eccleſiâ, uti *Bezatr. de Polyg. Trimellius, Junius aliique,* conf. *Rivet. T.* 1. *Opp. Ex.* 45. *in Gen. p.* 150. *Brower. de Jur. Conn. l.* 2. *c.* 15. *n.* 6. *Havemann. in Gatnolog. l.* 2. *tit.* 9. *n.* 23. *Carpz. Juriſp. Conſiſt. defin.* 91. *n.* 7. Ità antiquum etiam poſt lectum hunc *Theophili* diſcurſum obtinent nonnulli Anti-Polygami, qui etiam vocem ſororis de qualibet muliere, etſi inter illas nulla ſit conſanguinitas & affinitas capiunt, vid. *Gen.* 26. 31. *Ex.* 26. 3. *Ezech.* 1. 9. 3. 13. *Joël.* 2. 8. Quanquam verò non negemus, fratrum & ſororum nomina quandoque in ſcripturâ generaliter accipi, pro ſociâ quavis, viro vel fœmina, aut etiam alia re aſſociata, particularis tamen, adeoque vitioſa eſt argumentatio, cum in reliquis ſpecialibus legibus prohibitoriis, in hoc capite occurrentibus, cognationum appellationes ſumantur ſpecialiter & propriè, quod etiam confitetur Menz. de Conjug. p. 46. 47. 48. aliique & hunc ſenſum ſequuntur etiam *Vatablus, Oſiand. Gerb. t.* 7. *de Conjug.* §. 350. *Biblia Erneſtina in h. l.*

3. *Nequidem duarum ſororum copulationem hîc prohiberi.* Non ita pridem tres ex uno ſuggeſtu, Dominica una cum talis caſus emergeret, declamantes pro inceſtu habebant, ſi quis vel vivente uxore, vel mortua illa cum illius ſorore rem haberet, illamque duceret. At enim inde ſequeretur, Jacobum qui etiam cum gentilibus ante ſcriptam legem noverat, quid adulterium, homicidium, ſcortatio, inceſtus, in perpetuo vixiſſe inceſtu, in peccato mortali perſeveraſſe, Deique gratia excidiſſe, & nunquam, quia retinuit ambas, pœnitentiam egiſſe. Certè ſi optimum Commentatorem *Luth. in* 4. *tom. Jen. Germ.* conſulimus, expreſſè aſſerentem invenimus, quod *ſimul duas ſorores in matrimonio habere, non ſit peccatum contra Deum ſed contra Papam,* (qui prohibuit, & lubenter deſiderantibus pecunia inſtructis diſpenſat) duntaxat, & hunc textum eſſe majoris valoris, quàm mille millium Paparum decreta; adeoque ſi talis caſus hodiè emergat, ſe non poſſe aliter conſulere, quàm ut quis faciat, quemadmodum Jacob fecit, i. e. ambas retineat, conſcientiæ tranquillandæ ergo, & alias ob cauſas ſupra de Jacobo adductas. Deinde inceſtus propriè & accuratè loquendo datur tantum inter conſanguineos, ubi Germanicum vocabulum (bluts elande) ſanguinis violationem denotans innuit; abuſive quidem & impropriè quandoque in Jure civili, & Canonico capitur, quod huc non ſpectat. Tertiò, ſi non eſt inceſtus, quando vidua defuncti mariti fratres ſucceſſivè ducit, quod ſuprà ex lege divina (Deus verò non poteſt, nec vult mandare inceſtum) conſtat, ut non ita pridem mandatum de Leviratu, in N. T. neque prohibitum neque præceptum, ſed liberum, (ut Lutherus egregiè explicat tr. de Digam. Epiſc. §. 65.) audivimus, & Chriſtum ipſum uec improbaſſe, nec prohibuiſſe Legem leviratus à Sadducæis in exemplo propoſitam percepimus. Cum enim ſint paris omninò gradus, ducere duas ſorores & nubere duobus fratribus, uno conceſſo, alterum etiam concedi neceſſe eſt, nec ſub nomine inceſtus, à quo Deus Leviratum eximit, traduci debent. Unde & Lex Longobardica l. 2. c. 8. n. 13. notanter dicit: *quia Canones ſic habent de duabus ſororibus, ſicut de duobus fratribus.* In hoc tamen eſt diſparitas, quòd maritus, uti Jacobus, duas ſimul ſorores in matrimonio de jure habere poſſit, (uti & ſponſalia cum duabus ſororibus ſimul potuiſſe Judæos inſtituere *Selden.* ſuprà laudatus *Ux. Hebr. l.* 2. *c.* 6. *p.* 151. docet) nulla fœmina autem duos fratres ſimul, ut hiſtoria Sadducæorum & defectus exemplorum nos informat, habere poterat. Marito enim jure naturæ, & divino, ſub nulla interminatione permiſſum plures ducere uxores, & ſorores quoque; fœminam verò plures habere maritos, omnia jura vetant. Quod ſi autem duas ſimul ſorores in matrimonio poſſidere peccatum non eſt, multo minus erit, ſi quis defuncti fratris viduam vel ſponſam ducat, quod Hebræi, & hos ſecuti (vid. & *Bez.* de divort. p. 88. *Hemming.* de Conjug. p. 123. *Joach. à Beuſt* & *Dedekenn.* l. 3. Conſil. p. 351. 352.) *Bellarm. de matr. c.* 27. *arg* 3. *Cornel. à Lap. in Com. in Lev.* 18. *Fagius in Annot. & Paraphr. Chald. in Lev.* 18. fervidè propugnant

gnant, ſicut & hanc ſententiam peculiari ſcripto, quantum memini, jam olim tutatus Daniel Hoſmannus, & Bucholzius contra Havem. vid. & Salmuth. Conſilium ad Reſponſum Principis de matrim. Ita Canon Apoſt. 19. non irritum facit hoc matrimonium, multò minus inceſtuoſum, ſed tantùm à clero arcet; *qui*, inquiens, *duas ſorores, alteram poſt alteram duxit, aut* ἀδελφιδῆν, *fratris, vel ſororis filiam, tantùm à clero arcetur.* & Canon Eliberinus 60. *ſi quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis, per quinquennium eam à communione abſtinete.* Quo ipſo oſtenditur, vinculum matrimonii manere, nec fieri irritum, ſed tantum ob deſuetudinem, & ob ſcandalum ut non nimis frequentaretur, aliqua pœna coerceri. Ut adeò mirum ſit, Canoniſtas, Canonum Apoſtolicorum & Conciliorum, quibus aliàs multum tribuunt, oblitos, inſeruiſſe hunc Canonem Juri Canonico Decret. 32. *qui dormierit cum duabus ſororibus, & una ex illis anteà fuerit uxor, neutram habeat.*

3. *Sororum gratia rara.* Ideò additur *ad affligendam* eam, & moleſtias priori faceſſendas, & ut *Cunæus l. 2. c* 23. dicit, duas ſorores ſimul non habendas; quia *ardentiſſima inter has*, ſi ſunt mali ingenii, *æmulatio*, (ideò 60. *reddunt*; οὐ λήψει ἀντίζηλον, æmulam) *in tali conjunctione ſolet eſſe; cum cæteræ omninò, quæ ejus conſanguinitatis non ſunt, æquiori animo ſub eodem marito una ætatem agent.* unde *Rabbi Levi: Deus pacis paci omnium creaturarum conſultum voluit, quantò magis paci illarum, quas natura & intelligentia obligat, ut pax inter eas conſtituatur, non autem quotidianis digladientur jurgiis & rixis.* Et *Abarbenel* ſcribit, per ſe non eſſe illicitum, vivente quoque uxore, ſororem ejus (tam uterinam, quàm Germanam, ſive legitime, ſive illegitimè natam) ducere, ſed tantùm, quatenus id fit ad affligendam, & ad æmulationem provocandam uxorem priorem, ſeu quando iſta digamia prior affligitur, & debitis officiis conjugalibus privatur. Verba ejus hæc ſunt: *Non dicit hic Moſes; nuditatem ſororis uxoris tuæ non reteges.* (*ut ſcil. in præcedentibus præceptis*). *quia nil aliud voluit prohibere Scriptura, quàm ne vir affligat uxorem ſuam, quando ſuperinducit ei aliam. Hoc enim ſibi vult, cum ait*: ad affligendum: *Nam per ſe* duæ ſorores non ſunt prohibitæ. *Elkana quippe habebat duas uxores 1 Sam. 1. & ſcriptura arguit, quòd vir poſſit habere duas uxores. Itaque prohibere tantùm vult ne* (quando hoc ſit) *una ſit afflicta, & officiis conjugalibus à marito privetur, quæ ſecundum legem ei debentur* (Ex. 21. 10. *ſicuti nimirum illic* (de concubinis Davidis) *legimus*: fuerunt afflictæ uſque ad diem mortis *ſuæ in viduitate vitæ* (i. e. perpetua) *quia Rex non fuit ingreſſus ad eas; ut ibidem dicitur 2 Sam.* 20. 3. Sic Abarbenel optime ſane. Ejuſdem ſententiæ etiam eſt *Chamier. Panſtrat. t. 3. p.* 672. Lev. 18. *non recte dicitur, ne affligas*, ſed ut Paraphr. Chald. Paulus Fagius & Arias vertunt, *ut ſit in tribulationem*; Id ita interpretor: *prohibitum uxorem uxori ſuperinducere*, non ſimpliciter, ſed *priore non volente*, ſive eo animo, ut ei ægrè ſit, videndumque adeo, & diligenter cavendum, ne poſterior ſit priori moleſta. Sic & Abraham volente Sara ſibi Hagarem ſumſit. At Jacob non conſulta Lea Rahelem. *Hoc modo, ſi non prorſus interdicta, certè valdè diſſuaſa videatur Polygamia.* Cum enim ſemper gravis ſit priori uxori altera ſuperindicta, tùm verò longè gravior futura propria ſoror, quia ſcil. durior ſit dolor ab iis, à quibus minimè oportebat. *Nam phraſis Hebraica, niſi fallor, non ſolet incommodi objectionem ſignificare dehortantis, ſed potius ſcopum agentis*: (Ita & *Giſbertus Voët. l. 4. Polit. Eccl.* dicit, Polygamiam jure divino naturali licitam.) Sicuti verò vinum generoſiſſimum in acetum (unde Hebræi illud per proverbium appellant *optimæ matris peſſimam filiam*) acerrimum, & mel dulciſſimum in fel acerbiſſimum & amariſſimum degenerat, ita & amor fratrum & ſororum, qui tenerrimus & maximus eſſe deberet, ſi diſſolvitur, in rancorem irreconciliabilem deſinit, ideo Deus maximopere cavit, ne ſoror ad ſororem ducatur, ad affligendum eam, ſi ſcilicet ſint diſcordes animis & affectibus. uti *Auſonius* de duabus ſororibus valde diſſimilibus canit:

Delia, vos miramur, & eſt mirabile magnum,
Diſſimiles eſtis, tuque ſororque tua.
Hæc habitu caſto, cum non ſit caſta, videtur,
Tu præter cultum nil meretricis habes.
Cum caſti mores tibi ſint, non cultus honeſtus,
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

Cœteroquin, ſi ſorores ὁμοπάτορες, & ὁμομήτορες, ſint benè educatæ, & moribus concordes, præſtat Polygamum ducere duas ſorores, quippe quæ facilius concordabunt, cum eodem ſanguine natæ & enutritæ ſimul adolevêre, præſertim cum ſoror ducta impedire non poſſit, ut non ducat adhuc aliam maritus, tum libentius ſororem feret, nec ea quæ à marito habet gaudia, invidebit ſorori, niſi forte in eam ſpem deveniat, quod facilius in peregrinam dominium, cujus mulieres maxime ſunt avidæ, exercere poſſit. Ex quibus omnibus conſequitur, fruſtrà eſſe cunctos, qui duas ſorores neque ſimul, neque ſucceſſive duci poſſe autumant. Recte ergo *Emanuel* Rex Portugalliæ defunctæ ſororem, adeoque *duos ſorores* ſucceſſive duxit, ita ut & cum prima matrimonium conſummaverit. *Alex. VI.* cum quodam *Rege Luſitaniæ* diſpenſavit, ut uxorem fratris duceret, & *Julius II. cum Henrico R. Angliæ*, ut duceret in uxorem Catharinam quæ fratris uxor fuerat; Quod etiam confirmavit Clemens VII. qui conſultis totius orbis Illuſtribus Univerſitatibus autoritate Pontificia decrevit, legitimam fuiſſe Julii diſpenſationem. *Zanchez l. 7. de matrim. d. 66. q. poſter. l. 10. &. 11* Ita *Martinus V.* ut refert Sylveſter de Prierias, ſimilem conceſſit diſpenſationem. Sic ex Commentario Bellai conſtat, quod Andr. Auria Papam adierit, ut privigno veniam obtineret, quâ lege ſolutus Antonii Lenæ *filiam minorem* in matrimonium duceret, cujus antea majorem habuerat, & ex *Franc. Lopez hiſt. Ind. l. 6. c. 14.* Petrus *Alvaradus* ex Papæ diſpenſatione *duas ſorores* duxit, *Franciſcam* & *Beatricem.*

THESIS LXIX.

NUm. 5. v. 11. invenitur lex de zelotypia marito conceſſa his verbis: *Si alicujus viri uxor aberrat, & committit peccatum contra illum, ita ut alius cum ea carnaliter ſe miſceat, & hoc eſt occultum coram oculis mariti, ipſe tamen novit eſſe vitiatam, caret tamen teſtimonio &c.* Ex quibus colligimus, primo uxorem ſuo marito ita eſſe propriam, ut non poſſit nec debeat ſe miſcere cum alio, & ſi quando hoc fiat, maritum habere poteſtatem inquirendi in illam, & tentandi media extrema ad tentandam illius integritatem, & expiſcandam violationem, ſi Polygamia ſit, ſeu duos, vel plures etiam viros habeat. Nuſpiam vero legimus, vel in dictis legibus, vel in exemplis, maritum peccare contra uxorem, ſi unam vel alteram, præter primam, ſibi aſſociet. Nuſpiam etiam legimus Deum conceſſiſſe uxori poteſtatem accuſandi, & inquirendi in mariti fidem. Sicut conceſſit marito facultatem accuſandi, repudiandi, & inquiſitionem acerrimam inſtituendi. Nuſpiam etiam legimus, quod uxores Lamechi, Iacobi, Abrahami, Davidis, Salomonis propter

propter Polygamiam exercitam maritos reprehenderint, repudiarint, aut violatæ fidei incuſarint. David ſanè uxores ſuas, ab Abſalone ſtupratas, nolebat iterum recipere. 2. Sam. 20. 3. Quanquam enim invitæ forſitan, & reluctantes Abſolonis libidini ſuccubuerint, adeoque propriè adulteræ (vid. *Gratian. cauſ.* 32. *quæſt.* 5. *c.* 2. vocari non poſſint, illas tamen retinere, & more maritorum cum illis conſueſcere, quia cum turpitudine conjunctum erat, jure merito David ab illis abſtinuit. Illud interim benè notandum, nullum exemplum ejusmodi Zelotypias exercitæ inveniri in tota Scriptura Sacra; Quia enim tanto rigore erat concepta hæc lex, & non tantum verbis & factis ignominioſiſſimis, ſed & ſummis maledictionibus repleta, ideo tantum horrorem incuſſit fœminis Judaicis, ut vix exemplum ejuſmodi peccati fuerit repertum. Neque vero duntaxat, apud Judæos, ſed & extra pomœria Iſraëlis hinc & inde uxorum integritas, ejusmodi examinibus rigoroſiſſimis erat obnoxia. *Niceph. Chron.* refert, quòd poſt abolitas leges ceremoniales Judaicas loco Sacrificii Zelotypici Moſaici obtinuerit inter Chriſtianos *mos probandi* uxorum pudicitiam *per ferrum ignitum*, manibus portatum, aut pedibus calcatum, aut etiam per aquam ferventem aut oleum, adeo ut ab hoc examine, ut *Aventinus l.* 4. *Ann. Bojorum* dicit, neque Sanctiſſimi Papæ, neque Chriſtianiſſimi Principes, neque religioſiſſimi Monachi & Moniales fuerint exempti, ceù hoc de *Cunigunda* Imperatoris *Henrici Bavari* uxore teſtantur ſupra laudatus *Nicephorus*, itidem *Nauclerus Gen.* 35. *Eborenſ. tit. de abſol. reorum. Majolus dieb. Canic. Gobelinus Coſmodromii ætat.* 6. *c.* 52. *Craneſius l.* 4. *c.* 32. *Saxoniæ*, ferrum ab eâ portatum ait. at *l.* 4. *c.* 5. *Metropol.* ſex vomeres ignitos calcaſſe tradit. Cui calculum addit *Camerar. hor. ſucc.* Epitaphium ipſius his verſiculis in Papebergâ ornatum recenſens:

Judicio vomeris Chunegundus virgo probatur,
Cœtus at hoc procerum mirans ipſam veneratur.

Ita *Aventinus* & *Sigionius* memorant, quod *Richardis*, Caroli III. uxor, circa A. 887. ob ſuſpicionem adulterii, cum *Luitwordo*, Conſiliario Cæſareo intimo commiſſi, ſe ferro candente purgarit, quod & *Polyd. Virgil. Anglic. hiſt. l.* 8. *de Emma*, matre Regis Angliæ *Eduardi*, ſuſpectâ de adulterio, cum *Aduwino* Epiſcopo Wintonienſi perpetrato, refert. In *Comin. Annal. Baron.* etiam narratur, quòd uxor cujusdam fabri ferro ignito, ex camino ardente deſumpto, & uſque ad ſepulchrum Garſiæ Martineſii, A 1286. *non ſine opinione ſanctitatis* mortui, abſque ulla læſione portato ſuam innocentiam demonſtravit. Similiter *Dionyſ. Halicarn.* de *Æmilia* prodidit, quòd ſuper carbones ignitos inceſſerit illæſa, quod & *Pauſanias* circa Dianæ tem-

templum, aliquando ſe vidiſſe teſtatur, ſic uti & Papa *Pius* II. *Deſcript. Aſiæ c.* 46. ait, quod fuerit prope *Dianæ* fanum in more poſitum, ut mulieres hoc pacto ſuam pudicitiam indicarent. Notatu, an fide etiam dignum, alii videant, cum *Saxo Grammaticus hiſt. Dan. l.* 14. meminit ferri igniti, manum cujusdam matronæ ſuſpectæ, attingere volentem fugientis & in aëre mulierem, ad altare more ſolito tendentem, ſequentis, & proprio motu in terram decidentis. Ejusdem farinæ, quòd *Cranzius l.* 8. *Vandal. c.* 30. narrat, quòd quidam, à crimine incendiarii ſe purgaturus, ferrum ignitum illæſus in terram projecerit, ita ut ſtatim ex oculis omnium evanuerit, ſed poſt unum annum à quodam viarum complanatore, qui verus erat incendiarius, repertum, illum ipſum uſſerit, & judici puniendum adjudicarit. Hic vero mos probandi per ferrum ignitum non tantùm in propria, ſed & alienâ culpâ amovenda erat in uſu, uti docet *Cranz. l.* 4. *Sax. c.* 26. *Gobel. Coſmodr. æt.* 6. *c.* 50. quòd uxor Comitis Modenenſis, qui à Cæſare Ottone III. ob accuſationem adulterii, Imperatrici *Mariæ Arragoniæ* illati, ſubito & injuſte decollatus erat, innocentiam ſui mariti hoc pacto non ſine ſumma expoſtulatione Cæſari objecit. Nec minoris momenti erat, cum quis carbones illæſis veſtimentis portaret, uti *Simplicii* electi Epiſcopi uxor ſuam pudicitiam apud maritum poſt electionem integram ſervatam coram Pontifice Maximo hoc modo probavit, ſi vera ſunt quæ refert *Greg. Turon. & Glor. Conf. l. c.* 26. Similia etiam narrat de *Bricii Epiſcopi* Turonenſis uxore *Greg. Turon. l.* 2. *c.* 1. vid & *Marulus l.* 5. *c.* 1. Et hunc morem etiam extra Chriſtianam Eccleſiam apud Japonenſes fuiſſe uſitatam teſtatur *Luiſius Froeſ. Soc. Jeſu in ſua Epiſt. ſcripta A.* 1595. vid. *Delr. Disquiſ. Mag. l.* 4. *c.* 4. *quæſt.* 4. *Sect.* 3. Præter hanc probam vero per *ignem* aut *ferrum ignitum* etiam alia fuit per *aquam frigidam & calidam*, uti *Arent. Ann. Bojor. l.* 4. *Delr. loc. cit. Sect.* 4. ubi preces etiam, ad hanc aquam ſanctificandam conſecratas, legere potes. vid. *Sigon. l.* 5. *Regn. Ital. Aimo l.* 8. *hiſt. Franc. c.* 24. qui recenſet, quòd *Ludovicus* juſtitiam ſuorum armorum, contra agnatum Cæſarem *Carolum Calvum* ſuſceptorum, probaturus miſerit decem cados aquæ calidæ, & decem cados aquæ frigidæ, & totidem ferri igniti. Et hanc aquam frigidam Gangolphi Burgundionis uxor etiam experta eſt referente *Fulgoſo. l.* 8. *Claud. Eſpenc. de Contin. Conjug. l.* 6. *c.* 10. Hanc vim probandi *Philoſtratus vit. Apoll. l.* 1. *c.* 4. Fluvio prope Tyanam, patriam Apollonii Thyanæi, *Solinus l.* 10. vero fluvio Dianæ in Sicilia aſcribit. vid. *Majol. Canic. coll.* 11. *In Deſcr. Ind. Orient. part.* 6. *c.* 5. dicitur, quod ibi certa aqua ſalita in nomine Dei ipſorum, *Febiſſos* vocati, fœminis ſuſpectis propinetur. Quo referri poſſet Veterum Germanorum proba ſpuriorum per Rhenum, de quo Claudianus.

Et

Et quos naſcentes exploret gurgite Rhenus. Wolfgangus inter leges *Longobardorum lib.* 86. §. 1. refert, quòd *duello* ſuſpectus de alterius tori violatione ſe purgarit. Sicuti *Pet. Bizarus Gen. hiſt. l.* 3. *Cranz. Daniæ lib.* 3. *cap.* 22. recenſuit. quòd agnatus *Gundebergæ*, uxoris Arioaldi Regis Lomdardorum, præſente Clothario, Rege Galliæ, *Carellus* dictus, duello cum *Adalulpho* Reginæ calumniatore inito, Reginam A. 631. ab intentato crimine liberarit. Memorabile eſt, quod narrat *Math. Weſtmonaſt. in Flor. hiſt. de reb. Brit. Naucler. pen.* 35. quòd in defectu alius, in honorem Imperatricis duellum ſuſcipientis, pygmæus, cubicularius *Gunaldæ*, filiæ Cnutonis, Regis Angliæ, & uxoris Henrici III. adverſarium diffamatorem in duello vulneravit in crure, & in terram prolapſum capite truncarit. Nec ſilentio prætereundum notabile duellum Pariſienſe, ubi *Joannes Caron*, aulicus præcipuus Ducis Alenconiæ, ob tentatam pudicitiam caſtiſſimæ ſuæ uxoris conſentiente Parlamento, & præſente Rege Galliæ Carolo VI. alieni tori inſidiatorem, *Jacobum Grys* dictum, primùm more equeſtri, ſed equo ob vulnus privatus dein pedeſtri pugna aggreſſus, trucidarit, magnis muneribus Regiis ideò affectus. vid. *Gagumus hiſt. Franc. Froſſard. l.* 3. Præterea etiam pudicitiam ſæpè fœminæ probabant *juramento*, quod vel ipſæ, vel aliæ ſimul præſtabant. *Auguſt. contr. Mend. ad Confeſſ. c.* 21. Ita *Sophia Ruſſa*, Regina Poloniæ, tùm proprio, tum ab aliis virginibus ſeptem, præſtito juramento Regem *Vladislaum* ad deponendam Zelotypiam perducebat. *Cromerus l.* 19. *hiſt. Polon.* Alii hominibus non fidentes, ad *Oracula* divina cum Rege Ægypti *Pheron* ſe convertunt. *Herod. Euterp.* Romæ erat *os veritatis*, in quod manus injecta, ſi pura & illæſa extrahebatur, res erat in ſalvo. *Plin. lib.* 7. *cap.* 2. *de Pſyllis* populis Africæ à Pſyllo dictis, narrat, quod quoniam illorum corporibus innatum credebatur antidotum contra venenum, illos liberos pro legitimis habeant, qui recens nati à ſerpentibus appoſitis non mordeantur, ſed deſerantur. *Polæmon* & ex ipſo *Athenæus* referunt de ave quadam, quæ dicta *Porphyrio*, dominum domus dicitur non voce, ſed ſuffocatione de adulterio uxoris certiorem facere, & ideo juxta *Tiraquellum* vocata *Thalamon. Geſn. de avib. Plinius* & *Solinus* ajunt, quod lapis *Eſmaraudes* ob adulterium uxoris in multas partes diſſiliat. *Albertus Magnus Magneti* aſcribit, quod pulvinari adulteræ ſuppoſitus illam expellat lecto. *Hieron. l.* 1. *Epiſt. ad Innoc:* ſcribit, quod uxor quædam innocens, gladio percuſſa ſepties non pòtuerit decollari, ſed tandem delaſſata quaſi mortua ſepulta fuerit, poſteà tamen recuperatis viribus è ſepulchro ſurrexerit. Ita *Annæus Seneca l.* 1. *Controv.* 3. de virgine Veſtali memoriæ prodidit, quod ſaxo detruſa, illæſa pervenerit ad terram. De aliis virginibus Veſtalibus, *Claudia* ſcilicet, *Tuccia Æmilia*, quo pacto ſe ab impactis cri-

minibus purgarint: vid. *Plin. l. 7. c. 35. Dion. Halicarn. Antiqu. l. 2. Val. Max. l. 1. 8. 1. Lactant. l. 2. de Orig. err. Sabell. l. 2.* Unicum adhuc ſuccurrit ex *Pauſania l. 7.* ubi meminit templi Achaici, Telluri Euryſternæ dicati, in cujus ſacris eligenda ſacerdos, ſi ſanguinem taurinum abſque mortis periculo bibiſſet, ceu caſta & unius mariti uxor ad hoc officium eligebatur. Cui addi adhuc poteſt illa pugna virginalis, quam prope fluvium Tritonem apud populos *Machlyes* & *Auſes* dictos, feſto *Minervæ* inſtituebant virgines, baculis & lapidibus catervatim ita dimicantes, ut ſi quæ verberibus & vulneribus moreretur, læſæ virginitatis pœnas luere crederetur, quæ vero plura gravia vulnera oſtentans evaſiſſet, & ſe optime geſſiſſet, illa in triumpho armis Græcis ornato collocata veheretur. *Herod. Melpom. Nat. Com. cap. de Pallade.* Ex quibus omnibus luce meridiana clarius apparet, omnibus gentibus nil magis curæ fuiſſe, quam ut ipſis conſtet de certitudine prolis & de uxorum integritate, & polygamiâ.

1. *Lex Zelotypica.* De hâc vid. præter Commentarios obvios ad Num. 5. *libr. Philonis de legg. ſpec. ad 6. & 7. Decalogi* præceptum. *Selden. Ux. Hebr. Sixt. Sen. Bibl. S. in J. l. 2. D. Wagenſeil in tr. Thalmudico Sota.* Scilicet maritus præmonebat uxorem, ne deinceps in ſecreto eſſet, aut clàm (ut *Miſna tit. Sota c. 1. & Gemar. Babyl. p. 25. & Maimon. Halach. Sota c. 1.* & accurate *Salom. Jarchi ad Num. 5.*) occultaretur cum aliquo ſive Patre, ſive fratre, nedum aliis plus diſſitis, ſive gentili, ſive ſervo, idque coram teſtibus; quæ nihilominus cum ipſo, de quo præmonita erat, in ſecreto eſſet occultata; (idque teſtibus probaretur) quantillo tempore pollui fœmina poſſit, i. e. quantillo tempore ovum aſſari poſſet, & abſorberi. Gallinæ vero ovum intelligunt, quod citius aliis quibuscunque ovis aſſari & coqui poſſit. *Miſna tit. Sabbath c. 9. & Obad. Bartenor. ibid.* §. 5. Nec frui poterat maritus uxore ſuſpectâ, uſque dum potatis amoris aquis innocentem ſe doceret (confeſſâ vero ſe pollutam, non potabat, & ſi maritus poſt occultationem rem haberet cum illâ, potu liberabatur, ſed cum dote ea tunc ejicienda, atque itidem marito interdicta; Ab hoc potu vero liberæ erant ſponſæ ante nuptias, & fratria, nondum ὢα·δροὶ. Uxor Hermaphroditi cœci (quia dicitur: *& abſconditum fuerit ab oculis ejus*) clauda (quia legis verba; *ſtare eam faciat ſacerdos*) unimana, (quia *oblatio ſuper manus ejus ponenda*) muta (dicendum enim mulieri, *Amen, Amen*) ſurda (ſacerdos enim ipſam alloqui debebat) quin & uxor cœci, ſurdi, muti, claudi. Nam niſi ubi ipſa integra eſſet, ut ille, atque ille, ut ipſa, integer, locus aquis amaris non fuit. Maritus etiam ab omni illicito concubitu liber requirebatur, nec ſi maritus ejusmodi in examen eam deduxerat, vim ſuam examinis, exercebant aquæ. Unde peccaſſe eum ajunt, quod in cauſa eſſet, ut nomen tetragrammaton incaſſum abſtergeretur in aquas. Adibat autem maritus forum ſuum nar rans omnia, hac formulâ uſus: *Hanc uxorem meam Zelotypus præmonui de N. quo cum poſt occultata eſt, ſeu in ſecreto egit, atque hi ſunt teſtes. Ita ſe innocentem eſſe ait. Ego peto, ut potus ei detur, quo rei examen fiat.* Teſtimoniis foro auditis, & tradito marito in cuſtodiam duorum legis ſtudioſorum, quibus erat cavendum, ne cum uxore ipſe ante potationem, ut pote cui jam, uti dictum, interdicebatur, concumberet, utrique conjuges Hieroſolymam mittebantur, ut non alibi quàm in Synedrio magno res procederet; ubi Synedrium ipſam primo terrebat, ſacerdos monebat & omnia juxta legem peragebat. Sacerdos etiam alius veſtes mulieri corde tenus dilacerabat, nudato uſque ad crines capite, cincinnos, ſi qui erant abſcon-

de-

debat, & fune, ſi comparari poſſet, Ægyptio, (quo Ægypti miracula in animum ei facillime reducerentur) veſtes ei laceras ſupra mammillas circumcingebat. *Si pota innocens* eſſet ipſa, domum redibat, marito denuò licita, quin augebatur ei venuſtas faciei, firmitudo corporis, fœcunditas eaque maſculorum, & cum facili partu. *Sin* vero *adulterii rea*, illico facies ejus expalleſcebat, proruebant oculi, atque ne templum atriaque ejus inquinaret, ſtatim educta, intumeſcente ventre, ac putreſcente femore *moriebatur*. Nec diſſimili modo eadem ipſa hora, qua mortua eſt ipſa, *moriebatur* item *adulter*, cujus nomine aquas potaverat amaras, uti tradunt Thalmudiſtæ. In deſuetudinem vero abiit hoc examen ſeu aquæ amaræ potatio, cum in ſeculo excidium 2 templi proximè antecedente creſceret adulterorum numerus, idque ex iis cum primis, qui mariti eſſent. Atque hæc fuit Zelotypia & ſacrificium Zelotypicum maritorum in uxores inſtitutum, quod uxoribus non licebat, ſiquidem maritis erat integrum plures ducere uxores, non vero fœminis, ut pluribus nubant. At hodie in inverſo mundo hic affectus, maxime de fœminis prædicatur. *v. Scal.* 3. *poet.* 14. *Plut.* 1. *de tranquill. animi.* ſiquidem illæ ſunt eo impatientiores, quo plus naturalibus affectibus fibulam laxant, atque indulgent, ut etiam iſtarum Zelotypiam furori leonino comparaverit *Ovid. l.* 2. *de Art. Am.* quemadmodum quoque multas in furorem egit. *Petrarch. de Rem. Utr. fort. c.* 72. *Neviz.* 2. *Sylv. Nupt. n.* 92. Et quidem mulieres putant, ſe habere juſtum zelum, ſi maritos alienis implicari amoribus ægerrimo ferunt animo, cum tamen à laſcivia, dominandi libidine, & æquali illo jure putatitio & Chimærico, (de quo ſupra ad th. 2. 13. & 19. 4. 9. egimus) quaſi ſit idem jus fœminis in maritos, quod maritis in uxores oriatur cum tamen *inæqualis ſit contractus* ut th. 1. n. 2. 3. 4. aſtruximus. Maritis autem juſtum zelum, & pientiſſimum hunc erga uxores ſuas affectum ipſa inſevit natura, quo communionis metu quoſvis à ſe ſocios repellunt, timentque, ne de amatæ rei exturbentur poſſeſſione; unde fit, ut non patiantur uxores ab altero tangi ſine invidia, nec certè ſoli Atridæ ſuas amant uxores *l.* 13. §. 1. *ff ad L. Jul. de Adult.* Profecto enim ita à natura edocti ſunt omnes mariti, ut omnia quidem communia habere velint, exceptis uxoribus, quas ſibi ſolis totas ſine omni exceptione manciparunt. Hinc facile conjecturare licet, quanto dolore vir, qui cornua ferre recuſat, afficiatur, ſi ſuam uxorem in oſculis atque amplexibus extranei hærentem forte deprehendat. Enim vero cum oſcula ſint prænuntiæ flagitii blanditiæ *Tac. l.* 14. *Ann. in princ.* gladiatoriæ Veneris antecœnia. *Taubm.* ad *Plaut. Curcul a.* 1. *ſc.* 1. adulteriique procœmia & proximum præparatorium *Thom. Sagitt. Cent. Quæſt. Philoſ. de c. q.* 9. *Kekel. diſcurſ. Philol. de Oſ. c.* 6. quia in oſculantibus facta partium convenientiâ conjunctisque ſpiritibus animalibus luxuries excitatur. *Kormann. de Jur. Virg. c.* 23. imò nil ad incendium gravius oſculo fit, cum ſatiari nequeat, & ſpem dulcem ſuppeditet. *Xenoph. in Conviv. p.* 698. ſanè ſuſpicio haut difficulter naſci poteſt, quod hâc quinta via ſi non jam itum ſit, tandem tamen eatur ad ipſam copulam carnalem, *argum. eorum quæ habet Cantipratan. in libr. qui inſcribitur: bonum univerſale l.* 2. *c.* 30. §. 49. idque præprimis, ſi non invitæ, nec repugnanti oſcula applicentur uxori, quia tum verificatur illud: oſcula quæ non negat, tandem cœtera. *Jan. Grut. Bibl. Ex. ſub. tit. Oſc. Petr. Muller. de Oſcul. Sanct. c.* 8. *n.* 34. Proinde haut facile ſuadere vellem extraneo, ut oſcula ab alterius uxore ſumat; verendum enim maxime, ne marito ſuperveniente, & indignanter cum Neptuno apud *Virgil.* 1. *Aen. v.* 139. prorumpente: *Quos ego?* &c. adde *canon. nec aliqua.* 27. *q.* 1. verbera plagasque lucretur, & loco præmii ferat, quod ex alieno horto dulciſſima decerpſerit poma. Et enim non apud nos Germanos illa viget conſuetudo, quâ grande nefas creditur, ſi juvenis ad puellam veniens illam non oſculetur aut amplexetur. *Henr. Kornm. de lin. am. c.* 4 *p.* 79. aut ex adverſo honori ducitur, ſi (uti ap. Belgas, Anglos & Gallos fortean conſuetum) advenientes oſculo uxores, ſorores, filiasque, etiamnum virgines ſalutent. *Salmuth. Pancir. l.* 1. *p.* 441.

easque otioſas totos dies per plateas & hortos ducant confabulatum. v. *Arniſ. tr. de Jure Connub. c. 6. ſect. 10. n. 22.* Extremos ad Garamantas releganda eſt illa conſuetudo, quam ne tibi villitio quidem emptitem ut in ſimili loquitur *Plaut. in Caſin. a. 2. ſc. 5.* Etſi enim illis oſculo manum ſtringere, vel labia quoque, pro ſigno civilitatis & amicitiæ eſt, ut ipſorum morem ſi faſtidias, pro hoſpite habearis ruſtico & inſulſo homine, negari tamen nequit, ſub hoc ſigno aliud quid ſæpius repreſentari, niſi putes, ibi locorum ob nimiam copiam vilipendi tot meſſes ſegetesque ſuaviorum, & hoc omne potius dandum eſſe receptæ conſuetudini, quàm incompoſito amori, præſertim cum deformes pariter ac venuſtas, vetulas ſimul atque juvenculas hoc cultu propiliare jubeat mos paternus. Sed quicquid hujus ſit, periclitatur virginitas in hoc forte quondam innocuo, ſed hodiè ſuſpicioſo humanitatis tributo, utique quando ſe ſpectari gaudent papillæ, & amantis oculos laceſſunt, cum accedunt furtivi oculorum nutus, efficaciùs omni voce loquentes; tùm libera verba, arte & mendacio interpolatâ formâ, geſtus leves, contrectationes parùm verecundæ, quarum guſtu laſcivæ quædam de toto corpore velut benè ſperare jubent, ut quaſi hederâ ſuſpenſa ſitientes ducantur in venale vinum. At verò apud nos viperino cautius ſanguine fugienda mulieribus occaſio familiariter nimis cum extraneis converſandi (apud Moſcovitas à nullo peregrino etiam in domibus propriis non viſuntur) ne exinde naſcatur fidei conjugalis diffidentia quæ multorum diſcriminum fœcunda mater eſſe ſolet. v. *Jo. Gaſt. tom. 3. Conviv. ſerm. p. 25.* Multò magis à *literis amatoriis* ad alios transmittendis abſtineant, ſiquidem per hoc lotium radix Zelotypiæ inter conjuges certo certius plantatur, quo facto ſæpe maritus præ nimio dolore veluti impatiens conſortis ad extremam temeritatis atque audaciæ lineam progreditur, *arg. can. nec aliqua. 27. q. 1.* quemadmodum Lepidus extinctus legitur, cum ex literis forte fortuna inventis videret ab aliis uxorem ſuam uſque ad perpetratum adulterium adamari. *Plut. in Pomp.* Nec forte ex eo amatorias literas dixeris licitas, quod per eas à marito inventas, nullo modo probari poſſit ab uxore commiſſum adulterium, v. *Geiſlerus* Anteceſſor quondam Lipſ. in *Syll. ver. lit.* §. 16. **Von buchler/ undt Jungher brieffen/** ità ut neque ad torturam ſufficiant, *Henr. Bocer. tr. de quæſt. & tortur. c. 3. n.* 113. niſi tenor literarum, qui ante omnia inſpiciendus, *Menoch. de præſumt. l. 5. præſumt. 41. n. 39.* perpetratum jam doceat adulterium. *Joh. Zang. de quæſt. & tortur. c. 2. n. 212.* (quamvis confeſſio hæc ut pote extrajudicialis inſufficiens adhuc videatur *Henr. Bocer.* d. l.) At enim, utut hæc ambabus largiar, ſufficit tamen hîc, quod illicitum hoc literarum commercium militet contra bonos mores, & oppidò gravem pariat ſuſpicionem, propter quam nihilominus marito uxorem accuſare, eamque ream facere licet, *expreſſ. l. 30. in med. C. ad Leg. Iul. de adult. c. 4. 10. de adult. & ſtupr. Tholoſ. Syntagm. Iur. Civ. l. 36. c 6. n. 7.* Alimenta etiam maritum propter oſcula uxori denegare poſſe, ſtatuit *Surd. de alim. lib. 7. q. 16. n. 32. ſequ. & Clar. l. 5. Sent. §. adult. n. 6.*

2. *Uxores ab Abſalone ſtupratas David nolebat recipere.* Erat enim in lege prohibitum cum uxore Patris, licet noverca, licet vi compreſſa, ſive talis fuerit ſola deſponſatione, ſive etiam ſolenni conſecratione, tàm vivo Patre, etſi eam repudiaverit, quàm eodem mortuo, rem habere, *Lev.* 18. 8. quod Paulus etiam confirmat. 1 Cor. 5. quò referendæ etiam concubinæ, quæ apud Judæos veræ uxores, licet ſine dotalibus inſtrumentis & ſolennitatibus fuerint ductæ. vid. *Buxt. Deſponſal. p.* 12. 13. (ubi & de concubina Levitæ Jud. 20. 4.) Duplici autem reatu juxta Rabbinos conſtringebatur, qui cum patris uxore rem habebat, altero, quia mater ejus, altero, quia uxor Patris ejus. *Hatting. Jur. Hetr. Leg. 190. p. 284.*

3. *Per ferrum ignitum.* Probæ hujus in Gallia non tantum praxin, ſed & legem eſſe antiquiſſimam oſtendit *Iſacius Pontanus l. 6. Orig. Franc. c. 17.* Eam ex collectione Legum Epiſcopi Anſegiſi probat *Stephanus Paſchaſius l. 4. Recherches c. 2.* ubi caſtigat Gratianum & Ivonem aliosque qui à Gregorio M. & Alexandro III. probas has prohibitas pu-

putant, cum demum abrogatæ ſint in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Conf. de ritu hoc *Jacob. Durant. Coſellius* t. 2. *var.* c. 1. *Franc. Iuretus* ad Epiſt. Ivonis Carnot. 74. *Avent. l.* 4. *Ann. Bojor.* Quàm antiquus autem iſte ritus ſit, docet locus Sophoclis in Antigone. Apud veteres Saxones ac Britones iſtiuſmodi genus purgationis *Ordalium* appellabatur, quo ſcilicet niſi mulatus criminis, probabatur, aut nuda manu ferrum ignitum ad 9. pedum menſuram geſtando, aut pedibus nudis ignitos premendo vomeres, factaque jam à ſacerdote adjuratione his verbis concepta: *Sit tibi hic ignis in probationem hodiè, ſi reus es intentati criminis, manus vel pes tuus comburatur; Sin vero inſons illæſus permaneas, cui accuſatus Reſpondebat: Amen.* poſt ſub ſigillo triduum muniebatur, & ſi cauterium à ferro impreſſum appareret, noxius illius putabatur ſceleris; ſin ejus nullum extaret veſtigium, inſons abſolvebatur, v. *Io. Seldenus in Analect. Anglo-Britann. l.* 2 *c.* 8.

4. *Per aquam frigidam & calidam.* Proba ſive purgatio per immiſſionem manus in aquam ferventem fuit, ſi ſine noxa uſtionis educeret aliquid ex fundo. Totus vero homo in aquam frigidam injiciebatur, ut conſtaret ſcilicet, an mergeretur, Modus conjurandi hominem injiciendum extat in *Conſtit. Ludov. Pii apud Goldaſt. t.* 3. *Conſtit. Imper. p.* 254. *Hoc judicium petente Domino Ludovico Imperatore conſtituit B. Eugenius, præcipiens, ut omnes Epiſcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Chriſtianus, qui infra ejus imperium eſt, hoc judicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne perjuri ſuper reliquias Sanctorum perdant ſuas animas malum conſentientes.* Manſit autem probatio per aquam frigidam potiſſimum in ſagis, quæ adhuc hodie in multis locis, ſed perperam uſurpatur, nec audiri hac in re debet *Iacobus Richius* qui eam peculiari tractatu propugnat. Vid. prolixe *Petr. Heig. p.* 2. *q.* 39.

5. *Duello.* Vel ſingulari certamine, de quo genere paſſim multa proſtant apud autores. vid. imprimis *Feudiſtæ ad* 2. *F. p.* 27. *D. Tabor de legitimo armorum uſu n.* 3. Et deplorandum eſt, ne hodie quidem in orbe Chriſtiano barbarum iſtum ad arma provocandi morem omnino ſublatum & extinctum eſſe. Nec profecto toleranda eſt hodiernorum Jeſuitarum doctrina, qui certamen tale ſingulare multis caſibus licitum faciunt, & adverſus antiquos Canones ſtrenue defendunt. Unicum hic audiamus *Sanctium ex Summ. l.* 2. *c.* 39. *n.* 7. *Melius alii dicunt, licere innocenti duellum acceptare, & offerre ad vitam, honorem & res familiares in notabili quantitate tuendâ, quando conſtat, omnino injuſte & per calumniam actorem procedere, & certum eſt, omninò ſore, ut hæc innocens amittat, nec aliud ſibi evadendi remedium ſuppetat; atque optime Bannes ait licere innocenti in his caſibus acceptare & offerre duellum, imo & non provocando ad duellum, occidere occultè actorem illum calumnioſum &c.* Meliora hic docet *Greg. Sayrus in clav. Regn. l* 7. *c.* 13. qui tamen *n.* 15. & ipſe perperam ſtatuit, acceptari poſſe duellum, ut evitetur falſa accuſatoris delatio, & hinc metuendum mortis ſupplicium.

6. *Iuramento.* Quod exinde hodie dicitur purgatorium, ideo ſcilicet, ut per illud reus famam & ſuſpiciones elidendo conſcientiam ſuam purget. *Franz. Comment. ad ff tit. de Iure n.* 66. Tactis vero ſacroſanctis Euangeliis jurat ſe crimen objectum non perpetraſſe, nec per ſe, nec per alium, nec aliquem ſuo nomine ſe ſciente commiſiſſe. c. 5. 10.

7. *Vel ipſa, vel aliæ ſimul præſtabant.* Dicuntur hi Compurgatores, & deducit hunc ritum *Camillus Borellus in deciſ. tit.* 53. ex Jure Moſaico, quod habetur Ex. 22. 89. ſed nullo planè argumento. Nec enim judices ſeu Dii, ad quos adducendus eſt Dominus domus, ſimul jurant, uti quidem à compurgatoribus requiritur; Cœterum de numero Compurgatorum nil certi definitum eſt ſed id arbitrio judicis relictum, qui interdum duodecim, interdum ſeptem, interdum pauciores, pluresve adhibere ſolet & jubet. vid. *Lancell. Inſtit. Iur. Canon l.* 4. *tit.* 2. *c.* 8. & 10. Receptum tamen eſt, ut pro Epiſcopo exempli gratia duodecim, pro ſacerdote ſex ejusdem ordinis & dignitatis cujus eſt reus, adhibeantur compurgatores, *Io. Baptiſta Coſta de remed ſubſid c.* 15. *n.* 5.

Si tamen hodie quis habere nequeat ſuæ ſortis compurgatores, etiam laici, imo etiam fœminæ admitti poſſunt, quandoque etiam ſoli juramento rei ſtandum erit. *Gloſſ. in c.*10. *de accuſat.* Jurant vero Compurgatores tantum de credulitate. In Germania tales compurgatores vix adhibentur, bene tamen in Italia & Suecia.

Thesis LXX.

HUc pertinet etiam lex Deut. 22. 13. ubi marito novello, qui uxorem modo ductam *non invenit virginem*, conceditur *poteſtas accuſandi*, inquirendi in virginitatem, & uxori ante devirginatæ, tanquam ſcorto, dictatur pœna lapidationis. Potuiſſet vero Deus imo vi juſtitiæ & Sanctitatis debuiſſet, ſi Polygamia virilis eſſet peccatum, in gratiam uxorum, ceu ſexus imbecillioris etiam ferre leges de incuſandis, repudiandis & lapidandis maritis.

Potuiſſet etiam Deus tanquam ſapientiſſimus invenire medium ad probandum maritorum durante matrimonio violatam fidem, ſicuti invenit medium ad indagandam non tantum virginitatem, ſed & aquam amaram ad perſcrutandam uxorum integritatem. Quia vero Deus neutrum fecit, quid aliud inde conſequitur, quam Deum improbaſſe multiviratum, ſeu Polygamiam muliebrem, Polygamiam vero virilem confirmaſſe.

Hoc etiam Gentiles ipſi docuerunt, dum *virginitatem integram* magno in æſtimio habuerunt, læſam vero Vatiniano odio proſecuti ſunt. Poëtæ finxerunt Deum in cœlis cinctum virginibus. Ipſa Deorum mater *Cybele* quod mirum, non niſi ut virgo coli debebat. Nec aliam ob cauſam quam ob virginitatem *Diana* Diis gratiſſima erat. *Minervam* fortitudo, ſapientia & præcipuè virginitas ad ſidera extulerunt. Et uti *Muſæ* novem virginum nomine colebantur, ita *Sibyllas*, quarum Varro decem numerat, Hieronymus virginibus accenſet. Romæ Sacra faciebant *Veſtæ* nonniſi Virgines *Veſtales* dictæ, quæ in tanto honore erant apud Romanos, ut Magiſtratus ipſe, quando occurrerent in via, loco cederet. *Plutarchus in Ariſt.* memorat, quod in honorem *Eucliæ* filiæ Herculis, quia virgo mortua, Bœotii & Locrenſes in omnibus foris ſtatuam & altare erexerint, ubi conjugium inituri ſacra facerent. Sed quid ad nos qui ſunt extra? Nonne Deus ipſe verus à virgine voluit naſci. Virginitas, ait *Lud. Viv. l.* 1. *de fœm. Chriſt.* ſemper & ubique in tanto fuit pretio, ut inter latrones etiam & adulteros maximopere honoretur. Quando vero erat *ſemel deperdita*, *non niſi ſummam ignominiam* ſecum ferebat, ut *Soſtrata* apud *Terent. Adelph.* 3. 2. de filia ſtuprata dicit: *Pejore res loco non potis eſt eſſe, quam in hoc.* Scilicet ut Poëta canit:

Nul-

Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel.

Quod & Tacitus de mor. Germ. confirmat: *Publicatæ inquiens pudicitiæ nulla venia: non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit.* Apud Romanos ſtuprata non tantum erat infamis, ſed & alios, qui illam admittebant, infames reddebat. Unde nos Germani dicimus: *Meretricem ducens nebulo eſt, aut erit. Chryſoſt. c. 9. in Matth.* ait illum æquè eſſe injuſtum qui meretricem retinet, quam qui caſtam mulierem repudiat. Unde Romanæ leges illum ut adulterum puniunt, qui adulteram vel meretricem ducit. vid. *Ludov. Molin. de Iuſt. Comment. tr. diſp. 97. num. 4.* Et ſi *Joſepho Antiqu. l. 4. c. ult.* credendum, non tantum ſacerdotibus *Lev. 11. 7.* ſed *omni plebi prohibitum ducere meretricem vel adulteram.* Ne itaque fallerentur, hoc indubitatum ſignum virginitatis adhibebant quod & apud quosdam *Græcos* in uſu fuit, ubi virgo non credebatur, *niſi pannum menſtruatum prima nocte videant.* Idem obſervari in *Zazyntho Sandes Peregr. l. 1. c. 7.* teſtatur, ſicuti & *Johannes Leo l. 3. hiſt. Afr. c. 34.* de *Africanis* memorat, quod ſponſus & ſponſa poſt copulationem & deductionem in domum, ſe conferunt, dum convivium apparatur, in cameram concluſam, ante quam ſilicernium præſtoletur tamdiu, usque dum ipſi à ſponſo detur *Linteum ſanguine tinctum* quo ceu ſigno virginitatis infallibili hoſpitibus monſtrato feſtum celebratur. Absque hoc vero ſi ſit, ſponſa parentibus non ſine ſummo opprobrio redditur, & hoſpites impranſi abeunt. *Hiſpanos* itidem veſtimentis oſtenſis exclamare: *Virgine la tenemous*: refert *Franc. Ranch. tr. de morib. Virgin. Sect.. c. 8. Laurent. Joubert. lib. cui tit. Erreurs Popul.* Etiam apud Romanos hoc fuiſſe extra dúbitationis aleam ponendum cum legimus *Claud. Epithal. Honor:*

Et veſtes Tyrio ſanguine fulgidas.
Alter virgineus nobilitet cruor,
Tunc victor madido proſiliat toro,
Nocturni referens vulnera prælii.

Vid. de hoc & aliis ſignis virginitatis *Albert. Magnus, Baptiſta Porta Mag. l. 2. c. 21. Wecherus l. 5. de Secr. Pinæus de notis virgin. & Dan. Songtis de Zelotyp.* Tantæ ſcilicet molis erat apud omnes gentes integram conſervare virginitatem. Unde & agnati ſæpe ob illam deperditam multum ſanguinis profuderunt, uti ex Dinæ ſtupratione & vindicatione Gen. 34. conſtat. Ita *Hippomenes* Princeps Athenienſium devirginatam filiam in ſtabulo alligavit equo fero, qui pabulo carens illam devoravit *Viv. de Fœm. Chr. l. 1. Attilius Philiskus* propriam ideo filiam interfecit, uti & *Pontius Aufidianus* filiam cum ſervo, quo proxeneta *Fannius Saturninus* eam ſtu-

ſtupraverat *Val. Max. l. 6. c. 1.* ſimile vid. de filiâ Ariſtodemi apud *Pauſan. l. 4.* Si vero agnatos tantopere commovit ad iram caſtitatis læſio multo magis afficiet maritos, qui uxorum virginitatem ſibi ſolis propriam jure merito aſcribunt & vindicant.

Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Ejectum ſemel attrita de fronte pudorem.

Ait *Juven. ſat.* 13. conf. & *Arnis. de jur. Conn. ſ.* 4. Hinc qui virginem non inventam repudiat, nullam videtur facere illi injuriam, ſi quidem hoc inomine duxerit. Neque enim error cohærere poteſt cum conſenſu. Et præſtat habere Liam loco Rahelis, quàm ſtupratam loco virginis. vid. egregie de hàc re differentem *Claud. Eſpencæum ad Tit.* 2. & *Toſtat. in c.* 1 *Matth.* Ita *Richardus* Filius Henrici II. Regis Angliæ uxorem ſuam *Adelcidam* R. Galliæ Ludovici filiam ob ſuſpicionem amiſſæ virginitatis in patriam remiſit. *Polyd. l.* 13. & 14. *Henricus VIII.* Rex Angliæ *Catharinam Havardam*, quam virginem duxit, ſed non reperiit, decollari curavit. *Sleidanus & Surius in Comment.* Simile refert *Achilles Statius* de *Aſpaſia* Cyri uxore, quod probam illam tum temporis uſitatam ſuſtinuerit Seſoſtris Regis Ægypti Filius *Pheron* x1. cœcus oraculo erat edoctus ſe viſum recuperaturum, ſi aqua uxoris non adulteræ ſe lavaret. Quo facto cum & propriam uxorem & multas alias adulteras cognoſceret, omnes in urbe Erytrobulo combuſſit. Auguſtus filiam & Neptem adulteriis famoſas relegavit, illam in Pandatarium, hanc in Trimerum Inſulam *Suet. c.* 65.

1. *Non invenit virginem.* Inter paganos nonnulli ita inſanierunt, ut virginitatis florem ſibi ſolis debitum alteris decerpendum permiſerint. Occœcavit quippe quorundam animos impuriſſimus ſpiritus, ut contra ſanam rationem ante matrimonii conſummationem ſponſam aliis deflorandam propoſito etiam inſigni præmio, concedant. Notabilia ſane ſunt, quæ hac de conſuetudine refert *Ludovicus Romanus Patricius, Navig. l.* 5. *c.* 4. *p.* 238. *Rex*, inquit, *Calechut in India ducturus uxorem, prius torum inire non conſuevit, quàm à digniore ſacerdote nova nupta deflorata fuerit. Nec id munus ultrò ſubeunt ſacerdotes, ſtupri à Rege pretium conſtituitur quingentorum aureorum.* Sic etiam idem refert *l.* 6. *c.* 8. *p.* 256. 257. de Rege *Tarneſari* in Indiâ ab eo conjugem deflorandam non ſacerdotibus, ſed albicantis coloris hominibus Chriſtianis aut Mahummedanis exhiberi, quem morem etiam obſervant ejus ſubditi, cujus rei vivum in itineris ſui ſocio recenſet exemplum. Turpitudine vincunt modo memoratos incolæ regionis *Tebeth*, apud quos illa viget conſuetudo, ut nullus vir ducat uxorem, niſi quæ prius à multis viris ſit cognita. vid. *Marc. Paul. Venetus l.* 1. *de Region. Orient. c.* 57. *p.* 378. 379. De *Phœnicibus* ſimilia tradit *Sozomenus, l.* 1. *Hiſt. Eccl. c.* 8. *p.* 549. Conferri poteſt *Seldenus Synt.* 2. *de Diis Syr. p.* 309. atque *Eduardus Pokokius p.* 37. 38. in Not. ad *Greg. Abulfaraji* narrationem *de Orig. & Moribus Arabum*, qui ex *Abulfedâ* refert, *Sadiſitis*, poſteris Semi, in Arabiâ præfuiſſe Tyrannum quendam, qui hanc condi-

diderit *legem*, ne nupta daretur cuipiam è *Sadiſo* virgo, niſi à ſe prius vitiata qui tamen dignas tandem dedit *Sadiſitas* pœnas, quando cum maximâ Taſmi parte ab incolis, barbari hujus & turpiſſimi moris pertæſis, è medio eſt ſublatus. Melioribus ſane legibus gaudebant Hebræi, qui in principio conjugii ſi ſponſam non invenirent virginem, illicò repudiabant; Duo vero ſigna erant virginitatis apud illos, in juvenculâ non vi quidem, & illecebris compreſſa ſed legitime deſponſatâ, quæ ſcilicet *plenæ pubertatis puella* erat, annis non minor duodecim menſibuſque ſex *Maimon. Naira Bethulâ c.* 3. & *Halach Iſchoth. c.* 11. vid. *Gemar. Babyl. tit. Ketubath. c.* 4. *f.* 46. & *Moſes Mikolzki* præcept. aff. 55. *Selden de Succeſſ. in bon. def.* c. 9. Non facile vero Patres, etſi poteſtatem haberent, deſponſabant filias minorennes, antequam adoleverint, nec illa deſponſatio filiâ inſcia facta, ſi acquieſcere nollet, erat valida; neque etiam filias puberes & inſcias & invitas deſponſare poterant. Si verò filia pubes inſcio parente ſe deſponſarit, & arrham deſponſationis acceperit, erat deſponſatio, ſecus autem, ſi facta fuerit ante plenæ pubertatis annos. *Buxt. deſponſ. p.* 45.

2. *Poteſtas accuſandi.* Mulier verò in genere non facile admittitur ad accuſandum, niſi ſuam ſuorumque injuriam proſequatur, *l.* 1. & 2. *ff de Accuſ. l.* 4. 5. 9. *C. qui accuſare non poſſunt.* aut niſi fuerit crimen Majeſtatis, annonæ fraudatæ & ſimilia. *l.* 8. *ff ad Leg. Iul. Majeſt. l.* 13. *ff de accuſ.* Maritus vero poteſt accuſare fœminam, in quam olim ap. Græcos, Romanos alioſve jus vitæ & necis quodammodo habebat. Hodie verò ob teſtium multitudinem requiſitam, & probandi difficultatem, atque imaginarium jus æquale rariſſime adulterii accuſantur fœminæ, & habetur fere pro peccato irremiſſibili accuſare uxorem, uti olim clericum de quo ſupra ad th. 64. n. 2. Contemnunt etiam accuſationes bene gnaræ eſſe nullius effectus, uti inter Marianos moniales etiam hoc privilegio, ut ita dicam gaudent. Ita legitur de Eugenia nobili virgine ad Chriſtianiſmum converſa & cum Protò & Hiacintho ſub habitu virili & nomine Eugenii in monaſterium recepta, quòd aliquando à nobili matrona hic putatitius Eugenius adamatus, cucullo tacto ad impudicitiam incitatus, ſed fruſtrà, ideoque uti Joſephus à Potipharis uxore ignominiam metuente, accuſatus coram Philippo Toparchâ, qui citatum Eugenium, aperto pectore & uberibus, virginem, eamque ſuam filiam Eugeniam, ſororem Hirti & Sergii, fratrum tùm aſſidentium, reperit, non ſine ſummâ matronæ accuſatricis ignominiâ. *Anton: Koberg. Legend. Prot.* & *Hiacinth. p.* 158. Sic narratur de virgine pulcherrimâ Marinâ, quam Pater ipſe ſub habitu & nomine monachali ad Abbatem in monaſterium deduxit, qui illam officio aurigæ impoſito ſuſcepit. Auriga ſæpe extra clauſtrum in diverſorio permanere coactus ab hoſpitis adamatus filiâ, & demum ob natum infantem accuſatus, ideoque cum infante ab Abbate monaſterio ejectus, & poſt mortem virgo inventus eſt, ita ut falſa accuſatrix illicò à Diabolo obſeſſa, ſed poſt ſeptem dies, juxta ſepulchrum Marini conſumtos liberata, innocentiæ Marini ſummum teſtimonium exhibuit *Koberg. Leg. Marin. p.* 44. *Geneal. Mar.* 30. *Maj. p.* 662. 663.

Similiter refertur de *Margarethâ* nobili pulcherrimâ virgine, quæ nocte nuptiarum ſumto monachali habitu in monaſterium venit, & ſub nomine *Pelagii* ibi laudabiliter vixit, tandem de ſtupro accuſat u muris incluſa, & quia inventa virgo, abſo luta eſt; *Anton. Koberg. Leg. Margar. p.* 168. Nec abludit exemplum *Theodoræ*, quæ adultera in abſentia mariti veſtimentis ſacris induta, ſub *Theodori* nomine in monaſterio aurigam egit, qui ab hoſpitis divitis cujusdam filiâ, ubi quandoque diverſatus, ex invidiâ de ſtupro accuſatus, ſed denique, quia poſt mortem virginis ſigna apparuere, abſolutus. *Anton. Koberg. Leg. Theodor. p.* 224. 225. Atque ejusmodi innocentiæ teſtimonium ſæpe etiam Monachi adepti ſunt poſt incuſationem illorum. Sic quidem legitur de Grandævo Sancto *Simeone*, quod ab ancilla accuſatus de impprægnatione nil aliud reſpondit, quàm ſe hominem eſſe, & carnis æque ut alii, ſentire tentationes, & hominibus in ſuſpicione relictis aliò ſe contulit, Tempore

re verò partus rediit, & pro ancillâ in periculo conſtitutâ orare juſſus, regeſſit, illam hautfore ſalvam, niſi verum indicaret Patrem. Quo facto illa evaſit & ipſe ſuſpicione liberatus. *Evagr. l.* 4. *c.* 34. *L. Oſiand. cent.* 6. *l.* 1. *c.* 22. *p.* 49. 50. Simile narratur de *S. Emerano*, Ratisbonenſi Epiſcopo, quod Utæ Ducis filiæ, à nobili Bohemo imprægnatæ autor fuerit, ut ipſum hujus rei argueret; Quo facto peregrinationem Romam verſus inſtituit, ſacerdoti Delphlèto injunxit, ut ſi moreretur in viâ, innocentiam ipſius manifeſtaret: ſe enim conſtituiſſe pro oviculis his duabus etiam nocentibus vitam perdere, ſicuti & in viâ à Ducis famulis ipſum perſequentibus repertus naſo, auribus, lingua & membro virili privatus fuit, ſed tandem innocens inventus pro Martyre habitus Emerani templi Ratisbonenſis in honorem ipſius ædificationem meruit. *Ant. Koberg. Leg. Emeran. p.* 165. *Geneal. Mar.* 22. *Sept. p.* 383. Sic *Gregorius* Thaumaturgus Epiſcopus Neo-Cæſarienſis à proſtibulo de præmio meretricio importuniſſime poſtulatus per famulum numerari juſſit, ſed meretrix illicò à Diabolo obſeſſa, peccatum confeſſa precibus Gregorii liberata. *Geneal. Mar.* 17. *Nov. p.* 651. 652. Sæpe etiam infantes de Patrum innocentiâ teſtantur. Sic *S. Briccius* Epiſcopus Turonenſis ob impudicam lotricem, veſte ſacra indutam, apud populum cœdis avidum in ſuſpicionem imprægnationis venit. Aſt Briccius conſtanter negavit, & infantulum 30 dierum ad ſe allatum adjuravit, ut veritatem fateretur. Quo facto clarâ voce infans dixit: *non agnoſco Bricium pro Patre, ab ipſo non ſum genitus. Ant. Koberg. Leg. Bricc. p.* 226. Hoc miraculum ſuperat adhuc aliud, quod ibidem *in Leg. Sim. & Jud. p.* 199. narratur de filiâ Ducis cujusdam Diaconum quendam de imprægnatione incuſante. Sed *infans unius diei* à 12 nunciis, ſeu Apoſtolis adjuratus Diaconum, decollationi proximum liberavit clare exclamando: *non eſt meus Pater, eſt ſanctiſſimus Vir.* Populo verò ulteriorem veritatem de genuino Patre deſideranti reſponderunt duodecim; *Noſtrum eſt innocentes excuſare, non vero nocentes accuſare.*

3. *Virginitatem integram.* Uti Gentiles ita & Chriſtiani virginitatem magni habuerunt, & ſæpe in exceſſu peccarunt. Uti *Hieronymus Epiſt. ad Euſtoch.* conjugium ferro, viduitatem argento, virginitatem auro comparavit. *Auguſtinus* vero *libr. de Virgin.* comparat ſoli virginitatem, ſtatum autem conjugalem & viduitatem lunæ, aliisque ſtellis. Ita notum quod Religioſi in concionibus parabolam de ſemine huc applicent, & virginitatem ſemini centuplum fructum ferenti, viduitatem vero ſexagintuplum portanti fructum, conjugium vero ſemini trigintuplum duntaxat gerenti conferant. cui comparationi ipſe *Hieron Epiſt. ad Euſtoch. & l.* 1. *adv. Jovin. anſam dedit.* Epiſcopus *Martinus* cum diſcipulis ſuis aliquando expatiatus in campo, virginitatem viridi prato, conjugium vero campo à bovibus contrito & vaccis, meretricium verò ſtatum prato à ſuibus deformato conferebat. *Manhardi Poſtill. p.* 1. *l.* 2. *f.* 63. Ita *Anshelmus* Benedictini Ordinis mundum comparavit rivo turbido & purulento, monaſterium verò pulcherrimo roſario, argenteis floribus referto, in quo aurea moletrina, quæ optimam farinam virginitatem puta, præparat. *Geneal. Mar.* 22 *Apr. p.* 495. Simili pacto *Salmeron in Epiſt. Paul. t.* 13. *diſp.* 9. *p.* 36. ſtatum mundanum impetuoſo mari, Religioſum verò tranquillo portui confert.

4. *Semel deperdita ſummam ignominiam ſecum ferebat.* Adeo ut qui corruptam virginem accipit, eam retinere non tenetur, uti ſupra docuimus, *th.* 19. *n.* 12. Qui etiam compreſſam ab alio ignoranter ducit, juſte errorem prætendit, dumque adeò ex ejus parte exiſtit error, ex parte ſponſæ datus, nullus intercedit conſenſus, adeoque jure repudiare poteſt. *Alber. Gent. l.* 6. *de Nupt. c.* 13. *Andr. Gerh. Exerc. Juſtin.* 2 *n.* 7. *Valent. Riemer. dec.* 2. *q.* 6. *Arumæus Exerc. Juſtin.* 2. *n.* 15. propter ſponſi autem fornicationem præcedentem non poſſunt ſolvi ſponſalia vel matrimonium, uti recte aſſerit *Cypræus de ſponſ. c.* 13. § 57. *Hillig. in Donell. Enucl. l.* 13. *c.* 20. Lipſienſes ICTI ap. *Finckelth. obſerv.* 30. *n.* 85. 86. 87. Contrarium quidem tenet *Bened. Carpz. in Juriſpr. Conſiſt. defin.* 188. cujus ſententia maxime nititur eo, quod fides matrimonialis debeat

eſſe

eſſe reciproca, nec debeat quicquam licitum eſſe ſponſo, quod ſponſæ æque non liceat. At verò ſufficienter conſtat & hactenus paſſim hinc & inde demonſtratum, plus poteſtatis competere ſponſo maritoque (ut vel ex hoc dicto conſtat) quàm ſponſæ, & uxori. Unde ſponſæ & virgines eò ſemper laborarunt, ut virginitatem ſalvam retinerent & ſi in ſuſpicionem venirent, probare poſſent. Apud Ethnicos monialis *Veſthalis* ſuſpecta ad probandam integritatem aquam in cribro portavit. *Valer. Max. Sutta* Boruſſa Auguſtiniani ordinis tripodem ignitum illæſis manibus ex igne extraxit, *Geneal. Mar. p.* 2. 5. *Nov. p.* 430. ſed hic modus probandi à *Stephano* Papa abrogatus. *Luc. Oſiand. cent.* 2. *l.* 4. *c.* 12. *p.* 211. conf. *& Corn. à Lapid. Comment. in Ex.* 3. *p.* 374. vid. etiam *Wolf. Hildebr. Mag. nat. l.* 1. *c.* 29. *p.* 13. ubi media naturalia ferrum ignitum illæſa manu tenendi recenſet. Nec minor apud viros fuit amor propriæ virginitatis ſervandæ. Papa *Leo* miſſificans à pulcherrimâ matronâ oſculum in manu accepit, & libidine accenſus, memor dicti Salvatoris *Matth.* 18. *ſi manus te ſcandalizaverit*, &c. curavit, ut durante miſſa manus illi clam abſcinderetur (modus, quia miraculum, non deſcribitur) Populo vero poſt elevationem expectante benedictionem ad Mariam confugit, quæ ipſi manum denuo agglutinavit, ut ita dicam, quò miſſam abſolvere poſſet. *Anton. Koberg. Leg. Leon. p.* 54. Majus adhuc fuit miraculum, quod cum peragrinatore Jacobitico contigit, qui in viâ impudicitiâ infectus Jacobi ad inſtar apparentis Diaboli informationem, ut genitalia ſibi abſcinderet, & ſi ſanctior fieri vellet, ſeipſum interficeret, executus eſt. Sed jam ſepeliundo verus Jacobus apparuit, è mortuis ſuſcitavit, & amiſſa reſtituit. *Anton. Koberg. Leg. Iacob. p.* 79. De *Briccio* jam audivimus, quod beneficio infantis triginta dierum à ſuſpicione ſtupri abſolutus cum plebs aliquid Magiæ ſubeſſe putaret, ignitos carbones uſque ad Martini ſepulchrum ſine ullâ læſione veſtimentorum portarit; dicens: *Sicut mea veſtis illæſa manſit, ita corpus meum impudicitia coinquinatum non eſt. Anton. Koberg. Leg. Bricc. p.* 226. Ita *Abbas* dicitur meretricem *Porphyriam* convertiſſe, & ea propter in ſuſpicionem laſciviæ veniſſe, ſed jam moribundus ſe purgaſſe, atque ad fratres dixiſſe: *Credite fratres, quia ſicut Deus rubum cuſtodit incombuſtum ab igne, ſicut nec tunicam meam incenderunt prunæ iſtæ. Ita nec ego agnovi peccatum mulieris, ex quo natus ſum. Corn. à Lap. Comm. in c.* 3. *Ex. p.* 373. Ita *Apelles* Abbas Pientiſſimus Diabolo inſtar mulieris impudicæ apparenti faciem & totum corpus lamina ignita ex officina fabrariâ deſumta ita deturpavit, ut virginitatem integram ſervarit. *Geneal. Mar. part.* 1. 27. *Febr. p.* 268. *Franciſcus Senenſis* maximus Mariæ Amaſius ſingulis diebus Mariam quingentis vicibus ſalutavit, & ob frequentem mulierum eum audire cupientium concurſum infamiâ non caruit, at poſt mortem innocens agnitus ob candidiſſimum florem ex ore ipſius erumpentem & de virginitatis flore teſtificantem. *Geneal. Mar. p.* 1. 2. *Maj. p.* 546. Ita ex corpore ſanctiſſimi *Epiſcopi Cantuarienſis quinque roſæ* enatæ, una ex lingua, duæ ex auribus & binæ ex oculis. *Roſa è lingua* orta fundata erat in corde, & inſcriptum habebat nomen *Maria*, uti refert *Geneal. Mar. p.* 114. *Maj. p.* 592.

5. *Omni plebi prohibitum ducere meretricem.* Sed hodiè juxta *Inſtit. Iur. Can. l.* 2. *tit.* 12. §. 2. *qui ſcientes & prudentes mulieres publicas de lupanari extraxerunt, & in uxores duxerunt, quod agunt, in remiſſionem proficiet peccatorum, cum inter opera caritatis non minimum ſit, errantem ab erroris viâ revocare.* Verum enim verò uti ſcriptura nullum nobis adſcribit meritum, ſed remiſſionem peccatorum mere dicit gratuitam, ita ex meretriciis nuptiis hominem juſtificari poſſe prorſus negat. Negligentes autem eſſe oportet Pontificios, & ſalutis ſuæ parum ſedulos procuratores, quod lupanaria tàm referta relinquant, & novis itendidem proſtibulis repleant. Siquidem *D. Müller. in Concion. p.* 89. ſcribit, quòd Romæ A. 1552. 24000 proſtibula inventa fuerint. Et *Bellarm.* dicit, non peccare Magiſtratum, ſi meretricibus certum locum urbis incolendum tribuat, quamvis certò ſciat, eo loco ipſas non bene uſuras. Poteſt enim permittere minus malum, ut impediantur majora. *Bel-*

larm. l. 2. *de amiſſ. Grat. c.* 18. Proſunt enim illa loca ad æternam caſtitatem ſervandam. Platina, Stella, Martinus Polonus. Balæus, Luc. Oſiand. cent. 12. l. 4. c. 4. p. 305. Nec præjudicant tales actus virginitatis; Siquidem etiam dicunt, diſtinct. 34. c. vidua; Meretrix eſt, quæ multorum libidini patet & uti in Gloſſa additur, quæ admiſit plures quàm 23000 viros, aut cum aliquantò caſtius loqui volunt, quæ admiſit quadraginta, ut *Ex. de cler. Exc. c. latores*. Quæ igitur cum uno vel altero ſe miſcuit, meretricis appellatione non continetur, *l. palam ff de rit. nupt.* Et hanc tamen qui duxerit, etſi operetur remiſſionem peccatorum à ſacro monaſterio nihilominus arcetur, quia virginem in uxorem duxiſſe neceſſe eſt, qui ad ſacros aſpirat ordines c. curandum. diſt. 34. Quamobrem cane pejus atque angue Sancti vitarunt meretrices. *Ita S. Ephrem* aliquando ab impudica ad laſciviam invitatus dicitur, cui etiam ſe gratificaturum ſimulavit, eâ tamen lege, ſi publice cum ipſo peccare vellet. Quod cum renueret, omnipræſentiam Dei ipſi inculcando illam convertit, & ſe incontaminatum conſervavit. *Geneal. Mar.* 1. *Febr.* 151. Ita etiam *Edmundus*, Epiſcopus Candelbergenſis, aliquando, cum adhuc Monachus à moniali laſciva ad impuritatem irritatus, ſe illius deſideriis velificaturum præ ſe tulit. Jubet verò prius, ut dorſum denudet. Quo facto ipſam *flagello* adeo dedolavit duriſſimo, ut omnis laſciviæ obliviſceretur. *Geneal. Mar.* 16. *Nov. p.* 648. Sic quoque *Elias Haſenmullerus de vet. Jeſuit. p.* 99. recenſet, de quodam Jeſuita caſtiſſimo, quod virginis Generoſiſſimæ deſideriis gratificaturus ſe opus naturæ prius præſtare velle dixerit, & poſteà redux *merdâ* in facie oblitus & obrutus loco amoris odium meruerit. *Chronicon Franciſcanorum* narrat quod frater *Juniperus* aliquando lectum in arce quadam ad luxuriam compoſitum mortificationis ergò permerdavit. Ita frater quidam Minoritarum *Jacobon* ex humilitate & caſtitate in locum talem *ſecretum ſe præcipitaſſe* legitur. vid. *Petr. Molin.* tr. ſub nomine *Capucini* editum. c. 9. p. 31.

6. *Omni plebi prohibitum ducere adulte-*

ram. Certè & ex jure Cæſareo veteri uxor in adulterio deprehenſâ haut impune retinenda (l. 29. ff ad Leg. Jul. de adult. & Paul. Sent. 2. c. 26.), & *qui adulterii damnatum* (l. 6. Cod. tit. Eodem. C. præter DD. vid. Petr. Ærodum Rerum Judicat. l. 8. c. 2.) *ſi quocunque pœnam capitalem* (i. e. relegatione, non morte, quæ nondum adulterio apud Romanos præſtituta) *evaſerit, ſciens duxerit vel reduxerit, lege Juliâ ex cauſa lenocinii punitur.* Neque enim de adulterio ut de aliis capitalibus delictis tranſigere licuit. *l.* 18. *C. tit. de transact.* conf. quæ poſteà ad hanc rem habet de adulterâ *Iuſtin. Novell.* 134. *c.* 10. & Græcorum recentiorum ſententias receptas, quæ in Baſilicis, Harmenopulo, aliiſque Juri Cæſareo veteri ſatis conſonæ. *Baſil. l.* 60. *tit.* 37. *Harmenop. Prochir. lib.* 4. *tit.* 6. § περὶ μοιχείας. vid. & *Briſſon. ad L. Iul. de adult. verb. damnatum adulterii.* Quin & in Legibus Atticis, ut eſt ap. *Demoſth. Orat. in Neæram*; dicitur: *Cum deprehenſa in adulterio uxore marito cohabitare non licet, quod ſi fecerit, infamis eſto.* Quemadmodum apud Hebræos, ſi palam id viderat maritus, aut illud narranti vicino crediderat, illicitus ei deinde apud bonorum morum cenſores habebatur uxoris concubitus (*Gemar. Babylon.* ad tit. *Kidoſchim* c. 3. f. 66. *Maimon. Halach Iſchoth.* c. 24. & *Halach Giruſchim* c. 11.) ipſaque dimittenda, ſed non ſine dote, niſi crimen fateretur ipſa. Nam tunc etiam dotali jure omni excidebat. Scilicet peccaſſe volunt virum, qui uxorem ejusmodi retineret, veluti cum lenocinii reum, tùm in poſteros injurioſum. Non aliter itaque agebant, ac ſi monitum commatis illius, in Helleniſtarum Salomonis Proverbiis, ac plerisque Vulgatæ exemplaribus, ſed nullis in codicibus Ebræis, reperti ſuum feciſſent. Ita autem ſe habet ille verſiculus Prov. 18. 23. ὃς ἐκβάλλει γυναῖκα ἀγαθὴν, (Ita Græci in Proverbiis iſtis) ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά· ὁ δὲ κατέχων μοιχαλίδα, ἄφρων καὶ ἀσεβής. *qui ejicit uxorem bonam ſeu divortio dimittit, ejicit bona. At qui retinet adulteram, is inſipiens eſt & impius.* Vulgata: *qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem retinet adulteram ſtultus eſt & inſipiens. Hieronymus*

mus etiam *Comment. in Matth.* 19. ex ſcriptura citat: *qui adulteram tenet, ſtultus eſt & impius.* Agnoſcere videtur *Chryſoſtomus hom.* 32. in Matth. eandem lectionem, quæ & in *Iure Can. cauſ.* 32. *q.* 1. *c.* 2. & apud Lombardum Scholaſticoſque in 2 *Sent.* 4. *diſt.* 35. obiter item admittit ſolet. Unde & inter adulteram manifeſtam, publicè cognitam, nec ad meliorem mentem illico redeuntem, & inter eam, cujus peccatum tantùm clancularium, aut quæ ad mores rediit caſtos, diſtinguentes, maximè Scholaſtici, hanc retineri poſſe ajunt, non illam; vel ſaltem à toro dimittendam, ſiquidem triennii pœnitentiam præſtituat *Canon cauſ.* 32. *q.* 1. *can.* 6. *ſi quis ejusmodi retineat.* An verò ad receptam inter Judæos ſententiam hanc de adulterâ non retinendâ ſpectarit illud *Ioſephi de B. Virgine gravidâ* antequam cum eâ conveniſſet, *Matth. l.* 19. (ubi vid. *Hug. Grot.*) cum dicitur: *Ioſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*; aliis arbitrandum relinquo. Sanè illud comma Proverbiorum natum videtur ex gloſſemate ſeu commentariolo aliquo in illud, quod proximè ibi præcedit: *qui invenit uxorem, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino.* Reliqua quæ ſequuntur, in Græcâ & Vulgatâ de adulterâ non retinendâ, velut antithetum, ſeu commentatio ex margine in contextum videntur irrepſiſſe. Neque verò forenſi ſententiâ vir cogebatur uxorem adulteram ap. Hebræos dimittere, niſi adeſſent teſtes minimum bini, qui de adulterio teſtarentur; Si adeſſent, maritum, qui divortio non ejiceret, plagis puniebant, uſque dum ſe libenter ejecturum profitebatur. *Maimon.* Halach Giruſchim c. 11. *Gemar. Babyl.* tit. Cethuboth & tit. Jabimoth.

7. *Signum Virginitatis.* Aben Sina, aut ut alias vocatur *Avicenna Can. l.* 3. *Fen.* 21. *c.* 1. (vid. & *Rhaſis l.* 1. *c.* 26. cum membra ſequioris ſexus genitalia deſcribit, ita infit: *Ante violationem puellæ virginis ſunt in collo matricis panniculi, contexti ex venis & ligamentis valdè ſubtilibus, ortis ex omni parte, quos deſtruit violator, & fluit, quod in eis eſt de ſanguine,* Atque hæc ipſiſſima verba etiam leguntur in ſuppoſititiis Galeni libris de Anatomiâ virorum, quanquam aliâs in Hippocrate & Galeno nil tale inveniatur, nec à recentiorum doctiſſimis admittatur ſed inter vulgi errores à Medicis, Theologis & Juriſconſultis numeretur. Sunt tamen nonnulli inter Arabes, aliique qui illud aſſerant, vid. *Soranus*, apud *Oribaſium Collect. l.* 24. *c.* 32. *Io. Wierus de præſtig. Dæm. l.* 2. *c.* 37. *Roder. à Caſtro l.* 1. *Univerſ. Mul. Medic. c.* 3. Cœteri verò dicunt non ſemper ut indubitatum virginitatis ſignum reperiri. Quâ de re conſule Commentatores in Deuteron. & Anatomicos & præterea Selden. *Ux. l.* 1. *c.* 3. *Franc. Valeſ. de Sacr. Philoſ. c.* 25. *Marcellum Donatum de Medicâ Hiſt. Mirabili l.* 4. *c.* 15. *Albericum Gentilem de Nupt. l.* 7. *c.* 9. *Ioubertum de Error. Vulg. l.* 5. *c.* 4. *Paul. Zanch. in Quæſt. Medicolegal. l.* 3. *tit.* 2. *q.* 1. *Carol. Annibal. Fabrottum Ex.* 3. *Severin. Pinæum de Not. Virgin. l.* 1. *Io. Bevero vic. Epiſtol. Quæſt.*

THESIS LXXI.

DEut. 17. In Lege Regia Deus inter alia cavit, ne futurus Rex multiplicet equos, & inde occaſionem populo præbeat redeundi in Ægyptum, deinde ne multiplicet uxores, ne forte cor ipſius ſeducatur ab illis, & demum, ne multiplicet aurum. Ubi clare perſpicimus Deum Polygamiam non omnem, ſed tantum exceſſivam Regi interdixiſſe, mediocrem vero permiſiſſe. Si-

cuti omne nimium vertitur in vitium. Si enim *non multiplicare* omnem multitudinem excludat, ſequeretur etiam unicum equum eſſe alendum. Quod quam abſurdum ſit nemo non videt. Nulla enim poteſt dari ratio, cur *To non multiplicare* in uno verſiculo diverſas imo contrarias ſignificationes habeat. Ergo nil aliud remanet, quam Regi licere habere plures uxores. Quod vero Regi licet in lege divina, quæ eſt Catholica, omnibus licet. Legibus ſuis humanis ſcilicet, non divinis, non naturæ eſt ſolutus. Nec enim majori prærogativa gaudet præ aliis. David homicida æque peccabat contra legem divinam ac alius ſubditus.

Hinc non malè Plutarchus: *Quis ergo imperabit Principi? Lex omnium Rex mortalium & immortalium. Non ea foris ſcripta in libris aut lignis inſcripta, ſed viva in ipſius corde ratio, ſemper una habitans atque excubans & animum nunquam ſinens eſſe principatu vacuum.* A legibus quidem humanis non obligatur ut alicui rationem reddere teneatur: unde *Saluſtius* Jugurth: *impune quidlibet facere id eſt, Regem eſſe.* &c. Plin. Pang. *Illud in principatu beatiſſimum, quod nihil cogitur.* Etſi velut per reflexionem ſuâ obligari lege quandoque legiſlatorem conſtet, ex æquitate naturali & decoro publico; ut quod in moribus civium, tanquam bono publico expediens exigit, ipſe quoque ſervet, excitando ſubjectorum obſequio, & ne vetando vitia, in quibus ipſe volutatur, eorundem dulcedinem aliis invidere videatur. vid. 1 Sam. 14. 40. Claudian. 4. Conſ. Hon.

In commune jubes ſi quid cenſesque tenendum
Primus juſſa ſubi, tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi. Componitur Orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.

Liv. l. 26. c. 39. *Siquid injungere inferiori velis, id prius in te ac tuos ipſe ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas.* Plin. l. 4. Ep. 22. Juſtin. Ill. 28. *Ut in corporibus, ſic in imperio graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur.* Roſarium Perſicum. c. 1. *Si Rex ex ſubditi horto unum pomum comederit; ſervi ipſi arborem ipſam eruerint. Si Rex quinque ovorum iniquitatem licitam duxerit, continuo milites ejus mille gallinas veru fixerint.*

1. *Deut. 17. Non multiplicabit uxores.* Mirari ſatis haut poſſum, quod hic textus clariſſimus contra Polygamiam, à Magni nominis Anti-Polygamis adhuc hodiè allegetur, atque in dubium ſenſus perſpicuus vocetur, quod & autor πολυγυνείας, & præprimis Dialogiſta perverſus facit, dam id ſanæ rationi non congruere ait, ut Rex tantùm unum equum & unicum auri Fruſtulum poſſideat. Eſſe autem contra ſanam rationem plures habere uxores. Verum enim verò neſcio an non cum ſanâ ratione inſaniat dum hodie adhuc aſſerere audet eſſe contra legem naturæ & ſanam rationem eſſe Polygamiam, quod nul-

nullus hodie Politicorum & ICTorum amplius ſtatuit. Quis enim dicat tot Patriarchas, Reges pientiſſimos, populum ſelectiſſimum & gentes Nobiliſſimas, & olim & hodie contra naturam & ſanam egiſſe & agere rationem? Deinde dicit poſito hic de Poligamiâ eſſe Sermonem, tunc conſtare, Moſen hîc agere conſiliarium, non legiſlatorem, ſimulque innuere, ſi Judæi ſint more aliarum gentium electuri Regem, qui ad inſtar vicinorum Regum pluribus etiam gauderet uxoribus, ne modum excedat, & aliquas ſaltem habeat cum quibus caſtè vivat, non verò plures, cum quibus luxurietur. Adeoque permitti, non autem approbari, uti ſæpè leges dentur de iis, quæ fiant, non quaſi rectè facta ſint. At enim hîc clara eſt lex quam Moſes non tantùm ut conſiliarius ſed & ut Legislator proponit, dum concedit, tanquam liberam, peccato vacuam omni, ipſam Polygamiam, uti ipſe Auguſt. Quæſt. in Deut. l. 4. p. 270. Lombard. l. 4. Sent. diſt. 33: p. 408. Menochius Corn. Janſ. in h. l. aliique innumeri. Fruſtrà igitur eſt Victor Utopicus, cum τὸ Naſehim per Gynæceum, uti *Num*. 31. 9. *Eſth*. 11. 1 Reg. 11. ſumi dicitur, etiam hic explicat. Neque enim valida eſt conſequentia à particulari ad univerſale angumentari. Sufficit aliquando, & fere plerumque ſumi de veris uxoribus. Præterea etjam parvum Gynæceum ex pauciſſimis conſtans fœminis ſuâ familiaritate & aſpectu, imò unica Eva poteſt pervertere cor alicujus. Multitudo igitur uxorum non ſimpliciter prohibita, ſed tantùm exceſſiva, & ne corrumpatur cor. Sicut vinum non ſimpliciter prohibetur, ſed ne inebriamini quod fit per accidens. Ipſi Rabbini jam olim ita explicarunt, certum tamen numerum qui in textu aliàs non habetur, determinarunt. *Talmud* in Sanh. c. 2. in Miſna. *Non multiplicabit ſibi mulieres*, ſcil. ultra 18. R. *Iehuda* dixit: poteſt multiplicare, modo non avertant cor ejus. R. *Simeon* dixit, imò ne quidem unam licet ei ducere, quæ avertere poſſit cor ejus, etiamſi ſit ſicut Abigail. Ex orali verò traditione habuerunt illum numerum definitum, & quodammodo exſculpere voluerunt ex 2 *Sam*. *v*. 13. ubi Nathan ad Davidem ſex uxores habentem dixit: adhuc dabo tibi totidem & totidem i. e. bis ſex, ut fiant octodecim vid. R. Dav. *Kimchi* ad 2 Sam. 6. & 12. *Bartenor*. ad Miſn. *Selden. Ux. l*. 1. *c*. 8. *p*. 58. *Buxt. de ſponſ. p*. 47. *Maim. in Halach Melakim. Guil. Schickard. de Iur. Reg. c*. 3. *th*. 9. *Moſes Bozerſis præcept. Neg*. 222.

THESIS LXXII.

DEut. 21. Duo loca occurrunt, quæ ad Polygamiam nonnihil faciunt. Prior eſt de captiva ducenda, ubi verba ita ſe habent: *ſi tu* (in genere ponitur ſine determinatione an uxoratus ſit vel non) *bellum ingrederis contra inimicos tuos. & Deus tibi tradit in manus tuas, & inter captivas conſpicis formoſam mulierem, quam deſideras ceu uxorem; introduces eam in domum tuam & radat caput ſuum, & creſcere ſinat ungues ſuos, & deponat veſtem captivitatis ſuæ, & ſedeat in domo tua, deploretque Patrem ſuum & matrem ſuam per menſem dierum. Et poſtea intrabis ad eam & concumbes cum ea, eritque tibi in uxorem. Sin autem non dilexeris eam, dimittes eam ſibi, neque vendes eam pro pecunia, neque opera ejus ſervili uteris, eo quòd humiliaſti eam.* Ubi videmus, quod Spiritus S. Jus illud ſingulare, quod miles Hebræus in captivam gentilem, ceu prædæ ſuæ partem habebat,

de quo Selden. de Jur. Nat. 5. 13. non reſtringat ad ſolos cœlibes, ve ἀγάμους ſed omnibus militibus in genere attribuat. Jam vero ubi Scriptura Sacra non determinat, & limitat, noſtrum non eſt limitare. Conſtat ergo jamdum uxoratos in bello potuiſſe aliam pulchram ſuperinducere, volente Deo. Cujus rei notabile exemplum fuiſſe in bello à Davide ergo Tolmium Geſuris Regem geſto obſervarunt R. David Kimchi ad 2 Sam. 3. 3. & 13. 1. Maimon. Halach Melakim c. 8. R. Bechai in biur. f. 222. Gem. Bab. ad Tit. Sanh. c. 2. f. 21. Moſes Mikozi præc. affirm. 122. Nempe Maâcham Tolmii Regis filiam pulcherrimam à Davide conſpectam & pro uxore habitam fuiſſe, & genuiſſe Thamarem atque Abſolonem.

Etſi verò jure belli juſti vita hoſti poſſit eripi, & ſi condonatur, jus vitæ & necis adhuc ſit reliquum, tamen cum captiva illa vel ſerva etiam atque ancilla in matrimonium Domini tranſiit, jura illa hoſtilia pro lubitu fuerunt temperata, & proles, quam mater forſitan adhuc captiva aut ſerva concepit, ſed libera in lucem edidit, talis erat, qualem ipſe Dominus volebat, hodiè verò, qualem jura civitatis permittunt, etſi Humanitas ſemper libertati prolis faveat. *Plato de LL. l. XI.* de prole ſervili ita diſponit: *Serva ſi ſervo aut liberto conjuncta peperit, ſervæ Domino natus detur, ſin ex ſervo libera peperit, ſervi Dominus nati ſimiliter Dominus eſto. Quod ſi quispiam ex ſerva ſua natum ſuſceperit, aut quæpiam ex ſervo peperit proprio, idque pateat, natum quidem ex ſerva & libero mulieres in aliam regionem cum patre ſimul emittant; Natum vero ex libera & ſervo legum cuſtodes una cum matre extra fines expellant.*

1. TU (*ſine determinatione ſumitur, an uxoratus vel non*) Etiam hunc textum intactum noluerunt dimittere Anti-Polygami præſertim autor πολυγυνείας & Pſeudovictor. Scilicet ut habetur *l. 17. §. 6. ff. de recept. arbitr.* Naturalis eſt hominum ad diſſentiendum facilitas, ita Anti-Polygyni levitatem in contradicendo ſemper monſtrant, dum nil aliud agunt, quàm ut ad ſingula argumenta Theophili benè informata aliquid more reſpondentium in trivialibus reponant, ne tacendo conſentire, aut verbis carere, mutique videantur. Dicunt verò primò, de cœlibe poſſe hunc textum capi. Sed cur non etiam de uxorato, quia *tu* indeterminatè ponitur? Regerit Autor πολυγυνείας, ſi τὸ *tu* indeterminatè ſumendum de *cœlibe & uxorato*, etiam *fœmina* indeterminatè ſumenda de ſolutâ & ligatâ ſeu maritatâ. At verò maxima eſt diverſitas in his, ſiquidem vir poterat habere, & ſæpè etiam ſine ullâ taxatione habuit, ut exempla Polygamorum teſtantur, plures uxores ſimul, mulier verò non poterat, nubere pluribus, vi ipſius Decalogi. & multarum legum & mandatorum divinorum paſſim occurrentium. Jam verò Profeſſores in Academiis docent, Scripturam per Scripturam eſſe explicandam, nec unum textum eſſe ita exponendum, ut contrarietur aliis. Jam verò repugnat aliis textibus, præſertim ſexto & decimo præcepto, habere plures maritos, contra quæ peccaſſet miles, ſi alterius uxorem in matrimonium aſſumſiſſet, uti paulò poſt in not. ad th. 74. in locum Deut. 22. 22. audiemus; nulli verò apici Scripturæ repugnat, habere plures uxores.

Deinde

Deinde reponit Victor Utopicus, & dicit, recenſeri pacta militum, non autem approbari, uti feruntur leges de homicidio per imprudentiam, aliisve. At verò fiat homicida quod homicidium incogitatum etiam taxetur, & pœnæ, leviori licet, ſubjiciatur. Habet vero ſuam hanc explicationem Anti-Polygamus ex quibuſdam Rabbinis, Rabbi Salomone, Abarbenele; ut videre eſt apud *Buxt. de ſponſ. p.* 42. qui ratione concupiſcentiæ malæ & propter duritiem cordis permiſſum aiunt militibus, & maxime ut captæ fiant proſelytæ, adeoque ſtatim ſubjungi huic loco textum de filio immorigero, quoniam ex talibus fœminis captis, & plerumque ad religionem quaſi coactis naſcantur ut plurimum talia carcinomata. Unde R. Dav. Kimichi ad 2 Sam. 3. 3. ſuper hæc verba: *Abſalon filius Maacha*: commentatur; *quòd ideo, quia fuerit Abſalon filius pulchræ* (de qua Deut. 21. 10.) *ductæ à Davide in bello, ideò inquam fuerit contumax, & rebellis patri ſuo. Hâc de cauſa volunt continuò ſubjungi legem de filio contumaci & rebelli legi, de formoſa in bello captâ, ad docendum, quòd ſi quis talem vel uxorem aliàs illegitimam duxerit, habiturus ſit ex eâ filium concumatem & rebellem, Et recta eſt hæc expoſitio; Nam cum in bello capta ſit, eſt quaſi coacta ad legem Iſraëlis,* (Religionem Judaicam) *neque cor ejus rectum eſt ad legem, & ſurculus inde egreditur ſimilis radici.* Hactenus Kimchi. Sed non opus eſt, ut eo deveniamus. Cain. Iſmael, Eſau, Ruben, Simeon & Levi non erant ex bello captis, & tamen immorigeri & contumaces. Verba in textu aliter multo ſunt poſita, & inferunt non permiſſionem illiciti, ſed liciti; dicitur enim, *duces in domum tuam, tondebis crines, reſecabis ungues.* Quæ ceremoniæ præmeditatum, omnibus numeris abſolutum, & approbatum actum ſubinnuunt. Porrò etiam regerunt, quod apud Hebræos fuerit in more poſitum, ut ex *Zohar* libro vetuſto *p.* 8. & *in Ex. p.* 107. conſtat, quod milites in bellum profecturi non prius bello ſe committerent, quàm libello uxores dimiſerint. Id quod etiam feciſſe dicitur Urias in illo loco, adeoque Bathſebam fuiſſe divortio ſeparatam; unde de Davidis conjugio, peccato aliisque quæ huc ſpectant, multa ibi invenies, quæ ſimul edita ſunt in *R. Iſraëlis Ben Moſis* Collectionibus ex Zohar, diſputationi ejusdem de anima Cabaliſticæ pridem à *Joſepho de Voyſin* adjectis. Verum enim vero tunc temporis cum lata fuit lex, illa conſuetudo inter milites nondum fuit, ſiquidem totus populus, & tempore Judicum integræ tribus ibant in bellum, quæ non poterant omnibus uxoribus dare libellos repudii. Vocatur inſuper Bathſeba expreſſe uxor Uriæ, & ante & in concione Nathanis, unde non potuit eſſe divortio ſeparata. Præterea *Salom. Jarchi* & *David Kimchi* ad 2 *Sam.* 12. obſervant, illum libellum repudii, ſcriptum à mulitibus in bellum profecturis, non aliter vim ſortiturum, quàm ſi in bello perirent. Urias autem nondum erat mortuus, quando David cum Bathſeba rem haberet. Nil dicam quod *mors omnia ſolvat*, etiam matrimonium 1 *Cor.* 7. *Rom.* 7. adeo ut quidam Doctores dicant, non obligari ſuperſtitem cum divinitus reſuſcitato conjuge cohabitare. vid. *Brower. de Jur. Conn. p.* 669. Neque etiam hic audiendus eſt *Hieronymus*, qui in *Comment. in* 1 *Sam.* 17. 18. ad verba Iſai Davidi dicta: *fratres tuos viſitabis &* ut Vulgata habet, *pignora eorum tolles*: per pignora intelligit libellos repudii, uxoribus ſcriptos, ut ſi in bello caperentur, aut in captivitatem ducerentur, expectatis tribus annis, ſi non redirent, aliis nubere poſſent. Quo pacto & *Salomon Iarchius & David Kimchi*, *ex* quibus forſitan ſua hauſit Hieronymus, explicant. At enim vix veriſimile videtur, illo tempore jamdum illum morem fuiſſe uſitatum. Quicquid vero ejus ſit, videtur hanc Judæorum conſuetudinem aliquantiſper imitatus *Iuſtinianus*. Et enim ante Conſtantini & Juſtiniani ævum vel *quadriennium* maritos in militiam profectos, vel quinquennium captivos expectare, mulieribus injunctum non fuit. Illud vero quadriennium poſteà in *decennium* protraxit Juſtinianus *Novell.* 22. *c.* 14. Deinde conſtituit, operiendum eſſe ab uxore abſentem maritum, uſque dum *eum defunctum eſſe certo conſtiterit*, interdixitque porro mulieribus ſecundo matrimonio, dum decurrit anni ſpatium, ex quo tribu-

nus vel chartularius numerorum militum ſub jurisjurandi religione teſtati fuerint, maritum vel abiiſſe, vel talia aggreſſum fuiſſe pericula, ut vero ſimile ſit, non reverſum occubuiſſe. *Novell.* 117. *c.* 11. vid. *Brower. de Iur. Conn. l.* 2. *c.* 31. *p.* 671. *Selden. Ux. Hebr. l.* 3. *c.* 20. *p.* 442. Tandem objicit *Anti-Polygynos*, ſi illud verum; quod licitum ſit militibus, non eſſe peccatum contra Decalogum, ſequi etiam homicidium non eſſe peccatum. Etquidem concedere poſſumus interficere (non civem, ruſticum, ſed armatum) hoſtem, in bello juſto, cum defendenda eſt patria ab hoſtibus, qui illam invadunt, & omnia devaſtant, obviosque pro libitu enecant, non eſſe peccatum, ſed ſpeciem juſtitiæ vindicativæ, & retributivæ, ſiquidem vim vi repellere licet, ut natura & omnia jura nos docent. vid. Moraliſtæ & Caſuiſtæ, *Buſenbaum.* Medull. Theol. Mor. p. 177. ibique citat. conf. & *Palaum* tom. 1. 2. 6. d. 5. p. 4. *Dian.* p. 6. t. 4. R. 7. *Laymann.* l. 2. t. 3. c. 12. *Theod. Thumm.* de Bell. *Menger.* in Beliali Bellico. *Danh.* Hodoſ. 95. Lac. Catech. 11. conc. 19. p. 225. Colleg. Decal. p. 279. *Dram.* 179. *Hulſem.* Caſ. Conſc. 1. 1. q. 10. p. 49. 50. *Wigand.* de Anab. p. 206. 209. *Gerh.* L. de Mag. § 387. *Phil. Melanchth.* d. de Reb. Polit. 5. de deliriis Anabapt. ap. Luth. t. 1. Witeb. p. 958. *Baldw.* l. 4. Caſ. Conſc. c. 12. caſ. 10. p. 1180. *Brochm.* Syſt. 2. de Mag. p. 5012. 3045. Voluit autem Deus benigniſſimus hâc ipſa lege de captâ ducendâ militibus interdicere ſcortationes, adulteria, aliosque impuritates, & ſimul clementiam, benevolentiam & ſtudium proſelytas faciendi commendare. Erant enim Gentes & Judæi quoque maxime duri erga captos & captas, adeo ut captiva redemta (ceu *Moſes Maim.* Halach Iſuri Biah c. 18. tradit) ſacerdoti interdiceretur, quia in dubio erat, utrum cum eâ gentilis aliusque concubuiſſet; ſed ſi teſtem haberet gentilem minime cum eâ concubuiſſe, ſacerdotali generi ſatis erat idonea uxor. vid. *Selden.* de ſucc. p. 424. 428. & de Jur. Nat. & Gent. l. 5. c. 13. p. 645. Unde etiam Rabbini maxime commendabant Redemtionem captivorum: ſiquidem inquiunt in Gem. Babyl. ad tit. Baba Bathra, c. 1. f. 8. & *Maimon.* Halach Mithnoth Ainiim. c. 8. *Redemtio Captivorum anteponenda eſt officio pauperes ſive victu ſive veſtitu ſublevandi.* Neque (in ejusmodi rebus) *habetur præceptum æquale ei, quod de redimendis eſt captivis*; vid. *Selden.* de Jur. Nat. l. 5. c. 13. p. 818. Quod maxime curæ etiam hodie eſt Ordinibus militaribus Chriſtianis Equitibus Teutonicis, S. Michaelis &c. de quorum integritate & pietate vid. *Matth. Stephanus* vol. 2. diſc. Acad. 4. & 18. *Limn.* de Jur. Publ. l. 6. c. 2. *Garzan.* Piazz. Univerſ. p. 200.

2. *MaachamTolmiiR. filiam à Davide conſpectam.* Huc etiam referri poteſt hiſtoria Moſis qui juxta Joſephum divino reſponſo à Pharaone adverſus Æthiopes creatus Ægyptii exercitus Dux, urbem Sabam, quam poſt Cambyſes à ſorore Meroen appellavit, obſidere cepit. Cum autem oppugnationi difficultas ingens ineſſet, Tharbis Æthiopis R. filia, veluti alia Niſi Scylla, à muris Moſen adhuc in juventæ flore pubeſcentem conſpicata; adeo ejus amore incaluit, ut per ſecretos nuntios polliceretur, ſe urbem daturam, ſi ſe uxorem duxiſſet, neque ultra Æthiopem aliquem occideret; Aſſenſus Moyſes atque urbem ingreſſus in Æthiopes magna peracta cœde Tharbin poſteà in matrimonium duxit, neque poſt deſponſationem ultrà quenquam occidit, tempus arbitratu ſuo interpretatus. l. 2. Antiqu.

THE-

Theſis LXXIII.

NEque prætereundus eſt alter locus clariſſimus Deut. 21. *Si fuerint alicui uxores binæ, una dilecta & altera odio habita, genueritque ei filios tàm dilecta quàm odioſa, & fuerit filius odioſæ primogenitus, adveneritque dies quo diviſurus eſt hæreditatem ſuam filiis ſuis, non poterit primogenitum facere dilectæ coram facie primogeniti filii odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſcet pro primogenito, dabitque ei portionem duplicem;* (id eſt ut Sal. Jarchi & Abenezra exponunt; ſi fratres fuerint tres, putentur ut quatuor, & capiet ille duas partes, ſi fratres ſint bini, ut tres putentur vid. Selden. de Succeſſ. c. 6.) *de univerſis rebus, cum ille ſit principium virtutis ejus, ideoque ei debetur jus primogenituræ.* Ubi Moſes expreſſiſſime loquitur de Polygamia ſimultanea & rixis ex Polygamia ortis & modum rixas finiendi proponit, quo omnino ſuperſedere potuiſſet, ſi Polygamiam ipſam ceu antecedentem cauſam prohibuiſſet. Quod cum intermiſerit, quid aliud conſequitur, quam quod Polygamiam ipſam approbaverit.

Largimur quidem *utraque manu incommoda quædam domeſtica*, odia novercalia, diſcordias Zelotypicas, aliaque Polygamiam comitari, illis tamen neque matrimonium ipſum, neque ſecundas nuptias deſtitui etiam non ignoramus. Neque verò hæc incommoda ubique locorum æque deprehenduntur, ſed duntaxat apud illas nationes, ubi erecta nimis ſunt fœminarum ingenia, aut ubi obnoxii nimis uxoribus mariti vivunt. Apud multos populos naturali indole, aut propter educationem fœminæ maritis addictius parent, nec cordato viro inter plures quoque uxores domeſticam pacem ſervare difficile. Interim non negamus, ſicuti inter multos infantes, ita inter complures uxores ferè contingere ut una eximiè diligatur, ut ex hoc loco & Gen. 29. Eſth. 2. 17. Cant. 4. 7. 8. patet. Huc facit, quod *Saluſtius Jug.* ait: *Ea neceſſitudo* (matrimonii) *apud Numidas Mauroſque levis ducitur, quia ſinguli pro opibus quiſque quamplurimas uxores, denas alii, alii plures habent. Seniores eò amplius. Ita animus multitudine diſtrahitur. Nullam pro ſocia obtinent. pariter omnes viles ſunt. De Parthis in eundem ſenſum Ammianus Marcellinus* l. 23. c. 12. *per libidines varias charitas diſperſa torpeſcit.* Apud *Procopium hiſt. Vandal.* l. 2. *Pro liberis anxii eſtote, quos unius uxoris neceſſitas devincta tenet. Nobis, quibus vel quinquaginta, ſi opus ſit, patent conjugia; nunquam poſteri deerunt.* Similiter *Claudianus de bell. Gildon.*

Connubia mille
Non illis generis nexus non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.

Nihil tamen habet, quod de injuriâ illatâ conqueratur fœmina, ſi ipſi de alimentis, veſtimentis, & debito conjugali fuerit pro ratâ parte proſpectum. Unde *Alex. ab Alex.* refert quod apud Romanos nulla actio uxori in virum fuerit permiſſa, niſi ob malam tractationem, nec etiam *repudiare licuerit*, uti neque hoc jure Moſaico concedebatur. Unde *Joſephus Arch.* 15. 9. tanquam inuſitatum & à communi jure diſcrepans annotat, quod *Salome* libellum repudii miſerit Coſtobaro marito ſuo, Idumeæ & Gazæ præfecto, cum alias moribus Judæorum non liceret mulieri ſponte à viro divertere, niſi ab eo dimiſſæ, excepto, ſi quis uxorem à ſe in primo concubitu virginem non deprehenſam fuiſſet *calumniatus*. Huic enim liberum erat abire an manere apud virum mallet. Etſi marito, ſi ipſa vellet, eam retinere utique neceſſarium erat. *Teſte Philone Judæo de ſpec. leg.* Idem *Joſephus* 18. *c.* 7. narrat de *Herodiade* Ariſtobuli filiâ quam reprehendit Joannes Baptiſta Matth. 14. Marc. 6. Marito vero integrum erat uxorem repudiare, accuſare. De Gallis *Cæſar* de B. Gall. l. 6. tradit, illos habuiſſe in uxores ſicut & in liberos *jus vitæ & necis*. Apud Germanos maritis adulterii pœna fuit permiſſa. *Tac. Germ. c.* 19. Et quidem velut pro imperio ſumenda, non quod ipſorum iracundiæ aliquid indulgeretur, ſicut de Servis *idem* d. l. ait, *occidere ſolent ſervum, non diſciplina & ſeveritate, ſed impetu & ira uti inimicum niſi quod impune. Gell.* 10. *c.* 23. ex Oratione Catonis: *Vir niſi cum divortium fecit, mulieri judex & pro cenſore eſt. Imperium, quod videtur, habet. Si quid perverſe tetreque factum eſt à muliere multatur. Si vinum bibit, ſi cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur*; Item *In adulterio uxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine judicio impunè necares, illa te, ſi adulterares digito non auderet contingere, neque jus eſt.* Huc facit quoque quod *Tacitus*, inquit. *Ann.* 13. 32. *Pomponia Græcina, ſuperſtitionis externæ rea mariti judicio permiſſa. Isque priſco inſtituto, propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit.*

1. *Si fuerint alicui Uxores binæ:* Anti-Polygamus quidam reapſe Dormitantius de ſucceſſivis uxoribus explicat, quod neſcio an ullus vel veterum vel recentiorum ipſi hâc in parte præiverit. Certe *Biblia Erneſtina*, in qua tot Theologi elaborarunt, de ſimultaneis exponunt, aſſeruntque tùm temporis Polygamiam fuiſſe in uſu apud Judæos, ut hinc & inde paſſim etiam deduximus. Magis itaque miror quòd Anti-Polygynos, qui alios verum ſenſum è ſcripturâ eruere docuit, & quidem publice è ſuggeſtu, hunc textum de ſucceſſivis, (ut & Victor Utopicus) poſſe intelligi oblateret. Sed nec aliud quicquam habuit, quod hic reponere potuiſſet, ne itaque plane obmuteſcere videatur, placuit nugas proponere, quàm aliquid ſolidi proferre. Nihil enim eſt tàm exiguum, quod Anti-Polygami ſe putarint indignum, imò cui faſtu ſuo, & autoritate, quâ pollent, non ſperarint conciliaturos momentum & dignitatem. Quanquam enim pigeat tùm minutula conſectari, tamen ita facto opus eſt, ne ulla præbeatur anſa, vel imaginarii triumphi. Mos enim illis perpetuus, ut nunquam negligere nos ſua putent, ſed ſemper metuere; adeoque abſtinere.

2. *Nec matrimonium ipſum deſtitui incom-*

modis. Quanquam enim *prima ſocietas in conjugio* ſit, illudque ſit *principium urbis & ſeminarium Reip.* nihilominus tamen per magnos etiam Viros ſæpè ita deprimitur, ut indignum ſummis ingeniis judicetur. Primùm enim vinculum illud & obligationem injuſtam fere duram, & à ſervitute parùm alienam æſtimant, ut pote per quam homo nimis ſit ſubjectus alterius deſideriis & affectibus. Quod ſi igitur contingat, ut conjugium non ſit adeo fauſtum, & error factus fuerit in optione, ita ut aliquis de oſſe, quàm de carne plus acceperit, totus vitæ curſus eſt miſerabilis. Quæ verò poteſt eſſe *major iniquitas & injuſtitia*, quàm quòd aliquis propter unicam horam malè in emptione impenſam, propter unicum errorem ſine malitiâ & per inadvertentiam commiſſum, & ſæpe quidem, ut alterius opinioni placitis & conſiliis morem præſtemus atque obſequamur, ortum, miſeriis perpetuis ſit alligatus. Præſtaret collum indere funi, & ſe præcipitare quam primùm in mare, ad finiendos vitæ dies, quàm indies cruciatibus affici infernalibus, & à latere ſine fine furiam malitiâ, invidia, inſania, plusquam brutali pertinacia, aliisque cupiditatibus ſceleſtiſſimis pleniſſimam perpeti; Adeò ut non immeritò aliquis dixerit, quod qui illum matrimonii nodum indiſſolubilem invenerit, bellum & ſpecioſum medium vindicandi ſe de hominibus, decipulam ad fallendas beſtias, & ſenſim mor titradendas excogitârit. Alius dixit, quòd *conjugium ſapientis cum ſtolida fœmina*, & contrà, nil aliud ſit, quàm *combinatio vivi & mortui*, quod crudeliſſimum fuit ſupplicii genus à Tyrannnis inventum, ut vivi homines mortuis alligati pedetentim morerentur. Deinde etiam dicunt, quòd matrimonium optima ingenia & excellentiſſimos ſpiritus opprimat, & ad minutias, affanias & tricas circa infantes conſpicuas avocet, præſtantiſſima negotia, & ſaluberrima itinera ſufflaminet, & maxima quæque impediat. Verum enim verò ad hoc reſponderi poteſt, quod

Omnis Commoditas ſua fert incommoda ſecum,

& quod poſt lapſum vivamus inter imperfectos, nihilque ſit in mundo quod non infirmitatibus, erroribus, imperfectionibus, & incommodis ſit refertum; quæ tamen omnia vir ſapiens ſuperare, aut in melius commutare novit. vid. *Charr. de la ſageſſe l. 1. c. 42* prolixe.

3. *Repudiare licuerit.* Fuit Romuli rigida lex, qua mulieri maritum relinquendi poteſtas adimitur, marito autem conceditur, ſi veneficio circa prolem uſa fuiſſet, alienam pro ſuâ ſubdidiſſet, commiſiſſetque adulterium. Quibus adjungunt alii, *ſi vinum bibiſſet*, aut claves adulteraſſet; (*Plut. in Rom. Barboſ.* in Rub. p. 2 n. 1. ff de ſolut. matr. *Alex. ab Alex.* Gen. Dier. l. 4. c. 8. & l. 6. c. 10.) i. e. ſi feciſſet furtum. uti *Connanus* arbitratur libr. Comment. jur. 8. c. 8. quamvis *Halicarnaſſeus* l. 2. Antiq. Rom. ſcribat non divortium, ſed licitam cœdem, ſancitam in mulieres adulteras, & vinum bibentes, partus vero ſuppoſitionis non meminit. Nonnulli propterea conqueruntur, quod conjugium inter Chriſtianos ſit admodum ſtricti juris, & liberum quidem habeat introitum, ſed durationem coactam, aliunde quàm à noſtrâ voluntate dependentem. Cœteræ nationes, ut reddant conjugium magis liberum, facile & fertile, Polygamiam & repudia concedant, ut eo magis amor, qui non debet eſſe coactus, conſervetur, & liber permittatur: illud vero repudium cum Hebræis, Græcis & Armeniis approbant, ubi cauſa ſeparationis reticetur, quia magis faciat ad infringendam mulierum ſuperbiam. Mahometanorum vero repudia, ubi exprimitur cauſa, vel ſterilitatis, vel incompatibilitatis, vel intentatæ cœdis, vel aliarum rerum, naturæ conjugii contrarium, non adeo laudant, quia fiat in contumeliam partium, & vergat in impedimentum ulterioris deſponſationis, & præterea aperiat ea, quæ debent eſſe operta, ut eorum ſententiam recenſet *Charron de la ſageſſ. l. 1. c. 42. p.* 199.

4. *Salome.* In Veteri Fœdere per ſeptingentos, & quod excurrit, annos magnum de divortiorum exemplis, & uſu, nomineque ſilentium; ficuti & obſervatur quingentis amplius annis, floruiſſe Remp Romanam ſine divortiorum uſu, (quòd tamen

legibus toto illo tempore permiſſum) uſque ad notiſſimum illud Spurii Carbilii Rugæ exemplum, qui ſterilitatis ergo uxorem primum dimiſit. *Halicarn. l.* 2. *Agell. Noct. Att.* 3. *c.* 3. & *l.* 17. *c.* 21. ut ſupra etiam *ad th.* 13. *n.* 1. annotavimus, Poſtmodum vero *Repudium & votum fuit quaſi matrimonii fructus*, ut ait *Tertull. adverſ. Gent. c.* 6. & *de Monag. c.* 9. conſ. & *Alber. Gent. l.* 6. *de Nupt. c.* 8. *Arniſ. de Jur. Connub. c.* 5. *ſ.* 3. *Seneca de Benef. l.* 3. *c.* 16. notanter inquit: *Nunquid jam ulla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam ac nobiles fœminæ non conſulum numero, ſed maritorum, annos ſuos computant, & exeunt matrimonii cauſa, nubunt repudii. Tamdiu iſtuc timebatur, quamdiu rarum erat.* Ita namque non maritus ſolùm uxorem, ſed uxor maritum quoque ſequioribus temporibus pro lubitu dimittebat, ac ſponſalitio, nuptialique contractui apud *Romanos* uterque pro arbitrio renuntiabat. Quod fere apud *Græcos* quoque ita fieri ſolitum, maxime autem Athenienſes, quibus, ubi maritum reliquit uxor, ἀπόλειψις, quando vero uxorem vir ejecit, ἀποπομπὴ dicebatur divortium. *Jul. Pollux. Onom. l.* 3. *c.* 3. & *Sam. Petit. Comment. in Leg. Att. l.* 6. *p.* 459 ubi rationem affert, cur mulieri non attribuatur ἀποπομπή, quia nupta deducta in domum mariti non poterat maritnm ejicere ex ædibus, quarum domina non erat, relinquere vero poterat. conſ. *Scal. Animadv. in Euſeb. n.* 2055. De Paganorum vero divortiis vid. *Alex. ab Alex. Gen. Dier. l.* 4. *c.* 8. & *Alphonſ. à vera Cruce in Spec. Conjug. part.* 2. *a.* 9. 12. & 13. Morem vero illud ἀπολείψεως (Græcorum, qui de cauſis divortiorum judicandis judices conſtituerant. *Plut. in Alcib.*) quæ nullo pacto legitima erat Judæis, inducere tamen ex jure ſeu exemplo aliarum gentium (an proſelyta aut Libertina, an ancilla in Judaiſmum cooptata gentilis fuerit. vid. *Selden. de J. Nat. & G. l.* 5. *c.* 22. certe Originaria non fuit.) Salome Herodis Magni ſoror voluit; ut *Ioſeph. l.* 15. *Archæol c.* 2. ſcribit: *Orto deinde inter Conjuges* (Coſtobarum ſcilicet & Salomen) *diſſidio. Salome libellum repudii marito mittit*, οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίους νόμους, *non ſecundum Judæorum leges, Lex enim noſtra ſolis maritis hoc jus permittit, mulieribus autem ne dimiſſis quidem fas eſt nubere, niſi prioris viri permiſſu.* Paulo aliter recenſetur hæc hiſtoria in *Joſepho Hebraico* Hiſtor. Jud. l. 5. c. 22. *Contigit autem poſtea, ut diſcordes fierent Coſtobarus & Salome uxor ejus, & accuſavit eum uxor ejus apud Regem, petiitque, ut loqueretur cum Coſtobaro, ut daret ſibi libellum repudii. Quod cum Rex præcepiſſet Coſtobaro, fecit ei libellum repudii, ex mandato Regis, non vero ſecundum legem Moſis, ſecundum quam non poteſt uxor virum ſuum derelinquere, ſed vir poteſt dimittere uxorem ſuam, ſi odio habuerit eam.* Et ſic putarim ego veroſimilius eſſe, quàm ut in Joſepho Græco enarratur; Quamvis enim mulier non poſſit ita, ut vir, pro ſuo arbitrio libellum repudii viro mittere, poteſt tamen in certis cauſis & caſibus, à viro libellum divortii petere, imò quandoque ad eum ſibi dandum, Judicis etiam interpoſitâ autoritate cogere, uti *Seldenus l.* 3. *c.* 20. Ux. A Salomes exemplo non eſt abſimile alterum ſub idem tempus quod contigit in Herodiade, Ariſtobuli filiâ, ut *Joſeph. l.* 18. *c.* 7. narrat. Certè & de ἀπολείψει ſeu divortii libello, ab uxore miſſo, velut de eo, quod in declinante Ebræorum ſtatu aliquantulum contra mores avitos inoleverat, Marc. 10. v. 12. *ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & duxerit alium, mœchatur.* Chriſtus loqui videtur.

5. *Calumniatus.* Duplex erat uxorum genus apud Hebræos, quod non poterat repudiari; Alterum earum, quæ præreptæ virginitatis falſo, idque in judicio capitali accuſabantur, Alterum earum, quæ vi comprimentibus nuptæ, uti hoc prolixe deducit *Selden. Ux. Hebr. l.* 1. *c.* 16. & *l.* 3. *c.* 1. Et huc referunt legis ſacræ verba de iis perpetuo retinendis. v. *Maimon. Halach. Naira Bethula c.* 2. & 3. Attamen de falſo accuſatis exceptionem velut à Moſe præſcriptam adjicit Joſephus l. 4. c. 8. *Si quidem*, inquiens, *puella fuerit judicio abſoluta, degat in accuſatoris conjugio, isque nullum poſt hàc dimittendi eam jus habeat, niſi magnas ipſi cauſas præbuerit, atque ejusmodi quæ contradictionem non recipiant.*

6. *Herodiade.* Etſi *Tertullianus l.* 4. *adverſ.*

verſ. Marcionem. vid. & *Baron. l.* 1. *A.C.* 31. aliique putent, fratrem ſuiſſe defunctum, & reliquiſſe filiam (*Joſeph. vero l.* 18. *c.* 6. 7. expreſſe non ſemel ait, ſine liberis diſceſſiſſe Philippum) adeoque juxta legem non potuiſſe fratris mortui uxorem infantibus auctam ducere; *Gorionides* tamen *l.* 6. *c.* 63. clariſſimè dicit, quod ille *uxorem Philippi fratris ſui etiamnum ſuperſtitis* ceperit in uxorem, & *Flav. Joſeph. l.* 18. *c.* 7. diſerte etiam refert, Herodiadem Herodi, Herodis M. filio nuptam, Philippo ſcilicet in contemtum morum patriorum, marito relicto, in conjugium tranſiiſſe Herodis, qui marito ſuo erat frater Germanus. Videtur autem hallucinatio multorum exinde orta, quod multi fuêre Herodes, ſiquidem in Oriente, alibique non rarum erat, plures eſſe binomines, præſertim inter Reges, ut *Theophilus th.* 39. obſervavit, Unde mirum non eſt illas diverſas Hiſtorias fuiſſe confuſas, quia Philippus etiam dici potuit more communi Herodes, ita ut, quod Euangeliſtæ de Philippo, Herode & Herodiade tradunt, Joſephus de Herodiade ac utroque, Herodis nomine appellato, marito exponat. *Johannes* enim non ex lege leviratus, ſed ex lege adulterii, quâ alienâ uxore cuique interdicitur, Johannem redarguebat. Matth. 14. 4. Marc. 6. 18. vid. *Selden. de J. N. p.* 686. Maxime enim hoc illicitum & injuſtum, ut ſequenti theſi audiemus, perinde ut iniquum eſt, in alienis terris & territoriis juriſdictionem vel Legiſlatoriam exercere poteſtatem, aut illa ſibi in ſolidum adjudicare, uti quidem Pontifex R. facit, cui tamen nil juris in alienis ditionibus competit, ſed ſolum in illis provinciis, quibus jure Majeſtatis præeſt. Dominium enim totius univerſi ut & Epiſcopatum Univerſalem temere & per tyrannidem ille hactenus affectavit. Quisque autem Princeps in ſuis provinciis & ſacra & profana ordinandi liberam habet poteſtatem, eamque ſibi bono Eccleſiæ, ſucceſſu maſculoſe jam pridem aſſeruerunt Principes *Proteſtantes.* Exemplo ſc. *Honorii* & *Theodoſii* Imperatorum, qui ad inſtructiones. Itinerum pontiumque etiam divinas domos & venerabiles Eccleſias contribuere voluerunt *l.* 7. *C. de SS. Eccleſ.* & *l.* 4. *C. de privil. domus Auguſtæ l.* 11. ſiquidem omnimoda & ſuprema ſubjectio debetur Principi, qui ſummum habet in perſonas & res Eccleſiaſticas imperium. Aliqualis quidem, ſed inferior & dependens ſubjectio debetur Epiſcopo, qualem ſcilicet & quantam unusquiſque Princeps in ſuâ provinciâ eſſe voluit, qui vi ſuæ poteſtatis Legiſlatoriæ & Eccleſiaſticis & civilibus negotiis jura præſcribit. Quod autem privilegiata hodiè in cauſis Eccleſiaſticis ubique fere terrarum inſtituta ſint judicia, non minus acceptum ferendum eſt Principi, quàm aliud quodcunque tribunal in civilibus. Sicuti vero Pontifex R. per vitium ἀλλοτριοπραγίας in alienam juris dictionem involat, ita mulieres etiam ſæpiſſime ceu ἀλλότριω ἐπισκοπίας cupidiſſimæ arrogant ſibi ea, quæ maritorum ſunt, uti libellum repudii mittere, accuſare, & cum tamen *honeſtas ipſa & naturalis pudor virorum cœtibus immiſceri mulieres probibeat, & propter teſtimonii m ferendum in judicium perſonoliter evocari vel trahi non debeant.* Lancellott. Inſtit. Jur. Canon. l. 3. tit. 14. §. 11. *omnesque fœminæ, licet illæ ſummæ opinionis exiſtant, ab omni judiciali examine uſque adeo ſeparandæ ſint, ut ex illarum ſententiis nnlla pœna adverſus illius contemtores, nullaque pacti exceptio oriatur, niſi regionis probata conſuetudo talium munerum participes illas redderet.* idem Lancell. l. 3. tit. 4. §. 5. quod etiam conſtituit Juſtinianus in l. ult. C. vid. ſupra th. 18. n. 2. th. 19. n. 9.

THE-

THESIS LXXIV.

NOtatu digniſſimus etiam eſt locus Deut. 22. 22. *Siquis concubuerit cum alterius uxore morte punitor, tam adulter quam adultera, ut tollas malum è medio tui*, collatus cum Lev. 20. 10. *ſi quis adulteravit alterius uxorem* morte moriatur *tam ipſe quam adultera*. Ubi clariſſime videmus adulterium non conſiſtere in Polygamiâ virili, ſed in Polygamiâ muliebri ſeu quando quis accedit ad alterius uxorem, ita ut illa tum cognoſcat duos viros. Et in hanc Polygamiam muliebrem, quod verum eſt adulterium, *jure divino capitalis pœna* eſt conſtituta. Apud Romanos quidem primitus à *Julio Cæſare* L. Julia de adulteris, juxta communiſſimam Interpretum opinionem, relegatione puniebatur, de quo eleganter ſcribit Martial:

Luſus erat ſacræ connubia fallere tædæ,
Luſus & immeritos execuiſſe mares.
Utraque tu prohibes, Cæſar, populiſque futuris
Sucurris naſci quod ſine fraude jubes.
Nec ſpado jam, nec mœchus erit te præſide quiſquam
At prius, o mores & ſpado mœchus erat.

Verum enim vero huic Legi Juliæ per conſtitutionem *Conſtantini* jure merito derogatum, qui ſacrilegos nuptiarum gladio puniri præcepit, *l. quamvis* 30. *h. tit.* quam utinam non temeraſſet *Juſtinianus nov.* 134. *c.* 10. qua adulteræ gladii pœnam remiſit verberatamque in monaſterium detrudi voluit. Detruſam, ſi maritus recipere velit, ut intra biennium id facere ſine fraude liceat. Sin minus ut tondeatur mulier, monaſterioque in perpetuum mancipetur. Quod an inſtinctu Epiſcoporum quorundam Chriſtum Joh. 8. ex κακοζηλία imitantium, ut *Petr. Mart. claſſ.* 2. *c.* 12. *n.* 26. *Beza tr. de divort.* an vero in gratiam Uxoris conſtituerit non diſputabimus. Poſterius ſane affirmat *Joannes Bodinus l. de Rep.* 3. *Theodora*, inquiens *Juſtiniani uxor, quæ faſces imperii marito ſtupido ſane ac illiterato prinicipi ademerat, cum omnia beneficia fœminis adverſus maritos tribueret, eos etiam adulterii pœna liberavit, infamiæ notam reliquit.* Nobis potius ob oculos ſemper eſt Lex divina, non mere forenſis, ſoliſque Judæis ſcripta, ſed cum ratione naturali conſtet, (Conf. *Gen.* 38. 24.) & ad integritatem ſexti præcepti pertineat mixti generis cenſenda & adhuc hodie nos obligare credenda eſt. Et ſane cum in adulterio vinculum & ſocietas in humanis ſanctiſſima, violetur, cum contumelia ignominioſiſſima inferatur, alienæ matrisfamiliâs morcs corrum-

pan-

pantur, ſemina nefarie confundantur, adulteria pro genuinis ſupponantur, abortus & veneficia oriantur, quis minore quam capitis pœna plectendum cenſeat? De veneficio, ut cœtera in vulgus nota taceam, notum eſt dictum Catonis; *Nullam adulteram non & veneficam eſſe.*

Quod elegantiſſime explicatur in Rhetoricis ad Herennium: *Majores noſtri*, inquit, *ſi quam unius peccati mulierem damnabant ſimplici judicio multorum maleficiorum damnatam exiſtimabant. Quo pacto? quoniam quam impudicam judicarunt, eam veneficiis quoque damnatam exiſtimabant. Quid ita? quia neceſſe eſt eam, quæ ſuum corpus addixerit turpiſſimæ cupiditati, timere permultos. Quos iſtos? virum, parentes cœteros, ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid poſtea? quos tantopere timeat, eos neceſſe eſt, ut quoquo modo poſſit veneficio petat. Cur? quia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconſideratam. Quid veneficii damnatam? quid? putabant impudicam quoque neceſſario. Quare? quia nulla facilius ad id maleficium cauſa, quam turpis amor, & intemperans libido commovere potuit, cum ejus animus mulieris eſſet corruptus, ejus corpus caſtum eſſe non putarint. Quid in viris? Idemne obſervabant? minimè. Quid ait? quia viros ad unumquodque maleficium ſingulæ cupiditates impellunt;* mulieres ad omnia *maleficia cupiditas una ducit.* Hæc Rhetor. Brevius more ſuo *Tacitus*, cum viam invadendæ potentiæ & domus Cæſarum à Sejano captam *l.* 4. *Ann.* explicat: *Cuncta tentanti*, inquit, *promptiſſimum viſum ad uxorem Druſi Liviam convertere. Hanc ut amore incenſus adulterio pellexit, & poſtquam primi flagitii potius eſt, neque fœmina amiſſa pudicitia alia abnuerit, ad conjugii ſpem, conſortium regni & necem mariti impulit. Atque illa, cujus avunculus Auguſtus, ſocer Tiberius, ex Druſo liberi, ſeque ac majores & poſteros municipali adulterio fœdabat, ut pro honeſtis & præſentibus flagitioſa & incerta expectaret.* Quis exinde non videt, tantam eſſe ſceleris enormitatem ut nonniſi morte expiandum. unde *Diogenes* audiens *Didymum* quendam adulterum duci, dignum eſſe ait, qui vel ex ipſo nomine ſuſpenderetur. Græci ſolos adulteros impune occidi permiſerunt. *Lacedæminii* cum acerbiſſimis diris aliquem devovere volebant, inter alia domus exitia imprecabantur, ut uxores ipſorum adulteris delectarentur. Secundum *Thuriorum* legem nonniſi adulteri in Comœdiis nominatim traducendi, quaſi hæc ſola labes publicâ noto digniſſima. Ita mortis pœna in uſu ap. *Lydos*, *Arabes*, *Gothos*, *Longobardos* & *Burgundiones*, quorum poſtremi vero mortis genere etiam eam, quæ ſine cauſa virum deſeruiſſet, cæno merſam necari juſſerunt. vid. *Briſſon. lib. ſing. de adult. Ælianus l.* 11. *pag.* 127. *Strab.* 6. *Georg. Euſeb. Præp. Evan. cap.* 8. *Procop. l.* 1. Ut non immerito conqueratur *Alciatus*, *in l. probrum de V. S.* quod in civitatibus nonnullis male inſtitutis, major pecuniæ quam morum habetur ratio, cum fures laqueo ſtrangulent,

 adul-

adulteros multent pecunia. Et *Julius Clarius* rectiſſime cenſet, eos *Principes* graviſſimè peccare, qui hoc ſceleſtiſſimum crimen ſeveriſſimis legibus non coërceant. vid. *Tiranuell. de Leg. Conn.* 314. *Martyr. LL. Claſſ. 2. c. 2. p.* 318. *Agell. Noct. Att. X. c.* 23. *Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 4. c. 1. Cœl. Rhodig. l. 20. Lect. c. 25. Arniſ. de Jure Conn. p.* 135. *Delrio ad L. 18. & de transact. Bachovius ad Treutlerum. Carpz. Prax. Crim. part. 7. quæſt. 55. n. 5,6,7, 8. it. Juriſpr. Forenſ. part 4. Conſtit. 19. God. Fabriam. de Pœn. mul. ad. t. 9. t. 7. d. 2. Matth. de Crim. Havemann. de Connub.* Hæc ſunt pleraque dicta & exempla Polygamica, quæ in Moſe primo Scriptore, qui ſupereſt, totius mundi reperiuntur. Nullus vero dubito quin plura fuerint exempla quæ à Moſe brevitis ſtudioſo fuerint omiſſa, ut pote qui cum reliquis ſcriptoribus in more habebat poſitum, uxorum parvam, aut fere nullam facere mentionem, ſicuti in Genealogiis, Gen. 5. 10. 46. Ex. 1. 6. Num. 26. 1 Chron. 1. 2. 3. 4. 5. Matth. 1. Luc. 3. adductis videre eſt (ſecus quam hodie fit, ubi Genealogiæ ex paterna & maternâ linea arceſſantur neceſſe eſt) ſicuti ex primis capitibus Chronicorum etiam apparet, plures, uti Hezron, Caleb, Jerahmeël, Aſſur, Jeſriël, Jeharaim, fuiſſe πολυγάμους, quorum nulla in antecedentibus libris fit mentio. Quinimo *ipſi Moſi Joſephus* neſcio unde edoctus binas uxores Tharbin Æthiopiæ Regis filiam & Sepphoram Raguelis ſeu Jethronis, quæ in ſacris literis unica eſt, tribuit.

1. *Concubuerit cum alterius uxore.* Apud nonnullas barbaras gentes in honore habitum fuit, ſi uxores ab *hoſpitibus* adulterio fuerint pollutæ. Qui deteſtabilis & impuriſſimus mos ex Diaboli occœcatione in provinciâ *Camul*, *Magni Chami* imperio ſubjecta obtinuit. Tam altas autem hæc inſania in miſeris & à Satanâ ſeductis hominibus radices egit, ut quando *Moguth* omnium Tartarorum Rex hanc nefandam conſuetudinem abrogare edita ſanctione volebat, ut uxorum provinciam cuſtodirent, nec provinciam tantâ fœdarent turpitudine, viri & incolæ Camul plurimum contriſtati miſſiſque nuntiis & muneribus, inſtantiſſime Regem Moguth rogarint, revocaret hoc edictum & traditionem illam, quàm à ſuis ſenioribus velut per manus acceperunt, non aboleret, præprimis cum compertum haberent, ſe propter illud hoſpitalitatis beneficium Deorum ſuorum confecutos gratiam, & terram nunquam Deorum munere ſua deſtitutam fœcunditate. Qui petitis ac deſideriis ſubditorum ægre annuens tandem reſpondit; *Quia opprobrium honorem ducitis, habete opprobrium, ut optaſtis.* Eadem hoſpitalitas etiam colitur in provinciâ Canielu, Marc. Paul. Ven. l. 1. de Reg. Orient. c. 46. p. 350. & l. 2. c. 30. p. 380. In quibus gentibus omnis Zelotypia viris natura inſita extincta eſſe videtur, quæ etiam hodie in multis maritis parum flagrat, putantes æquale eſſe viris & uxoribus jus, & quia mariti ſæpè plurium concubitu, (qui ſi legitime fieret, & conſummaretur honeſte, non eſſet contra Deum peccatum) extra conjugium utuntur, idem etiam permittendum eſſe uxoribus, aut ſaltem aliquo modo quaſi neſciendo, connivendum, ita ut turpiſſima gentilium conſuetudo etiam inter Chriſtianos aliquo modo videatur nonnullas agere radices. Non ita turpis, ridiculus tamen mos eſt *Tartarorum*, qui liberos innuptos poſt mortem etiam deſpondent, conſcriptiſque contractus connubialis literis juvenem & puellam vita defunctos, inque charta pictos

cum pecuniâ, & ſuppellectile & utenſilibus Vulcano devovent, defunctos in alterâ vitâ, matrimonialiter eſſe conjunctos, credentes. *Marc. Paul. Ven. l. 1. de Reg. Orient. c. 58. p. 355.* Sed hoc evenit illis barbaris nationibus, quod verſantibus in tenebris, qui non poſſunt non in lapides aliave impingere; Ita illi Idololatræ à ſupremi luminis ac Numinis luce averſi non poſſunt niſi in varias peccatorum tenebras incidere, uti Paulus de illis dicit. Rom. c. 28. 29. quòd Deus juſto judicio *tradiderit eos in mentem omnis judicii expertem, ut facerent, quæ minus conveniebant, oppleti omni injuſtitiâ, ſcortatione.*

2. *Morte morietur tàm ipſe quàm adultera.* Moſes indefinitè nullà mentione vel ſtrangulationis, vel lapidationis factâ ſupplicium mortis dictitat adulteris, & Phariſæi tamen Joh. 8. 5. dicunt, quòd Moſes mandaverit, ut lapidarentur adulteri. Præterea etiam Hebræi commentatores in Legem adulterium lapidatione puniendum definiunt, neque etiam hoc faciunt in ritualibus aut Thalmud. Nam in *Thalmud tr. de Syn. c. 7.* inter eos, qui lapidationis pœnâ afficiuntur, nulla adulterorum fit mentio, ſed inter eos, qui ſtrangulandi ſunt, expreſſe numeratur adulter. Nonnulli, ut hæc concilient, aſſerunt, non tantum *Joh. 8. 5.* ſed & *Eſ. 16. v. 38. & 40.* inter ſe collatis verſibus lapidationis pœnam fundari. Etenim v. 38. dicitur: *Et judicabo te* (Jeruſalem) *judiciis adulterarum, & effundentium ſanguinem* &c. & v. 40. *Et aſcendere facient ſuper te cœtum, & obruent te lapidibus, & p. confodient gladiis,* ubi lapidationem referunt ad judicium adulterarum. Sicuti etiam Kimchium huic ſententiæ favere dicunt, ſed fruſtrà. Ita enim ille ad hæc verba; *& lapidabunt te lapide ſecundum judicium adulterarum, quas lapidant lapidibus, non ut morte afficiant eas,* (ſed contemptus & ignominiæ cauſa, ut ſic ab illâ accedenda omnes, tanquam à perſona ſpreta & infami, abſterreantur, ut ex ſequentibus ejus verbis patet) Sic ſumitur *hæc phraſis*: Et lapidarunt illum lapide, *de Achane dicta*, Joſ. 7. 25. Ibi ſic legitur, *Dixitque Joſua, Cur turbaſti nos, Turbet te Dominus in die hâc, & obruerunt eum univerſus Iſraël lapidibus, combuſſeruntque eos igni, ac lapidarunt eos lapidibus.* Ad quem locum ſic iterum commentatur Kimchius: *Pater meus b. m. ſcripſit, judicium ipſorum fuiſſe combuſtionem ſicut dicitur:* Comburatur igne, ipſe & omnia, quæ ejus ſunt. Joſ. 7. 15. *Itaque ſic eſſe verba ejus explicanda:* Et lapidarunt eum; *quod cum ductus fuiſſet ad rogum, fuerint eum obruentes lapidibus, & lapides in illum conjicientes, ex irâ & indignatione adverſus ipſum, & cum perveniſſent in vallem Achor, tum demum combuſſerint & lapidarint, &c.* Ex quibus apparet, Kimchium illum Ezechielis locum non intellexiſſe de judiciali & capitali lapidationis pœnâ à Magiſtratu inflictâ, neque in ejus verbis quicquam pro hâc ſententiâ adjumenti eſſe. Nil vero abſurdi eſt, ſi dicamus, iſtam mulierem Joh. 8. fuiſſe uxorem nondum ductam, ſed deſponſatam duntaxat. Hujus enim ſupplicium in Moſe determinatum erat, ut lapidaretur. *Deut. 22. 23. 24.* ſicuti & Paraphraſtes Chaldæus *Jonathan Lev. 20. 10.* ſic transtulit & declaravit; *Et vir, qui adulterarit mulierem viri deſponſatam, aut qui adulteraverit mulierem viri ductam, Occidendo occidetur, & quidem propter mulierem ductam & nuptam ſtrangulatione ſudarii: propter deſponſatam lapidatione, tàm adulter quàm adultera.* Atque hoc pacto commode conciliari poſſunt verba Phariſæorum cum Moſe ejusque interpretibus.

3. *Jure divino pœna Capitalis.* & quidem juxta Rabbinos ſtrangulatio ſive laqueus. Unde R. Levi Ben Gerſon in h. l. Lev. 20. 10. Deut, 22. *Scire debes quod in quocunque loco dicitur* morte afficietur *id intelligendum ſit de morte affligenda à domo judicii, quod ipſa phraſis, & ratio loquendi docet, ubicunque autem dicitur;* morietur: *intelligendum eſt id de morte cœlitùs infligendâ. Quia verò non declarat lex, quâ morte ſint afficiendi* (adulteri) *ſequitur illos afficiendos morte omnium leviſſimâ, qua fieri poteſt; Cum ergo ex capitalibus ſuppliciis ſtrangulatio ſit leviſſima, ſtrangulatione mori debent.* & alibi: *Nulla eſt mulier in lege, ſub ſtrangulationis pœna prohibita, niſi mulier maritata.* Et hanc habet regulam: *Ubicumque in ſcripturâ abſolutè dicitur;* morte afficietur, *ſtrangu-*

latio eſt intelligenda. Et ita omnes interpretes. Quo magis mirandum Lectores ſacrarum literarum, Canoniſtas adulterium inter levi ora aut minora crimina referre. *c.* 4. 10. *de judic.* quod tamen Ulpianus inter graviora numerat tit. de Dot. § 9. ut & Clemens *in c quid in omnibus*, 32. *q.* 7 & Imperatores quoque inter ſæviora connumerant, *l.* 7. *C. Theod de Indulg. crim.* Jus verò Canonicum *Inſtit. l.* 4. *tit.* 8, § 1. pœnam leviſſimam imponit adulterio, & pœnam capitalem, divinitus impoſitam, plane immutat; Laico enim ob adulterium excommunicationem, clerico vero depoſitionem, aut utrique certæ pœnitentiæ impoſitionem, dictitat. Et præterea etiam mitius punit, clericum quàm laicum, cum tamen clericus gravius peccet, quàm laicus. Non negari quidem poteſt, jam olim in perſonis delinquentibus invaluiſſe iſtud pœnarum diſcrimen. Frequens eſt in Canonibus, qui Apoſtolici dicuntur, pœna elericorum καθαιρεῖσθαι i. e deponi, gradu moveri. Laicorum ἀφορίζεσθαι ſegregari, vel communione Eccleſiaſtica privari, uti videre licet ex *Can.* 25. it, *can.* 31. Ob graviora autem & magis exoſa nonnulla crimina clericus non ſaltem deponitur, ſed etiam excommunicatur. *can.* 28. 29. 30. 62. conf. *Lancell. Inſtit. l.* 2. *tit.* 16. §. 11. uti adulteræ ſeparatio & monaſterium ad agendam pœnitentiam adjudicantur. vid. & *l.* 2. *tit* 13. § 14. ubi dicit maritum adulterum non poſſe petere debitum conjugale, licet in conjugio; quod non ex eorum ſententia rumpitur maneat. At vero clauſtralem illam pœnam (Juſtinianæam) eſſe improportionatam delicto oſtendit *Ant. Matth. de Crim. tit. d. adult.* conf. *Carpz. Prax. Crim. p.* 2. *q.* 53. *n.* 10. & *q.* 54. *n.* 20. Altera etiam pœna non ſatis congrua eſt. Non enim adeo bene conveniunt aſtruere matrimonium, & interca tamen deſtruere jus mariti.

4. *In Adulterio vinculum violetur.* Adulterium tollit carnis unitatem, & vinculum totaliter diſrumpit. quod Canoniſtæ negant, dum ſeparationem à toro & menſa, non à vinculo concedunt. *Inſtit. Jur. Can. l.* 2. *tit.* 10. §. 22. *c. interveniente i. e. Apoſtolus* 3. *cauſ.* 32. *q.* 7. cum tamen paris innocens maritus nuptias ſecundas, vivente adhuc priore conjuge, quæ adulterium commiſit, cum alia perſona inire poſſit. vid. *Joh. Nevizanus in Sylv. Nupt. l.* 1. *n.* 107. *Quirin. Rubach. cent.* 2. *dec.* 1. q. 6. Exceptio enim approbata à Chriſto *Matth.* 19. & dans facultatem dimittendi conjugem adulteram, dat ex intentione Chriſti etiam facultatem parti innocenti, ut dimiſſa adultera ducat conjugem aliam. Dubium enim nullum eſt, quin loquatur Salvator de eodem repudii genere, cujus apud Judæos uſus erat, ejusque licentiam aſtringere, & ad unum adulterii punctum alligare. Illud autem non ſeparatio tantum erat quoad torum & menſam, ſed omnimoda, ita ut partibus disjunctis novum matrimonium inire liceret. Pontificii vero nullum verum admittunt divortium, niſi in caſu infidelitatis, cum alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertitur, & fidelis ei cohabitare non vult; ſed in ejus locum ſubſtituerunt ſeparationem quoad torum & menſam, in applicatione vero maximopere errarunt, ſiquidem & nos illam etiam admittimus, ſed nonniſi ad tempus, ob ſævitiam, inſidias, & mortis intentatæ metum, tentata prius animorum reconciliatione. vid. *Carpz. Iuriſpr. Conſiſt. l.* 2. *defin.* 210. 211. Cauti vero maxime fuere hac in parte Patres Tridentini, quod anathema dicere noluerint illis, qui talem ſententiam foverent, cum præſertim Oratores Veneti fulmen iſtud deprecarentur & oſtenderent, Græcos in regnis Cypri, Cretæ, Corcyræ-Zazynthi, Cephaloniæ ſibi ſubjectis ab antiquiſſimis temporis uxorem adulteram repudiare, aliamque ducere conſueviſſe, non poſſe igitur illos abſentes. nec ad concilium evocatos condemnari. *Petr. Suav. hiſt. l.* 8. Anathema igitur dixerunt *Tridentini* illis tantùm, qui dixerint, Eccleſiam errare, cum docuit & docet, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi. Quod ſane eſt temperamentum perquam ſubtile. Merito verò improbatur ſeparatio quoad torum & menſam; quæ ſit in perpetuum. Fieri autem illa poteſt & debet in ſpem emendationis, & ut evitentur majora

in-

incommoda, non in eum principaliter finem, ut divellatur matrimonium. Manet enim ſalvum atque integrum, niſi interveniat adulterium, quanquam ſi poſt commiſſum adulterium inter partes copula carnalis repetita fuerit, dum tamen maritus adulterium commiſſum non ignoraverit, reconciliatio facta, & noviter conſenſus in matrimonium utrimque datus, matrimoniumque ipſum redintegratum cenſeatur. Exiſtimatur enim tum conjux mores conjugis approbaſſe, & adulterio commiſſo veniam dediſſe. *Jul. Clar. l. 5. ſent. §. 5. adult. n. 18. Anton. de Gamma. deciſ. 273.* quemadmodum omnis alia injuria diſſimulatione & amica converſatione, tacitaque remiſſione extinguitur. *Carpz. Prax Crimin. p. 2. q. 55. n. 40.* ſequ. *Canr. Ritetrshuſ. ad Novell. p. 4. c. 10. n. 10.* Tenent præterea Canoniſtæ maritum obligari recipere conjugem adulteram, ſi pollutus ſimili fornicatione fuerit, Periniquum enim illis videtur eſſe, ut pudicitiam Vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet. *l. 13. §. 5. ff ad L. Jul. de adult.* poſito ſcil. quod Magiſtratus negligat adulteros tollere è medio. Atque ita ſentit *Jul. Clarus d. l. n. 17.* Tota autem hæc doctrina fluit ex illo jure æquali putatitio viri & mulieris, & ex principiis Juris Canonici, quia hoc jure adulterium tantum quoad torum & menſam, non etiam quoad vinculum ſeparationem inducit, & ita ſeparatus aliam uxorem ducere non poteſt. Quod ſi ergo ipſe non ſervet, aut ſervare non poſſit caſtitatem, merito ad uxorem dimiſſam inter quam & maritum vinculum adhuc durat, redire debet. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. diſp. 32. th. 2* in fin. At in veris Eccleſiis, quæ inæquale jus ſtatuunt, & per adulterium etiam vinculum rumpi docent, aliter ſtatuendum erit, poſito ſeparationem legitime per ſententiam factam fuiſſe, Apoſtolus expreſſe uxori ſeparatæ, quacumque id fiat cauſa, nuptias denegat ſecundas, nuſpiam vero viro. Qui poteſt etiam manente vinculo cum priore uxore, juxta jus divinum ſuperinducere aliam, alias ve.

5. *Nullam adulteram non & veneficam.* Cum in adulterio ſit colluvies multorum peccatorum, ut ſupra in explicatione ſexti præcepti ad th. 23. enodavimus, & jam in eo veneficium, quo maritum, parentes omneſque ad quos dedecoris infamia pertinere viſa eſt, ex timore petebant, reperiri animadvertebant majores, adeoque ceu veneficii ream quoque agebant. Jam vero Deus ſeveriſſime mandavit, ne maleficas ſinant vivere, *Ex. 22. 18.* Intelligebant autem non de ſola præciſe malefica & venefica, quæ veneficio homines è medio tollit, Rabbini ſed de omni Magiam exercente, uſitate tamen, quod mulieres magis quàm viri, artibus Magicis ſint deditæ. *Maimon. More Nevochim. t. 3.* ait, has eſſe vias Amorrhæorum, Ramos ſcilicet artis Magicæ; talia videlicet, quæ non ex ratione naturali, ſed ex opere Magico ſequuntur, quæ ſtellarum diſpoſitionibus innituntur. Unde neceſſario ad colendas & magnifaciendas illas devenitur. vid. plura ap. *Maim. l. c.* ubi de Magiæ ſpeciebus, tanquam idololatriæ fonte fuſe agit. Ratio autem hujus præcepti hæc datur. *Quia negotium Magiæ pravum eſt valde, occaſionem præbens multis ſcandalis filiis hominum; propterea in mandatis nobis eſt datum, ut eum, qui his dat operam, è mundo tollamus, quia contrariatur Deo benedicto, qui vult, ut convertantur, & ut omnia teneant curſum naturæ, quem initio creationis conſtituit, cui hæc omnia contraeunt.* Pro tanto igitur peccato adulterium, ceu Syneretiſmum multorum ſcelerum, habebant, ut etiam ſegniores judices, qui in hoc crimine puniendo negligentes erant, ſeveriſſime caſtigarent. Certe Ethnicus Rex Gerarenſis Abimelech vocat *aſcham* peccatum grande ſive piaculum, propter quod regna, urbes, familiæ divinitus puniantur. Unde magis deteſtanda eſt petulantia eorum, qui Chriſtiani eſſe volunt, qui inter magnates adulterium & fornicationes ludo habent, nec conſcientiæ, nec judicii divini ullam rationem habentes, *Pezel. in Gen. p. 481.* Thuan. l. 35 ad A. 1563. p. 285. *Adulterii capitale ſupplicium* (quod Aurenia in adulterum Landam & adulteram Codardam ſtatutum erat) in aulâ adeo male acceptum, *ut plerique ſumma impudentia palam teſtarentur, ſe à Proteſtantibus ſemper alienos futuros, & vel ob eam cauſam nunquam in eorum verba juraturos, qui adul-*

teriis huc uſque impunitis novæ & apud nos inauditâ ſeveritate pœnam capitis ſtatuerent.

6. *Principes graviſſime peccare, qui hoc ſceleſtiſſ.* Quod Judices ſæpe numero tàm ſegnes ſint in hoc enormi ſcelere puniendo, maximam partem oritur ex illo communi æquali jure, quòd in mundo jam creditur, viri & uxoris quaſi ſcilicet non plus liceat viro, quàm uxori, & quod illi licet, huic etiam liceat: Cum vero Judices delictorum juventutis memores ſint, & adhuc non raro durante conjugio, ſcortationibus (quæ Polygamia conceſſa multum ceſſarent, præſertim, ſi Magiſtratus eo laborarent, ut retinerent eos, quæ ſemel placuerunt) & cupiditatibus ejusmodi ſint obnoxii, non adeo taxant & puniunt, quorum ipſi ſunt rei juxta tritum:

Turpe eſt Cenſori, cum culpa redarguit ipſum.

Et de his conqueritur Oſiand. c. 31. *Hodie*, inquiens, *leviter adulteria in multis locis puniuntur, & ubi etiam ſeveriſſimæ ea de re leges habentur, tamen carent fere executione*, ideo Deus totas regiones punit variis calamitatibus, quia Magiſtratus in ſuo officio hac in parte negligenter agit. conf. & *Oſiand. in Deut.* 22. 22. it. *Vit. Dietr. in Deut.* 22. Si punirentur adulteri capitaliter, non opus eſſet tot quæſtionibus de adulterio ventilandis, ait *Luth. in Dipnoſ.* p. 466. conf. *Gerb. tr. de Lege Dei* §. 164. p. 229. vid. *Franz. de Interpr. ſcript. p.* 267. ubi ait: *Nulla ratione ſcortationibus & adulteriis Magiſtratus ponet impedimenta, & obicem majorem, quàm ſi coget.* &c. & ut *non patiatur adulteria redimi pecunia & muneribus.* poſteà addit autoritatem & judicium Lutheri, Philippi, Sehneidewini, Beuſtii, Marbachii, Haſenrefferi, quæ ibi peti poſſunt. vid. *Luth. t.* 2. *Germ. f.* 197.

7. *Quin imo ipſi Moſi*, Hunc *valde rufum* Beidavi & Rodericus *Ximenez* Archiepiſc. Toletanus *hiſt. Arab. c.* 5. deſcribunt. Multis autem inſignitus fuit nominibus Præter nomen enim Moſis Ægyptiacum à Regis Ægypti filia impoſitum, ut docet *Hatting. Exerc. Anti-Morin. p.* 48. *R. Gedalia* Schalſch Haccab p. 11. varia ipſi tribuit: *Biennio elapſo* inquiens, *adduxit eum mater Pithia filia Pharaonis, appellavitque nomen ejus* Moſeh. *Pater ipſum vocavit* Chaber, *mater* Jekutiel, *ſoror ejus* Jether, *Frater ejus* Abi-Zaunach, *Kehath nuncupavit eum* Abi-Socco. *Iſrael* Schemaja, filium Nathanael. *Alias dictus fuit* Tobia, *ſæpe* Schemaia *non rarò* ſcriba, *quæ omnia explicationem habent allegoricam. Ægyptii vero vocarunt* Honios. Sic Hieronymus t. 4. p. 115. Quæſt. ſive tradit. Hebr. in Paral. diverſa recenſet cognomina. *Nomina* inquiens *quæ ſequuntur pene omnia Moyſi nomina intelligi volunt; quia ideo* Jared *dicitur i. e. deſcendens, quod è monte deſcenderit: pater* Sedor i.e. ſeſipum, *eo quod quaſi quadam ſepis lege circumdederit populum.* Heber, junctor, *eo quod populum Dei ſervitio junxerit.* Patrem Socho, i. e. prophetiæ, *eo quod ipſe ſit Doctor Prophetarum.* Icuthied i. e. ſperans in Deum, *eo quod ſpem habuerit liberandi populum de Ægypto. ſive quod ſpe parentum de aquæ periculo* liberatus ſit; Patrem Zonah, *qui interpretatur* Gubernator; *eo quod magnam populo in eremo gubernationem exhibuerit, ſive quod doctrinâ ſuâ quotidie gubernaret.* Iſabar Ali Syrus ipſe quoque Moyſis trinominis meminit: *Moſe Propheta explicatur* liberatus ex aquis. *Vocatus eſt die, quo circumcidebatur*, Palthiel i. e. libera me Deus. *In Sidra libri Paralipomenon* Jamehil, *quod nomen in circumciſione accepit, ſignificat autem*, regnare fecit Deus. Sicuti autem permulta ipſi aſſignantur nomina, ita etiam multa miranda de eo tradunt *Beidavi, Elmacinus*, præſertim *Keſſæus, in Vitis Patrum*, qui ad deſcribendam Moſis vitam, & res geſtas, mortemque omnes Rabbinorum carbones comportaſſe videtur. Inter alias vero fabulas quandam habet de nodo linguæ, quo impeditus animi ſui ſenſa non potuerit exprimere p. 93. & de reſipiſcentia Pharaonis, morti jam vicini ſic ſcribit p. 94. *Cumque jam moriendum ſibi & ſuffocatione pereundum certo videret, dixit*: Credo in Deum, in quem credunt filii Iſraël, ſumque ex Moſelmannis: *Reſpondit vero Gabriel: Tu utique ante rebellis fuiſti, & ex corruptoribus. Proinde inſpectantibus Iſraëlitis ſuffocatus periit.* Fabu-

bulam quoque redolet, cum Judæi Mauritanienſes aliique Arabum, Hiſpanienſes quoque & Chaldæi in *Num.* 12. 1. illa verba: *Et locuta eſt Mirjam & Aaron contra Moſen ſuper cauſam mulieris Æthiopiſſæ, quam duxerat*, de divortio explicant. Quod & Gloſſa *Iarchii* facit, & Paraphraſis Onkeli ita habet; locuta eſt Mirjam & Aaron contra Moſen propter negotium mulieris pulchræ, quam duxerat, quoniam uxorem pulchram, quam duxerat, repulit ſeu divortio ejecerat. Alii hanc Ziporam putant fuiſſe, atque Æthiopiſſam nuncupatam (vid. *Abulenſ. & Paul. Fag. in Comment. ad Chald. Paraphr. Num.* 12. *Druſ. ad loca diffic. Ex. c.* 52.) ſive ob pulchritudinem ſingularem nigredine ſic deſignatam, (unde & Chaldæo & Paraphraſtæ Hieroſolymitano *pulchram* dictam) ſive ex eo, quod etiam Midianitæ, quorum è gente Zipora erat, Æthiopum nomine, velut Septentrinaliorum ſubinde venirent, uti ex 2 Chron. 14. probat *autor Quæſtionum in Numeros*, quæ tribuuntur *Auguſtino*. vid. & *Bocchartı Phaleg. l.* 4. ubi Kuſchim eſſe Arabes latè oſtenditur. *Num.* 12. *v.* 1. verò vocatur Kyſchith. Rabbinicus vitæ Moſis ſcriptor à Gaulmino editus Pariſiis ſub tit: Dibre Hajanim. Hamoſche 1629. Necani Æthiopum Regis demortui uxorem Moſi nuptiis conjunctam tradidit, ſed ita, ut *Moſes fœderis memor non* attigerit eam, ſed gladium inter ſe & ipſam poſuerit, ne cum ea peccaret. Flavius Ioſephus Archæol. l. 2. c. 5. memorat Tharbin Regis Æthiopum filiam ductam à Moſe. Verba ita ſe habent: *Moſes divino reſponſo à Pharaone adverſus Æthiopes creatus Ægyptii Exercitus Dux urbem Sabam, quam poſtea Cambyſes à ſorore Meroën appellavit, obſidere cœpit. Cum autem oppugnationi maxime ineſſet difficultas,* Tharbis *Æthiopis Regis filia, veluti alia* Niſi Scylla *à muris Moyſen adhuc juventæ flore pubeſcentem conſpicata, adeo ejus amore incaluit, ut per ſecretos nuntios polliceretur*, ſe urbem daturam, ſi ſe uxorem duxiſſet, neque ultra Æthiopem aliquem occideret. *Aſſenſus Moyſes atque urbem ingreſſus Æthiopes magna peracta cæde, Tharbin poſteà in matrimonium duxit, neque poſt deſponſationem factam ultrà quenquam occidit: tempus, quo cædes præfiniebatur, arbitratu ſuo interpretatus.* Quanquam vero hanc hiſtoriam, ceu fabuloſam *Auguſtinus Chiſamenſis* apud *Sixt. Senen. Bibl. Sanct. l.* 5. *ann.* 123. rejiciat, nil tamen video cauſæ, cur non ſicut in aliis, ita etiam in his Ioſepho tribuenda ſit fides aliqua hiſtorica, licet in ipſis ſcripturis ſacris vel in vita Moſis à *Philone* conſcripta, vel *in Eutychii annalibus*, vel in *Artapano* apud *Euſebium de præpar. Euang.* talis matrimonii nullum extet veſtigium. Neque enim omnes hiſtorici omnia conſcribunt. Curtius non omnia, quæ alii de Alexandro M. referunt, continet. Quamvis cum nullo contentionis ſerram hanc ob rem reciprocare deſidero, cauſæque Polygamicæ nil decedit, ſive Moſes fuerit Monogamus ſive bigamus.

THESIS LXXV.

UTcumque vero ſe res hic habeat, (non enim diſputabimus, de veritate hiſtoriæ) certum eſt, veteres regulariter maximi feciſſe obſervationem præcepti, de multiplicando humano genere in Geneſi dati. Unde Thalmudici in Sulcan, Aruch, lib. Abenhæzer, c. 1. Gemar. Babyl. ad Tit. Jabimoth. c. 6. f. 64. aiunt: *Nemo eſt hominum, qui non obligatur ad uxorem ducendam, ut creſcat & multiplicetur genus humanum. Etiam & quicunque Iſraelita* (modo vir revera fuerit)

li-

liberis operam non det, eſt velut homicida. Quin & ſimilitudinem, (quia creatus eſt homo) minuit, aeque in cauſa eſt, ut Majeſtas divina, ſeu Spiritus Sanctus recedat ab Iſraele. Scilicet neceſſitatem matrimonii præcepto illo fructificandi, ſeu multiplicationis eo uſque ſanciri docuerunt, ut ita eo teneri voluerint omnes maſculos, adeo ut quicunque vigeſimo ætatis anno expleto uxorem non duxerit, eum in illud committere ſcribant, niſi aut aſſiduo legis ſtudio incumbat (quod Chriſtus appellat caſtrare ſe propter regnum cœlorum) acriori libidinis ſtimulo immunis, aut partium, quibus viri ſumus, defectu generationi impar ſit. Ubi horum neutrum in cauſa, uxorem ducendam.

Ita ſimiliter & nos ſtatuimus cum Rabbinis, præceptum illud de multiplicando ad omnes ſeu univerſos Noachidas pertinere' inſuper addentes *ne quidem propter ſtudium legis aut regnum Dei*, (quod Chriſtus quidem recenſet ut priorem caſtrationem ab hominibus aliis factam, non vero approbat) *licere cuipiam ſe caſtrare.* Regnum enim *gratiæ* tantum abeſt, ut inferat vim *regno naturæ* aut ipſam aboleat naturam, ut potius illam ceu ſibi maxime convenientem confirmet, utpote ſine quo, regno puta naturæ, regnum gratiæ nec extrui nec propagari poteſt. Ex quibus ſatis patet, *nefas eſſe maximum, maſculos evirare*, eoque commendanda lex Domitiani de non caſtrandis maribus. *Sueton. Dom. cap. 7. Statius* IV. *Sylv. qui fortem vetat interire ſexum.* Poſt quod edictum ſolitam prius peti veniam à principe vel præſide provinciæ, ſi quis vel ſe, vel alium vellet evirare docet *Caſaub. ad l. Suet. ex Juſtini Martyris Apologia* 2. vid. *Deut.* 23. 1. *Joſeph. Arch.* 4. 8. & l. 27. §. 28. *D. ad L. Aquil. Novell.* 142. & ibi. *Dion. Gothofr. l.* 4. §. 2. *l.* 5. *D. ad L. Corn. de Sicar. Euſeb. de Præpar. Eu. l.* 6. *c.* 8. ait *In Syria & Oſroene ſunt etiam Galli, & in Phrygia matri deum multi abſcindebantur. Deinde Rex Abgarus omnium quoque manus qui id agebant, abſcindi juſſit, nec quisquam poſtea in Oſroene virilia ſibi amputavit.* Quo pacto vero Hermotimus ultus fuerit Panionium à quo exectus fuerat, vid. *Herodotum Urania.* Quare autem Reges Orientis potiſſimum inter miniſteria ſua aſciſcere Spadones amaverint, docet, *Xenoph. Cyrop.* 7. *Heliodorus* quoque *Æthiop.* 8. περσῶν βασιλείαις αὐλαῖς ὀφθαλμοὶ καὶ ἀκοαὶ τὸ εὐνούχων γένος, οὐ παίδων, οὐ συγγενείας, τὸ πιστὸν τῆς εὐνοίας μεθελκούσης, ἀλλὰ μόνου τοῦ πιστεύσαντος ἀναρτώσης. *Perſarum regiis aulis oculi ſunt & aures Eunuchorum genus, qui cum neque liberos neque cognatos habeant, quibus eorum animi devincti eſſe poſſint, pendent ex eo ſolo, qui ſe illis credidit.* Præterea etiam notari poteſt illud apud *Eundem* l. 9. ἔχει τι ζηλότυπον τὸ εὐνούχων γένος· τῶν γὰρ ἀπεστέρηνται, τούτων εἰς κώλυμα τοῖς ἄλλοις προβέβληνται.

Habet quiddam Zelotypum eunnchorum genus, quibus eſt enim ipſum privatum, ad hæc aliis prohibenda objicitur. Neque minus probanda eſt *moralis caſtratio*, id

eſt

eſt *cœlibatus ſive ſponte electus*, ſive legibus impoſitus, qualis eſt coactus clericorum cœlibatus, qui mundum replevit libidinibus prodigioſis. Nec inconcinne *Monnerus de Matrimon.* c. 3. p. 9. *Non poteſt, non debet prohiberi conjugium, æque ac terra prohiberi non poteſt, ne ſuo tempore germinet, non ſit fœcunda & frugifera. Non ita condita eſt à Deo.* Et Capitibus aliquot probat prohibitionem illam clericis factam adverſari 1 *Juri Naturæ*, quod immutabile eſt, & quo natura inſtigatur ad connubium. Hinc enim deſcendit maris & fœminæ conjunctio nec ille inſtinctus aut illa obligatio ullis evelli poteſt humanis legibus. 2. *Juri divino.* quod textus (*unusquisque habeat uxorem* 1 Cor. 7. 2, 3. τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι. Hebr. 13. 4 non tantum ex omni parte ut *Franc. Veren. in Method. Veron.* c. 6. p. 148. Sed inter omnes homines. *Oportet Epiſcopum. eſſe uxoris unius virum.* 1 Tim. 3. Tit. 1. *Diaconum habere probam uxorem & morigeros infantes.*) & exempla evincunt Enos, Gen. v. 9. Noæ. v. 32. Abrahami 11. 29. Iſaaci 24. Jacobi 29. Moſis Ex. 11. *Summus ſacerdos virginem ducat*, Lev. 21. Prophetas omnes excepto Jeremia & Apoſtolos vixiſſe in conjugio Ignatius teſtatur. Ex libris Clementis patere, quod Petrus fuerit uxoratus & ipſe Paulus. uti de Petro Paulus teſtatur: *Nunquid non ego & Barnabas habemus poteſtatem ſororem circumducendi, ſicut & reliqui Apoſtoli & Fratres Domini & Cephas*, 1 Cor. 9. 5. 3. *Juri Civili Juſtinianeo*, in quo conjugia clericorum approbantur eorumque uxoribus & liberis privilegia etiam indulta leguntur *l. 2. 5. Sin. C. de Epiſc. & Cler.* vid. *Novell. 6. quomodo oporcal.* cap. *Nos autem.* 5. *& Novell. 22. de nupt. cap. ſed & ſi quis Novell.* 123. *c.* 12. Addi poſſunt *Receſſus Imperat. A.* 1530 **Und ſollen die Prieſter.** *Receſſ. A.* 1555. **und nach dem.** *Conſtitutionibus Imperatorum.* In Comitiis Spirenſibus Clericorum nuptiæ non pronuntiantur irritæ. Et in Conſtitutione Ratisbonenſi conſcientiæ relinquitur uſque ad generale concilium. Queſti ſunt hac de re Proceres Imperii in Comitiis Norimb. An. 1523. Fatentur hoc Cardin. Campegius v. *Schleidan.* l. 4. hiſt. & Legatus Bavaricus in Orat. ad Patres Conc. Trid. vid. *Petr. Suav. hiſt. Conc. Trid. & Balæus cent.* 3. 8, 9. 5. *Innocentius* IV. Pontifex Maximus fatetur matrimonium jure divino non prohibere ſuſceptionem Sacrorum ordinum *in c. placet. Extrav. de Converſ. Conj. v. Cap. Lex Continentiæ* 10. *diſt.* 31. *Et cap. de Syracuſæ* 10. *diſtinct.* 28. Quod cœlibatus ſacerdotibus ſit neceſſarius, ex Scriptura probari non poſſe concedit *Panormitanus in c. licit. Extra. de Elect.* vid. *Platina* in *Pio* II. qui eſt *Æneas Sylvius.* qui jam Papa intrepide dicebat: *Sacerdotibus magna ratione ademptum eſſe conjugium, majori autem reſtituendum eſſe.* Nec antiquiores Canones Clericis prohibent nuptias v. *C. qui ſine 5. diſt.* 26. Ex Ambroſio: *qui ſine crimine eſt unius uxoris vir, tenetur ad legem ſacerdotii ſuſcipiendi.* Et c. *ſi quis* 16. *diſt.* 28. *Si quis diſcernit. Presbyterum*

conjugatum, tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo ſe abſtinet, anathema ſit. add. C. *Nicæa* 12. c. quoniam 13. Si quis diſt. 31. *Si quis igitur præſumſerit contra Apoſtolicos Canones aliquos Presbyterorum & Diaconorum privare contactu & communione legalis uxoris deponatur. c. Epiſcopus* 34. *cauſ.* 12: *q.* 2. ubi agitur de bonis, quæ Epiſcopus reliquit, qui filios habet. Vide inſuper *lib.* 8. *Matrimonialium Matthæi Monachi Tom.* 1. *de Jure Græco Romano Leuencl* p. 514. *Canon. Sanctorum Apoſtolorum Quintus Epiſcopum vel Presbyterum vel Diaconum, qui uxorem ſuam prætextu religionis ejicit, tantiſper ſegregat, donec eam ad ſe receperit, perſeverantem autem deponit.* Præterea additur pag. 512. *Tertius Canon Sancti Martyris Dionyſii Epiſcopi Alexandrini Sacerdotes ſibimetipſos dat idoneos judices, cum ad reverenda acceſſuri ſunt myſteria, ab uxoribus abſtineant, ex communi tamen conſenſu ſecundum verbum hoc magni Pauli: Maritus non habet proprium corpus in poteſtate.* Et præter canones etiam recentiores canonici ſcriptores fatentur, uti *Morrius* JCTus canonicus *tr. de divort.* p. 1. c. 2. p. 14. luculentis verbis fatetur, conjugium non repugnare per ſe ordini, ſed ex ſolo decreto Eccleſiæ. Pulchrè etiam inter Canonicos diſſerit *Georg. Vicelius part.* 1. *Typi Eccleſ. c.* 44.

An ſufficientes cauſæ ſubminiſtrari poſſint, ob quas clericis prohibendum ſit matrimonium, ſe aliis judicandum relinquere. Judicent inquit omnes homines, quales hinc fructus pervenerint in Chriſtianiſmum. Scripta Pauli 1 *Tim.* 3. *Tit.* 1. ſatis teſtari quid tempore Apoſtolorum fuerit in uſu. Et poſt Prophetas & Apoſtolos ſupra recenſitos dicit, *ſanctiſſimos Epiſcopos habuiſſe conjuges ſuas*, ſicuti & Presbyteros. Quales fuerint *Dionyſius Fauſtinianus*, *Silverius*, *Tertullianus*, *Hilarius*, *Spiridion* & alii multi, quos ibi recitat. Ubi & citat *Paphnutium*, *Sextam Synodum*, *Gangrenſe Concilium*, *Neocæſarienſe.* Et ut ordine proponatur ante Concil. Nicenum ſacerdotum cœlibatum improbarunt *Ignatius Epiſcopus Antiochiæ Epiſt. ad Philad. Dionyſius* Corinthiorum Epiſcopus *Ep. ad Gnothos.* v. *Euſeb.* l. 4. H. E. c. 23. *Clem. Alex.* 3 *Strom.* c. 10. *Cypr. l.* 2. *Ep.* 2: *Orig. l.* 2. *in Matth. c.* 23. Præterea *Synodus Ancyrana*, *Neocæſar. Concil.* In concilio Niceno Patres 318. ſubſcripſerunt ſententiæ *Paphnutii* viri ſanctiſſimi, qui ex ſacris literis docebat, *honorabile eſſe conjugium in omnibus & torum immaculatum.* Poſt Conc. Nicenum idem ſentiunt *Chryſoſt. in* 1. *ad Tim. Epiphan. Panar. Hær. Melius eſſe uxorem ducere, quam occultis jaculis ſauciari.* Ambroſius citatur in ipſo jure Canonico: *Virginitatem ſuaderi non imperari poſſe.* Sic Vir Magnus *Caſſander Conſult. art.* 23. fatetur graviter à poſteris eſſe peccatum, qui veterem de cœlibatu ſacerdotum conſtitutionem multis in laqueum verterunt. Hinc graviſſima ſcandala extitiſſe in Eccleſia (nota eſt *piſcina Romana*, ex qua ſex millia capita infantum extracta ſunt) Tutius eſſe relaxare hoc ſtatutum more

re veteris Eccleſiæ & Eccleſiarum Orientalium. Honeſtos ac pios maritos ad conjugium admittendos, juxta canonem ſextæ Synodi Generalis. Conjugium poſt ordinationem non prohiberi jure divino, ſed duntaxat *ſtatuto Eccleſiæ.* Epiphanium aſſerere in locis nonnullis ſua ætate Presbyteros & Diaconos liberos gignere. Non audiendum novum dogmatiſten in Italia, intelligit Franc. Turrianum, qui contra veterum & recentiorum ſententiam affirmare auſus ſit, quaſi cælibatus ſit ordini Sacro de eſſentiâ & jure divino injunctus. Hactenus Caſſander. Unde *Concil. Tridentinum Seſſ.* 14. *Can.* 60. de cœlibatu ſacerdotum loquens ne gry quidem habet de jure divino, ſed tantum loquitur de obſtante lege Eccleſiaſtica & voto. Quo ſatis docet, quam ruinoſo fundamento ſuperſtructum, & quod contra verbum Dei grave onus ordini ſacerdotali imponatur, quod nulli Chriſtiano ferri fas eſt. Actor. 15. 10. *quid tentatis Deum imponendo jugum ſuper cervices diſcipulorum?* Luc. 11. 16. *Væ qui oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt.* v. Matth. 23. 4. Gal. 11. 4. Coloſſ. 11. 16, 18, 21. Interdictum conjugii origine diabolicum, 1 Tim. 4. 3. *Jus Canonicum* & in illo Epiſtola Damaſi Papæ diſt. 66. c. Oſius. narrat quod Oſius Papa fuerit filius Stephani Subdiaconi. Bonifacius Papa filius Jucundi Presbyteri. Felix Papa filius Felicis Presbyteri. Ergo *Presbyteri* in Occidente quamplurimi fuerunt conjugati. Imo & Romæ quod Platina oſtendit in vitis Pontificum. In Concilio *Florentino* cautum fuit, ut Græcis ſacerdotibus libera relinquerentur conjugia. Duriora vero Canonici juris decreta, quæ cum magna importunitate Eccleſiis maſculè licet ſe opponentibus fuere obtruſa, nunquam ab aliqua Synodo Univerſali approbata, ſed hæſerunt intra Synodorum Provincialium & Epiſcopalium vepreta, alibi ſpreta. conf. *Sleid. l. ult. hiſt. Petrus Suavis Hiſt. Trident. l.* 8. qui docent, quod Imperator, Dux Bavariæ, Epiſcopi in Germania publicis poteſtationibus Concilio Tridentino contradixerint. Quod etiam fecerunt *Alphonſus Virveſius* Hiſpanus, *Fabricius Leodius, Georg. Caſſander* & in Gallia *Claudius Eſpencæus,* & *Iodocus Clichtovæus.* Et totius Dalmatiæ primas *Marcus Ant. de Dominis l.* 2. *de Rep. Eccl. cap.* 10. *Joan. Hofmeiſterus Jud. de Auguſt.* Conf. *Eraſmus Ann. ad Matth.* 19. *&* 1 *Cor.* 7. Quid *Mantuanus* de *Hilario* Pictavienſi Epiſcopo?

Non nocuit tibi progenies, non obſtitit uxor
Legitimo conjuncta toro. non horruit illa.

Tempeſtate Deus thalamos. vid. *Polyd. Virg. v. Rer. Invent. c.* 4. *Balæum Cent.* 4. *c.* 1. Noti ſunt rythmi, quibus exagitatur hæc prohibitio:

Priſciani Regula penitus caſſatur
Sacerdos per hic & hæc olim declinabatur
Sed per hic ſolummodo nunc articulatur,
Cum per noſtrum præſulem hæc amoveatur,
Paulus ad cœlos rapitur ſuperiores.
Ubi multas res didicit ſecretiores
Ad nos rediens, inſtruensque mores
Suas *inquit, quilibet habeat* uxores.

Quod vero ſeras, quantum ex Geneſi cognoſcitur, primævi ſeculi generationes attinet, ne illi non ſatis tempeſtive aut opera ſatis data præcepto multiplicationis obtemperaſſe videantur, animadvertere licet, quod habet Auguſt. 15. de Civ. c. 15. de eorum prole aut generationis tempore locutus: *Aut tanto ſerior*, inquit, *fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius majori annoſitas, aut quod magis video eſſe credibile, non hic primogeniti filii commemorati ſunt, ſed quos ſucceſſionis ordo poſtulabat, ut perveniatur ad* Noe, *à quo rurſus ad Abrahamum videmus perventum.* Et paulo poſt: *Porro autem Seth quando natus eſt, non quidem ſunt taciti anni patris ejus. Sed jam genuerat alios. Et utrum ſolos Cain & Abel, affirmare quis audeat. Non enim quia ſoli nominati ſunt propter ordines generationum, quas commemorare oportebat, ideo conſequens videri debet, ſolas fuiſſe tunc generatos ex Adam. Cum enim ſilentio coopertis omnium nominibus cœterorum, legatur eum genuiſſe filios & filias Gen.* 5. 4. *quota fuerit iſta proles ejus, quis præſumat aſſerere! ſi culpam temeratis evitat? Deinde quod ſcriptum eſt vixit autem Seth* 205 *aut juxta Hebr.* 105. *annos & genuit Enos quis poſſit niſi inconſideratus aſſeverare huic ejus primogenitum fuiſſe. Ut admirantes merito requiramus, quomodo per tot annos immunis fuerit à connubio ſine ullo propoſito continentiæ, vel non genuerit conjugatus quandoquidem etiam de ipſo legitur; & genuit filios & filias, & fuerint omnes dies Seth.* 902. *annis & mortuus eſt. Atque ita deinceps, quorum anni commemorantur, nec filios, filiasque generaſſe reticentur. Ac per hoc non apparet omnino, utrum qui nominatur genitus, ipſe fuerit primogenitus: imo vero quoniam credibile non eſt, Patres illos ætate tam longa aut impubes fuiſſe, aut conjugibus caruiſſe vel fœtibus, nec illis eorum filios primos eis natos fuiſſe credibile eſt. Sed cum ſacræ ſcriptor hiſtoriæ ad ortum vitamque* Nohæ, *cujus tempore diluvium factum eſt, per ſucceſſiones generationum notatis temporibus intenderit pervenire, eas utique commemoravit, non quæ primæ ſuis parentibus fuerint, ſed quæ in propagationis ordinem venerint. Cujus rei exemplum ſubdit luculentum ex Chriſti apud Matthæum genealogia, ubi ut ſervetur ſuccedentium ordo, Abraham dicitur genuiſſe Iſaacum, hunc Jacobum, Judam, Phares, & Zaram, quorum nullus genitori primogenitus. Et de Adamo exempli gratia ajunt ex veterum traditione nonnulli,*

non ſolum ſtatim à creatione ſaltem ab egreſſu è paradiſo operam liberis eum dediſſe, ſed & Cainum cum filia gemella unica & Abelem cum binis gemellis ex Evæ ſuſcepiſſe. vid. Selden. de Jur. Nat. v. c. 3. ubi plura adducit de præcepto multiplicationis exactiſſime inter Judæos obſervato, & de pœnis à Gentibus impoſitis illis, qui nuptias vel neglıgebant, vel differebant. Singulariter vero notandum ibi adductum Rabbinorum præceptum: *quicunque negligit præceptum de multiplicatione humani generis, habendum eſſe veluti homicidam.*

1. *Acriori libidinis ſtimulo immunis.* Sicuti multi labores Veneri ſunt impedimenta, ut ſupra ad th. 55. n. 4. monſtravimus, ita etiam, qui liberis nimium impalleſcunt, à Veneris telis magis ſunt liberi, uti non adeò improbabile ſit Monachos ſtudiis defixos non tantas ſentire carnis uſtiones, præſertim ſi pluralitas precum & devotio major quàm in laicis, uti gloriantur accedat. Quemadmodum de Jeſuitâ *Franciſco de Villâ nova in Hiſpania a.* 1619. *mortuo* narrant, quod ſæpe viſus à ſuo contubernali nocte mediâ geniculans & manibus in terga religatis, furis inſtar, oraſſe vehementiſſime. Si funis, pœnitentiæ ſignum, fuiſſet adjunctus, major humilitas. Manus quidem attollendæ ſunt 1 Tim. 11. v. 8. ſed ſæpè peccatorum magnitudine & multitudine aggravantur, uti opus ſit aliquo Hur aut Aaron, qui manus ſuſtentet; ſed non omni clerico licet eſſe tàm beato. *Geneal. Mar.* 5. *Maj. p.* 559. Sic de Rudolpho Epiſcopo Eugubino legitur, quod monachus ſæpè funem ſuperiori cellæ parti alligarit, & ita pendens contra ſomnum quaſi orarit. *Geneal. Mar.* 27. *Jun. p.* 770. Sed adhuc major, eaque planè extraordinaria & imcomparabilis devotio fuit in Philippo Nerio, Fundatore Congregationis Orator. Florentiæ, qui cum alii orent, ut devotio illis donetur, contra aqua opus habebat, ut ignem illum intenſiſſimum amoris divini aliquo modo temperaret, ne penetrantiſſimis illis charitatis radiis conſumeretur. Hieme intenſiſſima, apertis feneſtris & portis, ille nihilominus in toto corpore, ferviđiſſimo amore, uti ſanctus in Cœlo, incenſus per quinquaginta integros annos ardebat ut ſæpè coram altari exiliens præ calore ſe ſuſtentare manibus altari affixis cogeretur, quando Euchariſtiam lacrymis profuſiſſimis accipiebat: Sæpè inter preces exclamabat: *O Ieſu, recede à me, moriendum eſt mihi præ amore. O Ieſu, non poſſum diutius flammas iſtas perpeti. Extingu, O Jeſu; cor meum deficit, & contabeſcit.* In extollendo calice non poterat calorem amplius attrahere, ſed cor ſemper in corpore exiliebat, ita ut *duæ coſtæ*, uti poſt mortem videre licuit, quæ natura per miraculum tamen erant majores, fuerint *combuſtæ. Geneal. Mar.* 76. *Maj. p.* 647.

2. *Ne quidem propter regnum Dei licere cuipiam ſe caſtrare.* In priſca Eccleſia viri continentes & dono continentiæ divinitus inſtructi magno in honore fuerunt. Eam gloriam, ut ſunt humana ingenia ad æmulationem proclivia, multi tali dono continentiæ non inſtructi affectarunt. Alii itaque cum libidini mederi non poſſunt, ſemetipſos caſtrarunt. Cujus rei autorem habuerunt *Origenem Adamantium*, qui ex pravo intellectu verborum Chriſti, *Matth.* 19. 12. ſibi ipſi virilia amputavit *Euſeb. l.* 6. *c.* 7. Id factum imitati ſunt *Valeſii* in regione Philadelphica ultra Jordanem habitantes, qui autore *Epiphanio hæreſ.* 58. & ſe & hoſpites ſuos caſtrarunt, ut ita ſecum introducerent in regnum cœlorum. De *Leontio*, qui deinceps ab Arianis Epiſcopus Antiochenus factus fuit, ſimile refert *Athan.* quod ideo ſemetipſum executerit, ut libere ipſi cum Euſtolio fœmina juvencula verſari imo & dormire liceret. Errorem igitur hunc invaleſcentem ut compeſceret Eccleſia, ſynodo Nicena & Aretalenſi canones fuere compoſiti in eam ſententiam, quod ille, cui vel vi, vel in cunabulis, vel de medicorum conſilio metu imminentis periculi virilia fuerint amputata, à ſacerdotio repellendi. *Can. ſi quis à Medicis, cum duab.*

ſeq. diſt. 55. *c.* 3. *&* 5. *extrav. de corporis vitiat.* Similiter, qui volentes & carnali vitio repugnare fortaſſe cupientes ſeipſos abſciderint, quia ſui homicidæ ſunt ad clerum pervenire non poſſint. *Can. ſi quis abſciderit d. diſt.* 55. *Lancell. Inſtit. Jur. Can. l.* 1. *tit.* 25. § 23. Nempe duo hic recenſentur Eunuchorum genera. *exectorum à ſeipſis, & exectorum ab aliis.* Illi autem ab aliis execti duplices ſunt, ὑπ᾽ ἰατρῶν propter morbum & violenter. De thlibiis & thlaſiiis hic nihil, quemadmodum nec in Canonibus, qui dicuntnr Apoſtolici, in quibus tamen ratio redditur excluſionis ac depoſitionis, quia ſcilicet eſt ſui ipſius homicida. & Dei conditionis ſive potius opificii inimicus. can. 22. addi poteſt, quia res eſt odioſa. Nam Eunuchus eſt δυσοιώνιστον & δυσάντητον θέαμα, ſacris & ἀπὸ κοινῶν συλλόγων ἀποκλεισθεὶς. ut ait *Lucianus*, ἀμφίβιον τι ζῶον & κορώναις ſimile, αἳ μήτε περιστεραῖς μήτε κόραξιν ἐναριθμούμεναι. Unde *viros non viros* in Crypho vocat *Athenæus*. Balſamon ad *Canones Apoſtolicos* errat qui eos clero movendos vult, qui ob morbum execti ſunt, quod utique refellitur per *Nicænum Canonem*. Et in ſequentibus errat ejus interpres, qui vertit: *ſimiliter & eos, qui ante ſacerdotium absque morbo execti ſunt*, Nimis laxe. Contra enim ſtatuit Canon de exectis per barbaros aut Dominos. Balſamon rectè locutus eſt περιτεμόντας. Interpres ergo vertere debuit, quia à ſeipſis execti ſunt. Notatu autem digna eſt Balſamonis annotatio ad illum Canonem Apoſtolicum: πλείους δὲ ἀνθρώπων προσεκτικῶς ἔχει, διὰ νόσον μέλλοντες εὐνουχίζεσθαι, παῖδας ἑαυτῶν, Eccleſiam adire juſſerunt, & ἐκκοπὴν illam ſuam notam facere, ne ab ordinibus deinde ſacris, fortaſſis excluderentur. Conf. *Chriſtoph. Juſtell. in Cod. Can. Eccleſ. Univerſ. p.* 131. Ita & Cybeles ſacerdotes ſeipſos evirarunt, ut eo magis caſti eſſe poſſint. *Phil. Camer. hor. ſucciſ. p.* 1. *p.* 2. Unde factum, ut qui inter Chriſtianos caſtum deſiderant ſacerdotem, non aliter de ipſius ἀειπαρθενεύσαιτο potuerint eſſe certi, quam ſi execaretur. Sicuti de *Conſtantino* Imperatore legitur, quod Epiſcopum Conſtantinopolitanum, nomine *Germanum*, dubio procul hanc ob cauſam execari curavit. *Zonar. Tom.* 3. *L. Oſiand. Cent.* 7. *l.* 4. *c.* 6. *p.* 261. Et ſane niſi hoc fiat rara erit inter Monachos aqualiculos caſtitas, uti *Palingenius*, qui ipſe Monachus fuit, de hâc re ita *in Caneco p.* 76. ſcripſit:

Nemo quidem caſtè conſuevit vivere ſalvis
Inguinibus, niſi quem jam debilitat a ſenectus,
Aut languor gravis, aut animi dolor impedit ingens.

Quamobrem huic ipſi Poëtæ hoc caſtitatis medium non adeo diſplicuit, ſed conſultum putavit.

Monachos privari partibus illis,
Quas auferre ſolet criſtatis villica Gallis.

Cujus ſententiæ etiam fuit *Eraſmus Annot, f* 79. Mea ſententia clementius tractarent ſuos liberos infantes, ſi quos cœlibatui deſtinaſſent pueros, etiamnum curarent execandos, quàm ſi integros nolentes aut inſcios conjicerent in hoc libidinis incendium. Utut exectio non ſemper etiam ſit adjumento, ſi quidem libido & pruritus ſæpè remanet, ut Kaiſersberg. p. 208. teſtatur, & cupiditas carnalis interna. conf. Syr. 30. v. 21. Nonnulli igitur ut, caſtitatem ſervarent, *oculos* eruerunt, quia *objecta movent ſenſus*, & *ex aſpectu naſcitur amor*. Quemadmodum de *Democrito* legitur, quod utroſque oculos hanc ob rem evulſerit, ſiquidem juxta Ovidium:

Fortis equus viſa ſemper adhennit equa.

Similiter legitur de *Amiano*, quod unicum oculum ſibi tantum erui curaverit, uti *Paradoxa Hiſtorica* narrant p. 13. Quod etiam refertur de *Origene*, qui verba illa *Matth.* 18. *ſi oculus te ſcandalizaverit*, κατὰ ῥητὸν intelligendo *utrumque* ſibi evulſit *oculum*. ibid. p. 16. Aliud vero eſt, quando ſæpe inſidiatores caſtitatis cœcitate obruuntur. uti de *Dulcitio* Diocletiani præfecto narratur, quod tribus virginibus, quorum una *Agapis*, altera *Chirorta*, tertia *Irene* vocata fuit, inſidias poſuerit, ſed loco virginum forcipes & tripodes, aliasque res culinares immundiſſimas arripuerit, & oſculatus fuerit. *Geneal. Mar.* 16. *Dec. p.* 798. Alii inſigniter ſe deturparunt

ad

ad puritatem ſartam tectamque ſervandam, quia

Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ.

Uti de *Alexandro* Epiſcopo Comano conſtat, quòd præter animi dotes dona corporis etiam egregia per interceſſionem Mariæ obtinuerit, ſed humilitatis ergò, & omnis impudicitiæ in aliis accendendæ averruncandæ gratia *carbonarium* egerit, & à Gregorio, cœteros omnes Doctiſſimos viros rejiciente, in Epiſcopum ex divina revelatione electus fuerit. *Geneal. Mar.* 28. *Maj. p.* 654. Ita *Euphemia* ex voto parentum deſponſanda Comiti in templum ad Mariam confugit, & conſilio ipſius *naſum & labia* ſibi abſcidit, atque ita ſponſi amorem amiſit. *Geneal. Mar.* 24. *Dec. p.* 831.

3. *Regnum gratiæ non infert vim regno naturæ.* Peſſima eſt opinio Marianorum, quaſi non poſſint vivere in regno gratiæ cum tanto ſplendore, niſi ſeipſos caſtrent, & appetitum ad conjugium omnibus modis tollant. Hinc varia excogitarunt media, quibus gloriam caſtrationis propter cœlorum regnum acquirant. Inter quæ non minimum eſt illa veſana abſtinentia à carne, illisque qui indepro veniunt, ut ſunt ova, butyrum, adeps. Piſcibus vero, optimis, piperatis juſculis, & præſertim vino Malvatico (ſiquidem juxta illorum Brocardica, *liquidum non ſolvit jejunium*) ventrem replere, jejunio non præjudicare arbitrantur, memores forſitan illius: *Qui benè bibit, benè dormit, qui benè dormit, non peccat*, &c. Deo tamen non eſſe ingratum aſſerunt, ſi quandoque ſpirituales in clauſtris deliciis utantur. Unde de *S. Clarâ* referunt, quòd tempore Bacchanaliorum lautè ſorores excipere cum voluiſſet, Deum exoraſſet, ut virgo Maria ad monaſterium cum cophino, cibis referto, venerit. *Anton. Koberg. Leg. Clar. f.* 112. Sed omnia tempus habent. Interim & jejunia juxta regulas, cuilibet & monaſterio proprias ſervant. Unde *Gerſon Carthuſianos* laudat, quòd ſtrictiſſime regulas de non comedendis carnibus teneant, etſi ea propter moriantur & Lutherus t. 7. ſen. fol. 274. ſcribit, ſi vel maximè Medicus pro explorato habeat, juſculo carnis aut carnis fruſtulo ægrotum liberatum iri à morbo, Medico tamen non eſſe obſequendum, ſed potius moriendum. Quod etiam miraculis confirmant. Siquidem de *S. Nicolao* Toletano narrant, quòd Provincialis ipſum ad comedendas duas perdices cogere quaſi in ſummo morbo voluerit, ſed Nicolaus cruce ſignaverit illas aviculas, & illicò è patinâ evolarint. *Geneal. Mar.* 2. *Sept.* 313. Similiter de Nicolao Patarenſi, Epiſcopo Mircenſi refertur, quòd infans adhuc die Mercurii & Veneris poſt occaſum ſolis demum & quidem parum modoque ſemel è mammis maternis aliquid aſſumſerit; Ibi infans adhuc in cunabulis intellexit, non tantum à carne abſtinendum, ſed & ab omni, quòd è carne provenit, ut lacticinia ſunt; Unde non immerito dici potuit; Quid putas fore hunc infantem? *Geneal. Mar.* 6. *Dec.* 160. Majorem vero adhuc valorem habet jejunium, ſi in honorem Mariæ inſtituatur. Ita enim refertur de juvene Nobili, quòd ſe Diabolo conſecrârit, nihilominus, cum pœnitentiam agendo confeſſus fuerit, quòd decem annis non factum erat, hanc gratiam adeptus, ut à purgatorio fuerit liber. Et hæc gratia ipſi contigit, quia in gratiam Mariæ ſolitus eſt aquâ & pane jejunare. Quod ſi jejunium Satanæ devotos à purgatorio liberare potuerit, multò magis proderit ad domandas carnis cupiditates. Quod Gregorius VII. benè intellexit dum Chriſtianis carnem die Sabbathi, uti & caſeum, butyrum & ova tempore quadrageſimali prohibuit. *Werlich. Chron. Auguſt. p.* 2. *f.* 47. Alii æternæ caſtitatis ergò eligunt ὑπωπιασμὸν *Paulinum*, qui ſentiens palum in carne hoc modo dicitur etiam uſus. Sic legitur *S. Franciſcus* ob uſtiones carnis aliquando ſe exiſſe, & *chorda* quâ cinctus, ſeipſum immiſericorditer diverberaſſe, atque hoc pacto ab impuris cogitationibus liberatum. *Geneal. Mar. l.* 3. *c.* 10. & *l.* 9. *c.* 10. Similiter *Wilhelmus de Mundelheim* Præmonſtratenſis Ordinis ad domandam carnem non cilicio duntaxat, ſed & verberibus, ſi illud non ſuffecit uſus narratur. Geneal. Mar. 28. Mart. p. 390. Nec virgines Deo ſacræ hoc medium aſpernatæ. Ita namque Eliſabetha Piciverda Ordinis Servitarum B. Virginis, jejuniis, cilicio duriſſimo, Quo-

nâ ferreâ quatuor digitorum in corpote portatâ, & quoti dianis flagellis caſtitatem conſervaſſe dicitur. Geneal. Mar 19. Febr. 226. Similiter *B. Stephanam Soncinas* tertio anno virginitatem devoviſſe, & ſeptimo anno nuptias celebraſſe, atque ne ullo inordinato motu ſponſo ſuo, Chriſto nempe, diſpliceret, totum corpus ſpinis involviſſe acutiſſimis, & ita vulneratum horribiliter flagellaſſe perhibetur. *Geneal. Mar.* 18 *Sept. p.* 363. Eodem ferè pacto *S. Ritha* Auguſtiniani Ordinis A. C 1628. à Papa beatificata, & in numerum Divarum relata, ſuum corpus in nive & glacie circumvolutaſſe, & ſingulis diebus ter catenis ferreis & rudibus chordis ac ſcuticis ad ſanguinem uſque flagellaſſe dicitur & quidem primâ vice pro ſanctis animabus, altera pro Monaſterii benefactoribus, tertiâ pro mundi peccatoribus. Ubi ſimul aſcriptum, quòd *rigidiſſimum cilicium ex crinibus porcorum confectum* nunquam depoſuerit, niſi ob flagellationem *Geneal. Mar.* 30. *Jan. p.* 141. Multi adhuc ulterius progreſſi, & in gratiam caſtitatis digitos combuſſerunt, antequam uſtionibus carnis conſumi voluerint. Ita namque in *Doctrina Patrum de fornic. n.* 15. *Manh. Poſt. p.* 1. *l.* 2. *p.* 130. de Eremita pientiſſimo Ægypti narratur, quòd à meretrice amaſiis ſuis ſtipulatâ; ſe velle hunc pium ſeducere, ſi pecuniam traderent, in cellâ ſuâ tentatus fuerit, ut illa veſperi egreſſa ſe ad illam contulerit cellam, oransque ut nocturnis tenebris implicita errabunda intromitteretur, voti particeps facta fuerit, atque ita intromiſſa noctu clamarit, ſimulans præſentiam ferarum ipſam devoraturarum. Eremita fletu & precibus flexus ulterius interiora introduxit, & illicò uſtiones carnis ſentiens lychnum accendit, omnesque comburit digitos, ut illa eapropter attonita, ut lapis immobilis facta animam exſpirarit. Mane verò a maſiis venientibus & rem geſtam audientibus dixit: *malum pro malo non rependam.* atque ex templo è mortuis ſuſcitavit, illamque convertit ad melioremque frugem traduxit.

4. *Regnum Gratiæ non abolet naturam.* Si penes Marianos ſtaret, totam immutarent vel transſubſtantiarent humanam naturam. Ita nempe omnem movent lapidem ut totam lapideam, ἀναίσθητον inſenſatam & inſenſibilem reddant, juxta illud πολυθρύλλητον.

Aut Deus aut lapis eſt, qui non juveniliter ardet.

Quò faciunt illa ipſa media, hinc & inde paſſim adducta, quibus ipſum affectum amoris, & appetitum conjugii extinguere voluerunt. Inter alia verò etiam uſi ſunt, ut id obtinerent, cilicio duriſſimo præſertim Cappucini, aliique Mendicantes, qui nullo induſio gaudent, quod & in aliis etiam ſæpè fit ordinibus. Ita Canonicus Præmonſtrantenſis Ordinis *Wilhelmus de Mündetheim* cilicium portavit veſtitum. *Geneal. Mar.* 28. *Mart.* 390. Sic etiam Cornelius Vishavæus, Paranymphus Marianus ob multas Mariæ adductas virgines vocatus, ἀπ' ὀνυχίων ἁπαλῶν Mariæ caſtitatem voviſſe, eamque propter quatuordecim annis cilicio uſus rigidiſſimo perhibetur, *Geneal. Mar.* 19. *Apr. p.* 485. Et ne quis de hujus medii veritate dubitet, Maria ipſa Monachis ſæpe cilicia & veſtes alias pœnitentiarias conſuiſſe traditur. Siquidem *Thomas* Epiſcopus Cantuarienſis Angliæ ſimplici Paſtori de Mariâ legenti miſſam inhibuit, qui Mariæ hoc conqueſtus vocem Mariæ audivit talia proferentem: Abi ad Epiſcopum, & dic, ut hoc iterum permittat, & ſi credere non vult, in ſignum ipſi refer, quod hâc ipſa horâ ipſi, cilicium ruptum conſuenti, fuerim adjumento & illico fidem adhibebit. Dictum factum. *Geneal. Mar.* 29. *Dec p.* 851. Quamobrem multi à teneris cilicio aſſuefacti obduruerunt. Quemadmodum de Alexandra Bertius refertur quòd ſeptimo anno illud ad corpuſculum alias virgineum adhuc caſtigandum portare inceperit, & poſtea rigidiorem à confeſſario popoſcerit. Scilicet

Urit mature, quod vult urticam manere.

ſiquidem novennis membrum Societatis eſſe anhelavit, quod & obtinuiſſet, niſi adeò juvenis fuiſſet; Interim ita gratum fuit Mariæ ipſius propoſitum, ut literis impalleſcenti paginas inverterit, & in febri ardenti eteſiis gratiſſimis refocillârit, lectumque amœniſſi-

niſſimis floribus conſperſerit. *Geneal. Mar.* 28. *Apr. p.* 522. Nonnulli vero præter hæc media *nivem*, de qua ſupra ad th. 19. n. 13. vel etiam *pennas*, quibus ſe involvebant, elegerunt, uti de *Jacopone* hoc poſterius narrat *Geneal. Mar.* 30. *Dec. p.* 854.

5. *Nefas maximum maſculos evirare.* Judæi tantopere à *caſtratione*, etiam Noachidis juxta *R. Chidka in Gemar. Babyl. ad tit. Sanh. c.* 7. *f.* 56 6. vetitâ, abhorrebant, ut etiam uno ore pronuntient, ne quidem animal ex lege caſtrare licuiſſe. (*Gemar. Babyl. ad tit.* 7. *Chagiga*, *c.* 2. *fol.* 14. 6. *Moſes Mikolki precept. Neg.* 120. *Maimon. Halach Iſuri Biah. c.* 16.) aut qualiacunque *membra ſeminis* i. e. generationis præcidere aut infœcunda reddere. Verba legis ſunt Lev. 22. 24. *Quod eſt contuſum, compreſſum aut enervatum aut exectum* (quæ omnia vim generandi ſpectare volunt, uti & vulgatus & Helleniſtæ) *non offeretis domino*, quibus proximè ſubjungitur *in terrâ Veſtrâ non facietis*, ſeu ut vulgata, *& in terrâ veſtra non facietis*, atque Helleniſtæ *in terrâ veſtra non fiet*. Ubi *τὸ terrâ veſtrâ* minimè volunt præceptum ſibi terræve ſuæ propriam reddere, ſed ita intelligunt, ac ſi dictum fuiſſet, non facietis omnino contuſum, compreſſum, enervatum, exectum, quin nec in terrâ Veſtrâ ejusmodi quid patrabitis ſive in corpora Veſtra, ſive in aliorum quorumcunque hominum ſive animantium cœterorum corpora. Quod & diſerte habetur apud Flav. Joſeph. l. 2. Adverſ. Appion. In ſcripturâ nonnulli memorantur Eunuchi, uti *Abdemelechus* Æthiops, Spado Regis Zedekiæ Jeremiam è tetro carcere liberans. *Jerem.* 38. 7. Quidam volunt Nabucodonoſorem caſtrari, curaſſe *Danielem, Ananiam, Miſaelem & Aſariam*, & Alphenazo, Spadonum Magiſtro commiſiſſe, qui more ſolito nomina eorum etiam mutarit. *Dan.* 1. Sic Perſæ in urbibus Poconiæ ſub Dario R. formoſiſſimos pueros captos caſtraverunt & ad Regem Suſa transſportarunt. *Herod. l.* 6. Ita Amaſgorum & Alanorum Principes ex avaritiâ, parentibus abreptos pulchros ingenio & corpore filios eosque caſtratos vendiderunt Romanis. *Cuſpin.* *Hegeus*, eunuchus Perſarum Regis Artaxerxis concubinas comebat, ut ad Regem intromitterentur, Easdem ad Regem admiſſas *Saſagacius* in alterum Gynæcum mane recipiebat. *Eſth.* 11. *Vulgatham & Thares* Eunuchi contra Artaxerxen conſpirantes in crucem ſublati *Eſth.* 11. *Joſeph. l.* 11. *c.* 56. *Antiq. Athachus* Eunuchus, Eſtheræ internuntius ad Mardochæum, omnia Amanis conſilia, à Reginâ auxilio Dei everſa, retulit. *Eſth.* 3. Harbona ſpado, Sabulchades Joſepho, Artaxerxi R. Amanis conſilium indicavit. *Eſt.* 7. *Joſeph. l.* 11. *c.* 6. *Vagao*, Eunuchus *Holofernis*, Juditham ad convivium vocavit, & in eodem cum Holoferne tabernaculo concluſit. *Jud.* 12. 10. & Act. 8. 17. memoratur Eunuchus Reginæ Æthiopum Candaces, de quo tamen dubitant, an fuerit ſpado. Sæpe enim non caſtrati quidem vocati ſunt Eunuchi illi, qui Regiæ cuſtodiæ & januis Palatii præficiebantur. Item Cuſtodes & adminiſtri Reginæ, quomodo Demodochum teſtatur *Euſtathius*, Scholiaſtes Homeri l. Odyſſ. 3. fuiſſe Eunuchum Clytemneſtræ, & *Phemium* fratrem Penelopes. Sic in libro Judith *Vagao* quem *Gagoas* vocat *Joſeph. l.* 11. *Antiqu.* dicitur cuſtos cubiculi Holofernis & Q. Curtius ſcribit, ejusdem nominis Eunuchum nequiſſimum fuiſſe Alexandro M. uti & Herodi *Joſephus*. Autorque eſt *Plinius*, *l.* 13. c. 14. apud Perſas plerumque illud nomen tributum magni nominis viris. Imò addit *Tacitus l.* 6. nomen Eunuchi celebre fuiſſe. Affectantes unà cum teſtibus vitam quoque mutarent. *Suid.* qui & memorat, in ſtatua *Platonis* Eunuchi inſcriptum: *qui loco moverit ſita ſtrangulетur.* *Narſus* Eunuchus Juſtini à Cæſare monitus, ut ad colum penſum, & lanas rediret dixit: *ducam telam penſum & ordiar telam vobis vix explicabilem.* Potipharem, Danielem & ſocios ſcriptura etiam vocat Eunuchos, quorum tamen ille uxorem habuit, nec deſint, qui hos non fuiſſe caſtratos defendant, ſed vocatos Eunuchos translatâ vocis ſignificatione à caſtratis, quibus initiò optima quæque ac principalia Regum, Principum ve miniſtria credebantur, ad illos, qui his ſimilia negotia, tractabant; Ita Juſtinianus Imp. in *Novell.* 142. in genere præfectos Imperii cubiculis vocat Eunuchos. In Gentilium ſcri-

ſcriptis etiam multi numerantur Eunuchi. Ita *Sicinus* Eunuchus, Themiſtoclis filiorum Præceptor, ad Xerxen ſimulatâ proditione miſſus, Xerxen ad navalem pugnam cum Græcis ad Arthemiſcium induxit. *Herod. Arſaces* Eunuchos obſes memoratur *à Plut. in Them. Polyæn. l.* 1. *Front. l.* 2. *c.* 6. quòd per illum falſo metu Themiſtocles Xerxen fugere coëgerit. *Thyræus* fuit Eunuchus Statioræ Darii uxoris. *Plut. Alex.* Meſabathes Artaxerxis Eunuchus à Pariſati R. matre, ob Cyri caput & manum præciſos, more Perſarum & Regis juſſu excoriatus eſt. *Plut. in Artax. Hermias* Eunuchus ter venditus, Atarnites (à provincia Myſiæ ad Helleſpontum, cui præfuit, Regis Perſarum dicto audiens) ſervus Eubuli Bithini Principis & Philoſophi, ſcripſit animum eſſe immortalem, Ariſtoteli familiaris, cujus filiam adoptivam in matrimonium cepit, & utut Θλαδίας filium ex eâ Pythiadem ſuſcepit. *Suid. Ganymedes* fuit Eunuchus & nutricius Arſinoes. de quo Lucan. l. 10.

Et ſervo Ganimede dolis pervenit ad hoſtes
Cæſaris Arſinoe.

Ariſtonicus Ptolemæi R. Ægypti Eunuchus, cum R. educatus, ingenio militari, in bello multum & converſatione valuit & ſenſu communi, quod rarum, præditus fuit, & ad bene merendum propenſus. *Suid. Photinus* Eunuchus Ptolem. R. Ægypti. in gratiam Cæſaris victoris Pompejum interimendum ſuadet. Plut. in Pomp. de quo Lucanus:

Auſus Pompejum leto damnare Photinus.

Halotus Eunuchus Agrippinæ, & prægustator Cæſaris Claudii, ſuaſu Imperatricis boleto medicato dominum interfecit. *Sueton. Phavorinus* Philoſophus Arelatenſis, Hadriano Principi maximè inſenſus *tria* de ſe *mira prædicabat*, ſe *Gallum Græciſſare, Eunuchum mœchum putari, inimicum Imperatori vivere.* Volater. l. 16. Antrop. Erat illi nuda barbitio facies, vox acuta & tenuis: qualis fere Eunuchorum natura pernoſcitur, quos Alexander Cæſar tertium genus hominum pronuntiavit, nec videndum nec in uſu habendum à viris, ſed vix à nobilibus fœminis, tametſi barbaris uno fidei nomine fuiſſe integris eunuchos pretioſiores Herodoto credimus *Coel. l.* 19. 12. Hiacinthus & Prothus Eunuchi Eugeniæ, ſub Maximiano martyres. *Volaterr. l.* 16. *Anthropol.* Ita Parthenus & Calocerus Eunuchi Tryphoniæ uxoris Decii etiam ſub eodem Cæſare martyres facti. Notiſſimus eſt ille nequiſſimus Eunuchus *Eutropius*, Arcadii C. cubicularius, & Theodoſii præfectus, ſub quo genus Eunuchorum ob illius potentiam ita crevit, ut nonnulli Eutropii ſplendorem ſuſpicerent.

6. *Lex Domitiani de non caſtrandis maribus.* Quia multiplicatio ſobolis, populique conjugiique honor ad Magiſtratus officium pertinet, rectè faciunt, ſi caſtrationem prohibent; utpote quibus nuptiæ plerumque interdicuntur, ut illud explicatur Deut. 23. 1. *Non ingredietur compreſſione læſus ſeu Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis*, (ut vulgata) vel θλαδίας ut Helleniſtæ, *nec cui exectum eſt effuſionis membrum, ſeu Eunuchus abſciſſo Veretro.* ut vulgata ſeu ἀποκεκομμένος, ut habent Helleniſtæ, *in Eccleſiam Domini*, quod de nuptiis Iſraëliticis Rabbini ſumunt. & rationem hujus rei dat *Maim. in More Nebochim p.* 3. *c.* 49. *quia inutitilis eſt coitus ſeu conjugium tale, quin nuptiæ & ejusmodi tum ipſi virgini, eſſent offendiculo, tùm eis, qui in amorem eam pellicerent.* Interdictas autem volunt eſſe nuptias tantùm cum originariis non verò cum proſelytis juſtis & Libertinis. Deinde intelligunt non de *Eunuchis ſolis* ſeu à Numine factis vel natis, ſed duntaxat de *Eunuchis hominis*, ſeu ab homine caſtratis. *Maimon. Halach Iſchot c.* 2. *Halach Iſuri Bia c.* 16. *Moſes Mikolzki præc. Neque* 118. *Sulcan. Aruch t. Aben haazer c.* 5. Adde *Fileſac. Select. l.* 1. *c.* 11. Quemadmodum & *Joſeph. l.* 4. *Orig. c.* 8. de Gall's ſeu caſtratis legem intelligendam disertè docet; licet non tàm de nuptiis eorum Iſraëlitidibus tantùm interdictis, (ut Thalmudiſtæ) quàm de conſortio eorum qualicunqne abhorrendo eam intereà capiat. Primum autem vocabulum in textu legis capiunt pro cui teſticuli ita colliſi fuerint, ut nec generationi par fuerit, alteram verò vocem pro eo cui virile membrum abſciſſum; aut adeo mutilatum, ut itidem in-

inde ſit impar generationi. vid. *Miſna Gemar. tit. Jabimoth. c. 8. Babylon. 75. 76. & Hieroſolymitan. fol. 9. col. 1.* Cœterum quis *primus* caſtrationis *autor* fuerit, non certò conſtat. Alii volunt *Semiramidem primam* caſtraſſe *mares*. Alii Perſarum & Medorum inventum exiſtimant, alii Ægyptiorum. vid. *Ammian. l. 14. Xanthus Lydius in 2. Lydiacorum Gygem* omnium Principem, dum Lydis imperaret, γυναῖκας ἐυνουχίσαι i. e. *mulieres Eunuchas feciſſe*, ὅπως ἂν ταῖς χρῷτο ἀεὶ νεαζούσαις, ut illis perpetuò ætate floreſcentibus uteretur. *Col. l. 19. c. 29.* tribuit id Regi *Andramyti*. vid. *Athen. l. 12. c. 12.* Inveniuntur vero aliqui à naturâ caſtrati, ut ſupra dictum eſt ex *Matth. 19.* ita *Dorotheus* præſul Antiochenus, vir eruditiſſimus, Græcè & Hebraicè doctiſſimus, Eunuchus ab ipſa Geneſi fuit, Aureliano Principi aliàs gratiſſimus & acceptiſſimus. *Euſeb.* & *Pauſan.* in Achaicis refert *Colai* Phrygis filium ad Venerem plane inutilem editum à matre. Nonnulli etiam *ſeipſos* caſtrarunt, ut ſuprà de *Origene* aliisque audivimus, ubi hæreticorum facta mentio, qui dixerunt, *niſi quis Eunuchus fieret, ſalvari non poſſe, Ephiph. hær. 58.* Qua de cauſa etiam duo Monachi à Theoph. Alexandrino excommunicati ſunt. *Vit. Patr. 2. d. c. 172. Stephanus* Maræotidis regionis Anachoreta, cum verendas corporis partes exulceratas taboque diffluentes haberet, inter chirurgicas uſtiones & Betrones nullum emiſit ejulatum & gemitum. *Marcell. l. 5. c. 4. & Sozom. l. 26. c. 29. Attys* inſania correptus teſtes ſibi ipſi amputavit. *Arnob. l. 5. contr. Gent. Acdeſtis* Jovis ex Petrâ filius, roboris ſummi, dormiens à Baccho ſetis ſcientiſſime complicadis, atque unâ parte plantæ, altera pudendo alligatis, quaſi vinctus evigilans magno impetu ſe corripit, ſuisque viribus eo quo fuerat, privat ſe ſexu. *Arnob. l. 5.* Multi à *Regibus* fuere caſtrati, uti ſupra de Semiramide teneros mares caſtrante audivimus. *Coel. Rhodig l. 13. antiq. L. c. 29.* Apud *Eleos* regnavit Pantaleon, injurioſus & immanis, qui omnes Legatos caſtrans proprios teſticulos occiderit *Heraclides*. *Hoſtes* etiam ſæpe caſtraverunt captos. *Phocas* Imp. Maurit. interfector, libidinoſus & inceſtuoſus ab Heraclio & Nicetâ captus capitur & comburitur. A. 612. *Paul. Diac. l. 4. c. 11. de Geſt. Longob. Niceph. l. 18. c. 56. Zonar. f. 3.* Cæſo Leone V. Imperat. 4. ejus filii in inſulam primam exules miſſi à Michaele Fraulo, exectis prius virilibus. *Cuſpin. Theobaldus* Camerinorum princeps cum Græcis pugnans eos, & quotquot cepit eviratos remiſit, addens ignominiæ riſum: *Quando quidem Veſter Imp. Conſtantinus Eunuchis gaudet, quotquot emiſerit Gallos, capos remittam. Cranz. l. 3. c. 9.* & *Luitpr. l. 4. c. 4. Gulielmus III.* Neapolitanus Rex virilibus exectis ab Henr. VI. Imp. caſtratus in Germaniam deportatur. *Collenutius. Materianus* Epiſcopus Avelinus teſtium divulſione tortus fuit. *Sinaribaſſa* infans à porcâ caſtratus à conquiſitoribus inſignium puerorum Conſtantinopolin delatus, in magnâ gratiâ & fortuna fuit apud Selymum Turc. Imp. Notus Martialis verſiculi l. 3. Epigr.

Vite nocens roſeâ ſtabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata ſacris.
Quem Tuſcus mactare reo cum vellet Haruſpex,
Dixerat agreſti forte rudique viro:
Ut cito teſticulos veraculâ falce ſecaret.
Teber ut immunda carnis abiret odor:
Ipſe ſuper virides aras luctantia pronus
Dum reſecat cultor colla premitque manu,
Ingens iratis apparuit hernia ſacris
Occupat hanc ferro rusticus, atque ſcat
Hoc ratus, antiquos ſacrorum poſcere ritus
Talibus & fibris numina priſca coli.
Sic modo qui Tuſcus fueras, nunc Gallus arſupex,
Dum jugulas hircum, factus es ipſe caper.

7. *Reges potiſſimum aſciſcere ſpadones.* Eunuchos *Epiphanius hær. 58.* dictos vult, quod poſſint ἐυνοεῖν, fidem ac benevolentiam præſtare ablatis his membris, quæ caſtitati inſidiantur. ſed *Baſil. ep. 87.* ab εὐνὴ cubile, & ἔχω cuſtodio, quòd ſint cuſtodes cu-

cubiculorum ubi ait eſſe libidini addictiſſimos & majori, quàm alios, titillatione officii, mulieresque corrumpere manibus, additque bina exempla *libr. de Virg.* Refert *Auguſt. l. 6. contra Julian c. 14.* Galligonum Eunuchnm Valentiniani Junioris gladio punitum, ob vim meretrici illatam. Et quiddam aliud legi poteſt *l. 2. de Civ. Dei c. 7.* ex *Terentio*, apud quem Pythia inquit de Eunuchis

Ego iſtos audieram amatores vel maximos
Sed nihil poteſſe.

Ita *Athan. ep. ad ſolitarios* ſcribit Leontium Epiſcopum Antiochenum factionis Arianæ, ut Euſtolio virgini, ſine ſuſpicione cohabitari poſſet, ſeipſum execuiſſe, quod & prodit Socrat. l. 1. *hiſt. c.* 11. Id ipſum de Eunuchis in genere tradit *Arnob. l. 5. contra Gent.* Apud *Aſiaticos* olim caſtrati in magno honore erant, uti etiam apud *barbaras nationes*, *Turcas*, (qui eos *Chaldos & Haldos* vocant) & ſimiles æſtimantur, ſiquidem olim illis credebatur cuſtodia Virginum & matronarum Regiarum, erantque præfecti Gynæcei, uti conſtat ex *libr. Eſth. & Euſtath. in 3. Odyſſ.* Cubiculorum quoque & Regiæ ſupellectilis. *Jud.* 12. *Act.* 8. Inſuper inſtitutio puerorum ipſis commiſſa quomodo legimus *Sicinum* Themiſtoclis filiorum Præceptorem fuiſſe Eunuchum. *Plat. l. 3. de Leg.* Sed & à Regibus Exercituum Duces fuiſſe Eunuchos quidam ex *Jer.* 38. & 52. *Gen.* 39. 40. colligere volunt. ſicut *Ariſtot. hiſt. Anim.* dicit, animal omne caſtratione manſueſcere, excepto homine, qui ferocior evadit, quod tamen non per omnia conſiſtere experientia docet. Certe *Cyrus* in tanto Eunuchos habuit pretio, ut iis ceu fidiſſimus vitæ ſuæ & fortunarum commiſerit tutamen, & cuſtodiam. Et qui deſcribuntur in Geneſi fuiſſe Pharaoni à poculis & panibus, ſpadones, fuiſſe dicuntur: erant & cuſtodes Palatii. *Eſth. ult.* Apud Italos & Hiſpanos æque Gynæceis præficiebantur. Cum enim voluptati corporis operam dare non poſſint, accurate obſervant, ne & alii voluptatibus vacent, pœnitudine, vel livore ſtimulante, quod facultas iiſdem utendi ipſis ablata ſit, & velut talionem in immerentes machinati. Romanis nihilominus legibus & Imperatoribus exoſi Eunuchi. *Valer. Max. l. 7. c. 7.* Genutium ob propriam caſtrationem teſtamento excluſum dicit Claudianus:

Adde quod Eunuchus nulla pietate movetur
Nec generi, natiſve cavet.

Capitale plectuntur, quia homicidæ. Juſtin. *Conſtit.* 142. Conſtantinus à Magiſtratu arcet. *Lamprid.* ab Eccleſiaſticis *Athan. Ev. ad ſolit.* à bello *Vegetius l. 1. c. 7.*

8. *Moralis caſtratio ſeu cœlibatus.* Conjugium Clericorum *Hildebrandus* Papa ſpiritu parum ſancto notabiliter actus ex Romanâ Eccleſiâ ſuſtulit. Verba ſunt *Georg. Wiecelii in Viâ Regiâ p.* 78. qui omnino videndus. Quantas autem ea res turbas dederit legi poſſunt *Sigbertus Gemblacenſis & Lambertus Schaſnaburgenſis in hiſt. Anni.* 1074. In hoc tamen capite potiſſima Tyrannidis Papalis pars ſubſiſtit, & ex prohibitione conjugii ſuſtinetur. Ita enim Cardinalis Carpenſis in Conſiſt. Pontificis apud *Petrum Suavem* hiſt. Concil. Trid. l. 5. *Si connubia permittantur ſacerdoibus; id inde ſecuturum, ut familiam, uxorem ac liberos alentes ad principis quiſque ſui obedientiam reſpiciens Pontificis obſequium detrectet, ut liberorum charitas ab officio ad omnem Eccleſiæ fraudem & præjudicium abducat, ut de ſacerdotiis in familias ſuas hæreditario jure aſciſcendis cogitent, ut denique intra breve tempus ſedes Apoſtolica urbis Romanæ cancellos non exſcendat; ante inſtitutum cœlibatum ſedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepiſſe, per hunc adeptum dominatum omnium ſacerdotiorum, quæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet.* Ut verò clarius appareat, antiquos Eccleſiæ Canones non ita iniquos fuiſſe matrimonio clericorum, uti hodiernos Romanenſes, recenſebimus ex eis nonnullos, eosque ne prolixi ſimus tres tantumque præcipuos. *Canones* qui *Apoſtolici* dicuntur, ſine dubio ſunt antiquiſſimi; Inter eos Sextus ita ſe habet; *Epiſcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam ſub prætextu aut obtentu religionis abjiciat, Si vero rejecerit* ex-

excommunicetur: ſed ſi perſeveraverit, dejiciatur. de quo Canone Apoſtolico plura infra in hac ipſa theſi n. 18. Alter Canon eſt *decimus Concilii Ancyrani* habiti A. 314. adductum à Gratiano *can. Diaconi* 8. *diſt.* 28. Ejus hæc ſunt verba; *Diaconi quicunque cum ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt dicentes ſe velle habere uxores, nec poſſe ſe continere: hi ſi poſtea ad nuptias pervenerint, maneant in miniſterio, propterea quòd his Epiſcopus licentiam dederit.* Hic addit *Franc. Sylvius* in Summa Bartholomæi Caranzæ: *Quoniam ordo ſacer non ſemper fuit impedimentum dirimens matrimonium, matrimonia eorum, qui erant in ſacris, non fuerunt ab initio irrita, ſed temporis progreſſu editi ſunt Canones illa irritantes. &c.* Sed Franciſcus *Longus ad* iſtum Canonem. & Cardin. *Baron.* ad A. 314. n. 88. in diverſa & alia omnia eunt, ſenſum plane pervertentes, & meras nugas agentes, ut cuivis ex ipſa lectione patet. Verba Canonis ſatis ſunt clara & perſpicuâ, nec opus habent interpretatione longius arceſſitâ. Senſus hic eſt; *Diaconis licere poſt ordinationem ducere uxores.* Si in ipſa ordinatione eâ de re proteſtati fuerint, & non obſtantibus nuptiis manere debere in miniſterio, Poſt annos vero trecentos Martinus Braccarenſis in Hiſpaniâ Epiſcopus, plane contrarium ſtatuit, qui nec ordinari quidem voluit Diaconum de conjugio proteſtantem: Verba ejus leguntur *Can. Diacon.* 2. *diſt.* 27. Et inter hos diſcordantes Canones concordia iniri vix poterit, ne Gratiano quidem Conciliatore. Sed omnino fatendum eſt cum ipſo Gratiano, ad *c. de Syracuſanæ.* 13. *diſt.* 28. ex tempore & loco diverſitatem petendam eſſe. Ex tempore, quia nondum introducta erat continentia miniſtrorum altaris. Ex loco quia Syuodus Orientalis eſt, & Orientalis Eccleſia non ſuſcepit generale votum caſtitatis. Manet ergo, quod ante dixi, *antiquis Canonibus cœlibatum non ita alligatum fuiſſe miniſterio Eccleſiaſtico.* Tertio loco occurrit *Canon* 4. *Concilii Gangrenſis* habiti A. 330. à Gratiano itidem adductus *c. ſi quis* 15. *diſt.* 28. *Verba ſunt, ſi quis diſcernit presbyterum conjugatum tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abſtinet anathema ſit.* De Presbytero loquitur conjugato. Sed Romanenſes hodie, ut conjugii interdictum tueantur canonem hunc interpretantur de eo, qui uxorem habuit, ſed non amplius eâ utitur. vid. de hoc Canone plura infra in hac ipſa theſi. n. 17. Sacerdotium igitur olim non ſeparabat conjuges, neque conjugium excludebat à clericatu; ſed uti Impp. *Honorius* & *Theodoſius* in *l.* 19. *C. de Epiſc. & Cler.* hanc conjugii & clericatus combinationem commendant; Uxores non relinqui caſtitatis hortatur affectio, quæ ante ſacerdotium maritorum legitimum meruêre conjugium, neque enim clericis incompetenter adjunctæ ſunt, quæ dignos ſacerdotio viros ſuâ converſatione fecerunt. v. *Jacob. Gothofr. ad l. 44. Cod. Theodoſ. de Epiſc. Eccl. & Cler. Bellarm. è Can.* 3. *Conc. Niceni* ſed de privato & vindicato à *Danh. Antichriſtoſ.* 703. Decretum Concil. Niceni hoc eſt, ſi quis cum uxore habitare noluerit, oportet ut ſeparetur à communione & ingreſſu Eccleſiæ. de Paphnutio vid. *Gerh. Confeſſ. Cath. l.* 3. *p.* 48. Certe ille cœlibatus in antiquitate ignoratur *Danh. Antiq. hiſt.* 691. It. *Molin. de* Novit. *Pap p.* 650. Certe ſapit Gentiliſmum *Danh. Hodom. Pap. l.* 1. *ϕ.* 2. 486. & Judaiſmum. Moſen poſt prophetiam & revelationem in monte non rediiſſe ad domicilium & uxorem dicunt Rabbini. *Gecer. Conform. Jud d.* 3 §. 43.

9. *Cœlibatus ſive ſponte electus, ſive legibus impoſitus.* Ipſi Pontificii bene animadvertentes cœlibatum illum non poſſe ſervari, concubinas ea propter conceſſere, quin etiam uxores quandoque, ſed non niſi per diſpenſationem, atque inſuper voto caſtitatis à clericis præſtando certam adjecêre conditionem, nempe hanc: *quantum humana fragilitas permittit.* Quo ipſo quid aliud inſinuarunt, quàm quod hoc voto ſuo nil voveant, nec caſtitatem promittant, quia angelicâ fortitudine & cœleſti virtute deſtituti in fragilibus, & peccato imbutis corporibus vivant. Atque inde porrò apparet, cœlibatum ipſorum conſiſtere in ſolâ abſtinentiâ à conjugio, non à ſcortationibus, non à concubinis. Has enim non præjudicare ipſorum caſtitati conſtanter ac impudenter pariter aſſerunt. Unde *Coſterus in En chir.* c. 5.

c. 5. *de Cœlib. Sacerd. prop.* 9. hunc canonem proponit: *Votario continere volenti* (volenti) *concubinæ permittuntur.* v. *Baldw. Coſ. Conſc. l.* 2. *c.* 8. *p.* 309. & *Luth. t.* 2. *Sen. f.* 125. narrat, quod Clerici Epiſcopo ob concubinm florenum exolvere annuatim teneantur, & ſi proles exinde oriatur, duos atque inde natum ſit inter ipſos commune proverbium; quod *caſti clerici Epiſcopis minus ſint utiles.* Quare in *Iure Canonico diſt.* 34 *c. Fraternitatis* hæc verba inveniuntur: *quia defectus noſtri temporis quibus non ſolum merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis illius non patitur manere cenſuram.* Et hoc vocatur diſpenſatio miſericordiæ. Unde *Eraſm. Annot. p.* 72. Utopicum Marianorum cœlibatum ita deſcribit; *quod in eo ſcortari liceat, uxorem ducere non liceat, adeò ut ſi profiteantur concubinam, ſint Catholici ſacerdotes, ſin uxorem ducere malint, in ignem conjiciantur.* Votario enim continere non valenti nec volenti, juxta Brocardica ipſorum, pellices conceduntur, dum modo medium obſervent. Unde *Hugo* Leodienſis Epiſcopus Canonicis ſuis ejusmodi præſcripſit leges, quæ à Romano Papa fuêre approbatæ; *Ne mulierculariun amplexibus* Nimium *dediti ſuas operas negligenter obirent.* Ubi non ipſæ mulieres, ſed nimia ſaltem converſatio & exceſſivus illarum uſus ipſis interdicitur. *Hiſt. Magdeb. Cent,* 13. *C.* 10. *L. Oſiand. C.* 13. *l.* 1, *c.* 1. *p.* 322. Modum vero Romani Papæ in *Concilio* A. 1515. *Lateranenſi* ſub Julio & Leone X. habito determinarunt, dum Cardinali ultrà 5 concubinas (5. Uxores habere ipſis eſt piaculum & Concilio Trident. prohibitum, ſed quinque pellicibus uti, quod contra ſcripturam, conceditur) habere non permittitur. *Luth. Dipnoſ c.* 28. *p.* 366. Nec ſola concubinarum diſpenſatio haberi potuit, ſed & quandoque Religioſulis iſtis ſine æternæ caſtitatis præjudicio matrimonia permiſſa fuêre de quo *BalduſL. Si tibi filius.* 6. *de adopt: Papam diſpenſare poſſe. ut monacho liceat, depoſito cucullo, uxorem ad tempus ducere, nempe uſque ad procreationem ſobolis; ſimul atque autem proles ſuſcepta fuerit; ad cucullum ſuum redeat.* referente *Hattomanno in Fulmine Bruto p.* 166. *Baldw. l. c. p.* 309. Cujus rei exempla hinc & inde in antiquis Annalibus reperiuntur. A. 1143. *Conſtantia* Rugerii Regis Siciliæ & Apuliæ filia in Panormitano monaſterio Mariæ devota, poſt Patris mortem à Papa Cœleſtino abrepta & Imperatori VI. Friderici Barbaroſſæ filio deſponſata fuit. (Ubi Papa contra votum alias inſolubile ex plenipotentiâ, uti barbare loquimur, diſpenſavit) ſicuti & Fridericum II. in campo Panormitano publice ſub tentorio averruncandæ omnis ſuſpicionis ergo, præſentibus multis fœminis & viris peperit. *Chron. Bamberg.* & *Luc. Oſiand. cent.* 12. *l. c. c.* 8. *p.* 270. Ita de *S. Gallo* legitur, quod Frideburgam Ducis Gimzanis in Galliâ filiam à Diabolo liberarit, & Mariæ conſecrârit. Nuptias vero cum Potentiſſimo Rege Sigberto conſummaturâ in templo in genua cum Rege coram altare procumbens ambabus altare manibus amplexata calidiſſimis lacrymis profuſus exclamavit: *Jeſu & Mariæ æternum ſum devota.* Quid faceret *Rex. cedit merito Chriſto & Mariæ,* & initiari curavit, atque in ipſius gratiam monaſterium ædificavit, cui illam ceu Abbatiſſiam præfecit, & poſteà cum aliâ moniali, cui hoc ipſum non diſplicuit, nuptias celebravit. *Mar. Geneal.* 16. *Oct. p.* 507. Similiter Angliæ Regis, Stephani filia Maria Abbatiſſa in quodam monaſterio A. 1116. cum Matthæo Regis Theodorici filio deſponſata duas peperiſſet filias Idam & Mechlildam, mandato Sanctiſſimæ ſedis Apoſtolicæ in monaſterium rediit, & æternam caſtitatem ſervavit. *Ex Chron. Flandr Luc. Oſiand. Cent.* 12. *l.* 3. *c.* 6. *p.* 290 Sic Caſimirus Princeps Polonicus Monachus A. 114. cum in Poloniâ nullus Rex eſſet ex monaſterio evocatus in Regem Poloniæ electus & coronatus fuit. *Chron. Tunc.* 143. *L. Oſiand. Gent.* 2. *l.* 2. *c.* 5. *p.* 151. Memorabilem hiſtoriam recenſet *Pantaleon. p.* 2 *Heroic. p.* 58. 59. de Wendelgartâ Comitis Buchhornienſis ab Ungaris capti uxore, quod in abſentia mariti ex omnium opinione mortui Monialis facta, redeunti Ulrico iterum indultu Epiſcopi Conſtantienſis cohabitârit. Ita ex Sigwento *Oſiand. Cent.* 6. *l.* 1. *c* 17. *p.* 38. & *Geneal. Mar.* 2. *Dec. p.* 781. *Hincmar. Epiſc. Rhem. A.* 545. referunt quod *Benebaldus* con-

conſenſu uxoris monaſticam elegerit vitam, Et Epiſcopus Laudanenſis factus ab uxore ſæpe viſitatatus fuerit, atque antiquam maritalem notitiam & matrimonialem amicitiam redintegrarint & puerulum nominatum *Labronem*, puellam verò *Vulpeculam* juxta matris ingenium fortean dictam, genuerit. Quod quidem in conjugatis non adeò mirandum, ut pote qui de jure ſunt uniti; cum & cœlibes inter Jeſuitas, qui in voto ſimplici permanent, à Generali poſſint à voto abſolvi, & ad conjugium admitti: Quemadmodum etiam ſine præjudicio voti paupertatis Jeſuitæ, licet in hoc ſtatu per 20 annos fuerint, poſſunt ſuccedere in lineâ rectâ & collaterali atque bona hæreditaria, occupare.

10. *Sive legibus impoſitus*. Clericis continentiam legibus divinis eſſe injunctam *Jo. Major*, *Franc. Torrenſis & Jo. Clichtovæus* aſſerunt, ſed melius edoctus à *Thom. 22. vol. 2. q. 88. a. 2. Covarruvias p. 2. de matr. c. 6.* docet non jure divino, non naturali, ſed humano eoque Pontificio hanc niti prohibitionem, ubi non injuriâ quæri cum *Chemn. Ex. Conc. Trid. p. 3. de Cœlib. ſeſſ. 8. can. 3.* poſſet: 1. an ſervus poſſet legem ferre, de quo nil præcipere voluit ipſe Dominus. 2. an conjugium, quod Deus illis liberum permiſit, qui donum continentiæ habent, illis, qui non habent mandavit, Eccleſia poſſit ſub pœnâ anathematis lege prohibere 3 an conjugium, quod Deus honorabile pronuntiavit in omnibus, Eccleſia ſua lege poſſit facere abominandum & deteſtandum in ſacerdotibus. 4. an prohibitionem conjugii, quam Deus pronuntiat eſſe Dæmoniorum doctrinam, Eccleſia poſſit ſua lege canonizare. Præterea votum continentiæ verſatur circa tale objectum, quod non eſt ſimpliciter in noſtrâ poteſtate, adeoque *impoſſibile*, quia de materia impoſſibili, quæ in manu hominis non eſt, eſtque inſuper *ſuperſtitioſum*, idololatria & multis aliis ſcatens peccatis, impie & *ex inſtinctu Diabolico imperatum.* Non negamus quidem donum continentiæ à quibuſdam inter beneficia divina collocari, ſed pauciſſimis eſt conceſſum. Neque enim bona temporalia ad ſalutem acquirendam à Deo non ordinata (ex quorum numero eſt *abſentia cupiditatis Venereæ in ſtatu viæ*) poſſunt ſperari infallibiliter, qui nullam promiſſionem abſolutam habet, multo minus per votum renuntiari poteſt illi, quod incertum eſt, an Deus velit ſupplere, quomodo cibo & potui non poteſt renuntiari ſpe mannæ cœlitus pluituræ, Unde Jephthæ vitio vertunt omnes Theologi illi, qui ſtatuunt ipſum filiam æternæ caſtitati conſecraſſe, uti præter Rabbinos è recentioribus ſunt *Brenzius*, *Franzius Chythræus*, *Oſiander*, *Schindlerus*, *Quiſtorpius*, *Glaſſius*, *Hacſpan*, *Pellicanus*, *Münſterus Brochthon*, *Junius*, *Pagenius*, *Arias Montanus*, *Perkinſus Grotius*, *Druſius*, *Heinſius*, *Toſſanus*, *Piſcator* & complures alii. Nonnulli vero ſunt in hac opinione, quod votum Jephthæ ad חרם *anathema* referendum, & filia vivis ſit ſubrepta, ſed mactata ſolum modo non vero immolata, alii vero & mactatam & immolatam fuiſſe contendunt, cui ſententiæ ultimæ ſubſcribunt Patres magno numero. *Juſtin. Martyr* q. 99. *Tertull.* contra Marcion. 3. 4. *Nazianz.* orat. de Macc. *Ambroſ.* 3. de Virgin. & 3. de Offic. 12. *Hieron.* Ep. 34. ad Julian. *Chryſoſt.* homil. de Jephth. *Auguſtin.* l. de Civ. 21. quos tota quaſi nube citat, *Baldw.* l. 2. de Caſ. Conſc. c. 4. & *Calov.* in Diſput. Anti Grot. in Jud. 11. v. 30. è recentioribus *Lutherus Baldw. Dietricus*, *Fridlibius*, *Danhauerus* de Voto Jephthæ, *Colovius Waltherus*, *Martyr*, *Muſculus*, *Salianus*, *Torniellus*, *Serarius*, *Ravanellus*, qui præcipuum ſententiæ ſuæ robur fundant in ipſo textus ῥητῷ. Verba ſunt: *& erit egrediens, quod egrediatur & erit Domini, aſcendere faciam illud aſcenſionem.* ut ſit ſenſus, quicunque primum egreſſus fuerit, de foribus domus meæ, mihique occurrerit, revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. Scilicet *Jephthe*, Galeadites, & conſequenter Manaſſæus, διὰ τὴν πατρῴαν ἀρετὴν *verba ſunt Ioſephi* δυνατὸς, imo δυνατὸς ἴσχυι, Heros laribus manu publica, ut colligere eſt è v. 7. expulſus extorris aliquandiu in terta Tob degens vitam, deinde variante ſortium urna (ut cum *Tertulliano* loquamur) non ſine occultis divinæ providentiæ fi-

fidiculis revocatus Princeps & caput Galaaditarum, tyrannides Ammoniticæ εἰς πόδιον, *alter Abraham*, uti eum appellare placet *Theophani*; filiam ſuam Deo conſecrare, & ex κακοζηλίᾳ Abrahami immolare volui-. Eleganter veto Cyprianus ob inauditum hactenus in utroque tùm parente tùm filio, obedientiæ & fidei exemplum, ambos inter martyres referre non veretur. Ita enim ille de duplici Martyrio p. 518. *Quis auſit vel* Abraham *Patriarcham, vel hujus filium* Iſaac *eximere è martyrum numero. Quæ carnificinæ gravius torſerunt corpus, quàm Patriarchæ mentem torquebant naturæ affectus; cum incunctanter ad Dei juſſum appararet immolare filium unicum & unice carum. in quo tota ſpes erat illi poſteritatis?* Quid defuit Iſaac Martyrio, *qui nihil obmurmurans paſſus eſt ſe colligari & imponi buſto, nec expavit in cervicem vibratam macharam.* Sane ſi Jephte, æque ut Abraham, habuiſſet expreſſum Dei mandatum, ab impio voto & homicidio poſſit abſolvi. Nunc verò noſſe poterat immolationem & filiorum & filiarum explicite & nominatim lege divina fuiſſe vetitam, ibidem alium quòvis hominem, vel ex animalibus canem, aut aliud animal immundum. Quare tàm impie, tàm inconſultò, tàm abominabiliter vovere non debuiſſet, vel in male promiſſis illud votum reſcindere potuiſſet vel debuiſſet. *Impia* enim *promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Quæ omnia ſi conſiderantur nonnulli in eam deveniunt ſententiam ut cenſeant conſultius eſſe de his, ceu incertis, dubitare, quàm litigare, unde neutrius ſententiæ patrocinium in ſe ſuſpiciunt, ſed cautam potius ἐποχὴν amplectuntur, *B. Gerhard.* T. 7. LL. CC. §. 507. *Sennert.* pecul. exercit. Witeb. a 1650. habitâ. *Meierus ad Perkinſ.* Caſ. Conſc. c. 2. 15. q. 3. *Selden.* l. 4. de J. N. & G. 11. p. 533. Voto Jephtæ par votum Alexandri ſubjicientes, qui monitus forte, ut eum, qui ſibi portâ egreſſo primus occurriſſet, interficeret &, teſte *Val. Max.* 7. 3. *p.* 297. aſinarium forte ante omnes obviam factum ad mortem abripi imperabat. Aſinarius autem reſpondit, aſellum ſe priorem occurriſſe, ſeque ſic liberavit. Utinam & Jephtæ filia ante ſe habuiſſet catellum, quo parentis votum prorſus temerarium, incogitatum & illicitum effugere potuiſſet. Uli qui παρθενίαν διηνεκῆ defendunt, ex verbis textûs hunc exprimunt ſenſum: Ex hoc *tempore invaluit mos in Iſraël, ut aliorum quoque filiæ Deo hoc exemplo conſecrentur,* atque hi fundamentum expoſitionis ſuæ figunt in v. 39. Alii ad v. 36. referunt hoc modo: *Fuit ſtatutum, ne quis filium vel filiam impoſterum Deo immolandum voveat, ut Iephta imprudenter & inconſiderate fecit.* Hi verò utroque hoc ſenſu relicto ad v. 40. referunt, ut indicetur aſcenſio filiarum Iſraël annua hoc modo: *Et mos inolevit inde,* ut virgines Iſraëlis quotannis convenirent ad lamentandum, ſeu potius ad celebrandum (non confabulandum uti *R. Kimchi* fabulatur) filiam Jephthæ per dies quatuor. Sed quocunque modo explicetur, *temerarium* certe & *illicitum* fuit hoc Jephtæ votum ob defectum requiſitorum, quæ ad legitimum votum conſtituendum de jure requiruntur. Non enim ſufficit, ut perſona vivens habeat poteſtatem vovendi; & ut libere voveat, quorum utrumque à voto Jephthæo non adfuit, verum plures ſunt conditiones, quæ ad voti legitimationem neceſſario concurrunt, ex quibus ſunt, ut vovens prudenter & bene præmeditatus non imprudenter & ſine præviâ conſultatione voveat. Neutrum horum adeſſe in voto Jephthæ cuilibet ἀκριβῶς illud ponderanti conſtabit, ſiquidem non cogitat, quid ſi res regreſſa fuerit domo vilis, inepta ac ex lege Dei ad ſacrificia inhabilis facta. ſi aſinus? ſi homo? ſi filia? an etiam tale egrediens Deo futurum eſſet gratum? Nemo enim id vovet, ſeu promittit alteri, quod inacceptum ei eſſe novit. Huc accedit *ſubſequens dolor, ſciſſio veſtimenti; lamentatio, triſtitia* &c. quæ omnia ejus in vovendo imprudentiam, temeritatem & præcipitantiam ſatis ſuperque inferunt.

12. *Replevit libidinibus prodigioſis.* Sanctiſſimus Deus eſt, hoſtis acerrimus omnis impuritatis & impudicitiæ, ideò non tantum explicite omnes ſcortationes, adulteria atque alia prohibuit, ſed & implicite omnes occaſiones præſcindendo remoras addere voluit. Quo ſpectat illa lex de non commutandis veſtimentis, quibus, diſcriminabant-

bantur fœminæ à viris, ut ita libidinibus aliiſque inhoneſtis actionibus confuſa ratione patrari ſolitis feneſtra clauderetur. Myſticè hanc legem Deut. 22 5. è Patribus quidam explicarunt, è quorum numero eſt Clem. Alex. *Quam rationem*, inquit, *habet hæc lex? Anon vult nos eſſe viros & nec corpore nec mente nec verbis effœminari.* & Ambroſ. Ep. 15. *arbitror, quòd non tàm de veſte, quàm de moribus dixerit hæc lex, vel de uſibus atque actibus, quod alius virum, alius fœminam deceat actus.* Alii, quorum ſtrategus *R. Maimonides in More Nebochim p. 3. c. 37.* de idololatrico cultu exponunt, quo in venerationem Veneris mulieris, in venerationem Mortis viri arma veſteſque commutabant; Fr. Vatablus h. l. *Id inſtrumenta bellica ſignificat. Vetat ne mulieres ad militiam cum viris proficiſcantur, more Orientalium mulierum. Exponunt enim ſe periculo violandæ pudicitiæ. Simul præcipitur, ne vir utatur, veſtimentis muliebribus, propter honeſtatem publice tutandam & cadendas ſcortationes. Alioquin enim imberbis juvenis muliebri veſtitu inter mulieres facile lateret.* De ejusmodi idololatrico cultu etiam explicat *Nicolaus de Cuſa* natione Germanus Epiſc Brixienſis l. 2. Exerc. citatus à *Phil. Camer. l. 2. hor. ſucciſ. c. 29. p. 237.* vid. & *Quiſtorp. Annot. Bibl. p. 211.* & *Danh Coll. Dec. d. 9. §. 3.* qui ſimul ſententiam *Seldeni de Syr. Diis l. 2. c. 4.* de armis viri bellicis mulieri ex neſcio quo ritu prohibitis explicantis improbant. In ſacris quidem idololatricis veſtium factam permutationem *Hybriſtica ſacra Argivorum* teſtantur, ubi mulieres virilibus tunicis & viri muliebribus velis atque victis veſtiebantur. *Plut. de rit. mul. 245.* De Athenienſibus *Macrob. l. 3. ſat. 8.* affirmat & *Julius Firmicus de protanis vel.* tradit *Veneris Aſſyriæ ſacerdotes* virilem ſexum ornatu muliebri dedecoraſſe. Verum enim vero lex Dei eſt generalior, majoriſque ambitus, quæ uſum promiſcuum, ne ludicrum quidem veſtimentorum in utroque ſexu non fert, habetque divina hæc lex non tàm in militiâ, quàm in pace & domi locum, uti in *Concil. Gangrenſi* can. 13. mulier anathemate feritur, virilibus uſa veſtimentis. Eam in mentem exponit verba Moſis *Philo*: *Voluit*, inquit, *lex, ut vir & mulier in veſtitu ſe gerant pro ut decet, nec veſtes commutent, longe ſubmovens effœminatos viros, tum plus æquo viriles fœminas.* Et *Flav. Joſeph. Antiqu. c. ult.* Cavete autem maxime in bello, ut neque mulier habitu virili utatur, neque vir ſtolâ muliebri. Exempla tum neceſſitatis ad pericula evitanda, tum heroica in quibuſdam fœminis animoſitatis excipimus, uti *Hipſicratea* Mithridatem, cui pellex ſerviebat, ſequebatur in bello, ſtolâ virili Perſicâ uſus, cujus animoſitatem *Plutarch.* deſcribit in *Pompejo p. 636.* Similia exempla vid. ap. *Raviſ. in Officina. Majol. p. 50. Dier. Canic. Meteran. l. 21. Gatr. Chapuis en l'hiſtoire de noſtre temps.* Qui vero ex mollitie & laſcivia veſtes commutant merito reprehendendi, ut *Sardanapalus*, *Caligula* ſtolâ utens quâ vir ſine reprehenſione uti non poterat teſte *Ulpiano l. 23. §. 2. ff. de auro & argento.* ubi vid. Comment. *Laz. Rayſii de veſt.* Atque in hos invehitur *Dominicus Mancinellus* de 4. Virtut. c. 6. v. 379.

Fœmineos cultus & geſtus ſumere malles,
Vir putet indignum, ridiculumque ſimul.
Quid magis eſt contrà naturam, ſive decorum
Quam ſub fœminea vivere veſte virum?

vid. & *Turneb. l. 4. Adverſ. 14. Camerar. Cent. 2. ſucciſ. c. 42. Pelarg. in Comment. p. 319. Bonfrer. p. 695. Petr. Fabr. Sem. 15. Tiraq. in 3. Leg. Conn. Gloſſ. 1. p. 3. n. 58.* Inſuper etiam Deus Optimus Maximus, ut omnem impudicitiæ occaſionem removeret nimium & luxurioſum mulierum veſtitum maxime execratus eſt. Eſ. 3. 16. 17. Prima noſtra veſtimenta, in Adamo erant *pellicea*, poſtea ſucceſſerunt *linea, lanea, ſerica* à Seribus populis inventa. *Phrygiam veſtem* phrygiones, acu pingentes reperere. Attalus Rex *Attalicam veſtem* auro intextam reperit. Veſtis olim pudoris ſignum, hodiè luxuriæ. Veſtitum vilem Ephori Lacedæmonii commendarunt. *Aelian. l. 14. Var. ſſ. 7. & Thucydid. l. 1. p. 8.* Ariſtoteles quoque in Ethicis, Lycurgus teſte Juſtino l. 3.

c. 3. probant. Certe Judaici populi Ephorus Graviſſimus Eſaias in venam iſtam & inhoneſtam veſtium oſtentationem acerrimis invehit verbis. Nulla enim corporis pars erat, quâ non mulieres Judaicæ, quarum altera alteram in *inceſſu & ornatu* excellebat, & præ ſe magno animi tumore faſtidiebat, fucos & pigmenta adhibendo, pulverem capillis inſpergendo, odoramenta ſuavolentia componendo. Nomina, quibus ornamenta mulierum Propheta exprimit, obſcura ſunt, eò quòd mundus muliebris id temporis uſitatus exoleverit. Ipſi Judæi ignorant hodie voces veſtium, ab Eſaiâ memoratarum, uti & Interpretes & Lexicographi hîc Davi ſunt & Sceptici, maxime in iſtis vocibus, quæ re amiſſa remanſerunt. Sed antiqua mittimus, hodiè etiam ſexus fœmineus formæ valde eſt ſtudioſus, & hâc conſpici ſummopere gaudet, comendo, veſtiendo, fucando, lenociniiſque faciem polluendo, cutem medicaminibus ungendo & genas maculando gypſo è pharmacopæorum *Ἰαμείων*. Proſtitutæ venalem gerunt faciem, obtutui utera ponunt, exponunt, quod gerant intus. Pruritum habent ipſæ, & provocant invitantque, follibuſque aëri expoſitis produnt, ignem ſeſe habere intus exſufflandum. In æſtum vertere gaudent frigora, & glaciem frangere frigidorum, atque formoſiorem & præſtantiorem ſibi metipſis contra Dei creatoris intentionem inducere formam, & cutem omnibus laborant nervis, cum tamen, teſte experientiâ, deformiorem ſibi adducant cutem. De quibus ſcandalis conqueritur *Hieron. Epiſt. 23. & Ep. 27.* Paulam uxorem Toxotii, delicta hæc juventutis deplorantem, conſolatur. Hodie fœminæ faſtidio ſimplicitatis Germanicæ cultu ſe Gallico maxime commendari volunt, nuda colla, nudumque pectus vel infra papillas, mammaſque fraterculantes & ſororiantes, de quibus *Ariſt. l. 7. hiſt. c. 1.* oſtendunt, & quæ mammillis carent, locum otioſum pannis & ejuſdem generis aliis explent, ne aliquid deeſſet, quod impudicitiam retardare poſſet. De quo jam olim conqueſtus *Jo. Huſſus in l. de ſacerd. & Monachorum carnalium abominatione*; & *Franc. Lambertus* Avenionenſis Gallus in *libro de ſacro conjugio p. 61. & 62. Cyprianus de diſcr. & hab. Virg. §. 10. Cyrill. Comment. in Eſ. l. 1. Orat. 3. Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 10. Fulgent. l. 1. Mythol. ad Cat. Chryſoſtomus Comm. in 1 Tim. 2. hom. 8. Ambroſ. in Pſ. 118. p. 597. Bernh. Ep. 113. ad Sophiam Virginem.* Caudatarum veſtium meminit *Jo. Geiler Kaiſersberger in Spec. Stultorum turbâ 4.* Nolâ 7. p. 17. ubi inquit: *Septima nola eſt extra hominem, ſive ultra pedes & caput & corpus ſe ornare. Et quomodo poſſunt hæc fieri, Fit primò per* longas caudas, quas in luto poſt ſe trahunt, *præſertim fœminæ & etiam quidam ex ſacerdotibus & prælatis. Sunt ſub hâc nolâ* Dominæ, quæ poſt ſe habent longas caudas, *terram pretioſis veſtibus induentes, & de nuditate Chriſti in pauperibus non curantes,* caudis ſuis *pulices colligunt, pulverem movent hominibus. Timendum eſt eis, ne in* caudis *earum Diabolus quieſcat.* Sic etiam *Bernhardinus Senenſis ſerm. 47. contra fucat. a. 3. c. 3.* mulieres caudatas perſtringit: *Jam tota Italia plena caudatis mulieribus plena eſt.* Nihil jam reſtat agendum aliud, ut completa animalia videantur. *Caudas ut cornua habent.* Jam enim in quibuſdam partibus ad binarium numerum in mulieribus *cornua* devenerunt. Illæ caudæ in pretioſis veſtibus, non in vilibus ferè pendebant, ſicut idem habet a. 2. c. 1. Unde *Eraſmus* in Eccl. l. 21. p. 301. ſcribit: *Nec deerant præcones verbi, qui vociferarentur in caudas, quas vulgares fœminæ, magnatum exemplo provocatæ, cœperant à tergo trahere, clamantes, illis inequitare dæmones.* De illâ inequitatione vid. **Der Seelen Wuzgart** A. 1488. Ulmæ per Cunr. Denc Kmuth impreſſum c. 20. & *Cluar. Pelagius de planctu Eccl. l. 2. c. 76. p. 205.* Lege Oppiâ cautum fuit Romæ, ne qua mulier veſte varii coloris uteretur, nec plus ſemuncia auri haberet, nec juncto vehiculo in urbe oppidove, aut proprius inde mille paſſus, niſi ſacrificii cauſa veheretur, neve ſuperfluo ornatu uteretur, aut plus unciâ in auribus appenderet apud Livium. Quid enim eſt ornata ſupra modum mulier, niſi *ſtatua* illa *Nabuchodonoſoris*, cujus *caput aureum*, quia ibi ornamenta aurea; *pectus ar-*

argenteum monilibus ornatum ; Sed ſi vis noſſe *ſtatuæ pedem* , *lutum* deprehendes. vid. & *Tertull. l. de cult. fœm.* Sæpè verò mutationes futuræ indicantur à mutatione externa veſtium , aut nominum , aut ſimilium , uti *Camerarius* obſervat *hom.* 287. Sane ornatus modernus noſtri ſeculi luxuriam antecedentium multis ſuperat paraſangis. In plerisque amictus non conducit arcendis juvenum oculis, ſed is ſolicitat, ut appetatur, quod appetere fas non eſt; Non eſt veſtis amplius tegumentum caſtitatis, ſed laqueus & decipula. Mirabile fuit pudicitiæ ſtudium in Judæorum gente, qui non tutam fore arbitrabantur pudicitiam, niſi arctiſſime cuſtodiretur domi foriſque. Contubernia conſidera, nam hinc licet colligere mores. Morabantur virgines in ſecreto cubiculo; de viduis non loquemur aut mulieribus. Domus illa erat quaſi clauſtrum, & aſceterium pudicitiæ erat γυναικωνῖτις. Si prodibant, tectâ facie ibant. Non verſabantur in publico calamiſtratæ, odoribus delibatæ, oculis laſcivis, nudis collis, retectis mammis, linguis impudicis. Nunc verò vultus, cultus, inceſſus ſolicitant animos juvenum ſenumque. Has cum *Horatio* dixeris non immerito *virgines non virgines*, quæ non poſſunt domi quieſcere, ſed, ut Plautus in Mercatore loquitur, *cujus domi*, cum eſt foris, eſt animus, & cum foris eſt, animus eſt domi. In Orientalibus hodienum adhuc magis obſervatur ille veterum κατακλεισμὸς ſeu incluſio virginum, de quo Commentatores in *2 Macc.* 3. 19. Unde *Alma* Hebræum idem eſſe volunt ac *ſecretam & ſanctam virginem, quæ nunquam aſpectibus virorum patuit, ſed texit ſe peplis ubique, ut in plateis non videretur nuda, quam & nullus vir tetigit unquam aut rectè vidit.* *Caſaub. ex.* 118. 119. *Barrad. Harm. t.* 1. *l.* 8. *c.* 6. *Schindl. ex.* 1324. *Eraſm. in* 2 *Matth. p.* 10. *Druſ. Parall. p.* 79. Ne quidem nocte primâ videri ſponſam à ſponſo refert *Bernh. ad Breibenbach Itiner. p.* 129. *de Surianis*, & *Olearius in Itin Perſ.* Cœterùm virgines iſtæ κατάκλειστοι 2 *Macc.* 3. 14. non fuêre moniales voto continentiæ aſtrictæ, (quales Athenienſium *virgines Dianæ Munichiæ conſecratæ*, quæ ἄρκτοι & ἀρκτευόμεναι dicebantur, & hinc ἀρκτεία ἡ τῶν ἀρκτευομένων παρθένων τελετή, quibus de vid. *Luiſin.* 1 *Parerg.* 25.) & ſacris miniſteriis in clauſtro quodam addictæ, uti contra Baron. recte oſtendit *Caſaub. ex.* 1. *n.* 53. *p.* 87. 88. ſed οἰκουργοὺς, caſariæ, & focariæ ut ſupra vidimus, th. 1. n. 7. domi manentes, nec ut *Dina Jacobi filia* diſcurſitantes, aut ut *Sabinæ virgines* ad Romana profectæ ſpectacula. De hac οἰκουργίᾳ puellari vid. *Montac. appar.* 9. *Orig. Eccl. n.* 21. *p.* 322. *Hug. Grot. in Matth. l.* 23. *p.* 26. *Spanh. in Dub.* 298. *Dauſquejus in Calatr. l.* 12. *p.* 242 *Gebhard.* 3. *Crepund.* 15. *Heinſ. Lect. Theocr. c.* 6. *p.* 314. Sicut ante virgines decet ἔνδον μένειν hic etiam matronas domi abditas tueri decet tectum pudorem ut Macrobius recte monet. Unde vulgare noſtratium proverbium: *Gallinæ & fœminæ ſi procul à domo abſceſſerint, facilè oberrant.* De virginibus κατακλείστοις vid. *Hieron. T.* 2. *l.* 1. *adv. Iovin. p.* 54. *Ratbertus in Matth. col.* 108. *Livat. in Eſth. p.* 696. *Rivet. Apol. pro Mar. p.* 73. *Salmaſ. in Pall.* 177. *Heinſ. Not. in Heſiod. p.* 292. *Feſſel.* 2. *Adv. Sacr. p.* 134. *Barth. Adverſ. p.* 1866. Sane delicta juventutis multum nocent per totam vitam, non obſtante quod Mariani dicant, illa nil præjudicare æternæ caſtitatati, uti *diſt.* 26. *c.* 1. *Unius Uxoris* &c. *Si Epiſcopus ante baptiſmum conjugem habuit, quæ obierit, quæ non ei imputatur,* cui prorſus novo homini, nec ſtupra, nec alia, quæ ante fuerunt, jam obſunt: ubi gloſſa: *Si aliquis occiderit mille homines ante baptiſmum* (monachatum, quo ceu ſecundo baptiſmate purificantur, velut infantes) *omnis infamia & irregularitas tollitur.* uti *Hieronymo* nil obfuere delicta juventutis, de quibus Ep. 30. *Virginitatem autem in cœlum fero, non quia habeam, ſed quia magis miror, quod non habeo; Ingenua & verecunda confeſſio eſt, quo ipſe careas, in aliis prædicare. Nunquid quia gravi terræ corpore oneroſus hæres, avium non miror volatus, neque columbam prædico, quod vadit iter liquidum, celeres neque commovet alas.* Et alia Ep. cujus initium non debet charta: *Scitis ipſi lubricum adoleſcentiæ iter, in quo & ego lapſus.* Romæ ſc. literis impalleſcens, & Italas virgines deperiens, ut & poſteà adhuc choreæ in ſomniis ipſi

ipſi apparuerint. v. *Eraſm. in vit. Hieron. t. 1. Luth. Dipnoſ* 332. Ita *Auguſtinus* Carthagine literis operam navans adhuc Manichæus ex concubinâ filium *Adeodatum* ſuſtulit, & hac abeunte in Africam aliam aſcivit. *Geneal. Mar.* 22. *C. p.* 259. & *Luc. Oſiand. cent.* 4. *l.* 4. *c.* 13. *p.* 515. 516. Nihilominus poſtEpiſcopus factus, ex cujus placitis 20 ordines propullarunt. Unde in *Iure Canonico* diſt. 34. c. Fraternit: *Eum qui poſt mortem uxoris habuerit de ancillâ filios diaconum fieri poſſe.* Quod *diſpenſatio miſericordiæ* vocatur quia *defectus noſtri temporis, quibus non ſolum merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis illius non patitur manere cenſuram.* Sicuti & Franc. Fagius, qui monaſterium Magdalenæ Paduæ erexit, quondam unâ vice 40 ſcorta ex lupanari eduxit ad vitam ſanctiorem in cœnobium, quibus non obfuit, quod florem juventutis Veneri in lupanaribus conſecrarint, (Chron. l. 2. de ob. vir. cler. p. 1188.) dum modo poſtea vitam puriorem præ ſe ferant. Ita viduæ multorũ filiorũ matres in monaſteriũ ſæpè ſe abdũt. Geneal. Mar. 18. Apr. p. 480.

13. *Iuri divino.* Hujus moralis caſtrationis, jure naturæ & divino prohibitæ, æquitatem & cœlibatus in N. T. libertatem *Victor Utopicus nomine* quidem *Lutheranus, ſed reapſe* hac in re *Pontificius* probare conatur ex verbis Chriſti dictum de caſtratione ſequentibus: qui poteſt capere, capiat, At verò tantum abeſt, ut hæc verba aliquam commendationem aut approbationem includant, ut potius inſinuent duntaxat hujus materiæ difficultatem, ut etiamſi ad naturam matrimonium pertineat, plerique tamen homines in ejusmodi naturalibus ſint admodum cœci, ut etiam communiſſima non intelligant; quæ ipſos natura ipſa docere poteſt, ut non opus ſit multis verbis & longe petitis explicationibus, quæ modo mundanis malarum cogitationum & impuriſſimarum libidinum anſam præbent. Conſtat enim ex clariſſimis Chriſti verbis, Salvatorem nullatenus laudare aut approbare *caſtrationem* illam *moralem propter regnum cœlorum inſtitutam*, ſed tantùm commemorare. Sicut verò recenſet duntaxat *caſtrationem* illam *phyſicam*, quæ eſt exectio ad procreationem facientium particularum, aut illarum defectus naturalis, nuſpiam verò laudat; ita nec *moralis coercitio* illius proclivitatis ullam meretur laudem, cum conjugium ſit res à Deo omnibus præcepta, etiam donum continentiæ habentibus, qui eò caſtius vivere poſſunt in conjugio, & uxores habere quaſi non habeant, juxta Paulum. Nec nobis obeſt Apoſtolicum dictum 1 *Cor.* 7. 1. *bonum eſt mulierem non tangere*, quod apparenter contradictorium illi *Gen.* 2. *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, Walth. in Harm. Bibl. p. 632. conciliat. Scilicet Deus, ut ſummum bonum, & ſummum verum, loquitur de bono vero, & per ſe. Paulus vero de apparente bono, de bono per accidens, & poſt lapſum, atque propter perſecutionem quoque tunc temporis inter Judæos & Gentiles Chriſtianis perferendam, ubi non adeò commodè cum uxoribus vivere poterant, quo pacto etiam capiendus v. 38. *qui dat nuptum benè facit, qui non dat melius*, ſcil. ob perſecutionem, uti & ſequens verſiculus: *ſolutus es ab uxore noli uxorem quærere*, ob ingruentem ſcil. neceſſitatem, quod ἀπὸ κοινοῦ ubique eſt repetendum. Impia vero & fere blaſphema eſt interpretatio, cum Apoſtoli verba: *vellem omnes homines ſicut ego*, de ſtatu extra conjugium explicantur. Ita enim centum annis totus interiret orbis, quod Paulo nunquam venit in mentem. Sed loquitur de caſtitate propriâ, quam omnibus optat. Ipſe fuit uxoratus *Phil.* 4. 3. ut ſuprâ aſtruximus ad *th.* 20. *n.* 2. *fin.* Pſeudermeniam etiam ſapit, cum illa verba Paulina: *caſtigo corpus meum atque in ſervitutem redigo*, ad ſtatum extra conjugium referunt, cum illa etiam in conjugio fieri poſſint & debeant. Et cur non etiam in ſervitutem redigitur corpus, ut non comedat, non bibat, uti, quo non procreet. Illa omnia pertinent ad naturam, quæ Deus non vult abolita per gratiam. ſed tantum taxat in ſuo verbo, quando peccatur in exceſſu vel defectu.

14. *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Apoſtolus hic non Polygamiam ſucceſſivam, aut ſimultaneam Epiſcopis prohibet ſed vagas libidines ſcortationes & cœlibatum, uti *Martinus, Lutherus* in aureo tracta-

tractatu de *Digamiâ Epiſcoporum* inferius *ad th.* 88. allegando apparet. Vult enim Paulus, ut Epiſcopus volgivagam Venerem atque ſtupra cane pejus atque angue fugiat, in conjugio vivat, antequam ad Epiſcopatum perveniat, atque inibi ſuam prudentiam Oeconomincam oſtendat, ex quâ auditores colligere poſſint, illum ſimilem prudentiam in regenda Eccleſiâ adhibiturum, adeoque aptiſſimum eſſe ad Epiſcopatum. Expreſſe enim v. 4. additur, quòd Epiſcopus hanc laudem habere debeat, ut bene propriæ ſuæ domui præſit, ut morigeros & moratos habeat infantes, ubi porro v. 5. adjicitur ratio: ſi quis verò propriæ domui atque familiæ non novit commodè præeſſe, & proſpicere, quo fructu præficietur & proſpiciet Eccleſiæ. Idem etiam requiritur à Diaconis, ut eligendi ſint irreprehenſibiles tum in ſe, tùm in familiæ adminiſtratione & prius in aliis rebus ſint tentandi, antequam ad Diaconatum perveniant, v. 10. ut ſint unius uxoris viri, qui filiis ſuis & propriis familiis bene præſint. i. e. ut vagis impuritationibus & ſtuprationibus nuntium mittant, in conjugio honeſte cum uxoribus & liberis vivant, atque ita ſpecimen ſingularis ſapientiæ edant, ac auditoribus futuris bonam opinionem de gubernanda Eccleſiâ ingenerent. Ex quo conſequitur, Paulum ab Epiſcopis & Diaconis, aliisque Eccleſiæ miniſtris deſiderare, ut eligendi jamdum ſint uxorati qui in adminiſtratione familiæ, & educatione liberorum cœtui futuro ſe probent. Hodie verò mundus totus eſt inverſus etiam inter Orthodoxos, ubi vitio non tantùm vertitur omnibus, qui ante ordinationem matrimonium contrahunt, ſed & impedimento eſt, quo minus ad officium aliquod Eccleſiaſticum perveniant. Auditores enim futuri multa circa uxoratum movent & providentiæ divinæ immemores plane, multas impenſas ad uxoratum miniſtrum adducendum, & ſuſtentandum requiri autumant, & præterea per ſuaſum habent, ſi ἄγαμος ipſis præficiatur, fore ut aliqua ex ipſorum cœtu virgo, à jugo virginitatis, quod neque ipſa neque aliæ probare poſſunt, nec etiam debent, liberetur. Sane Syri & Græci nonniſi uxoratos admittunt & ordinant miniſtros. uti *Edm. Brerewod. Scrut.* 76. & 67. narrat. vid. & *Hornb. Controv. p.* 820. quod & de Armenis, & Indis Chriſtianis refert. *Brerew. p.* 88. conf. & *Guil. Poſtell. d.* 12. *de LL. lit. G.* 4. Perverſa itaque plane eſt ratio, cum virtutes quas ſcriptura expreſſe in Epiſcopo & miniſtris requirit, quæque ad ædificationem Eccleſiæ faciunt, prorſus negliguntur, aut poſthabentur, requiruntur autem alia, quæ non ſunt præſcripta aut utilia. Si quis inter Marianos uxore defunctâ aliam legitime duxerit, vel ſi viduam duxerit, is etiam reliquis donis ad ædificationem Eccleſiæ utilibus & neceſſariis ad miraculum uſque à Deo ornatus ſit, à miniſterio Eccleſiaſtico arcetur & removetur. Qui verò centum adulteriis & mille ſtupris ſe proſtituit, illi, ſi modò legitimum conjugium fugerit, etiamſi ſtipes, vel aſinus fuerit, nulla prorſus inhabilitas obſtat, quo minus ad ſacros ordines promoveri, imò ad apicem, non Epiſcopalem tantùm, ſed Pontificium etiam, cum ſolenni acclamatione, *dignus & juſtus eſt*, evehi poſſit; ſed ſepoſitâ habilitate aut inhabilitate ſubjecti, ipſa tota hæc doctrina, quod ſacerdos fornicator minus peccet, quàm ſacerdos maritus, non verbo Dei tantùm, ſed etiam antiquis Canonibus è diametro adverſatur. Diſerte enim dicitur *Can. Apoſtol.* 7. quod is, qui poſt acceptum ſacrum baptiſma concubinam habuerit, non poſſit eſſe ex numero eorum, qui in miniſterio ſacro deſerviunt. Sic *Gratianus c.* 9. *diſt.* 28. adducit ex Concilio Neo-Cæſarienſi iſta verba: *Presbyter ſi uxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere. Quod ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extra Eccleſiam abjici & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet*, ait hic gloſſa, i. e. officio & non beneficio. Et ſecundum hoc magis punitur ſacerdos, qui fornicatur, quàm qui legitimè contrahit, & hoc ideò, quia facit contra ſacrum ordiem & etiam contra legem & ideo minus peccat ducendo uxorem, quia credit hoc ſibi licere. Plane diverſum hic ſentit gloſſa, quàm circa initia reformationis Cardinalis Campegius, qui ut autor eſt *Sleidanus l.* 4. contendit multo gravius eſſe, peccatum, quòd ſacerdotes fiant mariti; quàm ſi plurimas domi meretrices alant: nam il-

los habere perſuaſum, quaſi recte faciant, hos autem ſcire & peccatum agnoſcere. Miror autem aſſerere debere ICTos Pontificios, accuſare poſſe mulierem, quæ adulterium commiſit cum Papâ, licet Papa ipſe accuſari nequeat, uti poſt alios ſtatuit *Nicol. Boer. deciſ.* 72. *n.* 5. *& Pileus Modienſis q.* 44. Et legants eſt dictus Pileus in rationibus ſuis pro ſententiâ negativâ, ubi inter alia ſic ſcribit: *Sed adhuc eſt fortior ratio pro Roſella* (quæ cum R. Pontifice adulterium commiſiſſe dicebatur) *Non poteſt probari adultera, ergo nec damnari. Quod non poſſit conveniri, ſubtili ratione probatur; Impoſſibile eſt, Roſellam cum Pontifice adulterium commiſiſſe, quod Pontifex idem non commiſerit cum Roſellâ. Ergo non poteſt probari, adulterium commiſiſſe cum Pontifice Roſellam, quin probetur, Pontificem commiſiſſe cum Roſella, ſed hoc probari eſt impoſſibile. Ergo & illud.* Quis vero Pileo non gratularetur, & aulæ ſimul Romanæ, de tam ſubtili invento? Purpuram meruiſſet, ſi noſtro vixiſſet ſeculo. Et majorem adhuc gratiam ſibi comparaſſet, ſi concubinarios ſimul omnes declinandi opprobrii rationem docuiſſet, ne Henrici Cuyckii Ruræmundenſis Epiſcopi cenſuram & reprehenſionem, quam in ſpeculo concubinariorum exponit, audire neceſſe haberent, præſertim cum tanta ubique eorum ſit frequentia, ut circa initium hujus ſeculi in totâ Stiria, Carinthia & Carniola, ſex tantum reperiantur, qui non fuerint concubinarii *Alph. de Vargas de Stratag. Jeſuit. c.* 20.

15. *Petrus fuerit uxoratus & ipſe Paulus.* De Pauli conjugio ſupra, quædam ex Patribus adducendo ſatis probavimus, ut nullâ amplius demonſtratione indigeat *th.* 20. 2. *fin.* De Petri conjugio nunquam fuit dubitatum, nec pro vero habitum, quòd poſt adeptum Apoſtolatum eam reliquerit, cum Paulus expreſſe aſſerat, eum tùm temporis adhuc ſecum circumduxiſſe ſuam uxorem 1 *Cor.* 9. 5.

16. *Apoſtoli & Fratres Domini & Cephas;* Hic æquali gradu conjunguntur Apoſtoli Chriſti, Petrus & Salvatoris fratres ad demonſtrandum, nullum alteri ſuperiorem eſſe vel fuiſſe, nec Petrum caput reliquorum Apoſtolorum dicendum. Nec obſtat quod Matth. 10. 2. primo ponatur loco, Non enim primus Apoſtolorum eſt poteſtate, ſed ordine & vocatione, *Jo. Ramold. Colloqu. cum Harto p.* 118. *Richard. Montac. de Orig. Eccl. p.* 2. *p.* 124. 175. quo facit, quod dicitur 1 *Paulus* 2. *q.* 7. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret.* Quæ verba quanquam illicò per Gratianum interpretatione corrumpantur, iſtum tamen quem præ ſe ferunt, ſenſum continere, & de ipſa dignitate Eccleſiaſtica accipienda eſſe, manifeſtum fiet, ſi ipſa plena ex *Ambroſio* (huic enim non Hieronymo aſcribenda ſunt) audiantur, quæ talia ſunt. *Quis eorum auderet Petro primo Apoſtolo, cui claves regni cælorum Dominus* (*ſed non ſoli*) *dedit, reſiſtere, niſi alius talis, qui fiducia electionis ſuæ* (non ergò loquitur de puritate vitæ, & ſanctitate converſationis) *ſciens ſe non imparem, conſtanter improbaret, quod ille ſine conſilio fecerat.* Idem *Ambroſius* non audet Petrum præferre Paulo; ſed utrumque pariter caput ſanctitatis, pariter principes Eccleſiarum vocat. *c. beati* 2. *q.* 7. Ita etiam Eccleſia Romana interdum à Patribus prima & caput vocatur, non ob aliquam poteſtatis prærogativam, ſed ob celebritatem à fidei puritate *Rom.* 1. 8. *c.* 14. 19. à multitudine Martyrum, maxime verò propter ordinem, quo Parochiæ Eccleſiaſticæ civiles & publicas formas ſunt ſecutæ teſte *Can.* 17. *Concil. Chalced.* & Epiſcopi non ſua autoritate, ſed ſub umbrâ præfecturæ aliquam meruêre prærogativam. *Novell.* 11. Hinc quia præfectura Urbica prior erat præfecturâ Auguſtali, ideo διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην diœceſis Romani Epiſcopi prior & prima ſedes appellata fuit, ordine dignitatis, ejusque Epiſcopus primæ ſedis Epiſcopus, & quanquam alicubi Petrus dicatur fundamentum (ſcil. doctrinale) Eccleſiæ, id tamen quomodo accipiendum ſit optime explicat *Blondellus in Pſeudoſſid. ad Clem. Ep.* 1. *p.* 44. Primus itaque fuit Epiſcopus Romanus non jurisdictione ſed ordine, ſecundus Conſtantinopolitanus, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, & ſic deinceps. vid. *c. multi.* 13. *diſt.* 40. *tegimus.* 24. *diſt.* 93. *c. quodcunque* 24. *q.* 1. *c. mos antiquus* 6. *diſt.* 65. *c. Conſtantinopolitanæ.* 4. *& renovante diſt.* 22. *c. placuit.* 2. *q.* 6.

Quem-

Quemadmodum verò Petrus non fuit caput Eccleſiæ, aut Papa, ſive Pater omnium Eccleſiarum, ita nec Romana Eccleſia mater dici poteſt omnium Eccleſiarum, ſive *maternitas* accipiatur ratione *doctrinæ* ex eâ alibi propagatæ, ſive ratione *poteſtatis*. *Priore* modo ſoli Hieroſolymitanæ Eccleſiæ hoc debetur encomium, quæ totius orbis Eccleſias ſeminavit, ut loquitur *Hieronymus*, *in c. 2. Eſ.* Unde Patres Concilii Conſtantinopolitani I. Hieroſolymitanam, omnium aliarum Eccleſiarum matrem, *Juſtinus* autem Imperator Chriſtiani nominis matrem vocarunt. *Nazianzenus* verò titulum matris Eccleſiarum Cæſarienſi tribuit Eccleſiæ *or. 20. & ep. 74.* Et Chriſtiani Imperatores ſæpè Conſtantinopolitanam Eccleſiam, matris fidei & religionis, matris omnium Chriſtianorum, capitis Eccleſiarum magnificis titulis ornant. *l. 14. l. 16. l. 24. Cod. de SS. Eccleſ.* Et quamvis olim Romana quarundam Eccleſiarum in Europâ fuerit mater, veram tamen matrem poſtea ſe non præbuit, quia non aluit filias ſuas cibo incorrupto. *Poſteriore* modo matrem inter Eccleſias plane nullam agnoſcimus. Maternitas enim in plantandis Eccleſiis nil niſi miniſterium notat, & piam curam propagandi doctrinam, qua alii regenerantur, nullum autem conciliat dominium, ne quidem de jure Eccleſiaſtico, quo Hieroſolymitana, quam matrem priore modo diximus, aliquando Cæſarienſi fuit ſubjecta. Inter particulares namque Eccleſias eſt relatio & unio non καθ' ὑπεροχήν, ut inter matrem & filiam, dominam & ſubjectam, caput & membra, ſed καθ' ἰσότητα ut inter pares collaterales, non ſecus, ac membra σύσσωμα, aut ſorores in una familiâ. Licet igitur ſoror altera alteram ætate & virtute poſſit anteire, non tamen dominationem in illam quatenus ſoror eſt, habet. Non male igitur *Theodoſius* in *l. 6. C. de SS. Eccl.* eadem πρεσβεῖα, quæ tùm habebat Epiſcopus Romanus; conceſſit Epiſcopo Conſtantinopolitano. Nempe Epiſcopi Romani hæc invaluerat prærogativa, ut etſi ſtatuendi jus penes Synodum eſſet, nihil tamen decerneretur ſine conſilio Epiſcopi Romani, qui ſententiam ſuam exponere rogabatur, ſicubi de intellectu alicujus Canonis Eccleſiaſtici dubitatio in provincia aliqua oborta fuiſſet. Idque ita obſervabatur in Occidente; quo ipſo tamen nullum determinandi definiendique dominandi, aut leges ferendi jus inducebatur. Et ne induceretur, eandem prærogativam in conſtitutione dictâ Theodoſius tribuit Conſtantinopolitano. Poterat igitur Synodus decernere aliter, quàm Epiſcopo Romano, aut Conſtantinopolitano videbatur, non tamen poterat ante, quàm eorum ſententia requiſita fuiſſet. Si qua igitur maternitas aſtruenda fuerit, non ſola ea competit Eccleſiæ Romanæ, ſed pluribus aliis. Conſ. *Carol. Molin ad L. Cod. de SS. Eccl.* Non quidem negari poteſt, in Veteri Eccleſiâ Apoſtolicas cathedras, & nominatim Romanam magni fuiſſe æſtimatam in cauſis fidei aſſerendis, & ſæpe ad eam provocatum fuiſſe, quod pluribus confirmat *Gothofredus ad l. 2. C. Theodoſ. de Fide Cathol.* At illarum aſſertionibus creditum propter ſe fuiſſe & ut principio fidei, nullibi invenimus. Sequiore enim ævo voluerunt Eccleſiæ Romanæ Antiſtites, ſedem ſuam eſſe prorſus infallibilem, & ἀνυπεύθυνον, quod intolerabile omnibus bonis viſum eſt. Et cum illa ſumma autoritas etiam ſuper omnia concilia evecta eſſet, & quo progrederetur amplius non haberet, debuit utique paulatim iterum convelli, vel certè vitia ſua agnoſcere, & ut modus ſibi poneretur haut gravate pati. Ipſe *Innocentius* Papa aliam monſtrat veritatis Helicen *c. 4. diſt. 20.* cujus ſi de Romana ſede eadem fuiſſet perſuaſio, quæ hodiè magna fovetur à Pontificiis pertinaciâ, iſtam eſſe ſummum veritatis in his terris tribunal, ad eam ſolum eſſe recurrendum, eam nec fallere nec falli poſſe, eam eſſe univerſi orbis dictatricem, compendio rem omnem expedire potuiſſe. Quod verò de Romanâ Eccleſia hic fabulantur Gnathones, id, ut alia pleraque de ſolo Pontifice intelligunt & enuntiant alii. Volunt enim Romanum Pontificem, ut principium activum, lumen, & ſuccum, reliquis membris communicare, & ſine eâ communione lumen fidei in omnibus fidelibus extingui, rivos exiccari, & ramos exareſcere. *Bellarm. l. 2. de R. Pontif. c. 16 Sander. de viſibili Monarchia l. 7. n. 45. Harding. contr. Suellum. a. 4. ſect. 2. & 4.*

At

At hæc Salvatori Chriſto competunt, non homini, inerti ſæpe, illiterato & moribus corruptiſſimo. Petrus quidem fuit immediatè illuminatus & honeſtis moribus præditus: ſed ejus ſucceſſor uti putatur, Pontifex Romanus in totum degeneravit, ſicuti quoque à bonitate Apoſtolicâ Pontifices Romanos non audet commendare *Guiciardinus in Hiſt. Ital. l.* 16. Laudat ibi Leonem X. & commendat ut principem optimum. addit autem: *Non loquor de bonitate Apoſtolicâ, quoniam corrupto hoc ſeculo Paparum probata eſt bonitas, quando aliorum non ſuperat malignitatem hominum.* Male igitur Pontifices Romani gloriantur de ſucceſſione Apoſtoli Petri, & *Apoſtolici* titulum immeritò aſſumunt, cum ab Apoſtolis eorumque vitâ prorſus ſint alieni, & ex ſe Apoſtolicum oſtendant omnino nihil. Cœterum appellatio Apoſtolici non Epiſcopo tantum Romano olim, ſed aliis etiam Epiſcopis tributa fuit, ut oſtendit *Caſaubonus Exerc.* 14. *n*.4. donec tandem ἀνθωνομενῶς Pontifici Romano adhæſit. Intricate autem & perplexe nimis ſe explicant Pontificii, quando exponere ſolent, in quo Petri poteſtas reliquorum Apoſtolorum poteſtatem transgreſſa fuerit, ut & in illa reliquis Epiſcopis potior ſit Pontifex R. Dicunt quidem Petro datam eſſe poteſtatem præceptivam ſeu regiminis, Apoſtolis autem tantum executivam, ſeu gubernationis *Stapleton. princ. doctr. l.* 6. *c.* 7. id ridiculum eſſe & inſulſum, oſtendit *Jo. Rainold. in Colloqu. cum Harto. c.* 3. *ſ.* 1. præſertim cum à Stapletone negari nequeat, omnes Apoſtolos æqualem poteſtatem à Chriſto accepiſſe. Ego inſuper, in quo gubernationis & regiminis differentia conſiſtat, nullibi reperio. Solum enim Petrum à Chriſto Epiſcopum fuiſſe conſecratum, cœteros autem Apoſtolos à Petro, commentum eſt *Turrecrematæ l.* 2. *de Eccl. c.* 32. ipſi *Theophilo Renaude* Jeſuitæ ſuſpectum de coron. ſupra mitr. Pontif. 387. Nec ipſi Apoſtoli potuerunt ſemper hunc ordinem obſervare, fatente *Lancelloto Conr. in templ. omn. Jud. l.* 2. *c.* 5. *n.* 4. Petrus ſeipſum vocat συμπρεσβύτερον 1 *Petr.* 5. 1. reſpectu ſc. aliorum presbyterorum ad quos ibi ſcribit, quos etiam expreſſe hortatur, ut ſint ἐπισκοποῦντες ſuperintendentes gregi. Fruſtra ergò confingitur, Petrum fuiſſe ſummum ſacerdotem conſtitutum, Nam ſi ita Petro tribuuntur claves, ut eo ipſo ſimul tribuantur reliquis Apoſtolis; quod non diffiteri poſſunt adverſarii, & abunde liquet ex *Matth.* 18. 18. certe ſoli Petro non primo ac principaliter tribuuntur. Sic enim peculiariter tribuerentur Petro, & ſimul etiam reliquis Apoſtolis, quod contradictionem implicat; eſſet enim poteſtas clavium communis, & non eſſet communis. Et præterea Petrus non fuit particularis aliquis Epiſcopus. ſingulari alicui Eccleſiæ præfectus, ſed conſtitutus ut omnibus gentibus & nationibus Euangelium prædicaret *Matth.* 28. (ſiquidem tota & univerſalis totius mundi Eccleſia Apoſtolis fuit commiſſa, ut eam fundarent, & non tam regerent ſingulas, quàm eas regendas propriis Epiſcopis commendarent, *Marc Ant. de Dam. de Rep. Eccleſ. l.* 3. *c.* 6. *n.* 4) adeoque uti reliqui Apoſtoli omnes, fuit Epiſcopus habitu ubique, actu vero illic, ubi Apoſtolico munere functus cathedram ſuam collocavit, uti Danh. loquitur Dram. p. 104. ubi non negat, Petrum fuiſſe Romæ, & Romæ Epiſcopum, Gregorius Corteſius Mutinenſis citatus à Voëtio Diſput. Sel. 1. p. 706. peculiarem librum ſcripſiſſe dicitur contra negantem Petrum fuiſſe Romæ. impreſſ. Venet. 1573. conf. Danh. Id. B. Interpr p. 260. Krom. hiſt. Eccl. p. 17. Keſſer. hiſt. Eccl. p. 466. Arbitror autem ex odio in Pontifices nonnullos eſſe inductos ad negandum, Petrum fuiſſe Romæ, quod negari non debuit, quia tota antiquitas reclamat, & ſtultum eſt, imò abſurdum aſſerere, quod per omnia ſecula optimis tantisque Eccleſiæ luminibus fuerit impoſitum, imo hâc ratione tota fides hiſtorica corruet. Audire licet Prudentium, qui in hymno de S. Laurentio alloquitur Dæmonia Jovis in hunc modum:

Diſcede Adulter Jupiter,
Stupris ſororis oblite,
Relinque Romam liberam
Plebemque Chriſti, jam fuge,
Te Paulus hinc exterminat,
Te ſanguis exturbat Petri
Tibi id, quod ipſe amaveras,
Factum Neronis officit.

Dein-

Deinde quotquot ex priſcis DD. Catalogos R. Pontificum contexunt, *Iren. l.* 3. *c.* 3. *Euſeb. l.* 4. *c.* 1. *Epiph. hæreſ.* 27. & alii ſemper à Petro incipiunt, cathedram Petri. *Cyprian. Ep.* 55. Navigant ad Petri Cathedram & ad Eccleſiam Principalem unde unitas ſacerdotalis orta eſt. Audiatur iterum Poëta Chriſtianus Proſper:

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non continet armis
Relligione tenet.

Præterea & ratione oſtendi poteſt, Petrum Romæ fuiſſe, Nam antequam Paulus veniret Romam, ibi jamdudum erat Eccleſia ſatis florens & ampla. Fieri itaque aliter non potuit, quin ante Paulum alius Romæ eam fundarit. Nec obſtat Paulum per triennium Romæ commoratum nullam Petri mentionem feciſſe. aliud Romæ eſſe, aliud reſidere. *Horn. l.* 1. *c.* 7. *Hiſt. Eccleſ.* Deinde etiam non negamus Petrum fuiſſe Romæ Epiſcopum, quia fuit Catholicus Epiſcopus habitu, at 25 annos ibi, ceu particularem Epiſcopum, & primum Papam Romanum, eo privilegio, ut nullus ſucceſſor annos Petri attingat, ſediſſe, probari non poteſt. Hieronymi enim catalogum qui hoc aſſerit, falſatum eſſe, patet ex eo, quod à veritate hiſtoricâ & ipſius Hieronymi Comment. in Gal. 2. diſcrepet. uti docet Magnus *Hülſem. in Form. Conc. p.* 1027. Neque ſolum Romæ fuit ſed & maximè Antiochiæ ac præterea Alexandriæ, unde dicunt has tres eſſe tantùm Patriarchales ſedes, inquibus Petrus fuit Epiſcopus particularis, Hieroſolymitanum vero Epiſcopum etiam Patriarcham dictum ob reverentiam Domini, Conſtantinopolitanum autem propter favorem Principum *Theoph. Renaud de corona Pontif. p* 28. 29. 30. ubi aſſerit hanc eſſe notam Patriarchalis ſedis, ubi Petrus cathedram ſuam habuerit. & *p.* 33 *&* 80. ſtatuit, Petrum etſi alias ſedes tenuerit, ut Epiſcopus particularis in ſolâ tamen Romanâ habuiſſe ſucceſſorem plenariæ & univerſalis in totam Eccleſiam autoritatis, meritoque ſolam Romanam Eccleſiam dici Apoſtolicam. Sed Ρομποι καὶ λῆρει hæc ſunt nullâ refutatione digni. vid. *Gemar. pec.* libr. de Petri & Papæ repugnantia. *Voet. R. diſp. Sel p.* 700. 701. *Cham. Panſtrat. t.* 2. *l.* 13. *c.* 4. *Barclai. Nicol. Videlius pec. tr. Molinæus, Nigrim. Caſaub. Velenus Mortanus* de h. materiâ. *Gerb. Conſ. C p.* 2. *l.* 2. *f.* 888. *Walth. in Biblicis Medit.* 11. *p.* 190. *Reiſn. quæſt.* 7. *Illuſtr. annot. hiſt. Caſp. Er. Brochm. Syſt.* 22. *p.* 813.

17. *Si quis diſcernit presbyterum.* Eſt quartus Canon Concilii Gangrenſis ſupra n. 8. tertio loco contra cœlibatum adductus, qui loquitur de presbytero conjugato. Sed Pontificii hodie, ut conjugii interdictum tueantur, canonem hunc interpretantur de eo, qui uxorem habuit, ſed non amplius eâ utitur. In Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ, à *Chriſtoph. Juſtello* edito, ita legitur in idiomate Græco: εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος. At γεγαμηκότες dicuntur, qui matrimonio juncti ſunt, & illis imperat Paulus χωρισθῆναι 1 *Cor.* 7. 10. Occaſionem dedit Canoni Euſtathius Sebaſtenus ſuperſtitioſiſſimus Monaſticæ vitæ admirator, qui in ædibus conjugatorum precationes fieri vetuit, & presbyteri habentis uxorem (ſunt verba *Socratis l.* 2. *hiſt. Eccleſ. c.* 43. ex interpretatione Chriſtophor. Soni) quam lege, cum eſſet laicus, duxiſſet, benedictionem & communionem, tanquam ſcelus, declinandam præcepit. Ex quibus manifeſtum eſt, connubialem & clericalem ſtatus olim fuiſſe compatibiles, nec quenquam ob conjugium à clericatu excluſum, aut ipſum connubium ob ſacerdotium diſruptum aut irritatum.

18. *Canon Apoſtolorum. Quintus.* Juxta alios ſextus ſuprà etiam n. 8. adductus ita ſe habet: *Epiſcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam ſub obtentu Religionis abjiciat, ſi vero rejecerit, excommunicetur, ſed ſi perſeveraverit, dejiciatur.* Hic addit *Franciſcus Sylvius* & canonem ita interpretatur. *Iſto canone Epiſcopus aut preſbyter non ſic prohibetur abjicere uxorem antea ductam, ut jubeatur operam dare liberis procreandis ſed tantùm jubetur ejus curam habere, ipſique de omnibus ad vitam honeſte degendam requiſitis providere ut cum dicitur,* non abjiciat; *ſubaudiatur vel intelligatur à ſuâ curâ;* Eandem

interpretationem profert & tuetur *Franc. Longus à Coriolano*, ſed argumentis & probationibus minus congruis, petitis ſcilicet ex novioribus, de quibus ſcilicet lis eſt, num cum antiquis ſatis conveniant. Sane *Nicolaus Papa* Canonem hunc Apoſtolicum verbis ſuis ita reddit: *c. noſſe* 30. *q.* 1. *nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem.* dimittere inquit. i. e. toro ſeparare non tantùm, curam non habere. Et quo verò religionis prætextu potuiſſet à presbytero cura ſeparatæ à ſe conjugis denegari aut in dubium vocari, cum religio curam proximi habere enixe jubeat. Sequenda igitur potius eſt interpretatio Synodi Conſtantinopl. 6. in Trullo habitæ, quæ legitur c. Quoniam 14. diſt. 31. his verbis: *Quoniam in Romani ordine canonis eſſe cognovimus traditum, eos qui ordinati ſunt Diaconi vel preſbyteri, confiteri, quod non ſuis jam copulentur uxoribus; nos antiquum ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ, & conſtitutiones ſacrorum Virorum, legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum uxoribus ſuis connubia eorum diſſolventes aut privantes eos familiaritate ad in vicem in tempore oportuno. Quicunque ergo diligens fuerit inventus in ſubdiaconali ordinatione aut diaconali, aut ſacerdotali, hi nullo modò prohibeantur ad talem aſcendere gradum pro uxoris ſuæ cohabitatione, nec etiam tempore ordinationis ſuæ profiteri caſtitatem cogantur, quòd abſtinere debeant à legalis uxoris familiaritate. Si quis igitur præſumſerit contra Apoſtolicos Canones aliquos preſbyterorum & diaconorum privare à contactu & à communione legalis uxoris ſuæ; deponantur*, &c. Hujus Canonis verbis cum premerentur Pontificii, omnes in univerſum ſextæ Synodi Trullanæ canones rejecerunt, præſertim cum vidiſſent, illis etiam æqualitatem Epiſcopi Romani & Conſtantinopolitani aſtrui. vid. poſt alios *Franc. Long. à Coriolano ad d. c.* 6. *Ap. & Henr. Luyck in ſpeculo Concubinariorum.* 260. Sed ſtrenue eos vindicarunt *Gerhardus*, *Calixtus & alii*. Digna verò eſt etiam *Johannis Zonaræ* ad eundem canonem annotatio, quæ hic aſcribatur, & ita ſe habet: *Olim licebat ſolvere conjugatos etiam absque cauſa, quoties vellent; At Dominus, ut in Euangeliis ſcriptum eſt, id interdixit. Quare ſecundum Chriſti mandatum etiam Apoſtoli id ipſum prohibent. Et nunc de iis loquitur Canon, qui ſunt in ſacris: Si prætextu pietatis, qui in ſacris eſt, uxorem ſuam dimittat, ſeparetur à communione, videlicet donec animum inducat eam reſumere; quod ſi perſeverarit eam non reſumere, etiam excommunicator. Univerſaliter enim id pertinere ad calumniam conjugii, quaſi impuritatem coitus induceret. At hunc honorabilem ſcriptura dicit, & cubile impollutum. Meminit autem Canon etiam Epiſcoporum habentium uxores, quia tum etiam Epiſcopis erat libera cum mulieribus legitima copulatio.* Hæc Zonaras, qui vixit circa A. 1118. Et ex his patet, canonem ſextum Apoſtolicum de ipſa conſuetudine matrimoniali, non de curâ tantùm intellectum olim fuiſſe. Quis autem in eo ſignificetur *obtentus religionis*, pulchre explicat *Jo. Selden. Ux. Hebr. l.* 3. *c.* 31. ubi aſſerit reſpici ad hæreticos illo ſeculo notiſſimos qui damnarunt nuptias; Nam qui nuptias jure divino non licitas credens, aut hâc de re ſcrupuloſius dubitans uxorem ejiciebat, is εὐλαβείας προφάσει religionis (ſuperſtitionis ſeu cautionis) cauſa id faciebat. Unde in Concilio Gangrenſi: *ſi qua mulier reliquerit virum, nuptias abhorrens, vel execrans* (ex hæreſi Euſtathiana) *anathema ſit. Can.* 14. *diſt* 30. *c.* 3.

19. *Sanctiſſimos Epiſcopos habuiſſe conjuges ſuas.* Imò ipſos etiam Pontifices. Unde in Concilio Baſileenſi cum depoſito Eugenio, *Amadeus* Dux Sabaudiæ poſt Felix IV. dictus, uxoratus in Papam eligeretur & coronaretur, controverſum diu fuit, an eligi poſſit, & definitum à Concilio, non tantùm, qui uxorem habuit, ſed adhuc qui habeat uxorem aſſumi poſſe. Cur enim ajunt, diſputant DD. *an uxoratus electus in Papam uxori ſolvere debitum teneatur*, niſi quoniam conjugatus recipi poſſit. Fuerunt ut ſcitis, etiam in matrimonio Pontifices, nec Petrus Apoſtolorum Princeps uxore caruit. Quid iſta modo objicimus? fortaſſe non eſſet pejus, ſacerdotes quamplures uxorari, quoniam multi ſalvarentur in ſacerdotio, qui ſterili in presbyteratu damnantur. vid. *Mornæus Myſter. Iniquit. p.* 780.

20. *Sanctiſſimos Epiſcopos ſicut & Presbyteros.* Salvator noſter inter Epiſcopos

(ἐπισ-

(ἐπισκέπτεσθαι inſpectionem & procurationem notat. Sic *l.* 18. §. 7. *ff de muner. & honor.* Epiſcopi dicuntur, qui præſunt pani & cœteris venalibus, ad victum ſeu annonam ſpectantibus rebus, ſeu Ædiles Cereales. v. *Claud. Eſpenc. in* 1 *Tim.* 3. *p.* 38. 39. *Chemn. Ex. Concil. Trid. p.* 2. *p.* 419.) & presbyteros non diſcrevit, nec ullum actum Eccleſiaſticum Epiſcopis aſſignat, quem exercere presbyteri non debeant, ſed ipſi Epiſcopi dignitatis ſuæ augendæ ſtudioſi aliqua ſibi ſucceſſu temporis peculiariter vindicarunt. *Auguſtinus Epiſtolâ* 19. Epiſcopum presbytero majorem eſſe dicit, ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit. Et *Chryſoſtomus* inquirens in rationem, quare Apoſtolus 1 Tim. 3. ab officio Epiſcoporum illicò deſcendat ad deſcriptionem Diaconi (Quos olim & ſacerdotibus accenſitos docet *Optatus Milevitanus* l. 1. adverſ. Parm: *quid commemorem*, inquit, *Diaconos in tertio, quid presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos*, omiſſis presbyteris, eam tandem amplectitur, quòd non multùm interſit inter ordinem Epiſcoporum & Presbyterorum. *Nam & presbyteri*, inquit, *aſſumpti ſunt ad docendum populum & præfecturam Eccleſiæ, ideoque quæ de Epiſcoporum ordine dicuntur, Presbyterorum quoque ordini congruunt. Solâ enim impoſitione manuum aſcenderunt Epiſcopi ſuper presbyteros, & hoc ſolum lucri videntur præripuiſſe Presbyteris,* δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους, quæ verba oſtendunt, prælationem Epiſcopi non ex jure divino eſſe, uti fabulantur Pontificii, ſed ex uſurpatione, accedente conſuetudine, aut potius præſcriptione. Talia plurima occurrunt ap. Hieronymum, Theodoretum & alios. Quæ cum concoquere non poſſit *Michael Medina l.* 1. *de Sacr. hominum contin. c.* 5. *In Hieronymo*, inquit, *& Græcis illis Patribus olim propter eorum honorem & reverentiam hæc ſententia aut diſſimulabatur aut tolerabatur.* Et Domin. Soto in 4. Sent. 24. q. 2. a. 2. *Ut ego ingenue fatear, arbitror, Hieronymum fuiſſe in hâc opinione, quod primitus de jure divino nullum erat diſcrimen.* Sane non falſus fuit Soto, neque ſolus fuit Hieronymus, qui in eâ fuit opinione. Nihilominus Pontificii *anathema dicunt*, ſi quis dixerit Epiſcopos inſtitutione divina non eſſe Presbyteris ſuperiores. *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *c.* 6. 7. Falſum tamen eſt, plus poſſe Epiſcopum de Jure divino, quod ordinem concernit, quam presbyterum, cum nulla in Epiſcopis de jure divino inveniatur poteſtas, quæ non eadem ſimul ſit in presbyteris. Et quanquam deinceps lege Eccleſiæ poſitivâ diſcrimen aliquod inter Epiſcopum & presbyterum introductum ſit, falſum tamen rurſus eſt, Presbyterum nil prorſus efficere in iis, quæ ad poteſtatem Epiſcopalem ſpectant, cum poteſtas æqualiter omnibus Eccleſiæ miniſtris divinitus demandata, per Eccleſiaſticam aliquam conſtitutionem nunquam ità ſoli Epiſcopo tribui poſſit, ut presbyter nullam hanc exercendi habeat facultatem. Sed & ipſi Pontificii fatentur, *ſacramentum Ordinis unum* tantum eſſe; fateantur ergo etiam illud, vi hujus ſacramenti unam eandemque poteſtatem conferri & Epiſcopo & presbytero, aut concedant, vi ordinis nullam dari poteſtatem, quæ major ſit in Epiſcopo, quàm presbytero. Diſtingunt quidem Pontificii inter ea, quæ ſunt *jurisdictionis*, & quæ ſunt *ordinis*. & in hâc diſtinctione ritè explicanda multum occupantur, quam idcircò totam rejicit. *Robert. Park. de Polit. Eccl. l.* 2. *c.* 34. Sed bono ſenſu poteſt quidem retineri, ita ut per *ordinis poteſtatem* intelligatur illa, quæ vi ordinationis absque ulla jurisdictionis ſpecie Eccleſiæ miniſtris demandatur; per jurisdictionis poteſtatem vero quæ ſpeciem habet alicujus jurisdictionis & cum illa quodammodo convenit. At Pontificii per ordinis poteſtatem intelligunt illam, quæ ordini Epiſcopali & presbyteriali vi ordinis ita propria eſt, ut à reliquis ordinibus exerceri non poſſit, imò etiam inter Epiſcopos & presbyteros tale faciunt diſcrimen, ut quædam Epiſcopis ſolis conveniant, quæ à presbyteris nullo modo peragi poſſint. jurisdictionis verò poteſtatem volunt eſſe proprie dictam ac cum vi cogendi & coercendi conjunctam, qualem tamen Eccleſia, quà talis, non habet, quippe ipſi naturæ poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ *tota miniſterialis & ſpiritualis* eſt, & praxi inſuper Apoſtolorum minus congruentem. Sed & ipſa *tota jurisdictio ſpiritualis ex poteſtate clavium*

reſultat, hæc autem in ordine fundatur, ut non videam, quâ ratione jurisdictionem talem exercere quis poſſit, qui ordinem nondum habeat. Quod ſi jam diſcernere ea, quæ jurisdictionis, quæ ordinis ſint, jubeantur Pontificii, non diſſenſum tantùm inter eos, ſed commenta etiam quandoque animadvertes, in Theologia Papali non infrequentia. Ad poteſtatem Ordinis refert *Auguſt. Barboſa de Offic. & poteſt. Epiſ. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 1. *n.* 9. ut ſciat, & poſſit omnia ſacramenta conferre, prædicationis munus exercere. &c. At *Marcus Ant. de Dom.* prædicandi poteſtatem refert ad poteſtatem jurisdictionis, *l.* 2. *de Rep. Eccl. c.* 2. *n.* 3. eam vero planè omittit *Becan. in Theol. Schol. de ſacr. in ſpec. c.* 26. *q.* 6. *concluſ.* 2. Ita *Martinus Azpilicueta* Navarrus ad poteſtatem ordinis refert tantum poteſtatem conſecrandi, ad jurisdictionis autem poteſtatem omne reliquum, quod in Eccleſiâ aliquam facit poteſtatem, etiam poteſtatem adminiſtrandi ſacramenta, *in Relect. c. novit.* 10 *de judic. n.* 83. Ita plane incerti ſunt in explicandis ſuis rebus Pontificii. Hoc interim certum eſt, vocabula iſta *Epiſcopi & presbyteri in ſacris literis eſſe* ἰσοδυναμοῦντα & *ejusdem ſignificationis*, ita ut alterum pro altero uſurpatum inveniatur, quod patet *ex Act.* 20. 17. *coll. cum v.* 28. *Tit.* 5. 1. *coll. cum v.* 7. *ex* 1 *Petr.* 5. 1, 2. Quin & hoc certum, talem diſtinctionem Epiſcoporum & presbyterorum, qualem nonnulli hodie ſomniant, jure divino, ſeu ex ſpeciali Chriſti inſtitutione non eſſe profectam. Vid. c. legimus 24. diſt. 93. c. olim diſt. 95. c. 6. ibid. c. nullus 4. diſt. 60. Gerh. t. 4. L. C. de Min. §. 236. Invaluit tamen deinde uſus, ut illæ voces Epiſcopus & presbyter non promiſcuè quemvis Eccleſiæ doctorem ſignificarunt, ſed illa adhiberetur ad denotandum illum, qui inter Doctores unius particularis Eccleſiæ primus erat, & præcipuæ autoritatis; hæc vero ad denotandos illos, qui præter primum illum in eâdem Eccleſiâ docebant, quemadmodum etiam à ſe diſtinguntur *l.* 33. *l.* 34. *l.* 50. *C. de Epiſ. & cler. C. Theod. de hæret.* Sed quando diſtinctio illa primum introducta ſit, acriter adhuc diſceptatur. Nobis iſtam litem componere nunc non vacat; conf. *Thom. Bilſon, de perpet. Eccl. gubern. c.* 13. *Hugo Grot. de Imp. ſumm. pot. circa ſac. c.* 11. Sane conſultum putarunt in Veteri Eccleſia, præſertim poſtquam faſtus & philautia eam infeſtarunt, ut aliquis inter miniſtros Eccleſiæ ſive πρεσβυγενείας jure, ſive ex ſingulari ſuo merito πρωτοστασίαν & πρωτοκλισίαν habeat, conſulendo, monendo, hortando aliis præeat, ſuffragia in cauſis dubiis colligat, autoritate ſuâ univerſam actionem moderetur, & id, quod decernitur, pie & prudenter exequatur, atque ita ceu Pater filiis præſit, non verò inſtar Regis dominatum exerceat. Et ſub hoc erant presbyteri, cum quibus Judæorum *ſeniores* coincidunt juxta *Joh. Seldenum de Synedr. l.* 1 *c.* 14. unde & ortum videtur nomen, *Selden. in Eutych. Orig. p.* 16. quod ſenſu Eccleſiaſtico non ſemper ſenem, ſed *judicio maturum & prudentem* denotat qui ſui miniſtetii ſtrenuè ſatagat. *Claud. Eſp. in Ep. ad Tit.* 1. *p.* 471. Hîc verò ante omnia *eſſentialia* miniſterii ab *accidentalibus* ſunt diſtinguenda. Ad *eſſentialia* referuntur, docere verbum, adminiſtrare ſacramenta, ligare, ſolvere. &c. & in his Epiſcopus nil præcipuum habet, in *accidentalibus* verò, qualia ſunt diſponere res Eccleſiaſticas, regere alios Paſtores, curam & inſpectionem aliarum Eccleſiarum habere, inæqualitas quædam eſt, & Epiſcopi ſuis presbyteris ſuperiores ſunt. Nihil ergò eſt, ut diſtinguantur ea, quæ ſuo jure poſſunt presbyteri, & quæ Epiſcopo permittente. vid. Inſtit. Jur. Can. l. 1. tit. 21. §. 5. Illud prætereundum non eſt, poſt alios noviſſime *Salmaſium de Fœn. Trapez. p.* 407. duo facere genera cùm Epiſcoporum, tum presbyterorum. Unde eorum qui diſpenſationem & adminiſtrationem ſacramentorum habebant, alterum, qui docendi tantum munus & prædicandi ſubſtinebant, & orationi vacabant, quam in rem adducere ſolent 1 Tim. 5. 17. ſed nil hîc obſtare, quò minus de iisdem explicari poſſint verba Apoſtoli, notat *Fridr. Baldw. ad h. l.* 1 rectè obſervat *Hugo Grotius de Imp. ſumm. pot. circa ſacr. c.* 11. *n.* 16. nullibi alias memorari novum hoc presbyterorum genus, qui adminiſtrationem ſacramentorum non haberent, ſed tantum παρεδροι eſſent, nulli-

ſibi apparere, quo autore, quâ occaſione cepiſſet, nec putandum eſſe, quod uno tantùm hoc in loco, ubi de munerum Eccleſiaſticorum generibus ſermo inſtitutus non eſt, Eccleſiaſtici regiminis pars neceſſaria inſinuata fuerit: Simpliciſſima igitur ex mente Grotii Expoſitio loci Paulini eſt: omnibus quidem presbyteris ſtipendia deberi, ut qui præſint Eccleſiæ, i.e. gregem Dominicum paſcant; ſed illis præcipue qui omni curâ rei familiaris neglectâ uni ſtudio Euangelii propagandi incumbunt, nullique labori parcunt, conf. *Claud. Eſpenc. ad h. Pauli l.* Qui plura de Epiſcopis & presbyteris deſiderant, adeat *Duaren.* de ſacr. Eccl. miniſtr. & *Caroli Molinæi* Opuſcula & tr. de recuſ. Concil. Trident. *Blondell.* de Epiſc. & Presb. qui ſtatuit tertio ſeculo cepiſſe hanc diſtinctionem. *Henr. Hammond.* de Jur. Epiſc. contra Blondellum aſſerit primo ſeculo cepiſſe. *Joſ. Hall.* aſſerit pec. libr. Epiſcopatum eſſe juris divini, contra quem ſcripſit *Irenæus Philadelphus* ad Renatum Veridæum. *Jacob. Revius* Exam. Epiſcop. Videlii p. 15. ait autorem hujus Epiſtolæ eſſe Ludovicum Molin. ad Andr. Rivet. (per anagr.) *Graw.* a. V. A. C. p. 31. *Danh.* Antichr. 720. *Iſidor.* l. 7. Etym. c. 12. *Salmaſ.* de prim. Pap. q. 1. *Hülſm.* Anti. Hag. p. 477. *Gerh.* LL. CC. 6 39. *Meiſn.* Phil. Sobr. p. 2. c. 12. ſ. 1. q. 11. p. 319. *Chemn.* Ex. Conc. p. 2. p. 404. *Baldw.* in Epl. ad Phil. p. 29. ad Tim. p. 187. *Krom.* Hiſt. Eccl. p. 20. *Brochm.* Syſt. 11. 918. *Jo. Dartes* Anteceſſ. Pariſ. lib. 3. contra Salm. de primat. libr. 1. Pariſ. 1648. 40.

21. *Virginitatem ſuaderi non imperari poſſe.* Impie & contra præceptum divinum ex inſtinctu planè Diabolico 1 Tim. 4. 3. interdicitur conjugium. Et ferè Tyrannicum eſt, ob ſolam hujus interdicti non obſervationem, non Eccleſiaſticis tantum pœnis, ſed coporis etiam afflictivis clericos punire, quibus ab Hildebrando aliisque præſulibus plurimos ſubjectos quin & vivos combuſtos teſtatur CL. Eſpenc. l. 1. de Contin. c. 12. f. 696. Illud vero Antichriſtianum hoc interdictum magis aggravat, quòd non Paſtores tantum in officio conſtitutos matrimonio prohibeant; ſed clericos etiam alios, ſi maxime per univerſam vitam ad nullum officium Eccleſiaſticum adhibeantur, ſed titulares tantùm & larvati obambulent, ordinem dehoneſtantes magis, quàm decorantes. Cum tamen rationem prohibitionis potiſſimum reddant iſtam, quod mundos eſſe conveniant iſtos, qui ſancta & ſacra contrectant, Atque hæc non contrectant Presbyteri & Epiſcopi titulares. Sed nec illud prætereundum, in Synodo Ancyranâ conſtitutum fuiſſe, ut Diaconis, ſi in ipſa ordinatione proteſtati fuiſſent, ſe velle matrimonium contrahere, nec poſſe ſe continere, poſtea uxorem ducere, & nihilominus in miniſterio manere liceret. c. Diaconi diſt. 28. Laxiores igitur eo tempore fuerunt continentiæ leges, quàm inter hodiernos Pontificios add. c ſi quis. 15. diſt. 28. c. 13. diſt. 56. Unde & ſæpe Pontifices diſpenſarunt & permiſerunt clericis, ut ducerent. Quemadmodum narratur quod circa medium 12 ſeculi, temporibus Vitalis Michaelis Venetiarum Ducis, fuerit aliquis Monachus S. Benedicti Nicolaus Juſtinianus dictus, qui ſacerdos fuit, & diſpenſationem à Papa obtinuit, ut duceret uxorem, Amai Ducis filiam, ex qua novem genuit, filios ſex & tres filias, rediit poſt ad monaſterium, uxor etiam fit monialis, & uterque beatificantur.

22. *Piſcina Romana ex qua 6000. capita infantum.* Circa hanc piſcinam fuit unum vel alterum monaſterium ſceleratiſſimis hominum piſcatoribus repletum, qui tantum abeſt, ut nomen illud à Chriſto clericis impoſitum mereantur, & in rete Chriſti piſces attrahant, ut potius in cauſa ſint, ut piſciculi, miſelli ſcilicet infantes in rete pervenire non poſſint, & antequam naſcantur, denaſcantur, & miſerrimo modo pereant. Siquis nunc aliquantiſper conſiderat modo monaſteria, & ordinum multitudinem atque monachorum, non poteſt non in lacrymas totus ſolvi, quando nefandiſſima illa ſcelera, eaque occulta monachorum animo concipit, Ordinum ipſorum tantus eſt numerus, qui ab autoribus proditur, ut fere omnem excedat fidem & numerum. Eſt nonnemo, qui notiſſimos ſaltem & communiſſimos per alphabetum quodammodo digeſſit ita ut ſub A contineantur ſequentes.

A. Auguſtiniani, Antoniani, Ambroſiani, Apoſtolici, Agapetini, Alcantare milites. Annuntiationis B. Mariæ Ordo. Adriſæ ſeu aurei velleris ordo. Ordo deAvis tertius ex Equeſtri.

B. Baſiliani, Benedictini, Bernhardini, Brigitani, Beghardi, Mendicantes, Bethlemitæ, alias Monachi Stellares. Bonorum hominum Ordo.

C. Ciſtericenſes. S. Claræ Ordo, Canonici Regulares, Carthuſiani, Cœleſtini, Clerici Apoſtolici, ſeu Jeſuatorum Ordo. Camaldulenſes, Chalomeriani, Crucigeri, Calaſtranæ Ordo, Conſtantinopolitani milites, Clavigeri; Cluniacenſes, Caputiani, ſeu Capuccini.

D. Dominicani. Ordo S. Davidis. Dealbatorum Ordo.

E. Eremitæ.

F. Franciſcani Minoritæ, Flagellantes Fratres de Ordine martyrum, Fratres de Hiſpaniâ, Fratres de communi vita. ſeu bonæ voluntatis.

G. Gladiatorum Ordo, Gregoriani, Grandimontenſes, Guilhelmitæ, Georgiani in Alga, Gilbertini, Garterii.

H. Hoſpitaleſii, Hoſpitalarii S. Joh. Hieroſolymitani, pòſt Rhodii: hodie Johannitæ ſeu Maltenſes, Hieronymiani, Humiliati, Hoſpitalarii S. Spiritus. Helenæ Fratres. Hieroſolymitani Fratres.

I. Jeſuati, Jeſuitæ, Johannitæ, Jacobitæ, Joſephi Ordo, Joſephati vallenſis Ordo. Johannis Fratrum Domeſticorum Ordo De Civitate S. Johannis. Indiani, Ignorantiæ Ordo. ſive Fratres Ignorantiæ, Juſtinæ Ordo.

L. Lararictæ. Lenonchlemii, Lateranenſis Canonicus Ordo.

M. Milites de Labaëda. D. Mariæ virginis milites. Milites Teutonici, Minores, Minimi, Michaelis Ordo. Milites S. Jacobi de Spadâ, Magdalenæ fratres, Mariæ Ordo de decem virtutibus. Martyrum Ordo. Montolietani. Meretricum Ordo, Ordo S. Marci. Milites Chriſti. Montenſes milites, ſeu ſepulchri Dominici Ordo.

N. Nalhardi, Lolhardi, Beghardi, Beginæ, Norbertini.

O. Ordo de Cruce ſtellata. Onuphriani eremitæ, Itali, Conceptionis M. Ordo.

P. Prædicatores, Præmonſtratenſes, Pauperes voluntarii, Ordo de Purgatorio, Patriarchales, S. Petri Pœnitentiarii.

R. Rhodii; Recluſorum Ordo, Roberti-ni, & Ruffi Ordo. Redemtionis S. Mæriæ Ordo, ſeu de meveda.

S. Stephani Ordo. Servi Mariæ. Secta de ſacco. ſtelliferi. Scoti Fratres, Sclavonicus Ordo, Sylveſtrini, Specularii. Sepulchriſtæ. Sarabitæ. Sophiæ Fratres. Stellæ Ordo. Sacii S. Salvatoris Ordo. Scopetini.

T. Templarii. Teutonicus Ordo. Trinitarii.

U. Vallis Umbenſes. Vallis Scholarium Ordo.

W. Wenceſlaani. Wilhelmitæ. ex Chronico Chronicorum noti.

Si quis nunc numerum Cœnobiorum, quibus quilibet ordo gloriatur, & poſtea numerum omnium monachorum & monialium, in quolibet monaſterio viventium, noſſet, reapſe experiretur, tantum exinde collectum iri numerum ut periculum ſit, fore ut ad ſcribendum illum dies & litera deficerent. Nonnulli enim ordines tantopere creverunt, ut ipſorum numerus duntaxat iniri non poſſit, nedum ſi omnium computatio ſit inſtituenda. Bernhardus ſolus dicitur ſexaginta ædificaſſe monaſteria, & cœlum, uti narratur, aſcenſurus 770. fratres reliquiſſe. Hodie ita aucti ſunt, ut monaſteriorum virilium copia millenarium (1300) & muliebrium etiam (1500) excedat, atque ita conjunctim ſint bis mille & octingenta (2800) monaſteria; & ſi in quolibet monaſterio decem tantum perſonæ ſint quantus inde exurget numerus. vid. *Sur. ad A.* 1153. *Geneal. Mar.* 20. *Auguſt.* In Capucinorum Ordine fuerunt ante dimidium fere ſeculum novendecim millia monachorum exceptis monialibus. Carmelitæ jactant ſeptem mille Cœnobia. *Geneal. Mar.* 19. *Aug. p.* 222. ſicuti in una urbe Ancira ſemel decem millia virginum Carmeliticarum fuiſſe perhibentur. *Geneal. Mar.* 6. *Jan. p.* 46. it. 16. *Jul. p.* 66. Adhuc amplior eſt Benedictinorum Ordo, qui de 34. Romanis Pontifici-

cibus, (200 Cardinalibus, 31. Patriarchis, 1500 Archi-Epiſcopis, 4000 Epiſcopis 21. Imperatoribus, 25. Imperatricibus 46. Regibus, 51. Reginis. 237000 *monaſteriis maſculinis & 15000. fœmininis* atque conjunctim 52000 cœnobiis gloriantur. *Geneal. Mar.* 21. *Mart. p.* 163. Quantopere creverit pauco tempore Societas Jeſuitarum, dici non poteſt. Pluſquam centum collegia & 40000 ſocios numerare dicuntur. Et hi omnes in tot innumeris monaſteriis ſunt cœlibes, qui caſtitatem Deo ſub voto, quod juramenti inſtar eſt, promiſerunt, quam tamen ſervare plerique nec poſſunt nec volunt. Quid inde aliud quam perjuria, peccata Onanitica, Sodomitica, ſcortationes, adulteria, infanticidia, veneficia, atque id genus alia inaudita & nefanda ſcelera poſſunt oriri, ut experientia ſatis abundeque teſtatur. Et unde hactenus tot incendia urbium, tot bella, tot peſtes & tot calamitates publicæ & privatæ, quam ab innumeris innumerorum ἀγάμων ſcortationibus, adulteriis, libidinibus apertis & opertis, hodiè in hoc mundo perverſo pœnæ rariſſime ſubjectis, ut merito exclamandum cum illo Patre: Deus, in quæ tempora nos reſervaſti. Sane Eccleſiæ & Reip. multo eſſet conducibilius, ſi pauciores ejusmodi ordines, & rectius dicendo, plane nulli haberentur, aut iterum, ut olim fuerunt, monaſteria in ſcholas commutarentur, in quibus laborioſi magis, & ad miniſteria Eccleſiaſtica apti educarentur. Negari quidem non poteſt generali Concilio ſemel atque iterum præſertim ex Conſtitutione Innocentii Tertii *c. fin. extrav. de Relig. dom. & c. 1. ad tit. in 6.* cautum fuiſſe, ne quis in poſterum novam religionem aut novum ordinem inveniret. Sed quàm male obſervatum ſit, res ipſa loquitur. Nam poſt Innocentium Tertium, qui vixit *circa A. D.* 1198. multi novi Monachorum Ordines ſunt inventi. Incommoda verò ex tanta ordinum multorum copiâ reſultantia enucleatè deſcribit *Petr. de Aliaco Cardinalis Cameracenſis l. de Reform. Eccl.* cum ait: *quod tanta Religioſorum numeroſitas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam obſervationum, & ſæpe ad ſuperbiam & vanam extollentiam unius ſtatus ſuper alium.* Hoc ne gratis dixiſſe videatur Petr. de Allico ex multis unicum nunc adduco *Anton. Florentinum*, qui cum eſſet Dominicanus, in *Sum. Theol. p. 4. tit. 2. c. 4. §. ult.* non dubitat Franciſcanos, utut iniquiſſima perpeſſos, hoc inſuper mordaci ſale conſpergere: *Franciſcani ad confirmationem ſuæ doctrinæ adhuc non habent oſtendere unum parvum miraculum, niſi fumum & cineres, cum combuſti fuerint aliqui ex illis* (quod proprietatem bonorum omnem abjurarent.) *Noſtri autem*, Dominicani) *qui tenuerunt illam determinationem Joh.* 22. (de qua ſupra diximus) *ut veriſſimam uſque ad præſens* ſcil. annum 150. *claruerunt variis miraculis multis in locis.* Sed & de multitudine monaſteriorum & immenſa divitiarum accumulatione graviter more ſuo conqueritur *Johannes Petrus de Ferrariis* in Præct. tit. 50. gloſſ. 9. n. 4. *Nam ſcire debes*, inquit, *tu ignare Laice, quod imperium aliquando habuit utrumque gladium temporalem ſcilicet, & ſpiritualem, adeo quod tunc Imperatores conferebant omnia Eccleſiaſtica beneficia per univerſum orbem, & amplius eligebant Papam. Unde eo tempore, quo ſtudebant Imperatores ampliare fidem Chriſtianam, quæ tunc modica erat, & in parvo ſtatu, oportuit conferre multa privilegia Eccleſiis, & his, qui ſe ad fidem Catholicam convertebant. Inter quæ privilegia fuit iſtud, quod bona ingredientium monaſteria applicarentur ipſis monaſteriis. Propter quod privilegium multiplicata & fundata ſunt monaſteria infinita per totum orbem, olim cauſa devotionis, licet hodie cauſa rapinæ & avaritiæ, in tantum, quod deſtruxerunt hodie mundum & annihilaverunt ſtatum imperii & omnium laicorum. Poſſunt ergo merito dici talia loca facta vel fienda, retia contexta ad capienda laicorum bona. Surgat ergo bonus Imperator*, & dicant omnes: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Ut vero ſuis ordinibus aliquam autoritatem concilient, aſſerere non erubeſcunt, Chriſtum ipſum incepiſſe ordinem *mendicantium*; (quorum quatuor ſpecies Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini & Carmelitarum *Aug. Barboſ. l. 1. c. 41.*

c. 41. *n.* 208. *de Jur. Eccl.* magnas turbas procurantium) Exemplo præiſiſſe & oſtiatim mendicaſſe. vid. *Rich. Montac. de Orig. Eccl. p.* 1. *ad A. C* 12. *n.* 18. Præterea etiam nugantur, *Chriſtum* ipſum per omnes transſiiſſe ordines, fuiſſe *Oſtiarium*, quando ementes & vendentes templo expulit, *Lectorem*, cum in Eſaiâ legeret ex libro, *Exorciſtam*, quando expulit Dæmones, *Acoluthum*, quando dixit ego ſum lux mundi, *ſubdiaconum*, quando diſcipulorum pedes lavit; *Diaconum*, quando diſtribuit Euchariſtiam, *Presbyterum* quando in ara crucis ſe obtulit, & Euchariſtiam conſecravit. Cœterum jam ſuo tempore *Juſtinianus* miniſtrorum Eccleſiæ multitudinem animadvertit, cum *Novell.* 3. *c.* 1. *Quapropter*, inquit, *ſancimus*, *non ultra ſexaginta quidem presbyteros in ſanctiſſima majore Eccleſia eſſe, diaconos vero maſculos centum, & quadraginta fœminas, ſubdiaconos vero* 90. *lectores* 110. *cantores* 25. *& inſuper* 100. *exiſtentibus iis qui dicuntur oſtiarii. &c.*

23. *Imponendo jugum, quod neque vos.* Lex de Cœlibatu ſacerdotum eſt impia injuſta ἄγραφος, ἀντίγραφος, inſupportabilis & difficillime recepta & introducta in Eccleſia. Equidem Mariani, ut hoc jugum portabile reddant, concubinas concedunt, & lupanaria ſi modo in conjugio eum ipſis non vivant, & ſingulis annis florenum Epiſcopo tradant, & illud dicterium obſervent: *ſi non caſte, tamen caute*; præterea etiam ſcortationem pro peccatillo habeant, longeque aliter ſcorta & ſcortatores depingant; Scilicet meretrix ſive ſcortum eſt, quod 23000 viris ſuccubuit, & quia oppoſitorum oppoſita eſt ratio, etiam *ſcortator* non alius erit, quam qui rem habuit *cum* 23000 ſcortis ſeu fœminis, cujus rei nullus fere clericus accuſari, multo minus in defectu teſtium convinci aut condemnari poterit, præſertim cum propter communia ſtudia ex clericis deſumtum habeat favorabilem judicem, cum *fragiliora* ſint *hodierna corpora*, nec ille aliter caſtitatem promiſit, niſi *quantum fragilitas humana permittit*, inſuper etiam præſtet mille abſolvere nocentes, quàm unum condemnare innocentem, uti hæc omnia hinc & inde late ſunt deducta, adductis inſuper mediis & adminiculis, quibus ſine præjudicio voti & [illegible] lex hæc de cœlibatu, ſacerdotum impleri poſſit. vid. Calixt. de Legg. & de Cœlib. ſacerd.

THESIS LXXVI.

HOc non immerito penſi habentes Judæi pro lubitu quotquot volebant, ſibi aſciſcebant uxores, unde Gemara Babylonica dicit: *fas eſt cuique quotcunque ſuperinducere uxores, modo quibus victus iis præbeatur, res ei ſuppetant.* Et Maimonides: *fas eſt, quotcunque etiam centum uxores ſive ſimul omnes, ſive alteram poſt alteram ducere, neque poteſtas uxori ante ductæ virum hic impediendi, modo illi poteſtas fuerit alimenta & veſtimenta ſuppeditandi.* Poſtea tamen cum ſæpe luxuriæ duntaxat cauſa ducerent uxores, & Polygami laſciviæ ſuſpicionem plerumque incurrerent, ſuccedente tempore mos inolevit, ut *plebeji* raro *quaternarium* numerum, *Reges* vero *decimum octavum*, *Pontifices* vero maximi vix *unitatem* excederent. Quæ conſuetudo poſt, ut in his ſolet fieri, vim legis quodammodo obtinuit. Uti ex Thalmudicis *Seldenus ux. Hebr.* refert. Interim omnes in eo concordabant, Polygamiam nullo modo contrariari legi divinæ Unde Pe-

Peſichthah Lev. 18. dicit: *Notiſſimum eſt eum, qui dicat, non licitum eſſe plures ducere uxores, neſcire, quid ſit de Leg.* Ordinem tamen & differentiam inter uxores obſervabant, ita ut una fuerit primaria, certis legibus dotalibus, ceremoniis ſolennioribus & καὶ πολλαῖς φαιλωτάς copulata, cœteræ vero veluti ſecundariæ, concubinæ, per occaſionem & utilitatem ſine ullis ritibus aſſociatæ. Rariſſime etiam omnes habebant in una domo vel loco, ſed à ſe invicem ſeparabant ad concordiam eo melius ſervandam. Unde factum, ut Nobiliores & ditiores ſibi plures aſciſcebant quam plebeji & pauperes.

1. *Hoc non immerito penſi habentes.* Quamvis enim conjugium poſt lapſum multis infirmitatibus, imperfectionibus & peccatis etiam, quia in omni opere etiam bono peccamus, ſit collutulatum, ut vel ablutiones puerperarum, pollutorum aliave nos edocere poſſunt, tamen, in ſe non eſt res mala, ſed à Deo inſtituta, quod de ἀγαμία dici non poteſt, uti quidem *Victor Utopicus p.* 170. expreſſe dicit, ſed non probat, cœlibatum æque eſſe inſtitutionem divinam ac conjugium. At Victor vafez & Afer (Africa enim ſemper aliquid apportat novi) ubi locorum, ubi librorum, ubi capitum, ubi verſiculorum Deus inſtituit cœlibatum? Certè in Paradiſo non inſtituit, qui tamen in ſtatu integritatis poterant continentiam habere, inter Protoplaſtos, nec inter Noachidas, quibus æque dictum, *Creſcite & multiplicamini*, quod & in Patriarchali Eccleſiâ ad Jacobum eadem inquiens, repetiit. Nec Abrahamo hoc injunxit, ſed ex propria & prima uxore filium ipſi promiſit, patrem multarum gentium; In Moſaicâ Eccleſiâ ſteriles & cœlibes erant exoſi, nec ullus exectus, aut contuſus ſaltem in congregationem venire poterat. Chriſtus multo minus inſtituit illam caſtrationem propter regnum cœlorum, quæ ante Chriſtum, ceu peſſima conſuetudo, jamdum erat in uſu, & à Chriſto quidem recenſetur, ſed non laudatur. Paulus & Petrus reliquique Apoſtoli & diſcipuli Chriſti, tantum abeſt, ut nomine Magiſtri ſui illum cœlibatum commendarint, ut potius omnibus conjugium imperarint, dicendo: *unusquiſque habeat* (ἐχέτω, eſt imperativus, habeto) *ſuam uxorem*, idque *propter ſcortationem*, cui omnis ἄγαμος & cœlebs eſt poſt lapſum ſubjectus, nec ab ejus ſuſpicione liber. De Religioſis quidem dicunt Mariani, quod in ejusmodi ſanctos viros nulla cadat ſuſpicio, ſi vel maxime pulchram in brachiis habeant, aut illam, pacem in os inſururrando, oſculo ſancto ſalutent. ſecularibus vero non eſt ita fidendum, quia ſcilicet ſe non continere poſſunt, uti in Legendâ habetur, quod aliquis propter oſculum meruerit purgatorium, quando juvenis aliquis dicitur habuiſſe viſionem, & raptus in Patricii purgativum ignem, alium juvenem torturæ expoſitum vidiſſe, & indagando cauſam oſculo tributam audiviſſe, ubi hoc Epiphonema additur: *Fugite ò juvenes baſia virginum.* Sed cum clericis aliter ſe res habet, qui ſunt ἀπαθεῖς, ἀναίσχυντοι: utut in Jure Canonico de *conſecr. diſt.* 4, *c. Monachi.* expreſſe dicatur, ne Monachi exoſculentur fœminas; ſed alias fœminas eſſe mundanas, alias religioſas, dicunt. Moris enim eſſe, ſi Viſitator monaſteria viſitet, ut ille omnes moniales, quia ſpirituales, oſculetur oſculo pacis ad mandatum Pauli, utut aliquando Chriſtus manus interpoſuiſſe perhibeatur, cum Viſitator ſanctiſſimæ moniali oſcula pacis exhibere voluerit. *Geneal. Mar.* 16. *Jun. p.* 724. Nec canon iſte juxta ipſos de omnibus mundanis loquitur, ſed de ſubſtratâ, ut ait Gloſſa, ubi forte tangit conſuetudinem quâ compatres ſalutabant commatres in templo; Si verò extra templum contingit, ut ſacerdos fœminam ulnis complectatur, non illico ſcandalum eſt capiendum, ut Canon infit; *ab ſit, ut quicquam ſiniſtri de his arbitremur, qui Apoſtolico gra-*

dui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conſiciunt. cauſ. 11. *q.* 3. *c. abſit* ubi gloſſa; *ſi clericus amplectitur mulierem, interpretabitur, quod cauſa benedicendi eam hoc faciat.* Unde Clerici auſi publicè oſculari, quia ſine præſumtione & ſcandalo peragebatur. Sic *Lupus* Epiſcopus aliam virginem amaſſe dicitur & Diabolo hoc male habente, & in aliis ſcandalum ea propter incitante, virginem in mediam Synodum advocaſſe, & in pleno conceſſu illam exoſculaſſe traditur dicendo: *veſtrum cor malitia plenum ſcandalizetur, meum cor eſt purum: mittite mala Veſtra verba. Legend. Lup.* 142. Quam exoſculationem Epiſcopalem in Frederico SpirenſiEpiſc. iniquiſſimo animo tulit *Rudolphus* in ſua uxore, & illum proinde Epiſcopatu & omnibus exuit bonis. *Henr. Pantol libr. Heroic. p.* 2 *p.* 361. Qui in imo illorum baſia & ejusmodi alia pro ſcandalo accepto tantùm habent, & Lutheranorum ſacerdotum uxores pro putativis, non pro veris cenſent, eaſque omnes cùm clericorum tùm laicorum, juxta Fr. Naſi dicterium, ut (omnis Lutherana mulier eſt meretrix.) pro ſcortis habent, quod in illos retorquet in Apiaxio *Marnixius p.* 7. *At Pontificiis nullam ignominiam inurit, inquiunt, ſi vel maxime in clavichordio ludat Monachus*, &: (Puer natus in Bethlehem) *intonat.* Ipſi Pontifices hoc ipſum non clàm habuerunt, nec ſuos nepotes occultarunt; Unde de *Alexandro* refert *Franc. Guiciard.* Cum filios ſuos ardenter amaret, primus omnium Pontificum; qui ſuæ infamiæ ex parte vetandæ ergo nepotes ſuos appellant filios, ille expreſſe ſuos infantes, ſuos filios appellabat, & cunctis mortalibus tanquam filios oſtentabat.uti *David Rungius in Invectiva contra Reformat.* adducit, uti & horum ſpiritualium ſcorta in nuptiis & aliis conventibus concubinæ ab illis, qui eas ſuſtentabant, nomen fortitæ vocabantur. *Luther Dipnoſ. de Antichr. p.* 337. Quin etiam MarianiMonachi perſuadebant mulierculis, ut *Wickleſus* ait, ſimplicibus, *multo levius eſſe peccatum concumbere cum Monachis*, quam cum laicis, quia abſolvere poſſunt à peccato, & pro earum peccatis ſemper ſint reſponſuri. *vid. Gerb. Conſ. C. p.* 1. *a.* 7. *p.* 258. Ut Judæi olim & nunc decipiebant vesanas mulierculas ſub ſpe naſcituri Meſſiæ ut *Lyra in c.* 13. *Dan.* in hiſt. Suſannæ gloſſam obſervavit, *quod Hebræi dicant, ipſos decepiſſe mulieres, per hoc, quod dicebant, Chriſtum de ſemine eorum naſciturum, cum eſſent, de tribu Juda. &c.* Ita etiam ſe res habuit cum ſacrificulis & Religioſis iſtis homunculis. Unde ortum, quòd fœminæ, quæ cum ſpiritualibus hiſce peccaverunt, pro delicto illud habere noluerint, multo minùs ea propter pœnitentiam agere, præſertim ſi magni ex hoc ſancto concubitu viri enati fuerint. Quemadmodum *Lombardus, Gratianus & Petrus Comeſtor* ab adultera prægnati matre, uti præfatio Decreti Gratiani hoc memoriæ prodidit, quod adultera in fine vitæ pœnitentiam agere, aut ſerio ob adulterium commiſſum dolere noluerit, quia tanti ex eâ nati viri. uti Wolf. Memorab. cent. 12. p. 341. his verbis hoc exponit; *A quibusdam*, inquiens, *prædicatur populis, hos tres, Gratianum videlicet, Petrum Lombardum & Petrum Coeſtorem fuiſſe Germanos ex adulterio natos. Quorum mater, cum in extremis peccatum ſuum confiteretur, & confeſſor redargueret crimen adulterii perpetrati, quia valde grave eſſet, & ideo multum debebat dolere, & pœnitentiam agere, Reſpondit illa:* Pater *ſcio quod adulterium peccatum magnum eſt, ſed conſiderans, quantum bonum ſecutum eſt. cum iſti filii ſint* luminaria magna in Eccleſiâ, *ego non valeo pœnitere.* &c. Parum abeſt, quin dicat, ſe dolere, ſi manſiſſet caſta & hoc non perpetraſſet peccatum, quia aliàs hi tres Magni viri in mundum non veniſſent. Et quomodo poſſunt ſpiritualium errores & delicta pro magnis habere peccatis, cum Piſtorius in Diſputatione Badenſi A. 1589. habita. th. 9. ſcortatores, adulteros, Sodomitas, & id furfuris alios fidelibus Chriſtianis annumeret, ut *L. Oſiand.* hoc ipſi objicit *cent.* 16. *l.* 4. *c.* 38. *p.* 1062.

2. *Neque poteſtas uxori jam ducta virum impediendi.* Neque legimus ullum exemplum, quantum memini in hiſtoricis ſacris & profanis, quod mulieres auſæ fuerint maritorum polygamiam ſufflaminare, quin potius illæ ipſæ ancillas, ut de Sarâ, Rahele, Leâ legitur; aliasque perſonas gratas

&

& notas, itaque comparatas, ut cum illis poſſint vivere in pace domeſtica, ſuppeditarunt, ne fortaſſe mariti alias ignotas & parum gratas ſuperinducerent, & priores uxores gravarent. Solus unicus Laban Jacobum juramento obſtrinxit, quod ipſius filiæ, uxores Jacobi non audebant, ne plures impoſterum, in detrimentum & incommodum ſuarum filiarum aſciſceret uxores Nec etiam uſpiam legimus maritos conſuluiſſe hac in re uxores ſuas, aut illarum aſſenſum impetraſſe, ut cum priorum bonâ gratiâ fieret, ſiquidem hoc non decebat, & γυναικοκρατίαν aliquam ſubindicabat; ſed hodie in inverſo hoc mundo mariti fere nihil agunt aut agere poſſunt ſine præſcitu fœminarum, quin fœminæ putant pleræque, ad ſe pertinere, omnia maritorum arcana ſcire & præſcire, quin & advenientium deſideria & colloquia cum marito prænoſſe cupiunt, antequam illis aditus ad maritos pateat. Unde fit, ut quæ ratione proprii ſtatus, quam fœminæ non ex Macchiavello, ſed ex libro ſuæ naturæ perverſæ exacte norunt, contraria cenſent, quaſi aliud agendo impediant, & ita in omnibus mariti actionibus veluti coæquales regimen ſuum exerceant, Quin etiam eò audaciæ procedunt, ut ſi mariti fortean ad ipſorum placitum non vivant, & aliam in peregrinis oris occaſione oblata & fortunâ ita jubente, duxerint, maritos perſequantur accuſent, nec quieſcant, donec illos ad incitas redigant, multis miſeriis & contumeliis exponant, & capite etiam plecti videant, ſeque & ſuos liberos, quæ ipſorum cœcitas pariter eſt & malitia in viduitatis & orbitatis ſtatum transferant. Appoſite ſane Salomo dicit: *qui ſibi ipſi mala & damna creat, ille merito pro nequiſſimo habetur.* Præſtaret ſane mulierum malitiam ſi judices hâc in re coërcerent, & illas ob laſciviam, polygamiam aliosque peſſimos affectus, quos hac in parte produnt, ſeveriſſime punirent, & ab innocentis mariti ſanguinis effuſione abſtinerent, nec patriam innocui ſanguinis profluvio gravarent. Præſtaret etiam & Reip. proficuum eſſet, ſi conjugia & matrimonia atque ipſa ſimul polygamia promoveretur, & muliercularum γυναικοκρατία obex poneretur. Quod Gentiles ipſi multò melius ipſis Chriſtianis obſervarunt. *Clemens Alexandrinus l. 2. Strom.* non procul à fine dicit, Laconum Legiſlatorem maximam maritandorum hominum curam habuiſſe, & non tantùm *pœnam impoſuiſſe ei, qui uxorem non duxit; ſed etiam ei, qui unam tantùm, & ei, qui duxiſſet ſerius, & ei, qui ſolus viveret.* Deus ipſe ſapientiſſimus Legiſlator in ſuo populo magnam etiam matrimonii promovendi curam geſſit, & *ne viduæ innuptæ manerent*, & ad exemplum Pontificis ſolam virginem ducentis, negligerentur, & in eligenda ſociâ juxta Poëtam

In qua quis periit, non bibo dixit aquam:

præterirentur, prudentiſſime ordinavit, ut viduas mariti frater, aut proximus agnatus, fraternarum rerum & morum uxoris optime gnarus duceret, ut ex Ruthæ hiſtoriâ patet, vid. *Buxt. de ſponſ. p. 27.*

3. *Nobiliores & ditiores ſibi plures aſciſcebant.* Ut ſuprà de Germanis audivimus. Reges ſane, Principes, Nobiles & divites melius poſſunt ſuſtentare, regere, & horrorem pluribus fœminis incutere, ne exorbitent, ſed pacem invicem colant, ſicuti *Cicero orat. 5. in Verrem* memorat, quod barbari (ut Ciceronis ſeculo omnes fere exteri à Romanis vocabantur barbari) Reges Perſarum & Syrorum multas habeant uxores, & his uxoribus civitates attribuant, hoc pacto. *hæc civitas uxori redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines*, quod *Plut. in Alcib.* etiam confirmat, loca multa & pulchra habuiſſe uxores illis aſſignata. & hunc quidem in redimiculum, alterum in cinctum. ſicuti de Xerxe, aut juxta Scholiaſten *in Ariſtoph. Equit.* Artaxerxe Xerxis filio refertur, quod Themiſtocli, ad ſe confugienti hoſti, tres urbes donaverit, Myantem ſcilicet in cibum (quia juxta *Franc. Patricium* ibi egregia paſcua pro pecoribus) in panem *Magneſiam.* (ob excellentiſſimum triticum) Lampſacum in vinum, (quod generoſiſſimum ibi creſcebat.) *Strab. l. 14.* addere debuiſſet Perkantam in lectum, Palæſcepſin in veſtem dicit *Athen. l. 1. c. 17.*

THESIS LXXVII.

QUod exempla pleraque in ſcriptura annotata teſtantur, uti in libris Judicum recenſetur exemplum *Gideonis* Judic. 9. πογυλάμυς w Iari, Ebzanis, Ebdonis παγυθέκνων & conſequenter πογυλαμων. De quibus omnibus & ſequentibus repeti poſſent argumenta pleraque ſupra in exemplis Patriarcharum deducta. Notabile eſt etiam exemplum *Elkanæ* 1 Sam. 1. qui Samuelem Prophetam illum Maximum generavit, qui ſæpiſſime cum Deo ipſo locutus, primos duos Reges unxit, primum etiam iterum ipſe quaſi depoſuit. Exemplum Davidis πλυγάμυς nobis ſuppeditat ſingulare argumentum pro Polygamia ex verbis ipſius Dei deſumtum, 2 Sam. 12. dicentis ad Davidem: *Unxi te in Regem Iſraelis & liberavi te ex manu Saulis, dedi tibi Domini tui domum & ipſius uxores in ſinum Tuum, &c.* Ubi Deus tanquam beneficium particulare Davidi conceſſum Polygamiam adducit, unde ita argumentor. *Quodcunque Deus ceu munus ab ipſius benedictione proveniens allegat, illud non eſt peccatum.*

Atqui Polygamiam Davidicam Deus tanquam beneficium ab ipſius liberali manu proveniens allegat.

E. non eſt peccatum.

Sive enim phraſis illa *dare in ſinum* ſimul Regium in uxores demortui Regis, (quas ipſas ducere ſucceſſori quodammodo juxta leges Hebræorum, niſi ſanguine prohiberetur, incumbebat ſicuti & Davidem duas uxores Saulis Rizpam & Æglam duxiſſe perhibent) ſive tantum dominium conjugale deſignet, certum eſt, uti omnes concedere coguntur, hic de Polygamia ſeu poſſeſſione multarum uxorum Uriæ Monogamiæ oppoſita Nathanem loqui, Quæ cum tanquam ſingulare donum à Deo ceu datore omnium bonorum originem trahens allegetur, quis niſi plane cœcus non videt Polygamiam Deo ipſi non fuiſſe exoſam. Sicuti plerique Reges Iudaici hanc exemplo ſuo confirmaſſe narrantur.

1. *Gideonis.* Hic recenſentur Judicum in autoritate conſtitutorum Polygamia & Polytecnia. Quò nonnulli referunt Simſonis matrimonia, qui primum Philiſtæam, deinde meretricem (illam quidem ſolenniter per *confarreationem, & pacta* forſitan *dotalia*, hanc verò per *concubitum*, ſeu, ut Romani loquuntur, per *uſum* ductam) demum aliam Delilam nempe, in matrimonium cepit, &, ut Rabbini dicunt, ex Gentilibus proſelytas fecit. An verò Simſon in primis nuptiis *ſtatim* fuerit cornutus, dum Paranymphi γρῖφον exponerent, qui araverant cum ipſius uxore, *Jud.* 14. 18. ſicuti Auguſtus apud *Tranquillum* c. 69. & Alcibiades apud *Athen.* t. 12. non libidine ſed ratione commiſiſſe adulteria dicuntur, *quò facilius conſilia adverſariorum per cujusque uxores exquirerent*; aliis arbitrandum relinquo. *Adrianus Beverland. tr. de Pecc. Orig. p.* 40.

cum

cum hoc aſſerit, forteaſ nulli perſuadebit. Hoc interim certum, Veteres matrimonium non neglexiſſe, & occaſione data modo ceremoniis adhibitis, modo non adhibitis, ut in illis per concubitum ductis, illud ſuſcepiſſe. Noſtri verò Mariani tàm caſti ſunt, ut etiam, ſi cum virginibus noctu in eodem lecto jaceant, ut ſæpe fit in peregrinationibus, ubi non locus eſt in diverſorio, nullas impuras ſentiant cogitationes. *Geneal. Mar.* 10. *Dec. p.* 779. refert, quod in anno Jubilæo A. 1600. Loreti fuerint plus bis centum millia, exceptis illis, qui in plateis pernoctarunt. Ibi nullum fuit caſtitatis periculum in clericis, qui in ea tantum contraxere habitum, ut in illos nulla mala cadere queat ſuſpicio, etſi cum mulieribus ſub iiſdem linteis dormiant. Quemadmodum narratur de Abbate Adelhelmo, quòd ad domandam carnem, etiam cum Abbas eſſet, ſæpe cum virginibus cubarit, *illæſo ſemper virginitatis earum permanente pudore*, *Luc. Oſiand. cent.* 7. *l.* 4. *c.* 3. *p.* 229. Ita ante multos annos fuerunt Monachi, dicti *Circulatores*, qui ſe ſimularunt ſtultos, ut eò melius vanitatem mundi eluderent. Progreſſus igitur cum tantos in hâc virtute, uti putabatur, feciſſent, ut nulla re amplius afficerentur, publicas converſationes in conviviis, lupanaribus, balneis ſine ullâ animi perturbatione frequentarunt, ideò ἀπαθεῖς dicti. *Euagr. l.* 1. *c.* 11. *L. Oſiand. cent.* 5. *l.* 4. *c.* 19. *p.* 493. Scilicet *conſuetudo eſt altera natura*, quod in *Indianis* conſpicuum eſt, qui nudi invicem converſantes minori laſciviâ afficiuntur, quam pulcherrimis veſtimentis induti. *Lerius Deſcript. Amer.* Etſi Romani hunc perfectionis gradum abhorruerint juxta legem Romuli. *qui ſe nudum à fœminâ videri paſſus fuerit, criminis capitalis reus habeatur.* Sed ſi nempe fuêre ethnici, libidinibus non reſiſtentes Alia res eſt cum *Chriſtianis*, præſertim illis, qui carnem ſuam ita edomarunt, & ſubjugarunt, ut apud nudas mulieres in balneo, vel lecto non magis moveantur quàm infantes. Et licet quandoque apud clericos carnales oriantur cogitationes, ſicut horæ ſunt diverſæ, malum tamen propoſitum ſæpe mirabiliter, ne erumpat in actum ſufflaminatur. Sic de Catharinâ Suecâ, Brigittæ filia, narratur, quòd Deo æternum devota, inſidias à Comite paſſa, ſed beneficio cervi, qui Comiti. ad hanc rem intento ob oculis ſemper fuit intermedius, liberata caſtitatem conſervavit. *Geneal. Mar.* 22. *Mart. p.* 365. Ita temporibus *Ulrici*, cum capite Eccleſiæ Papa res eo progreſſa, ut mali ſpiritus de ſeductione Papæ, & virginis adductione in illius cameram gloriati, in ſignum veritatis, calceum virginis oſtenderint. Quo audito Ulricus Diabolo imperat, ut ipſi calceum tradat, & ſine ullo damno ipſum Romam transportet illicò, & rurſus Auguſtam Vindelicorum eodem die reportet, ut poſtero die ſacra obire queat. Diabolus morem gerens *Ulricum ante Cameram Papæ ſalvum ſtitit*, ubi Papam inclamavit dicens, *Sanctiſſime Pater aperi*, *& virginem*, ut ICTi loquuntur, *extrude*. Quo Papa obſtupuit, calceum reddidit dextrum & cum ſiniſtro tranſire illuc, quo voluit permiſit, atque ita per hanc celerrimam poſtam à malo propoſito impeditus fuit Papa. Hic *caper* certe multum ſuperavit *cervum*, de quo modò diximus, unde videmus, quòd qui cuſtodiendus eſt, cuſtoditur infallibiter, *ſive fiat per hircum ſive per cervum* ſcilicet. *Anton. Koberg. Leg. Ulric. p.* 58. Simile exemplum habetur de Epiſcopo Fundanæ Civitatis, *Andreâ*, qui ob caſtitatem maxime famigeratus fuit. Hic apud ſe ſuſtentavit ſanctiſſimam monialem, dubio procul ad horas Canonicas ſimul canendas, ſed amore illius captus jocari cum illa cepit. Accidit autem ut fortè fortuna *Judæus*, cum nox ingrueret, in templo pernoctare coactus cruce ſe ſignarit, & in templo, Archidiabolo facta ſua enarrantem, diabolum audiverit, qui inter alia Heroica facinora gloriatus, ſe Epiſcopum ſeduxiſſe eoque rem perduxiſſe, ut monialem cohabitantem blandè alloqueretur, foreque, ut quam primum ambo laberentur. Judæus hoc audiens manè narravit Epiſcopo, qui Judæum in ſignum gratitudinis convertit, & virginem, cum quâ diu ſatis ſacra peregerat officia, ex aula ſuâ exegit. *Greg. M. l.* 3. *dial. c.* 7. *L. Oſiand. Cent.* 6. *l.* 4. *c.* 2. *p.* 240. Ita de *S. Vincentio* refertur, quòd formoſa fœmina ipſi

ipſi inſidias poſuerit, ſed à Diabolo obſeſſa dixerit, loquente ipſa Diabolo, à nemine ſe liberatam iri, niſi ab eo, qui in mediis flammis non combuſtus fuit. Quod etiam fecit Vincentius, qui Diabolum expulit, & animam ab impudico liberavit amore. *Geneal. Mar.* 5. *Apr. p.* 423. Magis adhuc mirabile eſt exemplum de quodam *Oſtiario* & *oſtiariâ* duorum Monaſteriorum, ut olim cum mundus non tàm ſuſpicax eſſet, in uſu, contiguorum, qui amore ſacro propter æqualia ſtudia in ornandis templis conſpicua, non parum, ut devotas perſonas decet, incenſi invicem erant. Accidit autem, ut cuſtos Mariam pulcherrime, Diabolum verò ſub ejus pedibus horribiliſſime depingi curaret. Quod Diabolus ægerrimè tulit, illique illa ipſa figura depictâ apparuit, dicens, niſi me pulchriorem effigiaveris &c. Cui cuſtos reſpondit: *Maria, cui ſervio, me defendet.* Satan evanuit, & paulo poſt Oſtiariæ formâ cum multis aureis vaſis iterum apparuit, dicens; ſauciatus ſum amore tui, ſume tecum ornatum templi, ut aufugiamus & bene vivamus. Interea illum amore impuro inflammat, ut ipſam uſque in campum ſequatur; Quo facto ipſam deſerit, Monachos excitat è ſomno, ut furem deprehenſum in vincula conjicerent. Quid faciat ille bonus frater? inclamat Mariam; *Scis Virgo*, inquiens, *quod occœcatione Diaboli hoc fecerim.* Quid fit? Maria cogit Satanam, ut loco optimi fratris in carcere maneat. Cuſtos dat ſignum. Abbas miratus Diabolum, iram ſuam adverſus Mariæ amatores profitentem in carcere invenit, aquâ benedicta aſpergit, atque ſic Diabolus diſparuit. *Geneal. Mar.* 24. *Maj. p.* 637. *Vincent. Spec. d.* 9. *p.* 120. Ità ſcilicet Religioſi in caſtitate Diabolo licet rigente, & omnia ſuperna infernaque movente, conſervantur, ſi vel maxime etiam per ventum virgo pulcherrima in cellam advehatur, uti de *Johanne Chryſoſtomo* legitur, quod vehemens ventus, Cæſaris filiam, quæ æſtate cum aliis virginibus expaſiaatum iverat, à reliquis virginibus abreptam quaſi per aërem ad cellam Johannis depoſuerit placidiſſime. Cum vero in deſerto conſtituta, aliorum auxilium imploraret, Johannes ejus miſertus in cellam recepit, &, ut utriusque caſtitas maneret ſalva, in cellâ per lineam baculo factam cuique ſuum aſſignavit ſ locum, dicens ne transgrediaris hanc lineam, nec ego tranſibo, ſed ventus facile etiam potuit lineam obliterare, unde & aliquando lapſus. *Ant. Koberg. Leg. Job.* 326.

2. *Elkana*, Habet duas uxores ſimul, & ex Hanna generavit Samuelem. Illa verò ultimo loco nominatur, & videtur ſecundo loco poſt priorem ducta, adeoque ſi Polygamia eſſet peccatum, nil aliud fuiſſet, quàm ſcortum, & ſic Samuel ex ſcortatione natus adeoque ſpurius, qui non poterat venire in congregationem Domini. Deut. 13. 1. Erat præterea ſterilis Hanna oculiſſima uxor, uti Rahel Jacobi, ſed precibus in templo in præſentia Pontificis Eli depoſitis ſterilitatis ignominiâ privatur; Pontifex verò labiorum motu deprehenſo exiſtimat illam eſſe ebriam, à quo vitio tamen maxime erat immunis cum reliquis honeſtis fœminis, quibus turpe erat inebriari. Habebant autem apud Judæos mulieres tria vota in uſu, nempe *abſtinere à carne, abſtinere à vino, nec veſtium ornatu uti.* uti notat *Seld. Ux.* 11. 6. *p.* 150. Apud Romanos non licebat juxta Romuli legem fœminis bibere vinum, niſi repudium experiri vellent.

3. *Davidis.* David, Vir ſecundum cor Dei, maximi ſemper habitus à Judæis, & vicinis populis, præſertim Arabibus, qui inter Prophetas Magnos collocant, & pieniſſimis annumerant, adeò, ut, ceu Keſſæus ſcribit, p. 99. contigerit, *quando David laudes decantaret Deo, idem cum eo quod fecerint montes, aves & feras*, & *p.* 50. dicit tantam fuiſſe hujus Prophetæ dignitatem, ut jam inde ab ipſis mundi incunabulis cœteris palmam præripuiſſe videatur. Cum enim Adamus omnium aliquando poſt ſe futurorum videret prophetarum conditionem, reliquis omnibus antecellere obſervavit Davidem, ut pote *cujus ſplendor impleverit ſeu contexerit cœlum & terram.* Cumque ex Deo cognoviſſet hunc Davidem eſſe, dixit Adamus: *O Domine, quantam ei conceſſiſti ætatem? Dixit ei:* Sexaginta annos. *Regeſſit Adam; Mihi vero quantam aſſignaſti ætatem?* annos mille. *Dixit Adam:* o Domi-

mire, concede filio meo Davidi de ætate meâ annos quadraginta, ut ei numeres centum: *Dixit ei Deus: O Adam facieſne hoc? Reſpondit Adam: Ita Domine.* Sed addit Keſſæus: *Adamum pactum hoc noluiſſe habere ratum. Cum enim*, ſcribit, *morti jam vicinus eſſet, nec dum tamen ætatis annum milleſimum attigiſſet, noluit angelo mortis ſuos ſubmittere faſces, ſed immemor fœderis cum Deo initi, in quo annos quadraginta de vita ſuæ termino Davidi eſt admenſus, regeſſit, ſe nondum præſcriptum mille annorum curſum confeciſſe.* Quæ quamvis fabulam redoleant, ex ejus tamen ἐπιμυθίῳ haut obſcure colligimus, quanti Davidem fecerint. Ita etiam fabulantur, quòd in itinere ad Saulis caſtra contra Goliathum poſita allocuti fuerint eum *tres lapides* eique dixerint; *Tu per nos occides Goliathum;* illeque eos ſuſtulerit, atque occiderit Goliathum. ut *Beidavi* memorat. De clypeo etiam Davidis multa narrant, quæ fuſe perſecutus eſt *Schickart. in Taar. p.* 54. De lapſu etiam Davidis duplici non pauca referunt, præſertim quod pœnitentiam egerit, veluti *Keſſæus Vitt. Patr. p.* 100. colloquium inter Davidem & angelum mortis inſtitutum enarrat, & quidem his verbis: *Dixit David. O angele mortis, multum flevi propter peccatum meum, & in obedientiam meam, nihil ne me juvent lacrymæ meæ? Reſpondit*, omnino, O David *Nonne audiviſti, omnem lacrymam fluentem ex oculo peccatoris pœnitentis pondere ſuo graviorem eſſe mundo, & quæ in eo ſunt.* Duplex verò peccatum enorme ſcilicet fuit, ſuperbia in numerando populo conſpicua & adulterium cum Bathſebâ connexum cum homicidio. Fuit quidem Rabbi quidam *Samuel Laniado*, qui in Commentario ſuo in Prophetas priores adulterium Davidis cum Bathſeba maxime excuſat, à peccato abſolvit, & in hanc rem ex Thalmudiſtis adducit; *qui dixerit Davidem peccaſſe, ipſe errat.* At vero ex optimo Rabbino Samuele ſatis novimus, ipſum prædictorum peccatorum fuiſſe reum, & à Deo ea propter etiam punitum. Poſito enim, ut Laniado vult, libellum repudii illis jamtum temporibus datum uxoribus à militibus bellum ingreſſuris fuiſſe in uſu, ille tamen libellus fuit conditionatus, ſi ſcilicet occumbant, aut capiantur ab hoſtibus, nec nuntium remittant, ut ſupra ad th. 72. 1. deduximus, ex R. *Salomone & Abarbenele*, qui contra *Laniado* diſputant Uriam & fuiſſe, Rebellem, aut crimen læſæ majeſtatis commiſiſſe, adeoque mortem meruiſſe negent. Quod verò illam legem attinet de adulterâ non ducenda, neque ab adultero, neque ab alio, illa an illis jamdum fuerit temporibus in uſu incertum, quia eſt pure Thalmudiſtica, humana, in legibus divinis non conſpicua lex, à quâ Rex eſt ſolutus, obligatus verò legibus Naturæ & divinis obedientiam præſtare. vid. *Buxt. de ſponſ. p.* 50. & *ſeq. Jo. Seldenus Ux. Hebr. p.* 441. conf. & *Brochm.* 10. 11. *de Conj. p.* 5098. *Dedeken. Conſ.* 3. 232.

4. *Davidis* πολυγάμιον. Hoc nunquam in Davide Deus taxavit, uti quidem adulterium & homicidium. Fuêre verò ipſi in Hebrone ſex uxores *Ahinoam, Abigail, Maacha, Cachilla, Achital & Ægla* 2 Sam. 3. 1. 1 Paral. 3. 1. ex quibus ſex conficiunt Rabbini octodenarium Regi conceſſum numerum, quia Deus dixerit 2 *Sam.* 12. 7. *unxi te in Regem, & dedi tibi uxores domini tui in ſinum tuum*, & ſi parum *eſt hoc, adjiciam adhuc plura & multo majora*, aut interprete Chaldæo, ſicut iſta & iſta, & ut Rabbini explicant, totidem & totidem i. e. ſex & iterum ſex. ut *Gemar. Babyl. ad tit. Sanh. c.* 2. *f.* 21. *Gloſſ. ad Deut.* 17. 17. *Bartenorius ad Miſna.* docent. vid. *Selden. Ux. Hebr. l.* 3. *p.* 59. Quicquid vero ejus ſit, Prima ejus uxor fuit Michol, filia Saulis, quæ poſt Davidis fugam data fuit Palti, an in uxorem, quod per legem fieri non poterat, quia deſponſata alteri, nec libello repudii vel ſpontaneo, vel à Saule coacto vel per procuratorem demum transmiſſo, dimiſſa, poterat tamen fieri per autoritatem Regis & Patris, qui eſt viva lex in legibus divinis de facto, in humanis vero de jure. An verò Palti tantum data fuerit in cuſtodiam, ut *Abarbenel contra Kimchium* aſſerit & ſi deſponſata fuit, quomodo David eam ceu adulteram iterum recipere potuit, prolixè vid. ap. *Buxt. de ſponſal. p.* 99. ſeq. Certè ad Davidem ceu primum maritum de jure per-

pertinebat, quanquam ille, ceu, adulteram, recipere non tenebatur, nec ſine ſcandalo fere poterat; amoris tamen primi, ceu optimi, uti dicunt, memor, aliquid humani patiebatur, illique culpam, quod à marito aliàs fieri non debet, condonavit, præſertim cum per exilium mariti, & fortean ſæpe nunciatam ejus mortem ſub patriam poteſtatem redacta, Regis & Patris voluntatem pro imperio habere neceſſe habuit; nullaque ſpes cum Patris hoſte *ἀπόρθω* conjunctionis maritalis in oculis hominum ſupereſſet. *Extra omnem tamen controverſiam illa fuit*, (poſito quod fuerit ducta à Palti, etſi, ut nonnulli volunt, non tacta) *adultera* (ſive coactè & invite, ſive volenter & ſcienter & per conſenſum interpretativum, aut ſubſequentem, matrimonium alterum cum Palti approbarit) *cui Deus*, aliàs facilis in adimendâ demum, & deprecandâ ſterilitate, ut Sara, Rahel, Hanna & Eliſabetha teſtantur, *nullos liberos dedit*, ne inter filios Davidis liberi ex adulterâ nati, de peſſimo ſtatu matris perpetuò in ignominiam Davidis conteſtari in domo Davidis poſſint. Quemadmodum & filium primum, ex adulterio cum Bathſeba natum vivere Deus noluit, ne tanquam perpetuus adulterii teſtis, in domo Davidis multis ſcandalis, detractionibus, calumniis & ſi adoleviſſet, rixis & controverſiis inter Davidis liberos occaſionem præberet. Atque hæc de *prima* Uxore Davidis *Michol.* De *ultima Abiſag* an fuerit ejus uxor multis inter ſe diſceptant Rabbini. vid. *R. Schaman Bar Abba in Gemar. Babyl. tit. Sanh. c. 2. f. 22.* ubi hæc verba leguntur: *Veni & vide quam gravia ſint divortia. Etenim Davidi permiſſum, ut cum innupta cohabitaret* (concubinam in ſenectutis ſolatium & delicias ſibi aſciſceret) *ſed ut aliquam uxorem repudiaret, ei permiſſum non eſt.* Ubi Gloſſa? *Conceſſere ei, ut concubinam haberet Abiſag. etiam* (aliàs) *illicitum eſſet, cum innupta concumbere, At non conceſſere, ut ex uxoribus ſuis octodecim* (is numerus uxorum Regius, ut *Selden. Ux. l. 1.* refert, *c. 8.*) *aliquam repudiaret, etiamſi eam odio haberet*; Sed hæc Rabbinica ſunt & Thalmudiſticas ſeu humanas leges referunt, quibus Rex non adeo ſtrictim fuit obligatus. Volunt enim hunc eſſe ſenſum, quod ſcilicet Miniſtri ac præfecti Regii, aliique, quorum ſententia tunc uſus erat, noluerint ultra præſcriptum numerum uxores hic Regi auctum iri, ideoque nec Abiſagam ſponſaliis ei jungi. vid. *R. Dav. Kimchi ad 1 Reg. l. 4.* Quaſi verò Rex adeò alligatus fuiſſet Rabbinorum, aut etiam præfectorum & miniſtrorum Regiorum ſententiæ, ut illorum placitis unice ſtandum, & numerus ille octodenarius ex verbis Dei ad Davidem per Nathanem dictis, modò exſculptus & forſitan à poſterioribus Thalmudiſtis, inventus & excogitatus non excedendus fuiſſet. Et cur non illi ſucceſſorem Davidis Salomonem ita conſtrinxerunt; ut intra limites præſcriptos permaneret, & numerum illum definitùm non ſuperaret? Adeoque etiam non opus fuit aliquo repudio, quo David erga aliquam ex octodecim uxoribus, cujus in locum Abiſag, ut ſuccedanea duceretur pro lubitu aut ex odio & diſplicentiâ tantùm uteretur. Poterat illam ducere, etſi alteri non ſuccenturiaretur, & reverà etiam, ſi à peccato & ſcortatione hâc in parte abſolvere illum volumus, duxit, ſicut & hodienum depontani & capulares ſenes non raro in ſenectutis delectamenta & ſolatium & ut ſcriptura loquitur, adjutorium in rebus domeſticis & aliis vitæ humanæ neceſſitatibus aut miſeriis etiam ſublevandis ducuntur, & quidem rectiſſime, ac juxta jura & conſuetudines patrias ſemper receptas. vid. *Eraſm. Brochm. t. 2. de Conj. q. 19. p. 5096. Danh. Lac. Catech. p. 3. p. 300.* Et ſane decrepiti illi, qui declivi ſunt ætate, & omnibus viribus fracti, maxime ad corporis ſenilis fomentum opus habent adjutorio. De *intermediis Davidis uxoribus*, ſicut de prima & ultima, nihil ferè occurrit notu dignum, niſi quod concubinæ illæ ab Abſalone, degeneri Davidis filio ſtupratæ, à Davide non quidem per libellum repudii dimiſſæ, ſed quoad torum tamen ſeparatæ ſeorſim habitarint, ita ut David non amplius rem cum illis haberet, ne peccata peccatis cumularet; ſiquidem illum non latebat, ipſas *inceſtu* eſſe pollutas; qui quantum peccatum ſit, ſuprà cum inceſtum Rubenis cum noverca ſuâ in hiſtoriâ Jacobi expo-

poſuimus, ſatis ſuperque explicatum eſt ad *th.* 64. 1. *th,* 69. *n.* 2, Nil dicam de *adulterio* quo etiam illæ concubinæ erant pollutæ, ut religio fuerit Davidi ipſas iterum in matrimonium recipere. Moguntino aliàs Concilio cautum, nequis *Epiſcopus, clericus aut ſacerdos,* ἐπεισάκτους aut συνεισάκτους etiam mulieres, quæ erant ſociæ cœlibatus, non tantùm ſecum non habeat, ſed nec retineat etiam *matrem, amitam, & ſororem,* quia & in illis, inſtigante Diabolo, ſcelus perpetratum reperitur, aut in pediſſequis earum, ut loquitur *Lancell. Inſt. Jur. C. l.* 1. *tit.* 12. §. 9. Et talem quidem Caſtaurum, qui matrem ſuam init, ipſa deteſtatur natura. Nec periculum facilè talis inceſtus metuendum foret, niſi conjugio interdicerentur ſacerdotes. Diverſum conſtituêre Imperatores in *l.* 19. *C. de Ep. & cler.* Diverſum etiam conſtituit *Concil. Nicenum can.* 3. Sic & diverſum habetur in *c. volumus.* 22. *& c. cum omnibus.* 25. *diſt.* 81. *Add. Steph. Aufrer. ad Capell. Tholoſ. deciſ.* 448. quem tamen caſtigat *Martinus ab Azpilcueta Navarr. t.* 1. *c.* 4. *de regul. n.* 65. ſed ſine ratione & parum accuratè. vid. *idem t.* 3. *c.* 25. *n.* 109.

5. *Quas ducere ſucceſſori.* Variant hâc in re Magiſtri Rabbinorum, plerique tamen ſententiam R. *Judæ* ſequuntur, qui viduam Regis ritè nupſiſſe regi alteri, non verò ſubdito ob dignitatem, aſſerit, cui aſtipulatur etiam *R. Obad. Bartenorius ad Miſnam.* Neque enim ſubdito uti licuit Equo Regis, aut ſceptro, aut coronâ aliisve rebus, nec ſervis nec ancillis. *Maimon. hal. Melakim. c.* 2. conf. *& Schickartus de Jur. Reg. c.* 6. *th.* 19. multò minus uxoribus. Regi verò ipſi erat liberum ducere viduas vel non ducere, conf. *Hal. Melakim. c.* 2. *& R. Jom. Tob. in Comment. Barten. ad tit. Sanh. c.* 2. §. 2. *Gemar. Babyl. ad tit. Sanh. c.* 2. *f.* 19. *Moſ. Mikaz. præcept. affirm.* 116. *& Gem. Hieroſ. ad tit. Sanh. c.* 2. *f.* 20. *col.* 1. nec etiam Rex obligatus fratriam liberis orbam *Deut.* 25. 9. ducere, quia renuntiare, ſputum & calcei detractio Regiæ dignitati non conveniebant. ut *Gemar Hieroſ. ad lit. Sanh. c.* 2. *f.* 20 *& Barten. ibidem* tradunt. Apud Mahumedos Regum viduæ non rurſus ducuntur juxta *Azoar.* 33. *in Arab.* quod etiam annotavit *Philippus Gradagnolus in Apol. tr.* 2. *c.* 10. §. 3. quod novem fœminæ ipſi Mahumeto ſuperſtites in viduitate tabeſcere coactæ fuerint.

THESIS LXXVIII.

De *Salomone* conſtat, quod uti *ſapientia, potentia & divitiis* abundaverit, ita & uxoribus multis gaudere voluit, adeo ut numerum divinum *millenarium* nempe affectarit, & illud præceptum Deut. 17. ſuperius adductum de Polygamia exceſſiva violarit. Rex Ahab 70. filios habuiſſe dicitur, 2 Reg. 10. Quos an cum una uxore procrearit, aliis Judicandum relinquo. Et Abia, 2 Chron. 13. 21. uxores 14. duxiſſe dicitur. Notabile eſt exemplum de Rege Ioas, qui, proxeneta ipſo Pontifice Maximo Iojada, 2 Chro. 24. Duas uxores duxiſſe perhibetur. Jam vero Pontifex ipſe Iojada, qui autor fuit hujus Bigamias tantopere commendatur, ut Rex ipſe quamdiu Iojada vixerit, in viis Domini ambulaſſe dicatur non tantum modo, ſed & ipſe Iojada in Regio ſepulchro poſt mortem ſepeliri meritus fuerit. Quis vero in animum inducet, Pontificem Maximum, è cujus ore lex audiebatur, Regi

Polygamiam, ſi peccatum eſſet, procuraſſe aut tantum ſine reprehenſione permiſiſſe, ideoque à Spiritu S. in Scripturis non tantum non taxatum, ſed potius maximopere laudatum atque celebratum. Aaron ſane primus Pontifex, qui ad Idololatriam populi quamvis invitus concurrebat, acerrime â Deo reprehenditur. Eli qui ad filiorum petulantiam connivebat, ſeveriſſimam Dei correptionem & pœnam etiam cum tota familia incurrebat, ita ut nullus ex ipſius poſteris paternam ſpartam ornarit. Zacharias vero filius Iojadæ hæres paternarum virtutum, & ſacerdotii eodem Zelo paterno in ſuo officio flagravit, & Regem ſimiliter in viis Domini dirigere voluit, ſed ab aulicis adulatoribus oppreſſus mortem violentam obiit.

1. *De Salomone.* Multæ aniles fabulæ & Judaica commenta habentur, quæ etiam ad exteros Arabes, alioſque populos, quibus omnibus erat notiſſimus, emanarunt. Imprimis tamen, quæ de ipſius morte, quam ob Polygamiam plerique moderni Anti-Polygami infœliciſſimam fuiſſe clamitant, narrantur, obſervanda ſunt. *Beidavi* ita de illo ſermocinatur. *David fundamentum jecit ædis ſacræ in loco tentorii Moſis. &c. Moriturus autem antequam operi coronidem impoſuiſſet, mandavit id* Salomoni, *qui dæmones ad id conduxit. Nonnihil vero operis conſummationi, cum mors illius inſtaret, deerat, de quâ cum certior redderetur, rogavit Deum, ut mortem ſuam Dæmones celaret, quo ſic opus perficerent, Et vocavit eos, & ædificarunt ſuper eam turrim* (ſeu ſacellum juxta Keſſæum. 101.) *ex alabaſtro* ἄθυρον. *Ipſe verò ſteterat precaturus baculo ſuo innixus, & moritur inclinans Scipioni ſuo. Ita autem manſit tamdiu quoad tinea eum corroſit* (baculum) *atque ſic concidit. Cumque cognoſcere vellent tempus mortis ipſius, applicuerunt lineam baculo, quæ diu ac noctu radens penſum confecit, ex quo colligere poterant, ante annum eum mortuum fuiſſe.* Keſſæus vero Vitt. Patr. p. 107. plenius & planius hanc rem enarrat; Refert enim, *angelum mortis Salomonem rebus ſacris in ſacello ſuo vacantem & Pſalmos legentem compellaſſe, eidemque mortis horam inſtare ſignificaſſe, animam in cæleſtes ſedes transtuliſſe, corpore in terra, baculo ſuo ſuffulto, relicto, ita ut nec recederet nec ſe moveret; Cumque eum ſic conſtitutum intuerentur, dixerunt alii* (Dæmones) *aliis: Utique ille non mortuus eſt, ſed vivit: metuerunt autem eum tangere; Neque ceſſarunt homines, Dæmones, Diaboli, aves, feræ ei ſubeſſe; ita nempe perſuaſi, uſque dum præteriit annus, quo elapſo decidit tinea de baculo, ipſe vero declinans corruit inſtar graminis aridi.* Ubi videmus, unde factum quòd in ſtructurâ templi nil fabrilium inſtrumentorum fuerit adhibitum ut dicitur 1 *Reg.* 6. 7. non terebra neque ſecuris uſurpata, ictus mallei nunquam auditus. Dæmonum operæ hoc acceptum ferri debet, ſi illis teſtibus & Alcorano etiam ſtandum. Sed aliam cauſam Rabbini nobis ſuggerunt, cum illud vermiculo Schamir dicto, cujus virtute vel rupes diſſiliebant & ſaxa, aſcribunt, ut *Kimchi* refert ad h. l: *Non dedolabant*, inquiens, *ſaxa ullo inſtrumento ferreo, ſed vermiculo, quodam dicto Schamir* (in Pirke Aſoth. c. 5. dicitur cum aliis novem ſingularibus veſperi ſabbathi creatus eſſe) *qui cum imponitur lapidibus, diſſiliunt coram illo; Ajunt vero Schamir fuiſſe ſpecie grani hordeacei, quod incluſerint fiſtulæ plumbeæ, repletæ mollibus, & oppletæ luto. Nam ſi vel monti maximo & pretioſo immineret, diffinderet eum. Porro aquila illum attulit ex horto Eden; Hoc polivit Moſes gemmas in humerali amiculo, it. tabulas Decalogi, idque novimus è Cabbala quæ penes illos fuit inde à diebus Moſis nec diſputare talia fas eſt.* vid: *Buxt. Lex. Talm. p.* 2456. *Shickart. Taarich. Reg. p.* 61. Sed & Rabbini & Mahumedani habent ſuas fabulas, quibus ut aſſentiar, nemo me inducet. Interim in hoc conſentiunt, Salomonem in gratiâ Dei con-

conſtitutum diem obiiſſe ſuum. Inter Chriſtianos diverſæ ſunt opiniones de morte & ſalute Salomonis. Quidam incerti, obſcuri & parum ſibi conſtantes, uti juxta *Pinedam* de Rebus Salomonis *Tertullianus*, *Auguſt. Baſil. Cyrill. Nyſſen. Iſidor. Bernh. Joſephus*, *Suidas*. Alii Salomonem damnant, ut *Cyprianus*, *Greg. Theodor. Proſp. Eucher. Beda*, *Rabanus*. Pro Salomone ſunt *Hieronymus*, *Ambroſ. Epiphan. Cyrill. Hieroſ. Iren. Thom. Tornell. Barrad. Franzius*, *Gerhardus &*. Theologorum major pars, non ſine rationibus, quæ mitiorem ſuadent ſententiam. Primum enim quod *prov.* 24. 31. in Hebræo eſt, *accepi eruditionem* 70. vertunt, *egi pœnitentiam*. Atque ipſa parabola *agri & vineæ* primùm cultæ, ſæpe, & maceria munitæ, poſtea deſertæ & incultæ appoſitiſſimè repræſentant Salomonis animum, primum ſapientiæ ſatione excultum, divinæque providentiæ ſepe circumdatum, poſteà tamen non agricolæ culpâ, ſed ſoli vitio ſylveſcentem: diruta maceria, i. e. divina providentia, quam peccatis averterat, non amplius pro ea excubante. Deinde extat de ipſo 1 Reg. 11. 43. *dormivit cum Patribus ſuis*, *& ſepultus eſt in civitate Patris ſui David*. quæ phraſis docente *Ambroſ. l.* 1. *de Cain. & Abel. c.* 2. non tam ad ſepulchri quàm ad *fidei & ſanctitatis conſortium* reſpicit. *Bona* etiam *Roboami initia* (tribus ſiquidem annis *in viis Davidis & Salomonis ambulavit*. 2 *Par.* 11. 17. finem Salomonis commendant, Neque enim tàm ad principium quam ad vitæ exitum reſpicimus, cum de pietate alicujus exemplari eſt ſermo. Vix etiam tanti fuiſſet Roboami autoritas, prudentiaque, vel pietas, aut virtus, ut à ſuperſtitione populum ad verum cultum reduceret, niſi jam Salomon religionem ſtabilitam, atque ab omni idololatriá defecatam poſt ſe reliquiſſet. Illud quoque exemplo caret, quòd Eccleſia habeat autorem alicujus libri ſacri, non ſanctum, ſeu beatum. Geſſit quoque Salomen illuſtrem Salvatoris noſtri typum, non unâ forte aut alterâ in re, ſed per omnem ferè vitam, atque in frequentiſſimis actionibus; *nomine* ſc. *ſapientia*, *potentia*, *templi extructione*, *cultu*, *atque ſplendore domus*, & *Majeſtatis Regiæ*, quæ ſingula per partes deducit *Pined. l.* 6. *c.* 16. conf. & *Drexel. in Salom.* Et quemadmodum nomen *David* ſæpe in SS. ipſi filio Dei tribuitur, ita *Salomonis* nomine idem ex Pſ. 72. denotatur. Abſit autem, ut hominis damnati appellatio, omnis ſanctitatis & ſalutis autori, Jeſu Chriſto tribuatur. *Eccleſiaſtes* etiam (vid. *Geier. Cobel.*) magnum huic cauſæ momentum addit. Hunc Salomon, velut certum atque indubitatum, ſuæ pœnitentiæ ab omni vanitate teſtem reliquit. Scriptus à ſene eſt, hinc elegans adeò ſenectutis, quam proprio experimento, probaverat, deſcriptio c. 12. & in *Zemach David*; p. 13. dicitur quòd *tempore ſenectutis Salomonis*, *cum vicinus jam eſſet morti*, *habitaverit ſuper ipſum Spiritus S. dixeritque*, *ſeu compoſuerit ſequentes libros proverbia*, *Canticum Canticorum & Eccleſiaſten*. Toto autem libro ipſa peccata, illorumque Occaſiones ſparſim recenſet, & nauſeabundus deteſtatur, c. 1. immodicam ſciendi cupiditatem ſeu curioſitatem. c. 2. divitiarum ſit imo ſacram &c. & denique ad timorem Dei ſolius, (qui univerſum veræ religionis cultum complectitur *Deut.* 13. 4. 2. *Reg.* 17. 24. 35. 36. 37. *Pſ.* 5. 8.) omnes revocat, deprehenſa per pœnitentiam, idolorum, quæ hactenus coluit, vanitate. Quare ſicut David poſt lapſum ſcribebat, confeſſionem, *Pſ.* 51. aliosque hymnos θεοπνεύστους, ita Salomonem veriſimile eſt, concionibus divinis, & gravibus illis adverſariis à peccati ſomno excitatum, ſicque Theologum rurſus, tentatione factum conſcripſiſſe, hunc librum, ceu publicum confeſſionis monumentum ac teſtamenti loco id liberis ſuis reliquiſſe. Digitum ad iſta intendit *Chryſoſtomus*, cum ſcriberet: *Salomo ad ſe reverſus*, *& quaſi ex umbroſa quadam abyſſo ad lumen veræ ſapientiæ reſpicere valens*, *ſublimem prorſus & cælis dignam* vocem *emiſit*, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Quid enim aliud lignum, aut lapis vaniſſimus doceat, quàm *vanitatem i. e. vanitatem colere*, & quod inſequitur ſtatim, *vane agere.* Unde idola ejusmodi vanitas dicuntur, Jer. 2. 5. quam vocem & Chaldæus הערחה vertit. conf. *Deut.* 32. 21. 2 *Reg.* 17. 15. Adducit denique *Pineda* vetuſtiſſimum aliquod

quod pœnitentiæ Salomonis teſtimonium, *tenuibus plumbi laminis orbiculatis ad menſuram volæ manus, characteribus* (qui ibi vocantur) *Salomonis i. e. Arabicis orientalibus antiquiſſimis inſculptum, & in monte Granatenſi præterito ſeculo repertum* quòd Latinè ita ſonat: *Et flevit ſcelus ſuum fletu vehementi, & illi eſt condonatum, & obiit fidelis & ſecurus.*

2. *Sapientia.* Hanc Deus ipſe extollit. 1 Reg. 3. 4 10. 12. *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante te tui ſimilis fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* uti & porrò Salomonem ſacri Annales celebrant, 1 Reg. 4. 30. quòd ſapientia ſua omnem *orientis atque Ægypti famam* obſcuraverit. Orientalium nomine *Babylonii* atque *Chaldæi* veniunt, quorum ſapientia ipſe olim Daniel *Dan. l.* 4. imbutus eſt. *Phœnices* prætereà & *Sidonii*, quos *Aſſyrios* vocat Philo & Strabo *illos optimarum artium Magiſtros, Aſtronomiæ, Arithmeticæ & Philoſophiæ peritos* laudat. Et *Magi* denique, quorum honeſtiſſimum primò nomen. ſequioribus ſeculis in malam atque infamem partem ſumi cœpit. Eodem enim loco apud *Perſas* habebantur iſti, quo apud Babylonios *Chaldæi*, apud Ægyptios *Hierophantæ*, apud Indos *Brachmanes aut Gymnoſophiſtæ*, apud Græcos *Philoſophi*, apud Italos Hetruriæ *Aruſpices* & *Pontifices*, apud Gallos *Druidæ*, tractabantque cultum ſacrum, unde *Prophetæ* dicti; Phyſicam unde *Medici* Matheſin item; ac Politicem adeoque *Magia rerum divinarum humanarumque ſcientia* fuit, *altiorque Philoſophia*, qua Perſarum Reges imbuebantur. vid. *Hiſt. Trip. l.* 3. *c.* 4. *Plin. l.* 30. *c* 1. *Tertull. l.* 1. *adverſ. Marc. Cæl. Rhodig. l.* 3. *L. A. c.* 42. *Cic. l.* 1. *de Divin. Ægyptii* verò boni erant Aſtronomi, ſereno cœlo allecti, & propter otium cleri & victum de publico præbitum multum exercitati. Certè *Ptolomæum* Alexandria, familiam inter Aſtrologos ducentem protulit, & *Ariſtoteles* multa de ſideribus accepta refert Ægyptiis *l.* 2. *de Cœl. c.* 12. qui tamen non primi inventores ſed ab Abrahamo, qui à Chaldæis hauſerat, edocti ad Græcos transtulere. ut *Fl. Joſeph* refert *A. J. l.* 1. *c.* 9. quod confirmat *Euſeb. præpar. Euang. l.* 9. *c.* 4. Unde rectius *Plato in Epinon.* unaque *Cicero l.* 1. *de div. Chaldæis* Aſtrologiæ inventionem tribuunt. *Chaldæos* vero (ut ait *Beroſus*, quem & antiquiſſimum eſſe & ſumma religione ac fide res popularium ſuorum ad æternitatem conſecraſſe, creditum ab omnibus eſt) docuit *Noachus* (qui ab Enocho ſeu Edri dicto. vid. *Euſeb. præpar. Eu. Druſ. Enoch. c.* 17. *Hotting. Clav. Script. l.* 1. *c.* 2. *ſ* 2. ſua hauſit, hic vero ex Setho Sethique duabus columnis *Joſeph. l.* 1. *Ant. c.* 4.) *aſtrorum curſus, atque annum ad curſum ſolis & duodecim menſes ad motum lunæ diſtinxit, qua ſcientia, cum prædicaret illis ab initio, quid in anno & cardinibus ejus futurum contingeret, ideo ab illis divinæ auræ particeps habitus eſt.* Hæc *Beroſus.* Sic *Joſephus* ſeniores Ægypti informavit *Pſ.* 105. 22. Cœterùm ut ad Ægyptios revertamur, tractabant illi præterea reliquas quoque *diſciplinas Mathematicas, Philoſophiam* it. *moralem, Phyſicam, Medicinam*, queis ipſe olim Moſes inſtitutus fuit. *Act.* 7. 22. uti pluribus hac de re *Philo* & *Greg. Nyſſen. de vit. Moſ. Clem. Alex. l.* 5. & 6. *Strom.* egerunt. Itaque Salomonis ſapientia, qua cunctis, quos Oriens atque Ægyptus unquam vidit, celebrior dicitur, *Encyclopædia* fuit, aut potius *Panſophia*, quam mortali in homine niſi divina vis accedat, fruſtra quæſieris. *Ethan* verò, *Heman*, *Dorta* & *Calchon*, quos itidem ſapientiæ gloriâ antevertit Salomo *v.* 32. non quidem Abrahamum, Moſen, Joſephum, atque 12. tribus, uti ex convenienti cum perſonis iſtis vocum Hebraicarum ſignificatione colligit Hieronimus, tradit. in 3. Reg. 4. innuunt, ſed fuerunt *viri Hebræi*, *ſapientiæ* laude tùm florentes, & componendorum carminum omnes dubio procul periti. conf. *Joſeph.* A. *J. l.* 8. *c.* 2. Heman enim atque Ethan Cantorum in cenſu ponuntur, 1 Par. 15. 19. pſalmique aliquot illorum præfixum nomen gerunt, quo titulo Salomo etiam inſignis fuit. Habuit autem Salomon multos ſapientes ex omnibus nationibus apud ſe, inter quos non tantum prædicti fuerunt. ſed & alii atque unus Eximius *Lukmannus* dictus, de quo multa Mahommed in *Suratâ* integra 30. qui Davidi coævum facit. *Baidav. in Comment. p.* 651.

p. 651. refert illum fuiſſe *filium Naora, ex filiis Azed, filii ſororis, Jobi aut materteræ ejus. Vixiſſe autem ad tempora uſque Davidis à quo ille ſcientiam didicerit.* Ex Chriſtianis *Elmakinus H. MSC. p.* 123. vocat ſapientem. *Giggæus in Lex. Arab.* dicit: *Fuit Lochman. ſapientia præditus ſabularum, non diſſimilis Æſopo. Fuit etiam alter apud Arabes prophetæ loco cultus.* Autor Genealogiæ Arabicæ ita ſentit: *Luckman Ulyſſes, Turcis quaſi Æſopus.* Verum *Chriſtianus Ravius* hunc Luckmannum vult eſſe *Alemanum*, Poetam Lyricum Laconicum ſive Meſſenium, qui vixit circa Olymp. 27. amatorii carminis inventor. Nos omnibus ſententiis perpenſis ſimpliciter dicimus eſſe *ipſum Æſopum* hunc Luckmannum, quod convenientia *nominis, ætatis ſcriptorum* aliarumque rerum oſtendit. Luckman nomen Arabicum *voracem, beluonem* notat, uti Æſopus etiam à *Maximo Planude* deſcribitur, cum inquit: καὶ γὰρ φοξὸς ἦν, σιμὸς τὴν ῥῖνα, σιμὸς τὸν τράχηλον, πρόχειλος, μέλας ὅθεν καὶ τοὔνοματος, ἔτυχε (αἴσωπος γὰρ αἴσωπος τῷ αἰθίοπι) προγάστωρ βλαισὸς καὶ κυφός. i. e. *acuto capite fuit, preſſis naribus, depreſſo collo prominentibus labris, niger, unde & nomen adeptus eſt* (idem enim Æſopus, quod Æthiops.) ventroſus, valgus & incurvus. Quin imò, venter ejus ita pinguis fuit, ut cum venditioni exponeretur à Zena, mercator rogarit: *Unde tibi hæc olla? utrum truncus eſt arboris an homo?* Qui lipſana enim vivunt, αὐ τρῶκτας σιτίζονται, plerumque ventroſi ſunt unde non male Æſopus dictus fuit Luckmannus, ſeu aqualiculus. Deinde conveniunt etiam cognomine. *Gellius* l. 2. c. 29. *Æſopus ille è Phrygia fabulator haut immerito* ſapiens *eſt æſtimatus.* Unde & de fabulis Æſopi *Apollonius Thyanæus* apud *Philoſtratum l.* 5. ait: *Ego vero fabulas Æſopi ad* ſapientiam *accommadatiores, quàm cæterorum eſſe cenſeo.* Quas à Mercurio docet acceptas, Æſopumque in numero ſapientum habitum. vid. *Lect. Antiqu. Cæl. Rhod. l.* 8. *c.* 47. *& Rheinb. Lorich. Hada. Scholia in Prog. Aptth.* qui cum pluribus aliis dicunt & docent *ſapientem* habitum fuiſſe Æſopum. Quod cognomen etiam Luckman no *Alcoran. Surata* 30, *Beidavi in Comment. Elmacinus* aliique tribuunt, uti & inſcripto fabularum Luckmanni ita ſe habet: *Proverbia Luckmanni ſapientis.* Circa idem etiam fere tempus juxta Elmacinum vixiſſe Luckmannum & ſapientem illum λογοποιὸν καὶ τὸν ὁμηρικὸν θερσίτην ἀτζαρότητι τοῦ εἴδους ὑπερβαλλόμενον, Æſopum ex collatione patet. Præterea νουθεσίας *Luckmanni* in Alcorano veſtigia ita ſunt luculenta in *Æſopo*, filium adoptivum *Ennum* officii admonente, ut non amplius de convenientia dubitari poterit. Æſopus ap. *Maximum Planudem* p. 81. ita ad filium dicit: *Fili ante omnia time Deum, Regem autem honora.* Idem cum eò quod Luckmannus p. 227. *ô fili, ne adjunge Deo ſocium*, vult enim Deum coli abſque *aſſociatione*, ſeu idololatria, quà Deo in colendo ſocius adjungitur. Gentes enim in Alcorano dicuntur *Aſſociatores*, quia & angelos & homines Deorum loco venerantur; *Judæos* etiam vocant *aſſociatores*, quòd Eſdram illi Numinis inſtar venerentur, adeoque eundem Dei ſocium conſtituant; ſicut & *Chriſtianos* blaſphemo ore propter dogma Trinitatis *aſſociatoribus* annumerant; quibus opponunt *unitatem credentes.* Ita Alcoranus, cum de Abrahamo, Jacobo aliiſque V. T. loquitur, hoc maxime iis tribuit, quod Deum venerati abſque *aſſociatione.* Porro fabulæ de ſene & morte, muliere & Gallina, leone & vulpe &c. à Luckmanno Arabicè Æſopo vero Græce ſic recitantur, ut ſi à Dialecti diverſitate diſceſſeris, non ſenſum tantùm habeas eundem, ſed & verba. Nec obſtat, quod aliæ & plures Luckmanni apud Arabes habeantur fabulæ quàm Æſopi apud Græcos, ſiquidem hoc Arabum ſolertiæ tribuendum, qui in Græcorum translatione ſæpe de ſuo aliquid adjecerunt. Unde Fabula *lebetis* plenius hodiè Arabice extat, quàm Græce. vid. *notas Salmaſ. in eam.* Inſuper hoc convenit cum Æſopi facto, quod *Beidavi* refert de Luckmanno, quod juſſus à Davide ſacrificare ovem & offerre *duo optima membra*, obtulerit *cor & linguam*, & poſt aliquot dies juſſus offerre, rurſus *duo peſſima membra* obtulerit eadem. Tantopere autem Mahummedani honorant Luckmannum, ut numquam ſine ſolenni εὐφημίας formula: *ſuper quo*

quo ſit pax: illius faciant mentionem, & præterea dicant Luckmamum futurum amicum & advocatum in magno illo die cenſorio, omnium illorum, qui Suratam hanc 30. legunt. Cœterum ut ad Salomonem iterum redeamus, qui tot & tantos viros doctos & ſapientes apud ſe habuit. & proinde ipſe magnam ſapientiam acquiſivit, adeo ut tria millia parabolarum fuerit locutus, quorum nonnullæ, reliquis deperditis, eæque inſigniores in libris Proverbiorum ſunt in literas relatæ. Jactent igitur Græci ſuos Moſchos, Phœnicios, Thaletes, Pythagoras, Democritas, Platones, Hippocrates, Ocellos, Ariſtoteles, aut ſi quæ aliæ ſunt vetuſtiora nomina. At unus inſtar omnium, quin ſupra omnes Salomo eſt, & ſine pari ἄριστος θῆς φύσεως ἑρμηνεύτης Diſputavit enim ſuper lignis, à Cedro quæ eſt in libano uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de jumentis, & reptilibus & volucribus & piſcibus 1 Reg. 4. 33. Quanquam hic vero innuatur, Salomonem non tàm ſcripto, quàm aſſidua doctrina, & ſapientiſſimis reſponſis auditores ſuos de naturæ arcanis informaſſe; at potuerunt tamen alii iſtam ſubire provinciam, ac inſigniora quædam in commentarios referre. Certe *Euſebius*, quem Anaſtaſius Epiſc. Nicen. quæſt. 39. in ſcripturam allegavit, *vero ſimillimum judicat*, *plurima exinde artis Medicæ ſcriptores decerpſiſſe*, *calidorumque ac frigidorum, ſiccorum & humidorum ordinem compoſuiſſe*, *& hac herba, illa herba, quànam menſura ſit calidior aut frigidor, & hujus animalis hæc particula, cui morbo afferat remedium. ut pote fel hyænæ. aut adeps Leonis, aut ſanguis Tauri, aut carnes viperæ. De his enim ſcripſerunt Docti Medici accepta occaſione ab his, quæ Salomo primus ſcripſit.* Idem Euſebius autor eſt, *ſuſtuliſſe Ezechiam è medio omnes Salomonis libros, qui de natura plantarum, omnique animalium genere & de curatione morborum tractabant*. Et non male *Eman. Theſaurus p.*138. exprimit exacte Euſebianam narrationem.

Poſthac Salomonis de plantarum uſu commentarios combuſſit,
Jam enim ex horto, non è cælo ſalus quærebatur,
Et herbarum non oculorum expreſſo ſucco,
Membra curabantur, non animi.
In illa igitur flamma ars mortua, ſpes revixit.

Cedrus autem atque *hyſſopus* indicant duo generis arborarii extrema, quorum in illud primum, ſummumque, hoc ultimum atque infirmum ſit. Erat enim Salomon egregius hortorum cultor, & cum non omnis tellus omnia indiſcriminatim ferat, ideò ad *Magiam* hîc recurrit *Targum Kohelet Eccleſ.* 2. 5. modeſtior tamen Jarchi ad *ſubterraneos meatus & genium telluris* illud refert, *cujus vim occultam noverit* Rex perſpicaciſſimus. Ita enim *Comment. ad h. l. Eccl.* interprete Schickardo Taarich. Reg. Perſ. p. 59. 60. quando inquit: *Scivit Salomon per ſapientiam ſuam nervos terræ; quænam vena tenderet verſus Cuſch ſeu Æthiopiam & ſuper eam plantavit piper*, (conformis temperamenti fruticem) *aut quæ procederet ad regiones aridas, ſuper eam plantavit ſicca*, (ut conveniens attraheret nutrimentum) *nam omnes nervi terrarum conveniunt circa Hieroſolymas, ubi eſt fundamentum ſeculi*, (principalis locus mundi) *ſicut dicitur, Zion eſt perfectio pulchritudinis.* Uti vero in comminiſcendis miraculis felices Rabbini ſunt ita & hoc loco ſuam inſigniter vanitatem produnt, quando Zy per *cum* uti Ex. 35. 22. ſumitur, peſſime verſo Salomonem *cum animalibus alloquentem* & eorum viciſſim reſponſa intelligentem introducunt. Ita & *Alcoranus p.* 206. Salomoni tribuit *notitiam & diſtinctionem garritus avium. & p.* 207. fingunt legationem upupæ ad Reginam Sabæ, quæ ſane ridicula eſt, tanto Rege indigna; Quamvis enim bruta ſe invicem intelligant, illarum tamen voces, ut hinnitus equorum, vaccæ mugitus, balatus ovium aſinorum ruditus, ranarum coaxatio à nobis cum illorum ſignificationes neſciamus, capi non poſſunt.

3. *Potentiâ.* Alcoranus Salomoni attribuit *imperium in ventos*, p. 206. & præterea *exercitus* geminos, *hominum & Dæmonum*; quod ex Judæorum Cabbalâ eſt hauſtum, ſicut ſuprà audivimus, quòd Dæmones ad nutum Salomonis ſe geſſerint in ædificando templo. Nos miſſis fabulis novimus, Sa-

Salomonem ab initio magnam ſibi conciliaſſe autoritatem actionibus illis, cùm fratre Adonia, quem è medio ſuſtulit; Pontifice Abjathare quem removit, Generali Joabo, quem meritâ dudum morte affecit, & Simei, quem inultum non permiſit, inſtitutis. Multum vero adjumenti attulit magna illa & incomparabilis, judicio ipſius Dei, ſapientia non tantum civilis in gubernando populo conſpicua, quam à Deo oraverat, ſed *omnis generis ſcientia* cum innumero arenæ numero meritò comparandâ. 1 Reg. 4. 29. Hâc ſibi adeo devinxit ſubditorum non duntaxat, ſed & exterorum animos, ut non tam in ipſorum corpora quam animas imperium exercere viſus fuerit. Totus in eo eſt Pineda, ut Salomonis Panſophiam ceu omnis eruditionis compendium vivis coloribus nobis depingat. Siquidem per integra ſedecim capita nil aliud agit, quàm ut *Grammatici* in eo *ſolertiam*, *Oratoris facundiam*, *Poetæ ac Muſici ingenioſitatem*, *Dialectici acumen*, *miram in proponendis exponendiſque ænigmatibus felicitatem, in concinnandis parabolis ſapientiam*, *atque Hiſtorici peritiam* exhibeat, oſtendatque quàm fuerit iſte ſummus *Aſtronomus*, *Geometra & Arithmeticus* accuratiſſimus, *Coſmographus* item, *Geographus*, *Hydrographus* atque *Architectus* perfectiſſimus, *Naturæ ſcrutator* & *interpres* ſcientiſſimus, *Medicus* experientiſſimus, & *Magiæ naturalis* callentiſſimus, *Civilis doctrinæ* conſultiſſimus & *Theologus* denique numeris omnibus abſolutus. Specimen autem collatæ ſapientiæ ſub initio regni populo demonſtravit, dum viliſſimas quaslibet perſonas admittendo litem meretriciam de infante in publico judicio dexterrime decidit. De Alexandro M. refert Athenæus, illum *de aureâ ſellâ jus dixiſſe, circumdatum* 500 *clavariis Perſis*, 1000 *ſagittariis*, 500 *clypeatis Macedonibus*, 1000 it. *Macedonibus cum agmine ſtratorum Elephantorum, aliis item* 10000 *Perſarum, neminemque in tanta dignitate ac Majeſtate accedere ad Regem auſum fuiſſe.* Noſter verò Monarcha Salomon ſordidiſſimis Reip. excrementis, proſtibulis ſcilicet facillimum præbet aditum, ſingulari patientia querelas tacitus audit, & magnâ longanimitate clamantes & mentientes quoque perfert, ac tandem præter omnium expectationem, quæ vera mater, gladio oſtendit. *Non immerito*, ait Ambroſius ad h. l. *æſtimatus eſt Dei intellectus in eo eſſe, in quo occulta ſunt Dei. Quid autem occultius, quàm internorum viſcerum teſtimonia, in quæ ſapientis intellectus, velut quidam pietatis deſcendit arbiter, & quandam velut genitalis alvi vocem eruit, qua maternus patuit affectus.* Eleganter ut ſolet *Em. Theſaurus*:

Implicitas lites momento explicuit.
Illam præcipue de ſuperſtite infante.
Qui cum duas inter matres nullam matrem haberet
Utrique mori juſſus, ut neutri cederet,
Amore indice matrem invenit.

Simile de *Claudio* narrat Suetonius c. 15. *Fœminam non agnoſcentem filium ſuum dubiâ utrinque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit indicto matrimonio juvenis, ita negato, quod horrebat natura, filium agnovit.* Erat tum temporis, cum judicium hoc exerceret Salomon, adhuc tener juvenis, paucorum annorum, animo tamen prudenti & ſenili præditus, ideoque in Regem, non è *lenticula*, ut Saul & Jehu, qui non protraxerunt imperium, ſed è *cornu*, ut David, ad perpetuandum regnum, unctus, & anno 12, quo genuit Roboamum, ut Achaz 9 vel 12 annorum puer Ezechiam, electus in Monarcham, ut è ſacris liquet & *Kimchi* ad h. l. obſervat. vid. *Pineda* in h. l. qui calculum iſtum ſingulatim l. 8. c. 4. t. 7. ſubduxit. In *Electoribus S. R. J. octodecim anni* legitimam & perfectam ætatem conſtituunt. *Otto* 3. adhuc *puer*. *Henricus* 3. *anno ætatis* 12. *Henricus* 4. *anno* 8. *Fridericus* 2. & *Wilhelmus* 20. & *Carolus* 5. 19. ad imperii faſces evecti ſunt. vid. *Lemn. l. 2. c. 1. n. 64. J. P.* Sic *Auguſtus* valde juvenis Magiſtratum geſſit, *puerum* autem nemo appellabat ex decreto Senatus, *ne Majeſtas tanti imperii minueretur.* Non effloreſcit quidem ante pilos prudentia, atque *gravioris ætatis umbra* gladio juvenis furioſi merito præfertur. Quod & veteres *Romani* perſpectum ſatis habebant, publica lege caventes, ne quis minor annis *triginta* ad ſenatum accederet. *Plin. l.* 10.

l. 10. c. 83. Recte tamen *Pindarus* cenſuit, quod puer cana mente aliquando ſit providus, ac prudentia ſenes centum annorum vincat. Ad hæc adoleſcentior impetus ſenili Conſiliariorum prudentiâ regi poteſt. Neque etiam quicquam pulchrius, quàm cum formoſiſſima pubes graviſſimo hominum ſenum, & canitie capitis reverendorum Conſiliariorum agmine ſtipata incedit. Et ſane nil conſpectius jucundiuſque fuit, quam cum Salomon 12 annorum Rex paternorum Conſiliariorum, & grandævorum ſenum comitatu ornatus in publicum prodiit, & Patrem adhuc viventem ſalutavit. Certe animus decrepiti Patris denuo revixit, ut de Jacobo dicitur, & ſpiritus ſenis juveniles, quaſi & novas vires acquiſivit, cum filii ſui Majeſtatem hoc pacto contemplatus, ſenilem prudentiam, & omnigenam ſapientiam in eo perſpiceret. Quæ cum ipſi merito tribuenda eſt, ita omnis Magia illicita ſeu Diabolica ab eo removenda. Quicquid etiam dicat *Joſephus*, qui nullâ circuitione uſus hæc in medium protulit verba: *Vidi*, inquit, *è popularibus meis quendam Eleazarum in præſentia Veſpaſiani, ac filiorum, ac tribunorum, reliquorumque militum multos arreptitios curantem. Modus vero curationis erat hic: Admoto naribus Dæmoniaci annulo, ſub cujus ſigillo incluſa erat radicis ſpecies à Salomone indicatæ; ad ejus olfactum per naſum extrahebatur Dæmonium, & collapſo mox homine adjurabat id, ne amplius rediret. Salomonis mentionem intereà faciens, & incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein Eleazarus his qui aderant, oſtendere artis ſuæ efficaciam, non longe inde ponebat poculum, aut pallubrum, aqua plenum imperabatque dæmonio ex homine exeunti, ut his ſubverſis ſignum daret ſpectantibus, quod reliquiſſet hominem. quo facto nemini dubium erat, quanta fuiſſet Salomonis ſapientia*. Hæc ille. Ita multa ſunt ſcripta, quæ *Claviculæ, Incantationum* atque *annuli Salomonis* præfixam inſcriptionem habent, ſed ſunt ſuppoſititia & hypobolimæa, ab impiis & ſuperſtitioſis hominibus ſpecioſo Salomonis titulo nefarias artes venditantibus conficta. Vera eaque divina & naturalis in Salomone fuit ſapientia, quâ ſibi tantam conciliavit potentiam in apparatu Bellico, navali, Architectonico, Oeconomico, ut & comitatu ac aula Regia conſpicuam, & eluceſcentem.

4. *Et divitiis abundaverit*. A. Syllâ olim quæſitum; *quomodo vir bonus eſſe potes, qui tantas opes poſſideas, cum à Patre tibi nihil ſit relictum*. Salomon hæreditatem ampliſſimam à Patre, tria fere millionum millia in templi impenſas juxta Pinedam legante, habuit, atque, juxta Joſephum, tantas ab eo relictas opes accepit, *quantas nullus Rex vel Hebræorum, vel aliarum gentium poſſiderat*. cujus rei teſtimonium nobis præbent impenſæ in tumulum Parentis, ſolo pietatis ac magnificentiæ argumento illatæ, atque arbitrandum relinquunt, quas opes, ſues in uſus, atque ad tuendam Majeſtatem reſervarit. Præthereà *veras & naturales*, uti *Ariſtoteles* vocat, *divitias è re ruſtica Eccleſ.* 2. 5. *plantatione vinearum & hortorum* acquiſivit. Ut taceam *vectigalia & tributa*, quæ non tantum *Iſraelitæ* ſuô Regi à primis regni initiis, ſed & devicti à Davide populi, *Ammonitæ, Moabitæ, Syria*. it. *Idumæa ac Damaſcus*, tùm *Philiſtæi atque Amalikitæ*, pendebant, & in regium inferebant ærarium (nam reliquias illas ex 7 Cananææ populis corpore magis, quàm ære luiſſe probabile eſt 2 *Paral.* 8. 7. 8. 9. *Joſeph. A. J. l.* 8. c. 2.) Augebat ſummam ingens *vectigalium* proventus, qui à *Mercatoribus* Salomoni in ſingulos annos obvenit. 1 *Reg.* 10. 14. Nil dicam de donis & muneribus, vaſis aureis, & argenteis, veſtimentis, armis, aromatibus, equis, mulis, aliiſque, quæ Reges terrarum, Salomonis faciem videre deſiderantes quotannis afferebant. 1 *Reg.* 10. 24. 25. Incredibile vero augmentum ærario Regio afferebat Claſſis Regia, quæ cum auriferarum regionum littora legeret, aut mercium commutatione, aut quod eſſent, qui terræ tùm forte virginis adhuc viſcera perſcrutarentur, ingentem auri vim, rerumque omnium præſtantiſſimarum copiam lucrata retulit. Exploratum enim habebat Rex ſapientiſſimus, quid quæque ferret Regio, aut quid appeteret avide. *Nomadum gentem vendere vicinis aurum vili pretio, æris triplo, argenti duplo; tum propter operanæ inſcitiam, tùm quod indigent iis, quæ contra ac-*

accipiuntur quorum uſus magis eſt ad uſum neceſſarius. Strabo l. 16. autor eſt; Deque Indiâ *Plinius l. 25. c. 17. quod neque æs neque plumbum habeat, gemmisque ſuis ac margaritis hæc permutet.* In regno Calcehul *Aloyſius Cardamuſtus* potiores merces ait eſſe, *æra fabrefacta in vaſa, ut in cacabos & ſartagines, vel ahenos, vel etiam in Caminas, par quoque unum conſpiciliorum pretio vendi eximio.* Negot. l. 2. c. 61. Et *Madriganus* Navig. Col. c. 109. *clavos, vitrea grana & acus in ſummo pretio apud inſulas illas Occidentales haberi* ſcribit. Tanta mortalibus ſuarum rerum ſatietas eſt, alienarum cupiditas. Unde perfacile Salomoni fuit ex ſuâ regione aut aliunde etiam ea mittere, quæ cum auro argentoque & gemmis barbaræ illæ gentes libentiſſime commutarent. Non verò jam inquiremus, quorſum claſſis illa profecta ſit, cum prolixe id egerit *Martinus Lipenius in Navigatione Ophirica*, ubi latiſſime adducit varias ſententias, & probat quod *Ophir* non ſit incertus aliquis & remotus locus nec Africana, nec Americana & nominatim vel Hiſpaniola vel Peru, vel Peru & Mexico ſimul, ſed *Aſiatica*, & quidem *India Orientalis*, in eaque *Zeilan*, *Pegu*, *Malaca*, *Sumatra*, *Stan*, *Benala*, aliique contermini loci, ex quibus conjunctim modo hinc modo illinc merces Salomoneæ in ſcriptura nominatæ, ob illarum rerum ubertatem peti poterant. vid. ipſe omnino, cujus ſcrinia compilare ſuperſedeo. Inde ortæ fuere divitiæ Salomoneæ, non ex theſaurorum inventione aut *Alchymia*, quam quidem exercuit fortean Salomon non *ut locuples fieret*, ſed *quia locuples erat*. Ars ea pauperibus illicita eſt, & divitiis, quas decoquat, & abſumat potius, quàm quas efficiat aut coquat, gaudet. Maxime autem ſuas divitias oſtentavit Salomon in ædificandis tot palatiis ſcilicet, *templo*, *domo Regia*, *& domo ſaltus Libani*, ut & in muniendis tot urbibus, *Heſer*, *Maggeddo*, *Gazer*, *Bethoron & Balaath*, vel quod ad regni ſplendorem, vel ad pacis bellique opportunitates conferrent; Unam ex fundamentis excitavit, quæ *Thadmor* Hebraicè, *Palmyra* Plinio dicitur. Ingreſſus enim in deſertum, quod eſt deſuper Syriam, ejusque regionis potitus, urbem hanc, tanquam in extremo imperii ſui limite maximam validiſſimamque condidit. *Urbs nobilis ſitu, divitiis ſoli & aquis amœnis, vaſto undique ambitu arenis includit agros; ac veluti terris exempta à rerum natura, privata ſorte inter duo imperia ſumma Romanorum Parthorumque & prima in diſcordia ſemper utrinque cura. Plin. l 5. c. 15. a.* Thronus etiam Regalis Salomonis, ceu inſigne divitiarum & ſplendoris Salomonæi monumentum, ſilentii ſipario involvendus non eſt.

Nuſquam lautius ſapientia ſedit,
Ne venalis ſperetur juſtitia, quæ opes calcat.

inquit *Eman. Theſaurus* l. c. *Athenæus aureas platanos* memorat, *auream que vitem, cum uvis confectis ex Smaragdis, carbunculis Indicis, & aliis gemmis omne genus ſummi pretii, fidem omnem excedentis, ſub qua ſæpius Perſarum Reges ſedentes legatos audiebant, & jus dicebant.* Salomonis verò ſedes ebore atque obryzo tota radiabat, inſigni conſpicua altitudine. Sex enim gradibus aſcendebatur, ab utroque iſtorum latere duo & decem leones poſiti erant. Faſtigium ejus rotundum à poſteriori parte. Fulcra hinc inde manuaria, ac duo leones his aſtantes conſpecti ſunt. Fortitudinem verò illi atque invictum animi robur deſignaverunt. Illud vero peculiare eſt, quod *Joſephus* ſcribit, *eâ parte quâ reclinabatur Rex dimidiatus erat juvencus, tergum ſuum reſpiciens.* 70. idem, ſed in plurali legunt. *prominentiæ vitulorum ipſi throno ex poſterioribus ejus.* Hinc procul dubio *P. Comeſtor* reclinatorium impoſitum fuiſſe tergori bovis forâs reſpicientis ſtatuit. Sane taurus etiam Principis imago eſt, atque longe melior, *Magni* judicio *Alexandri* quam leo. *Taurus enim*, inquit, *non ſolum ex generoſis animantibus eſt, neque ſui ipſius cauſa fortitudine utitur, quemadmodum leo, & aper & aquila, perſequentes cætera animalia cibi gratia. Taurus enim manifeſte ad Regis imaginem factus eſt, regnat enim inter ſui generis animantia cum benevolentia & ſolicitudine, cùm quòd præcedat ad paſcua, tùm quod beſtia apparente non fugiat, ſed pro toto armento propugnet, & infirmis auxilio ſit.* conf.

Gen. 49. 5. Deut. 33. 17. Ad Regiam etiam Salomonis magnificentiam pertinet, quod urbem Hieroſolymitanam non tantum pulchriorem & ornatiorem reddidit, ſed & *muris* & *propugnaculis* & 1 *Reg*. 9. 15. præprimis illo nobiliſſimo caſtello, Mello dicto munivit. De quo cum *Pineda* multum diſputaſſet munitionem aliquam fuiſſe, tandem concludit, in inferiori monte Sion, ad ſecuritatem ſuperiori arci, temploque ac Regiæ præſtandam ingenti ſumtu atque operibus à Salomone extructam. *Adrichomius* quidem *deſcr. Terr. S.* aliter deſcribit, quos componere invicem noſtrum non eſt. Novam nec minus illuſtrem Regis cura *Flavius* annotat: *Divina quadam*, inquit, *diligentia & providentia omnibus in rebus utebatur, & cum eſſet elegantiarum amator, ne viarum quidem curam prætermiſit: ſed & harum quotquot Hieroſolymam Regiæ ſedem ducebant, ſilice conſtravit, tùm ut ultro citroque commeantibus eſſent faciles, tum ad oſtendendam hac quoque parte Principatus ſui magnificentiam.*

5. *Ita & uxaribus multis gaudere voluit. Victor* Ophiricus, *Utopicus* volebam dicere, qui non niſi ſimias in ſuis navibus nobis apportat, aſſerere non erubeſcit, quòd Salomon ipſe & quidem cap. 5. prov. v. 18. Polygamiam prohibeat, cum dicit: *Lætare uxore juventutis, amore illius ſatiatus ſemper delectare*, &c. & rationem addidit, quod, ſi quis habeat plures, non ſemper poſſit delectari uxore juventutis ſuæ. At hoc non poteſt ſemper fieri, cum habet tantum unicam; ſiquidem vel negotia, vel abſentia, vel itinera, vel morbi aliæve calamitates poſſunt eſſe obſtaculo. Si vero Anti-Polygamus de extrema lineâ amoris, uti videtur cum mundo ita capere, qui amorem uxoris in illa unice ponunt, intelligit, nemo erit tantarum virium, ut ſemper poſſit hoc pacto cum uxore lætari, nec tenetur, & peccat inſuper juxta Patrum & Moraliſtarum ſententias ſupra ad th. 3. n. 2. & alibi adductas, ſi extra cauſam generandi cum uxore rem habet. Sunt & alii modi amoris, quibus maritus honeſte uti poſſit, ita ut non opus ſit ad ultimum amoris conjugalis actum ſemper devenire. Si Theologum conſummatiſſimum & optimum ſcripturæ interpretem Dn. D. Geierum in abſolutiſſimo opere in Proverbia Salomonis conſulimus, ille nullius prohibitæ ibi Polygamiæ mentionem facit. Nec probabile eſt, ipſum Salomonem juxta illud

Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum,

id improbaſſe, quod ille non clàm, ſed coram toto exercebat mundo, & uſque ad finem vitæ continuabat, nulli propterea reprehenſioni vel à Deo, qui ſæpe cum ipſo locutus, vel à Prophetis inſtitutæ obnoxius. Quemadmodum etiam nonnulli putant *Reginam Saba*, quam alii Nicaulum, alii ex Herodoto *Nitocrin*, *Maquedam* verò rerum Æthiopicarum conditores proprio nomine dictam volunt, filium ex Salomone ſuſcepiſſe, quia in textu extet, quod dederit illi omnia, quæ deſideraverit. Jam vero dubio procul ſapientiſſima Regina, tanti Regis ſcientiam, prudentiam, potentiam; divitias atque Majeſtatem admirata, ſe beatam judicavit, ſi à tanto Monarcha prolem tollere poſſet, futura optima quæque de filio ab incomparabili Imperatore orituro præſagiens. Sicuti *Thaleſtris* Amazonum Regina à *Curt. l. 6.* dicitur *in occurſum Alexandro M. iviſſe, quæ interrogata; an quid petere vellet, haud dubitans fateri, ad communicandos cum Rege liberos, ſe veniſſe, ne ſe pateretur ſpei irritam abire, acriorque ad venerem fœminæ cupido, ut paucos dies ſubſiſteret, Alexandrum perpulit, & tredecim dies in deſiderium ejus abſumti.* Atque ita etiam intimior illa familiaritas, quæ Reginæ cum Salomone interceſſit, facit, ut conſtans præſertim illorum, qui res Æthiopicas ſcripſerunt, Genebrardique ſit aſſertio; *ſuſcepiſſe* nempe *Reginam Saba ex Salomone filium primo quidem Melic ſeu Meilech, poſt ampliore aſſumto nomine David dictum.* Quo ſpectat forte ſpecioſus iſte *Presbyteri Iohannis* ſummi Abyſſinorum Imperatoris titulus, quem noſtro etiam orbi *Ortelius Theatr. tab.* notum fecit: *David ſupremus meorum Regnorum, à Deo unice dilectus, columna fidei, ortus ex ſtirpe Iuda, Filius David, filius Salomonis, Filius columnæ Sionis, Filius ex ſe-*

ſemine Iacob, Filius Magnus Mariæ, Filius Nahum ſecundum carnem, Filius Sanctorum Petri & Pauli ſecundum gratiam, Imperator ſuperioris & inferioris Æthiopiæ, & ampliſſimarum juriſdictonum & terrarum Rex Goæ, Caffiles, Faticar Angotæ, Baru, Baliguanzæ, Adeæ, Vanguæ, Gojamæ, ubi Nili fontes, Amaræ, Baguametri, Ambævagunci, Tigremabom, Sabaim Patriæ, Reginæ Sabæ, Barnagaſſi, & Dominus uſque Innubiam, quæ in Ægyptum extenditur. Regis hujus *inſigne* eſt, *ſtans leo & manu tenens erecta m crucem*, ut hæc ſit Chriſtianitatis, ille Judaicæ proſapiæ index. *Leo* enim *Iudaicæ tribus* jam olim *inſigne* fuit, quod & in *throno* ſuo *Salomon*, & in *annulo ſignatorio David*, cœterique ex Regibus Juda prætulerunt; *R. Abrah. in Cob. Hiſt. ap. Genebr. A.* 3146. Regina vero noſtra *Saba* an *ex Æthiopica Saba* an vero ex *Arabica*.

Certant Theologi, & adhuc ſub judice lis eſt.

Ex Africana ſeu Æthiopica Saba illam arceſſunt *Origenes*, *Anſelmus*, *Auguſtinus*, *Nazianzenus*, *Nyſſenus*, *Anaſtaſius Euthybius*, *Genebrardus*, *Maldonatus*, *Nauclerus*, *Budæus*, *Barradius*, *Ortelius*, magni nominis viri, & quorum refragari autoritati, temeritatis prope cujusdam eſt. Habent enim, quo ſeſe muniant, idque potiſſimum, quòd Æthiopia longius Hieroſolymis diſtet; quòd auro illa abundet, (nam nil fere aliud *Cephala*, *Argina*, *Nigrita Mozambica* & *Guangara* mercatui exponunt.) quòd aromatum ferax ſit, & quod Æthiopes denique fœmineo imperio colla ſubmiſerint. *Act.* 8. 27. *Strab. l.* 17. *Plin. l.* 6. *c.* 9. Cœterum in diverſa hìc abeunt, & terminum à quo perfectionis *Arabiam Felicem* nominant, *Hieronymus*, *Eucherius*, *Nicephorus*, *Iſidorus*, *Cajetanus*, *Eugubinus*, *Pererius*, *Georg. Venetus*, *Baronius*, *Salmero*, non minus illuſtres Heroes, & qui ſuperius citatis cornua obvertant. Nam quod שבא *Arabiam* denotet, id palàm quidem ex *Job. l.* 15. it. *Ier.* 6. 20. ubi *thuris Sabæi*, *Pſ.* 71. ubi auri, *Ez.* 27. 22. ubi aromatum gemmarumque fit mentio, videre eſt; *longe* etiam *diſtare* dicitur Joel. 3. 8. denique 70. Pſal. 71. 10. 15. *Arabiam* vertunt. *Et fama Salomonis* commodius ad eam pervenire potuit, quod claſſis Regia per mare rubrum ex Azion Gaber *ad Arabiam atque Indiam* tendebat. *Numeroſum quoque atque forte ſatellitium & Camelorum multitudo* Arabum ampliſſimam gentem pugnaciſſimamque, & à Camelis abunde inſtructam deſignare videntur. Id vero graviſſimum cauſæ pondus addit, quod *aromata* ſecum advexerit *multa nimis*, qualia & quanta Jeruſalem nunquam poſt hâc vidit. Arabia enim hoc nomine etiam *Felix* eſt, quod *ſola quidem thus at omnium tamen maxime aromata producat.* vid. *Plin. l.* 6. *c.* 28. *l.* 8. *c.* 18. *Solin. c.* 72. Non fruſtra vero erit, hic aſcribere *Agathargir.* quædam l. 1. de mari Rubr. c. 50. *Sabæorum gens*, inquit, *per Arabiam omnium maxima, & nullius non generis felicitatem in poteſtate & arbitrio habens. Namque tellus omnia fert, quæ ad commoda vitæ apud nos proveniunt, & corpora apud eos ſunt ſpectabiliora quàm alibi, pecorum multitudo innumerabilis ſuppetit; amœnitas, fragrantia, totam hanc oram obtinens, voluptatem præbet advenis viſu & dictu majorem. Nam ad ipſas littorum crepidines largum naſcitur balſamum & caſia longe alia, quàm alibi habetur recens nimirum, ideoque jucundiſſimam oculis voluptatem exhibens, quæ poſtea longinquitate temporis prorſus exoleſcit. In mediterraneis frequentes & magnæ ſe attollunt ſylvæ, nam arbores præcelſæ myrrhæ ac thuris nec non cinnamomi, & calami, & id genus aliorum exurgunt.* Subdit deinde, quòd Arabes *nimium fragrantiæ perpetuo aſpirantis exceſſum, accenſâ interdum bituminis parte, aut hirci barbâ amoliantur, & quod voluptati noxium eſt, attemperatione ejus, quod moleſtum huic eſſe videtur, reprimant.* Porrò, quod ſit auri ferax Arabia, teſtis *Plinius*, *l.* 6. *c.* 28. qui *Sabæos auri metallis ditiſſimos* appellat, *uſque adeo, ut omnis pene gentis hujus ſupellex, auri alia, alia argento ſplendeat, vendunt etiam finitimis aurùm triplo æris pretio, argentum duplo.* vid. & *Adrichom. l. c. p.* 76. Præſtantiam verò illius *Diodorus Siculus l.* 3. *c.* 12. ſic commendat. *Effoditur in Arabia aurum, quod non ita decoquitur, ut apud alios conſuevit, ſed è veſtigio*

gio effoſſum, nucibus id caſtaneis ſimile reperitur, colore eſt ità lucido, ut pretioſos lapides ab artificibus auro incluſos ſplendidiores reddat. Gemmas verò non ſolùm illam, quæ *Arabica* vocatur, ebori ſimillima, niſi duritia abnueret, ſed *margaritas* præterea, *Adamantem*, *Onychen*, *Opalum*, *Sandraſton*, *Topazium*, *Paderon*, *Hyacinthum*, *Aromanthidem*, *Aſpilatam*, *Seleniten*, *Cochlidem*, atque *Lygdinum* Arabia poſſidet. Sanè vel hoc etiam Arabiæ ſignum eſt, quod Regina hoſpes βασίλισσα νότου *Matt.* 12. 42. dicitur. Arabia enim reſpectu Jeruſalem eſt *Auſtralis*, atque alias etiam meridionalis nomine ſcriptoribus venit. *Herod. l.* 8. *Diod. Sic. l.* 3. *c.* 12. *Adrich l. c.* Caput regionis *Saba*, in monte excelſo arboribuſque pleno ſita eſt, ſexcentis & amplius Leucis Gallicis à Jeruſalem diſtans. Unde ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς adveniſſe meritò dicitur. Neque verò ex perpetuo more aut ſancto jure id fuit, ſi quando in Æthiopiâ fœminas regnare contigit, τὸ εἰς ἄῤῥεν φύσει τῆς θήλεως ἡγεμονικώτερον dicit Ariſtoteles & Sitones Sueviæ gentem *Tacitus in Germ.* nominat, qui colla colo ſubdere aſſueti, *non modo à libertate, ſed à ſervitute etiam degeneraverint* Ægyptiis quidem Cleopatra, Thomyris Maſſagetis, Semiramis Babyloniis, Zenobia Palmirenſium Regina regno Orientis præfuerunt, ſed caſu tamen & ad tempus. Adeò nulla unquam gens perpetuum regnandi jus fœminis tribuit. &c. Ex Arabia itaque Regina venit circa vigeſimum forte Imperii Salomonici annum, Aulâ Regiâ ædibuſque ſacris ad culmen jam perductis, & forte etiam domo ſaltus Libani, quæ omnia cum *conviviorum ſumtibus apparatuque Oeconomico & deſpotico* imprimis admirata eſt. *Joſeph. l.* 8. *c.* 2. Venit autem, non eadem mente, quâ Magi novo ſtellæ præcurrentis, comitantiſque novi Regis nativitatem, ortu ducti, quaſi Salomonem exiſtimaret Meſſiam ex Bileami vaticinio, traditione ad ſe delato, ut *Vonius A. C.* 1. putat; ſed videndi ergò Magnificentiam Salomonis, & ut tentaret ejus famoſiſſimam ſapientiam ænigmatis more inter Orientales, Reges etiam, uſitato. *Ioſeph. l.* 1. *contra Appion.* Rex verò ad omnia, quæ illa *ſummâ animi contentione præmeditata* fuerat, ſolidiſſime & ſolertiſſime reſpondit 2 *Paral.* 9. 2. Adeò Regina

Plura didicit, quàm quæſiverit,
Plura retulit, quàm obtulerit,
Nam Salomonem alterum in utero retulit.

ut *Em. Theſaurus* cecinit, Multa ſiquidem dona, aurum, thus, aromata, atque alia pretioſa ipſi obtulit, quæ Salomon gratiſſimo animo agnovit, & abundantiſſime recompenſavit, omniaque ipſius deſideria implevit, inter quæ dubio procul etiam ſi mulebre ingenium, formoſis animo & corpore facile inductum & abreptum, penitius conſideratur, filius à tàm ſapiente Monarchâ ſperatus & conceptus numeratur; quo etiam juxta pleroſque beata dimittitur. An verò abitum parans *duodecim milla Hebræorum* mille ex qualibet tribu juxta *Genebrardum*, *Cedrenum*, *Barrium. Ludov. Carret. Epiſt. quæ inſcribitur Liber viſionum*, ſecum avexerit, in incerto eſt, cum ſcriptura & Joſephus taceant quanquam non negemus, potuiſſe ex Hebræis aliquos vel novitatis ergo vel propagandæ religionis ſtudio allectos in comitatu illius ſimul proficiſci. Producit etiam *P. Comeſtor* literas quasdam, Salomoni à Reginâ transmiſſas: *Tradunt quidam*, inquit, *reſcripſiſſe illam Salomoni, quod præſentialiter ei indicare timuit, ſe vidiſſe quoddam lignum in domo ſaltus, in quo ſuſpendendus erat quidam, pro cujus morte regnum Iudæorum periret, & certis indiciis illud Regi indicavit. Quod timens Salomo in profundiſſimis terræ viſceribus occultavit illud, pro cujus virtute aqua mota ſanavit ægrotos. Quod tamen in libris ſuis negant ſe habere Hebræi. Sed quomodo circa tempora Chriſti in probaticâ piſcina ſupernataverit, incertum eſt, & creditur hoc fuiſſe ſignum crucis Domini.*

6. *Millenarium.* Videtur Salomon tres illas leges fundamentales Deut. 17. de exceſſiva coacervatione auri & argenti, de exceſſiva nutritura equorum, & de exceſſiva Polygamia violaſſe, uti & Cornel. Janſen. ad h. l. aliique in hac opinione ſunt. Verum enim verò quia Salomon aliàs, ut ille dicebat, erat Eximius, & excellebat omnes Orien-

Orientales & Occidentales, qui ante ipſum fuerunt & poſt hac futuri ſunt, ſapientiâ, diviiis & Gloriâ atque Majeſtate, ſicut ipſe Deus faſſus erat, ſe dediſſe ipſi omnia in ſummâ & exceſſiva abundantiâ, ita etiam excellere volebat numero uxorum. An verò hâc in parte exceſſum, cum reliqua omnia, quæ apud nos etiam, uti numerus equorum, ædium ædificatarum, famulorum & miniſtrorum, navium, &c. Majeſtati ipſius incomparabili conveniant, aliquem commiſerit, difficile eſt determinare. Neque enim ipſe ex noſtro ingenio & noſtris viribus ingenii, corporis & fortunæ æſtimandus, & judicandus, Ipſe duodecennis cum ſumma ſapientia, prudentia atque ſolertia auſpicabatur feliciſſimè ſuum imperium, atque inaudita, aliisque omnibus Regibus impoſſibilia aggrediebatur, & ſuam aulam ampliſſimam, aliaque omnia cum ſummo ſplendore dirigebat, atque ad finem vitæ continuabat. Si hodie Rex aliquis tanta ædificia & palatia extruere, tot caſtella & propugnacula excitare, tot urbes & oppida muris cingere, tot equos & miniſtros alere, tot uxores ſuſtentare, & gubernare, tot naves ædificare, tot vias lapide ſternere, aliaque indicibilia auderet, vitio ipſi verteretur, & pro exceſſu reputaretur, quia fortean viribus impar ad Colophonem perducere non poſſet. Noſter verò Glorioſiſſimus Rex Salomon omnibus par; aut potius ſuperior, & nulli impar, inaudita, & aliàs incredibilia auſpicatiſſime perfecit, adeò ut dubitem ipſi aliquem exceſſum, cum fuerit ſapientiſſimus, tribuere. Ipſe optimè noverat ſuas vires

Quid ferre recuſent

Quid valeant humeri, ut *Venuſius* Poeta canit. Mihi verò ſunt incognitæ, adeo ut ſicut omnes vere ſapientes de aliqua re aut perſona, niſi cognitis omnibus exactiſſimè circumſtantiis, non facile judicabunt, ſed judicium ſuum ſuſpendent & omnia in meliorem partem more verorum Chriſtianorum, quin etiam Gentilium, interpretabuntur; ita etiam hac in re difficillime determinandum, an Polygamia Salomonis fuerit exceſſiva vel non. Bilis ſane adhuc mihi movetur quando recordor alicujus exceſſive blateronis & cenſoris aliorum, ſuorum vitiorum vero ignari, aut ut uno verbo dicam, inſignis & ſacri Macchiavel'iſtæ, qui in urbe Regia è ſuggeſtu publicè Salomonem veluti Archiſcortatorem diffamare ceu egregiarum fœminarum adorator, & adulator, non dubitabat. Deus ipſe in Salomone non taxat exceſſivam uti putatur, Polygamiam, ſed tantum ſeductionem & ſequelamu xorum exterarum & idololatricarum ſicuti & Deut. 17. non videtur ſimpliciter prohibere nimium exceſſum auri coacervandi, equorum alendorum, & uxorum ducendarum, ſed exceſſus abuſum homines poſt lapſum ferè ſemper comitantem, atque ita etiam vult occaſionem abutendi omnem præſcindere

Etenim juxta Poetam

Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur
Divitiæ & pietas.

adeo ut in ſcriptura ferè pro ſynonymis habeantur impii & divites. Ita etiam non bene convenit cum multis fœminis converſari idololatricis, ob periculum, quod aliquis facile poteſt incurrere. Quicquid vero ejus ſit, Salomon uti omnes omnibus rebus, ſapientia, potentiâ, divitiis, equis, ædificiis, navibus, &c. antecellebat, ita etiam numero uxorum, ut nullus ad tantum pervenerit numerum, quantum equidem ſcimus. *Lamechus*, *Abraham*, *Elkana*, Rex *Ioas*, Imperator *Valentinianus*, *Carolus M. Comes de Gleichen*, *Philippus Haſſus Oldendorpius*, Juriſconſultus tempore Lutheri, & nuper adhuc *Epiſcopus in Angliâ* &c. habebant *binas* uxores. *Eſavus Commodus* Imperator *tres*, uti & *Dagobertus*, Rex Galliæ pientiſſimus; *tres* habuit *Reginas* & multas concubinas. *Jacobus* Patriarcha *quatuor*. Rex *Abia quatuordecim*. Rex *David octodecim*, *Rehabeam octodecim* uxores & 60 *concubinas*. *Mahometh. ſeptendecim*. Rex Tartarorum *C. blai* 40. legitimas & multas concubinas. *Evenus* Rex Scotorum *centum*. *Proculus* intra quindecim dies *centum* virgines captas fœcundavit. *Gnaia* Rex Peruanorum *ducentas* & *quinquaginta*. Rex Cancigu *trecentas*. *Alcaſar* Rex Judorum *Quadringentas*; *Maaboth*, Rex Indiarum *quingentas*. *Gillo* R. Indo-

dorum Orient. *Saxcentas*, ut hinc & inde adduximus, poſſedere uxores. *Salomon* vero ad *millenarium* divinum ſcilicet numerum aſcendit, à divino Numine ſingulariter dilectus, & in divinis rebus, viſionibus & operibus maxime exercitatus. Fautor ſiquidem fuit maximus hujus numeri. In principio ſtatim ſui regni ante illud ſomnium & viſionem de ſapientia incomparabili ipſi cum omnibus aliis Majeſtaticis communicandâ, *mille* holocauſta Deo ſuo offerebat in excelſo Gideonis. 1 Reg. 3. 4. ſicut & in auguratione templi *viginti & duo millia* taurorum, & centum atque *viginti millia* ovium ſacrificabat. Parvus numerus tantum Regem non decebat, nullus fere alius audiebatur ex ore ipſius quàm millenarius, myſticus ille magnus atque divinus, ut *Bongus* de *myſteriis Numerorum* docet, divinus inquam, ut pote in cujus arithmetica mille anni ſunt inſtar unius diei, divinus, Divo Salomoni divina ſapientia prædito, divinis rebus occupato, & ad divinitatem anhelanti maxime adamatus & conſuetus. Tria *millia* ſententiarum & proverbiorum 1 Reg. 4. 32. loquebatur, & ipſi erant *càntica mille* &c. quinque quadraginta millia equorum curribus apta & viginti millia ad equitandum deſtinata alebat ſingulis diebus in culinis Regiis viginti *millia boum* abſumebantur. 1 *Reg.* 4. 23. 26. Ita in ſupputatione uxorum etiam millenario uti voluit. R. Samuel Laniado quidem exiſtimat, *quamvis dicatur; Salomonem habuiſſe mille uxores & concubinas, tamen non neceſſario inde ſequi, quod cum omnibus rem habuerit, ſed fuiſſe partim principes, partim de vulgo mulieres, ad ejus obedientiam & miniſterium deſtinatas, atque etiam ut ad voluptatem ſuam illis uteretur ſiquidem vellet, fieri vero potuiſſe ut ne quidem tertiam partem attigerit.* Abarbenel vero dicit veras fuiſſe omnes uxores, *illasque fœminas cum quibus Salomon rem habuiſſet, fuiſſe è veſtigio ſubductas & ſecluſas, & à nemine alio poſt hac omnibus diebus vitæ ipſarum tectas & cognitas. Quamvis enim non niſi ſemel eas cognoviſſet, tamen honoris ipſius cauſa fuiſſe prohibitas omnibus viris, & ſic non eſſe incredibile exiſtimat, ut Salomon cum mille fœminis per totam vitam ſuam ſe commiſcuerit.* Sed non opus eſt ita coanguſtare, aut decurtare, vel potius ad unitatem redigere, & penè annihilare delectamenta Salomonis cum qualibet uxore; Ipſe regnavit 40 annis, qui ſi calculus ineatur, conſtituunt 14600 dies & noctes. Quam vero ſupputationem hâc in re inierit ſapientiſſimus Rex, inquirere eſt maxime ſupervacaneum. Interim & Principes uxorum, uti vocantur ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ numero, habebant ſuos gradus, ita ut ex illis fortean 700; ſexaginta fuerint electæ, Reginæ dictæ, quæ præ reliquis primariis fœminis magis dilectæ æſtimatæ & honoratæ, & ex his concubinis 300 octoginta fuerint ſelectæ, quæ præ cœteris honoratiorem locum habebant apud Regem, juxta Cant. 6. 8. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & juvencularum* (Gynecæo aſſignatarum) *non erat numerus.* Quin potius dici poſſit, quod quia *Canticum Canticorum* tempore nuptiarum, cum Pharaonis filiâ celebratarum, putatur eſſe confectum, adeoque poſt initium regni, tum temporis jamdum & tantum ſexaginta Reginas, ſeu primarias habuerit uxores, & octoginta ſecundarias ſeu concubinas, poſtea vero ſuccedente tempore numerus uxorum, uti divitiarum fuerit multiplicatus, & ad millenarium auctus. In quo quidem Deus reprehendit, quod Salomon amaverit *exteras* mulieres, *filiam Pharaonis, Moabiticas, Ammoniticas, Edomiticas, Zidoniticas & Hethiticas*, ex illis populis, cum quibus Deus converſationem prohibuerit, ne ad idololatriam Judæorum corda ſeducerentur. 1 *Reg.* 11. 11. 12. Cœterum Judæis prohibiti erant ſeptem illi populi, *Cananæi, Amorrhæi, Heræi, Perizzæi, Hittæi, Gergeſæi & Jebuſæi*, adeò ut nec velint, eorum utcunque in Judaiſmum cooptatorum cum Originariis conjugia licita eſſe idque ex ipſa lege ſacra *Deut.* 7. 2. *non contrahes affinitatem cum eis.* Deinde etiam prohibitum erat juxta Rabbinos conjugium cum *Ammonitis & Moabitis*, qui ſecundum Deut. 23. 3. non debent *venire in congregationem Domini* etiam *in decimâ generatione*, hoc eſt, nullatenus contrahent matrimonium cum illis. Et has contra leges Salomonem peccaſſe, dicunt non obſtante, quod illæ

factæ fuerint proſelytæ, uti & de Pharaonis filia dicitur, quod facta fuerit proſelyta, ſed poſtea cum prioribus proſelytis iterum relapſa fuerit ad idololatriam. vid. *Buxt. de ſponſal. p.* 48. *Selden. de Jur. N. & G. l.* 5. *c.* 15. 16. Hinc etiam Mariani deduxere in *Inſtit. Iur. Can. l.* 2. *tit.* 12. §. 5. quod *cultus diſparitas matrimonium contrahendum impediat*, & contractum *interdum dirimat*. Negari quidem non poteſt, intuta eſſe talia conjugia, non tamen ſimpliciter interdicta. 1 *Cor.* 12. 13. Et rectè quidem monentur atque deterrentur Orthodoxæ fidei ſectatores, ne cum illis, qui diverſæ & pravæ religionis ſunt, contrahant matrimonium, *ipſa* tamen *religionis diverſitas matrimonium contractum non dirimit*. Infidelitas enim aut hæreſis non evertit ſubſtantialia matrimonii, neque cum natura ejus per ſe pugnat. Unde non matrimonia tantùm inter gentiles & Chriſtianos contracta fuerunt, ſed arctiſſimæ etiam & fideliſſimæ amicitiæ. vid. *Ritterhuſ. ad Salvian. p.* 378. *Bergeron. ad Papon. l.* 1. *tit.* 2. *areſt.* 7. Cum Judæis verò conjugia Chriſtianis jam olim & ſatis ſevere fuêre prohibita imprimis in *l.* 6. *C. de Iud.* ubi adulterii vicem commiſſi hujusmodi crimen obtinere ſtatuitur. Durum tamen id videtur *Weſebecio in parall. ff de Rit. Nupt. in fin.* Magis durum videtur, quod inferunt aliqui, capite puniendum Chriſtianum, qui Judæam non duxerit, ſed per ſtuprum tantùm cognoverit, ac perinde habendum ac ſi cum mare vel bruto congreſſus fuiſſet. Add. quos citat *Bajardus ad Iul.* §. *fornication. n.* 26. *ſeq.* vid. *Ant. Matth. de Crim. tit. de adult. c.* 1. *n.* 16. Idcirco ſi matrimonium tale contrahendum adhuc ſit, impediri id quovis modo debet, non repugnaverim, at ſi contractum jam fuerit, ſatius erit, integrum id conſervare, quam temere diſſolvere. vid. *Andr. Gerh. Exerc. Iuſtin. dec.* 2. *q.* 5. *Quirin. Kubach. cent.* 2. *de cur.* 1. *q.* 5. Nec ergo excommunicatio in *Iur. Can. l. c.* dictata, tùm locum habebit, cum emendari per eam non poſſit tale matrimonium, pœna tamen aliqua Eccleſiaſtica & civilis aſſignari poteſt. Quod ſi vero infidelis ad fidem converſo nullo modo cohabitare vult, tum per deſertionem ſuam conjugale vinculum diſrumpit. At in caſibus, quando infidelis ſcilicet cum blaſphemia & injuria creatoris. it. cum perpetua ſuaſione & ſeductione, ut converſum ad infidelitatem revocet, ei cohabitat, repudio locus non eſt. Huc enim nequaquam trahendum eſt dictum Apoſtoli 1 *Cor.* 7. 15. quippe de ſola quod agit deſertione ab infideli facta. vid. *Gerh. L. de Conjug. n.* 666 *Carpz. in Prax. Crimin. q.* 58. *n.* 6. Cohabitavit igitur converſus infideli, ſed ita ut ejus blaſphemias averſetur, & blanditias inſuper habeat. Canoniſtæ autem ideo eos penitus ſeparari hoc caſu volunt; quia non eſt inter eos ſacramentum, ſed contractus tantum. *Martinus Azpilcuet. Navar. t.* 3. *c.* 22. *n.* 21 Sed enim, conjugium ſi ſacramentum eſſe negetur, uti diſtricte negamus, nulla plane eſt ratio adducta. Et quanquam inter contractus referri conjugium poſſit; talis tamen non eſt, ut pro lubitu mutuo conſenſu diſſolvi poſſit. Unde & ipſe *Aſpilcueta* d. l ſtatuit, poſſe Catholicum diſcedere à cohabitatione conjugis Lutheranæ, non tamen novè contrahere. At *Cæleſtinus* olim docuit, per hæreſin ita ſolvi matrimonium ut liceat conjugium aliud inire illi cujus conjux prior in hæreſin inciderit, Decretalis quidem ipſa hodie nullibi reperitur, extitiſſe tamen ipſi Pontificii fatentur, inter cœteros Oſtienſis, in c. quanto, 10. de divort. v. Jo. Rainold. in colloqu. cum Harto c. 7. J. 7. p. 248. Nos verò conjugii vinculum nequaquam ad religionem ita aſtringimus, ut propter hujus diverſitatem dirimi illud debeat, cum nihilominus id ratum habeat Apoſtolus. 1. Cor 7. 12. Sive enim illa infidelitas ſit antecedens, ſive conſequens, unitatem carnis neutiquam dirimit, nec eſt cauſa ſufficiens divortii, & nec ſeparationis *quoad torum & menſam*.

7. *Ahab* 70 *filios habuiſſe*. Maximus zelotes pro gloria Dei & præceptis divinis fuit *Elias*, qui ab Arabibus *Daleifel* vocatus. Hic Regi Achabo in faciem contradicebat, & crimen perturbatoris Iſraelis, quod ipſi Achab imponebat, in Regem ipſum retorquebat, Comitia Catholica totius Iſraëlis deſiderabat atque Regi totique populo idololatriam hactenus exercitam ob oculos ponebat, Baalitas & ſacrificulos, poſtquam prius verum Deum igne cœlitus delapſo demonſtra-

ve

verat, ceu unicus Iſraelita, uti videbatur, relictus mactaverat, atque ita populum ab idololatria purgatum ad verum Deum iterum convertebat. *Alcoranus* ipſe *Surat.* 36. p. 252. hujus zeli meminit, *Utique Elias*, inquiens, *etiam eſt ex Legatis, quando dixit populo ſuo: Annon timebitis? an invocabitis Baalum, & deſeretis optimum creatorem? Deus eſt Deus Veſter, majorum Veſtrorum.* Nullibi tamen in ſcriptura legimus Eliam, qui peccata aliàs populi reticere, nec Regis etiam ſolebat, Polygamiam, in qua Achabus 70. filios genuerat, & populus etiam immenſus erat, uſpiam taxaſſe.

8. *Abia.* Rex 14. habuit uxores, & viginti duos filios ſedecimque filias procreavit, 2 *Chron.* 13. 21. qui hoc loco ceu optimus Rex delineatur, qui in pugna contra Jeroboamum egregia oratione bellica Jeroboamum & totum populum Iſraeliticum à bello contra fratres dehortatus, ſuisque precibus intenſiſſimis victoriam contra hoſtes obtinuit, atque ita debellavit, ut quamdiu Abia viveret, ne hiſcere quidem adverſarius, populuſque Iſraeliticus ſub Jeroboamo vivens auderet, Victor quidem Utopicus p. 135. ſugillat Theophilum, quod Abiam ceu pium principem proponat, quia 1 *Reg.* 15. *v.* 3. extet quod *ambulaverit in peccatis Patris ſui* Ræhabeami, *ejusque cor non fuerit rectum in oculis Domini*; adeoque non immeritò dicatur ab Alſtedio ſimilis Patri, *κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠὸν, mali corvi malum ovum.* Verum enim vero etſi non negemus, initia ipſius regni non adeo bona fuiſſe, quæ deſcribuntur 1 Reg. 15. finis tamen, qui coronat opus, & inter medium tempus videtur fuiſſe multò melius, ut non tantam ex oratione caſtrenſi ad hoſtes habita, ſed & ex morte, apparet, quâ ſcribitur 2 Chron. 13. v. 23. eſſe ſepultus in civitate David & indormiviſſe cum Patribus ſuis, quæ formula eſt beatitudinis, & populus etiam ſub ipſo dicitur obtinuiſſe victoriam contra hoſtes, quòd fiduciam in Deo ſuo collocaverit. 2. Chron. 13. 18.

9. *Joas, qui proxeneta Pontifice duas uxores.* More ſolito autor Polygynias omnia in dubium vocat, an de Polygamia ſimultanea, an verò ſucceſſivâ intelligendus hic (2 *Chron.* 24. 2. 3.) textus, an Joas ipſe mediante Jojada ſacerdote ſummo duas duxerit uxores, an vero Jojada ipſe pro ſe ceperit: cum tamen ita clarus ſit, ut in re tàm perſpicuâ ſubtiliſare, ut ICTi loquuntur, ſupervacaneum ſit. Biblia Erneſtina & Commentatores fere omnes de ſimultanea Polygamia ut & uxoribus Regis accipiunt. Quin & Joſephus uxores, illas Regis non Pontificis fuiſſe diſerte aſſerit, ſed *δόντος τοῦ ἀρχιερέως conjugium conciliante Pontifice* l. 9. c. 7. vid. *Selden. l.* 1. *c.* 8. *p.* 56. vid. *not. ad th.* 4. *n.* 4.

THESIS LXXIX.

Taceo alia *πολυγάμων* Exempla uti Rehabeam, 2 Paral. 11. 21. Uxores 18. & 30. concubinas habuiſſe recenſetur. Iudæi enim præceptum illud Catholicum de multiplicatione magni, uti ſupra dictum, æſtimarunt, ceu Maimonides obſervavit inquiens: *quanquam qui impleverit* (ſuo modo ſcilicet) *præceptum de multiplicatione generis humani, habetur nihilominus præceptum ex ſcitis ſcribarum, uti nemo ceſſet à multiplicatione humani generis ullo tempore, modo ei ſuppetat facultas, nempe qui adjecit unam animam Iſraeli, quaſi mundum ædificat, hinc eſt quæ toties inculcatur, hyperbole illa, ajunt Magiſtri, quemlibet hominem, cui non eſt uxor, non eſſe hominem. Creavit enim Deus maſculum & fœminam & Adamum non vocavit*

vit hominem ante creationem Evæ. Similia etiam occurrunt apud Gentiles, ut ad ſenſum Varronis in Lege Mænia: *ſi quis patriam, majorem parentem extinguit, in eo culpa eſt, quod facit ex ſua parte, qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos producit* (liberorum procreationem differt.) Talia de nuptiarum neceſſitate apud Hieroclem & Muſonium reperiuntur referente Stobæo f. 65. ut τὰς τοῦ ἀγάμου & ὀψιγάμου δίκας ab Athenienſibus & Spartanis impoſitas taceam, qualia & uxoriæ Romæ, de quibus Feſtus. Vid. etiam qui in Legem Papiam & Iuliam ſcripſerunt.

Huc facit quoque quod Seneca ait: Hyppol. *Providit ille maximus mundi parens cum tam rapaces cerneret & fati manus, ut damna ſemper ſobole repararet nova. Cœlibem vitam probet ſterilis juventus, hoc erit, quicquid vides, unius ævi turba.* Scilicet ſapientiſſimus Mundi opifex cum poſt lapſum morti obnoxium fuerat redditum genus humanum, ne aut nova ſemper ſtirps creando eſſet ſufficienda, aut tam nobilis ſpeciei duratio unius ætatis ſpatio extingueretur, diſcrimine ſexus & naturali facultate inditâ commixtis corporibus ſeſe propagandi proſpexit. Idque ne fortaſſe per incuriam, aut ob moleſtias partus, aut educationis, mortales omitterent, mutuam ſexuum in ſe invicem propenſionem & acres ſtimulos, ſimul ardentiſſimum in prolem affectum inſevit, ut libenter & jucundè obirent, citra quod mortalium Genus perdurare non poterat. Quanquam enim omnes naturali obligatione teneamur, ut quiſque ſeipſum maxime amet, ſe omnibus modis conſervare ſtudeat, & cum ſine ſui ſimilium auxilio ſervari ſit ineptum, ad mutua auxilia recurrat, natura tamen ſoli rationis dictamini diffiſa eidem ſuccenturiari juſſit inſtinctum ita vehementem, ut difficulter admodum homo in contrarium niti queat. Quotusquiſque enim liberis operam daret, qui ſæpè materiam dolendi, ſemper curarum & laborem præbent, ni ſuper rationem etiam naturalis inclinatio eodem traheret? intercedente cum primis actu non adeo gravi & conſortio mulierum, quod ſapienti vile juxta ac tædioſum citra iſtas illecebras foret. vid. Carteſ. de paſſ. art. 90. Pufend de Iur. Nat. 6. c. 1.

Sicut autem in principio Propheticorum librorum eximium nobis pro Polygamia ſuppeditatum fuit argumentum, ita in medio & fine illorum ſunt etiam nonnulla, quæ ad illuſtrandam materiam, ullo modo facere poſſunt. In medio occurrit Daniel, qui cap. 5. 2. 3. narrat quod Rex Belſazer cum uxoribus & concubinis biberit ex ſacris illis vaſis, quæ deſumta erant ex templo Hieroſolymitano, ex quibus patet, Regem illum habuiſſe multas uxores, & tamen neque à Daniele propterea, neque à manu illà, neque à Deo taxatum & reprehenſum. Quod etiam conſtat de Ahaſuero, Eſt 1 1. 7. quod multas fœminas amaverit, & ex illis omnibus

bus elegerit Eſtherem & loco Vaſthi Regiâ corona ornarit. Sicuti enim Salomon præ reliquis omnibus Regiam filiam Pharaonis adamavit & inter ſexaginta Reginas, de quibus Cant. 6. 1. ceu primariam & eximiam veneratus eſt; ita omnes ferè Polygami in multitudine uxorum unam præ reliquis dilexerunt, cœteras verò tanto honore non ſunt proſecuti.

Sic etiam apud Romanos certas claſſes obſervabant inter uxores, de quibus lepidè Martialis: *Ingenuam*, malo, ſed ſi mihi digna negatur

Libertina mihi eſt proxima conditio.

Extremo eſt *ancilla* loco, ſed vincit utramque

Si facie nobis hæc erit ingenua. Et Horatius 1. Sat. 2.

Tutior aſt tanto merx eſt in claſſe ſecundâ

Libertinarum.

1. *Rabebeam: uxores* 18. 21. *Paral.* 11. 21. In hoc Rege, & alias in nullo, habetur Talmudicorum numerus octodenarius, Regi commendatus, de quo *Moſes Mikozi* Præc. Neg. 222. (vid. & *Schick.* de Jur. Reg. c. 3. n. 9.) *Rabbini noſtri ajunt ex Cabbalâ ſeu Majorum traditione* (in Miſnâ & Gemarâ Babyl. conſpicuâ) *licuiſſe Regi ducere uxores uſque ad octodecim, ſive ſcilicet reverà uxores eſſent, ſive concubinæ.* Tot vero habuit uxores Rehabeam & ſexaginta concubinas & ut Joſephus l. 8. c. 3. ait: εἶχε τὰς μὲν νόμῳ συνοικούσας αὐτῷ γυναῖκας ὀκτὼ καὶ δέκα. habuit lege ſibi conjunctas ſeu legitimas uxores octodecim, qui ipſiſſimus Rabbinorum numerus. Quia enim Rehabeam tanta ſapientia, prudentia & tantis divitiis uti Pater, non præditus erat, etiam undecim tribubus fere per diviſionem regni orbatus fuerat, ne quidem decimam numeri Paterni uxorii partem attingere poterat. Grave quidem ipſi fuit, atque ſatis durum viſum iniquitatem Patris in ſe filio puniri, & orbari maxima ſplendidiſſimi regni parte. Gravius adhuc, ſubditos ob delictum Regis abalienari à templo & loco cultus incomparabili. Graviſſimum ipſi erat, quod bello cauſam juſtam defendere, & regnum hæreditarium repetere non licebat. Sed cum, quod Deo autore fit, pravum eſſe nequeat, in voluntate Dei acquieſcebat, & bellum omne eâ propter intermittebat.

2. *Pufendorf. l. 6. de J. N. & G. c. 1.* Poſt verba inſeri debet, quod vitio Typographi, & inadvertentia Correctoris omiſſum, dictum ex Eſ. 3. petitum, uti ex verbis Theophili & connexione apparet, quod ex principio librorum Propheticorum, ſeu primo Propheta Eſaia aliquod ſuæ cauſæ momentum monſtraverit; Ibi enim hæc verba leguntur: *& tunc 7 mulieres arripient unum virum, & dicent, nos ipſæ nobis ipſis de veſtibus & alimentis proſpiciemus, modò gratiam inveniamus in vinculis tuis, ut à tuo appellemur nomine, quo omnis ignominia à nobis removeatur:* quaſi dicere velint: Nos noſtris meritæ ſumus peccatis, dum maritos ad nos otioſas & refractarias alendas & veſtiendas quaſi aliud agendo coëgimus, ut jam tanta ſit penuria virorum, ob juventutem in bello interfectam, ut nos ſeptem mulieres, quod alias rarum, in hoc conſenſerimus, quod velimus eſſe in ſumma concordia uno viro contentæ & primum quemque arrepturæ virum noſtraque deſideria aperturæ, illum inſuper precaturæ ut liceat nobis ſeptem eſſe tam beatis, quo ab ipſius nomine duntaxat appellationem ſortiamur, de cœtero nil aliud deſideraturæ, ſed propriis manibus de victu nobis & amictu proſpecturæ. Quid aliud hic, quàm veram & ſinceram pœnitentiam volunt inſinuare, quâ nunc demum motæ ſuos errores agnoſcunt, peccata confitentur,

tur, atque zelotypia omni Diabolica depoſita in Polygamiam hactenus ab ipſis improbatam pro virili impeditam, & omnibus modis impugnatam ſe conſenſuras eſſe pollicentur. Maxima erat ignominia inter adultas, & annoſas, obſoletaſque virgines numerari, & virum non agnoſcere, ſub nullius cura, tutela, aut præſidio ſpiritum ducere miſerum, & à nullius radiis coruſcari. Hoc cane pejus & angue præſentes fugiebant mulierculæ, & in ſignum pœnitentiæ ſeriò ab ipſis inſtitutæ Polygamiam omnibus ferè mulieribus exoſam ambabus manibus amplexabantur. vid. *Marnix. in Apiario p.* 206. Regerit quidem Victor Utopicus p. 144. *totam rem eſſe facti non juris*, inquiens, non ſecus ac Deut. 28. ob antegreſſa peccata, tanta fames dicitur exoritura, ut qui paulo prius delicatiſſimi fuerat ſtomachi, ſuorum liberorum, cadavera quaſi tuburcinando ſit abſumturus, mulierque multo tenerrima, molliſſima atque faſtidioſiſſima, quippe quæ ante per faſtidium & mollitiem vix ſummum dignata ſit contingere, eas ad anguſtias, eſuriemque ſit redigenda, ut ne marito quidem indulgeat ſecundinarum i. e. membranarum, quæ poſt aut cum partu ex ſuo exeunt utero, guſtum; quippe quas ipſa ſola ſecretò urgente vorabit fame. Quare non magis ex iſto loco ſequi licitas eſſe plures uxores, quàm ex hoc, ſecundinas & humana edere cadavera, quippe uterque doceat, quid fiet, non quid juſtum & æquum ſit. Verum enim verò *Victor Cretenſis* hactenus ſatis audivit, Polygamiam eſſe juſtam, & æquam, juri naturæ & divino congruam, à juſtiſſimo judice, Deo in juſtiſſimis Patriarchis æque ac aliis approbatam, ac nuſpiam taxatam, adeoque Polygamiæ favere non eſſe tantum rem facti, ſed etiam rem juris. Aut dicat mihi *Victor Ovidianus* quæſo, contra quod jus ſit Polygamia. Jus naturæ & divinum non poteſt nominare, uti ad nauſeam dictum eſt; Contra *jus Diabolicum & Tridentinum* quod ſit, ipſa lubentiâ lubentius concedo. Cum eo mihi nihil eſt negotii, ſed Victori Mythologico libenter concoquendum in ſolidum relinquo. Deinde longe differt Polygamia ab eſu carnium humanarum, & ſecundinarum, ad quod homines nonniſi ſumma urgente neceſſitate, quæ nullas patitur leges, deveniunt; ſiquidem natura tota iſta immanitate abhorret, non vero à Polygamia, quam non tantum ſobriæ gentes, ſecundum jus naturæ viventes, ſed à Deo ipſo quoque edoctæ, & paterno more ductæ, nationes in uſu habuerunt. Porro vero adjicit *Victor fabuloſus*, hic quidem fœminas unum virum ſimul petituras narrari, non vero accepturas. At enim Theologaſter noſter, qui dedita opera clariſſimæ luci tenebras offundere ſatagit, novit, prophetiæ, cum narrantur, quod non illico earum impletio addatur. Et quid intereſt, ſi vel maxime ſeptem illæ mulieres non reperirent è veſtigio ejusmodi virum, qui ſe tempeſtuoſo huic mari committeret, & uno momento ſeptem aut plures πονηρȣ κόμματος mulieres duceret, ſed, ut eſt humanus Animus, peccati, & inde promeritæ pœnæ ſemper conſcius, comparatus, ut ſemper peſſima quæque ominetur, metueret, ne aliquando iſtæ mulierculæ licet probitatem vitæ ſimularent & promitterent, recidivam paterentur. Sufficit illas recondita mentis detegere & quid in animo habeant, ſine fuco & fallaciis manifeſtare.

THESIS LXXX.

IN ultimo Prophetarum Malachia 11. 14. quærunt oppugnatores πολυγυναικίας ſuæ ſententiæ patrocinium & videntur invenire, non quod pueri in faba. Si enim textum ibi inſpiciamus, videbimus illum nullo modo de Polygamia agere, ſed Prophetam maxime invehere in maritos, qui uxores ſuas in juventute ductas ſine cauſa pro lubitu repudiant, Quod ipſi Deo maxime diſplicere & naturæ conjugii eſſe contrarium Salvator noſter in Novo Teſtamento etiam docet.

In ultimo Prophetarum Mal. 11. 14. Hic inter ſe concordant Anti-Polygami, quemadmodum Calendaria in determinandis tempeſtatibus, & Horologia in magna aliqua civitate. Nonnulli de Abrahamo, alii de Adam capiunt hæc verba, alii Polygamiæ prohibitionem hinc exſculpunt, alii tantum divortii. Ipſe autor Polygamiæ candide aſſerit, hic non agi de Polygamiâ, ſed de divortio, & quidem rectiſſime, quem cum reliquis Anti-Polygamis committo. Ita & Antiqui Patres & Commentatores in h. l. nullam mentionem faciunt Polygamiæ, ſed tantum repudii hîc interdicti: cujus ſententiæ etiam ſunt *Biblia Erneſtina*, in quo tot viri Docti *Gerhardus*, *Glaſſius Grawerus* laborarunt; *Selden. Ux. Hebr. l.* 3. *c.* 29 *p.* 439. *Buxt. de ſponſal. & divort. p.* 30. *Varen. in h. l. Oſiand. in h. l.* Primi in ſeculo præſenti fuerunt, qui hic, uti ubique, ubi modo aliqua mentio conjugii vel divortii fit mentio, ceu *Lev.* 18. 18. Polygamiæ interdictum quæſiverunt, conſpicillis ſuis Criticis conſpexerunt, & ſua quidem opinione invenerunt, *Junius* quidem, *Piſcator*, *Joh. Tarnovius*, *Coccejus*, *Rivetus*, *Beza*, qui ultimo quidem nominatur, ſed fortean primus fuit (quem reliqui etiam ſecuti.) qui in refutanda *Bernhardini Oehimi* Polygamiæ aſſertione etiam illum locum Lev. 18. 18. *uxorom ad ſororem ejus non accipies affligendum eam.* contra Polygamiam urſit, & omnia, quæ modo aliquo pacto huc trahi poſſunt, convaſavit. Ipſe *Autor unius uxoris* ingenue fatetur, & contra *Bezam*, *Rivetum* & *Junium* diſerte aſtruit *p.* 120. locum illum *Lev.* 18. 18. contra Polygamiam urgeri commode non poſſe. Quod vero locum Mal. 11. 14. *Autor unius* cum Tarnovio putat, (utinam putaret, & non tàm ſerio poſt rem ageret.) maxime illum huc facere, quod Propheta objurgaturus Judæos *per polygamiam* perfide agentes adverſus uxorem adoleſcentiæ, quam tanquam ſociam & unice fœderatam juxta ordinationem maritus duxerat, poſt modum autem ſuperinducta alia, fidem turpiter fefellerat, provocet ad teſtimonium Dei in Paradiſo, ubi licet potuerit plures facere ſimul & conjungere unico marito uxores, voluerit tamen unum tantum par efficere, & matrimonio conjungere in unam carnem, ut quæreretur ita ſemen Dei, i. e. juſti liberi in juſto conjugio. Verùm hanc interpretationem hujus dicti eſſe *ſubleſtam illam*] *non elatam*, *textui contrariam & adverſam*, accuratius rem conſideranti abunde patet, ita ut vere non dici poſſit, in hoc loco tot contra Polygamiam eſſe argumenta, quot verba. Expreſſe enim hic tantum agitur de *divortio*, non de Polygamia, & perfidia non conſtituitur in ſuperinductione plurium, ſed in contemtu & repudio uxoris in juventute ductæ, ſociatæ & fœderatæ; ſiquidem in exemplum & confirmationem adducitur exemplum Abrahami, Viri unice Deo dilecti, unici veri cultoris & Herois Eximii, qui licet uxori juventutis aliam ſuperinduceret, cum eſſet ſterilis, & in altera etiam, monente ita & vo-

volente prima uxore, ſemen Dei quod ipſi promiſſum, quæreret, nihilominus tamen uxorem in juventute ductam Saram, nova uxore, ut animus humanus in novis ſolet, dementatus non contemnebat, multo minus repudiabat, ſed ſimul cum altera Hagar retinebat. Nil vero abſurdi eſt, quod Abraham & Sara etiam poſſent dici quæſiviſſe ſemen in Iſmaele, ſiquidem Pater credentium emortuum Saræ corpus contemplatus ad Deum ingemiſcens expreſſe dicit: *Utinam Iſmael coram te viveret.* Et cur non æque potuiſſet Abrahamus in Iſmaele quærere ſemen, ac Adamus in Caino. Certe Cainus majori vituperio dignus, quam Iſmael, qui fratricidium quidem in animo habuit, ſed non perfecit uti Cainus, qui etiam Deo omniſcio jam perpetratum ſcelus fateri nolebat, & deſperabundus fere à facie Dei abibat. Uti autem Abrahamus in Polygamia quæſivit, & invenit ſemen Dei, ſeu juſtos & legitimos liberos; ita & hodienum in *Polygyniâ* quia *eſt verum & legitimum conjugium nec legi divinæ, nec naturæ adverſum*, juſti & legitimi haberi poſſunt liberi, uti Jacobus quadrigamus, & David octodecimgamus ſemen Dei etiam quærebant & inveniebant. Æque enim juſtum eſt matrimonium, quod unus maritus cum pluribus contrahit, quàm illud cum una. Neque etiam Polygamiæ reſpectu repudium minus malum dici debet, cum Polygamia in ſe & ſua natura prorſus non ſit malum aliquod, ſed potius quia conjugium, aliquod beneficium Gen. 11. 2 Sam. 12. Divortium vero eſt magnum malum, naturæ conjugii è diametro contrarium, in oculis Dei, præſertim cum in uxore juventutis ex mente Rabbinorum fiat abominabile, unde Rabbini illa verba (*ſi odio habes dimitte*, de ſecunda uxore capiunt, quia R. Eliezer dixit: *quicunque dimittit uxorem ſuam primam, ſuper eo fundit altare lacrymas. Buxt. l. c. Selden. Ux. H. l. 3. c. 21. p. 460.*

THESIS LXXXI.

NOtandum autem de novo fœdere, quod ex illo nulla argumenta contra Polygamiam poſſunt deduci. In Novo enim Teſtamento nullæ novæ leges latæ ſed quicquid eſt peccatum in N. etiam eſt & fuit peccatum in V. teſtamento. ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία inquit Johannes. *Non noſſem concupiſcentiam eſſe peccatum niſi lex dixiſſet: non concupiſces.* inquit Paulus, Quia igitur lex non dicit; non concupiſces plures uxores, ſeu non prohibet πογυλυναικίαν, ſicuti dicit: non concupiſces alterius uxorem, ubi prohibet πολυανδρίαν, ſeu multiviratum, unde ſcimus πογυλυναικίαν eſſe peccatum. Quia igitur, uti jam diximus, Lex moralis non prohibet Polygamiam, illa verò eſt regula omnium peccatorum, poſſemus ſuperſedere refutatione objectionum quæ ex Novo Teſtamento deſumi poſſunt, ſatis enim ſuperque demonſtravimus ſupra in V. T. non fuiſſe peccatum. Chriſtus vero non venit in mundum, ut novis legibus homines oneraret, quanquam veteres à traditionibus Phariſæorum & ψευδερμηνείαις in ſuis concionibus liberaverit.

1. *Nullæ novæ leges in N. T. latæ.* Euangelium qua tale legem non ſancit, nec præcepta condit, uti volunt Photiniani, Arminiani aliique. Neque Chriſtus in N. T. novus eſt legiſlator, ſed Doctor legis, illiusque Exegeta. ut ſupra ad th. 15. 3. diximus. Manet itaque verum, quòd quicquid licuit in Vet. T. licet etiam in N. & quicquid eſt peccatum in N. T. etiam peccatum in V. T. ſcil. in moralibus. In Ceremonialibus & Politicis quoque rebus multæ fuêre leges, quæ ſunt hodie abrogatæ & Chriſtianos non obligant, niſi aliquid moralitatis & inſalubritatis contineant. Chriſtus enim Politiæ Judaicæ & ceremoniis finem impoſuit. vid. ſupra th. L. n. 4. Anti-Polygamus noſter *Victor* ſcil. Ovidianus hic multa movet contra Theophilum, quæ tamen omittere potuiſſet ſi obſervaſſet illam diſtinctionem à Theophilo ſæpe allatam inter moralia, ceremonialia & Politica. Sed illi eſt ſolenne adverſario negatum faceſſere, etſi jamdum ſatis ad producta ſit reſponſum, atque ita paginas multas ad decipiendum imperitos implere. Ita crambe bis cocta eſt de conjugio fratrum & ſororum, in primo mundo antediluviano, quod ſæpiſſime occinunt Anti-Polygami, ut videantur argumento deſtitui, ſi hoc non in medium afferrent ſed illis hac in re ſubinde ſatis factum ſupra th. 38. 2. t. 53. 1. ubi illorum ſententias primum adduximus, qui ſtatuunt, connubia fratrum & ſororum non eſſe ſimpliciter contra jus naturæ, aliàs indiſpenſabile, ubi matrimonia inter aſcendentes & deſcendentes deinde etiam apparere non explicite & κατὰ ῥητὸν in ſcriptura illa connubia diximus, *Tertio*, poſito, fuiſſe in primis natis hominibus ejusmodi matrimonia neceſſaria, deinde tamen multiplicatis hominibus & neceſſitate ceſſante Lev. 18. expreſſe interdicta. Deinde *jus Leviratus* Anti-Polygamus affert, quod hodie eſſe inceſtum dicit, ſcil. ap. ignorantes. Lutherus de digam. Epiſc. expreſſe dicit, *jus Leviratus in N. T. neque præceptum neque prohibitum, ſed liberum*, uti etiam non memini me legere ejus interdictum in N. T. (de legibus humanis non loquor) & præterea multa dantur exempla in hiſtoriis quod fuerint conceſſa, & ab integris facultatibus & Academiis approbata. vid. ſupr. 54. n. 4. & 68. n. 3. Cœtera de uſuris, ſervis, abominatione prohibitarum & aliarum gentium, pertinent ad Politica; quæ de *circumciſione*, agno paſchali, aliisque ſacrificiis afferuntur, ad ceremonialia ſpectant, quæ veniente Chriſto, ſenſim & cum honore fuerunt quaſi ſepulta, ut Patres loquuntur. vid. *Hulſem. Extenſ. Breo. c.* 14. §. 15. De *Divortio* ob σκληροκαρδίαν & ut Tertullianus loquitur, *duricordiam* Judæorum in Veteri Inſtrumento à Moſe permiſſo, & hodie à Chriſto abrogato mox th. ſeq. audiemus

Quod bene conveniant, & in unâ ſede morentur
Moſes & Chriſtus.

Illud vero dictum Anti-Polygamus ex Joh. 1. *Lex per Moſen data*, &c. intelligit non de lege generaliter dictâ, ſed de certâ duntaxat legum ſpecie, nempe eâ, quæ tùm temporis inter Judæos vigebat, Moſaicâ ſcilicet, ſeu compage totâ moralium, forenſium & ceremonialium, quam Chriſtus non tulit, quia antea fuit. At enim tautologiam nonne ſapere videtur, cum dicitur: Lex Moſaica per Moſen data; de hoc nemo dubitat. Euangeliſta opponit legem & gratiam, ſicut Paulus fidem & bona opera, & Chriſtum excludit ab omnium legum latione in N. T. & ſoli Moſi omnes leges in ſcripturâ contentas, etiam Chriſtianos hodienum obligantes, morales puta, aſcribit: adeo ut non opus ſit dicere Moſis primarium, & unicum officium fuiſſe leges ferre, easque tales, ut nullus unquam mortalium eas omnes perfecte aut ſervarit, aut ſervare potuerit. Salvatorem verò veniſſe, ut peccatores Deo reconciliet, itaque non niſi pauciſſimas ſanxiſſe leges, easque non onerosas & moleſtas, ſed faciles præſertim novo homini. Quare, inquit, *jugum meum ſuave & onus leve.* Matth. 11. *mandata ejus non ſunt gravia*, dicit Johannes. Verum enim verò omnes leges, quas Chriſtus tuliſſe videtur, fuere renovatæ, & anteà in Decalogo comprehenſæ. Manet itaque firmum immotumque, quod Theophilus inſtar principii, hactenus inter Orthodoxos aſſerti, poſuit, *Nullas in N. T. eſſe novas latas leges, ſed quicquid hodiè*

diè

diè eſt peccatum in moralibus, etiam olim fuiſſe peccatum in V. T. Neque enim moralia ratione temporum, locorum, perſonarum ita ſunt comparata, ut quæ jam & hic, & nunc, ſint turpia, in oculis Dei, alio loco & tempore & apud alias nationes ita poſſint mutari, ut naturam honeſtorum & juſtorum induant.

THESIS LXXXII.

NE tamen quicquam noſtro diſcurſui deeſſe videatur, etiam illis ſatisfaciemus, ſed tamen breviſſimè, qui ex Novo T. Polygamiam oppugnant, Præcipuus autem locus ubi cauſæ ſuæ arcem ponunt, eſt Matth. 19. ubi commode uſurpari poſſit illud, quod ad Eliam dicit Obadia 1 Reg. 18. 10: Nulla fuit natio nec regnum, quo non miſerit Rex meus te quæſitum, & dicendo non eſt hic &c. Ita etiam hoſtes Polygamias in omnibus locis Scripturæ Polygynæcias prohibitionem quæſiverunt, ſed nuſpiam invenerunt.

Salvator quidem noſter Matth. v. & in aliis locis totum decalogum & ſingula præcepta, de honorandis parentibus, de proximo neque manu neque animo neque geſtibus neque verbis lædendo de *adulterio neque actu neque cogitatione committendo* egregie enuclearat, ſed *nullam uſpiam Polygamias* facit mentionem. Narrat alias Clariſſ. *Gisbertus Voetius* in Polit. Eccl. Amicus meus ſingulariſſimus, quod Juſtus Meurſius per 16. annos Paſtor in India Orientali ipſi retulerit, viros quoſdam Indos ſacra Chriſtiana frequentantes petiiſſe ab illo, ne caput 5. Matthæi lingua Malaccicà anteà ſæpe prælectum amplius prælegeretur, quod uxores audito illo inſurgerent in ipſorum concubinas, quas extra Domum & familiam minori aut majori numero pro facultatibus alebant, & ex quibus plures liberos procreabant, quarum operà in re agrarià & piſcatorià, uti prætendebant, carere non poterant. Verum enim verò ſi accuratius, ipſum caput penſitamus, nil quicquam contra Polygamiam eſſe inveniemus. Sicuti nec hujus capitis Commentarius, ui ita dicam, vel locus Parallelus caput nempe 19. noſtræ ſententiæ præjudicat.

1. *De Adulterio neque actu neque cogitatione committendo.* Salvator noſter non tantum actuale ſed etiam cordiale, quod corde & cogitatione interne admittitur, adulterium verum eſſe æquè ac externum illud craſſum, docet Matth. 5. v. 28. *quicunque aſpicit*, inquiens, *uxorem ad concupiſcendum eam, ille jamdum moechabus eſt cum eâ in corde ſuo.* Scilicet ut Græci dixerunt ἐκ τοῦ ὁρᾶν ἐρᾶν *ex aſpectu naſcitur amor*, ideo *Jobus c. 31. v. 1.* dicit *ſe fædus pepigiſſe cum oculis ſuis, ne aſpiciant virgines. Chriſtoph. Gerſon in Talmud. p. 24.* refert de antiquis quibuſdam *Phariſæis*, dictis Talpæ, quod

Præ

præ nimia ſanctitate atque probitate noluerint oculos aperire, ne uxores vel virgines aſpicerent, & ſic peccaminoſis cupiditatibus contaminarentur; ſed ſæpe clauſis oculis in muros impegerint, & ſanguis copioſe profuſus fuerit. Ita de *Alphonſo Rodricio*, Societatis Jeſu laico, narratur quod 44 annis ad miſſam inſervierit ſacris & multis millibus abſolutionem inter communionem impertitus fuerit, ſed nullam faciem ullius fœminæ aſpexerit. *Geneal. Mar.* 31. *Oct. p.* 577. Similiter *Sebaſtianus à Campo* itidem è Societate Jeſu fœminis quidem debitum honorem exhibuiſſe perhibetur, nullam tamen aſpexiſſe dicitur. Ulterius adhuc progreſſus *Aloyſius Gonzaga*, ex eadem Societate, qui ex illo tempore, quo Florentiæ æternam caſtitatem Deiparæ ante miraculoſam ipſius effigem vovit, omnes vitavit fœminas, ut ne quidem apud matrem pientiſſimam ſolus in hypocauſto commorari voluerit, & cum Patre hunc contractum quaſi fecerit, quod vellet illi in omnibus deſideriis inſervire, exceptis negotiis muliebribus, uti & nullam unquam fœminam, nequidem conſanguineam aſpexit, ſed quando cum unâ vel altera ipſi fuit loquendum, pronus terram ſpectavit; unde & jocando *fœminarum hoſtis* appellatus, *Geneal. Mar.* 21. *Jun. p.* 739.

471. Sed nec ſoli Jeſuitæ hâc ſanctitate præditi; De nonnullis Eremitis refertur, quod omnem naturalem affectum etiam erga parentes ita eradicarint, ut ne quidem genuinam matrem ad ſe admittere voluerint; uti *Lutherus* meminit *duorum fratrum*, qui ne quidem permiſerint, ut propria mater ipſos videret, ſed dixerint, ipſi expectandum, donec in vita æternâ id fieri poſſet. Similiter alius *Monachus Albertus Cuſpinienſis* tantopere abhorruiſſe dicitur mulieres, ut aliquando ipſam Mariam Deiparam cum choro pulcherrimarum virginum in cellam ipſius venientem vi abigere & expellere conatus fuerit, alias eſſe fœminas ratus, uſquedum Maria ſe notam fecerit. Quod ſane Maria & virgines non ſunt male interpretatæ, ſed illi condonarunt, cum ipſius puritas & angelica caſtitas ipſis optime fuerit cognita. *Geneal. Mar.* 25. *Maj. p.* 640. Parile invenitur in *Hiſt. Eccl. Sozom. l.* 3. *c.* 16. *p.* 597. de Monacho *Ephraim* dicto, quod omnis calumniæ vitandæ gratia nullam aſpexerit fœminam impudicam fœminam & in platea protervis oculis ipſum aſpicientem redarguerit, ſimulque hortatus fuerit, ut terram potius aſpiceret; Cui ipſa reſpondit: *cur ego terram aſpiciam, cum non è terra, ſed ex te ſim formata.* Æquius ut tu terram aſpicias, ex qua factus, & ego etiam id, ex quo creata. *Sozom.* qui & refert de Epiſcopo Bambo, quòd in itinere fœminam ob amaſios ornatam offenderit, & ſerio deplorarit Chriſtianorum acediam & in ornandâ animâ ſummam negligentiam. Ita Epiſcopus *Nonnus* Pelagiam commune proſtibulum Alexandrenſe amariſſimè deflevit, quod ipſum in ornando corpore multum ſuperarit, cum ipſe tantum ſtudium ad ornatum animæ nullatenus adhiberet. *Geneal. Mar.* 7. *Oct. p.* 465. Et quid mirum, quod Monachi nullam fœminam & Moniales nullum virum aſpicere cupiant, cum Abbas quidam nomine *Sabas* ne quidem pomum aſpicere dignatus fuerit, quia Protoplaſti noſtri mediante malo ſeducti fuerunt. *Geneal. Mar.* 749.

2. *Matth.* 5. *Chriſtus uſpiam Polygamias facit mentionem.* Anti-Polygamus noſter, qui victoriam in cerebro neſcio an in calcaneo gerat, aſſerit, Chriſti ſcopum non fuiſſe Matth. 5. ut omnia ſive mortalia ſive ſextum contra præceptum reprehenderet peccata (*videtur ſtatuere, eſſe quædam contra ſextum præceptum peccata venialia, quod particula ſive denotat, quæ eſt adverſativa, & diſtinguit atque opponit mortalia peccata ab illis in ſexto præcepto contentis, certe in hoc, quod non ſint mortalia, alias non eſt legitima oppoſitio, & particula* ſive *peſſime adhibetur; ſed venialia, quæ eſt Marianorum opinio, qui pro peccatillis habent, & venialia quædam peccata per ſe ſtatuunt, cum tamen omnia peccata ſint in ſe & ſua natura mortalia, & propter Chriſti meritum demum fiunt venialia, ſed noſter Victor Cretenſis verbum ni inſtar, modo eſt Pontificius, modo Arminianus, modo Photinianus, ut neſciam, quicum mihi ſit negotium; aliter enim cum hoc heterodoxo, aliter cum alio eſt agendum*) cum manifeſtum ſit eorum quam plurima omitti (*Chriſtus nolebat hic plenariam præceptorum*

di-

divinorum ſeu Decalogi tradere expoſitionem, ſed tantum communia & uſitata peccata & præconceptas atque malas decem præceptorum tangere explicationes) ſed duntaxat qualiacunque falſa & viroſa Phariſæorum & ſcribarum dogmata ut notaret ſive huic, ſive alii divinæ repugnarent legi. (*At Chriſtus erat Catholicus Decalogi Exegeta, & non tantum* ψευδερμηνείας *Phariſæorum taxabat ſed & in genere leges explicabat, adjunctâ tamen frivolæ interpretationis refutatione, uti apparet ex diverſa formula loquendi, cum enim explicat & legem Dei ipſam verba Moſis recitat, utitur hâc phraſi:* dictum eſt antiquis: uti verſ. c. 1. 27. 33. *quando vero ea quæ in Decalogo non habentur, affert, ſimpliciter dicit;* Audiſtis quod dictum eſt; *& omittit* τὸ antiquis: *ut patet v.* 31. 41. Quo non pertinere (*dicit Anti-Polygamus*) Polygamiam quippe à ſanctis quoque hominibus ante Phariſæorum fermentum uſurpatam (*divortiorum licentia etiam ante Phariſæorum fermentum uſurpata, & tamen Chriſtus etiam redarguebat, quod in Polygamia etiam feciſſet, ſi peccatum fuiſſet, quippe tum temporis adhuc uſitata.* Nihilo minus aſperguntur generales ſententiæ; ex quibus ſatis conſtat, Deum amplius non eam pati nolle (*Logicum deſidero, qui ex his duobus dictis mihi hoc ëxſculpat*) uti iſta: qui dimiſerit uxorem ſuam, niſi propter adulterium facit eam adulterare v. 32. ſiquidem divortiũ eſt Polygamiæ effectum (*falſiſſimũ. Divortiũ eſt adulterii effectum, uti Chriſtus inquit, & potius Monogamiæ effectum, ut patet exemplo Henrici 8. R. Angliæ Monogami, qui ut aliam prioris pertæſus habere poſſet, modo hanc modo illam repudiavit. Polygamus poteſt utramque & multas retinere, nec neceſſe ipſi eſt, repudium inſtituere. Unde etiam ſummum mendacium, quod* Polygamia ſit neceſſaria cauſa divortii, *ut p. 37. dicitur, quod Anti-Polygamus ipſe Victor ſcilicet Cretenſis, ſui parum memor, uti mendaces ſolent, refutat, cum p. 36. dicit divortium* plerumque *ſequi multitudinem nuptiarum quod plerumque aliquid ſequitur, illud non poteſt eſſe neceſſarius effectus. Et inter Germanos, præſertim inferiores, ubi non eſt Polygamia, ſatis uſitata ſunt divortia, & fortean frequentiora, quàm inter Polygamos*) Unde & Matth. 19. & Marc. 10. eadem ex principio, quo Polygamia. prohibetur, (*illud principium non video, quia ne γρὺ ibi habetur de Polygamia ſimultanea*) Similis ſententia, (altera Anti-Polygynæci, ſunt enim verba Victoris mendaciſſimi) eſt: *qui mulierem viderit, ad concupiſcendum eam, mœchatus eſt in corde ſuo.* quippe in N. T. cum amplius propter typos & legem ceremonialem multæ non ducuntur uxores (*certe Lamechus, Abrahamus, Nahor, Eſavus, Jacobus, Saul. &c. David. &c. propter typum non fuerunt Polygami. Quem enim typum geſſit numerus millenarius vel octodenarius vel quaternarius vel ternarius &c. ſunt omnia falſiſſima principia*) ſicubi plures unius occurrant nuptiæ, alia earum non eſt cauſa, quam indomiti affectus (*hi etiam ſæpe ſunt cauſa Monogamiæ*) quodque frena cupiditatibus laxentur. (*Cur non hodiè etiam poteſt apud pios cauſa Polygamiæ eſſe procreatio ſobolis, ut olim apud Patriarchas*) Satis hinc perſpicimus quam falſa ſint principia, quæ Victor mendaciſſimus excogitavit ad palliandam ſuam ſententiam & decipiendum imperitos, ut opus ſit longioribus parentheſibus, aliàs non adeò approbatis, ſi quis omnia ejus mendacia & fallacias detegere velit. Sed ſapienti ſat.

3. *Ne caput Matth.* 5. v. 31. hujus capitis Chriſtus dicit: *Dictum eſt etiam; qui ſe ſeparat ab uxore ſua, debet illi dare libellum repudii.* Ubi bene notandum quod cum Chriſtus ſextum præceptum & verba ipſius Moſis ſeu Dei adducat, non mœchaberis: v. 28. uſurpet hanc formulam *dictum eſt antiquis* (quam etiam uſurpat v. 21. cum præceptum: non occides citat, & v 33. cum præceptum de falſo juramento adducit) hîc vero, cum ſententiam vulgi, vel Rabbinorum adducit, ſimpliciter ait: *dictum eſt*: uti & v. 41. cum ſententiam in Moſe non reperiundam profert: audiſtis quod dictum ſit, *amicum diliges & inimicum odio habebis*, ut adeo clariſſime pateat de verbis Dei in Decalogo comprehenſis vel alibi etiam lectis uſurpari: *dictum eſt antiquis*, de ſententiis vero plebis Judaicæ, aut Rabbinorum etiam opinionibus adhiberi tantum illa verba: *dictum eſt*, ut jamdudum etiam obſervavit

Theod. Beza in notis ad h. l. quicquid etiam dicant *Fauſt. Socin. & Hugo Grot. ad h. l.* qui de dictis à Moſe juſſu divino prolatis capiunt cum tamen nuſpiam in Moſe appareant. Poſtquam igitur Chriſtus ſextum præceptum v. 28. *non mœchaberis.* explicaſſet, & clare demonſtraſſet, non tantum externum, actuale, apertum, & craſſum adulterium, concubitum nempe realem cum alterius uxore eſſe verum adulterium, ſed etiam internum ut ita dicam, ſubtile ac cordiale, adeoque occultum, de quibus Eccleſia & mundus non judicant, corde ſcilicet, & oculis tantùm commiſſum etiam eſſe verum adulterium; ulterius progreditur, & & monſtrat, aliam adhuc eſſe mœchationis ſpeciem, quæ non conſiſtat in violatione tori alieni, per concubitum cum alterius conjuge, ſed in violatione tori proprii per ſeparationem, unde dicit: *qui ſe ſeparat, excepta cauſa πορνείας, & aliam ducit mœchatur, & qui ſeparatam ducit mœchatur.* uti Matth. 19. dicitur, hic vero Matth. 5. ita effertur: *qui ſe ſeparat extra cauſam πορνείας, facit eam mœchari, & qui ſeparatam ducit, mœchatur.* Marc. 10. v. 11. verò dicitur: *qui ſe ſeparaverit ab uxore ſuâ, & duxerit aliam, mœchatur adverſum illam* μοιχᾶται ἐπ᾽ αὐτὴν *& ſi mulier ſe ſeparaverit, & nupſerit alteri, mœchatur;* Ubi probe ſunt obſervandæ propoſitiones, quæ ab Euangeliſtis uſurpantur; Matth. 5. 32. dicitur: *qui ſe ſeparat ab uxore ſua excepta cauſa πορνείας, facit eam mœchari & qui ſeparatam ducit mœchatur.* ubi primum perſpicimus, veram cauſam ſeparationis eſſe πορνείαν, & extra hanc dari aliam nullam ſufficientem de jure, etſi de facto ſæpè fiat. quid autem ſit πορνεία, infra audiemus. Deinde bene ſunt notandæ propoſitiones Matt. 5. ubi prima eſt. *Separans ſe ab uxore ſua facit eam mœchari*, quæ primo aſpectu unica quidem videtur eſſe enuntiatio, reapſe tamen latenter includit binas. quarum prior eſt jamdum dicta: *Separans ſe ab uxore ſuâ facit eam mœchari*, i. e. in cauſa eſt, ut illa violet torum ſeu rumpat vinculum matrimoniale inter ſe & maritum, altera latens, ſeu implicita, *uxor moechatur*, ſeu violat torum & rumpit vinculum, cum *maritus ſe ſeparat.* Secunda enuntiatio in textu expreſſa hæc eſt: *ſeparatam ducens mœchatur.* Ex quibus tribus propoſitionibus triplici ſubjecto (*ſeparans, ſeparata & ſeparatam ducens*) & uno prædicato *mœchatur*, aut facit eam mœchari) conſtantibus apparet *mœchationem conſiſtere in ſeparatione & ſeparationem eſſe veram ſpeciem mœchationis*, quia per illam rumpitur vinculum, & ſolvitur matrimonium. Niſi enim in ſeparatione conſiſteret mœchatio, quomodo poſſet mulier dici, quod mœchetur, quando maritus ſe ſeparat, quæ tamen ſunt verba ipſius Chriſti, qui veritas eſt. Diverſimodè autem habent ſe hic ſubjecta. Separans non tantum ipſe mœchatur (ut expreſſe dicitur Matth. 19. 9. & Marc. 10. 11. μοιχᾶται ἐπ᾽ αὐτὴν mœchatur adverſus illam, ſuam uxorem ſcilicet, cum quâ rumpit vinculum,) ſed etiam facit, ut uxor mœchetur, ubi appoſite ait, quod faciat ſeu in cauſa ſit, ut uxor mœchetur. uxor enim pure paſſivè ſe habet, quia de jure non habet jus repudiandi, aut accuſandi maritum (utut videatur tunc conſuetudine peſſima, ceu ſupra dictum de Salome ex Joſepho, quodammodo permiſſum jus divortii etiam fœminis) nec habet etiam torum; quem violare poſſit, ſed torus mariti violatur, quando maritus ſe ſeparat, & uxor ſe ſeparari permittit quod non debet pati, ſed benevolentiâ, mellifluis verbis aut, uno verbo, vero amore matrimoniali, cordiali ſcilicet, in vere bonis, non fictis, & ex ὀφθαλμοδουλείᾳ profectis, operibus externis conſpicuo ita cor mariti ſibi devincire, ut de ſeparatione ne cogitet, vel ſi cogitaverit, ſi veram & ſinceram uxoris pœnitentiam perſpexerit, ſententiam mutet, & ſeparationem intermittat. Deinde *ſeparatam ducens* etiam mœchatut, (cujus cauſa ſeparans quoque eſt) quia cum alterius uxore rem habet, quæ licet externe de facto ſeparata ſit à marito ſuo, ratione tamen vinculi interni, nonniſi à Deo per mortem ſolubilis, adhuc cohæret ſuo marito, cujus uxor eſt & manet, quamdiu ille vivit, *Rom.* 7. 1 *Cor.* 7. unde repudiata non facilè ducebatur in V. T. & Chriſtus hic mœchationem imputat ſeparatam ducenti, Paulus etiam expreſſe prohibet novas nuptias ſeparatæ, & vult, ut ita quaſi cœlebs maneat, aut iterum cum priſtino marito reconcilietur,

tur, cui adhuc interne alligata eſt. Si enim denuo nuberet, haberet duos maritos vivos, Polygamiæ muliebris, Deo exoſæ, & omnibus prohibitæ, legibus eſſet rea, Et hoc ipſum quoque quod ſcilicet *mœchatio conſiſtat* etiam *in ſeparatione*, confirmant etiam reliqua loca parallela *Matth.* 19. 9. *&* *Marc.* 10. 11. quæ etiam non ſunt negligenda. *Matth.* 19. *v.* 9. dicitur, *qui ſe ſeparat extra cauſam πορνείας & ducit aliam, mæchatur, & qui ſeparatam ducit, mæchatur.* ubi itidem duæ propoſitiones habentur, quarum prima: repudians, & ducens aliam, in injuriam, & ignominiam prioris mœchatur, i. e. rumpit vinculum matrimoniale; & altera: repudiatam ducens mœchatur, quia cum alterius uxore rem habet, quæ adhuc cum priore marito quoad vinculum internum eſt unita, etſi externe de facto ſeparata, quæ duæ enuntiationes etiam apud *Lucam c.* 16. *v.* 18. habentur, cum Chriſtus inquit: *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & ducit aliam mæchatur, & qui ſeparatam ducit mæchatur.* ubi clare iterum perſpicimus, quod *mæchatio conſiſtat* etiam *in ſeparatione* quia eſt violatio tori proprii in ſeparante, & ſolutio ſeu ruptio vinculi: additur verò inſuper: *& ducit aliam*, quæ verba Matth. 5. non habentur. Vult autem hic ſimul conſequens denotare, quod dimiſſionem ſequitur. Ductio nempe alterius, in prioris contemtum & contumeliam inſtituta. Deus autem expreſſe prohibuerat Mal. 2. ne uxor juventutis contemnatur & injuria afficiatur. Maxima autem eſt injuria expellere & ejicere ſuam conjugem non fornicariam. Marc. 10. v. 11. ſimiles habentur propoſitiones in Chriſti verbis: *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam mæchatur ἐπ' αὐτὴν adverſus illam* (priorem, cum quâ rumpit vinculum) *& ſi mulier ſe ſeparaverit, & nupſerit alteri, mæchatur*, & quidem dupliciter, una vice per violationem tori, & ruptionem vinculi, licet externi, in ſeparatione, & altera vice per nuptias novas, cum adhuc ſit alligata interne ſuo priſtino viro, quamdiu ille vivit. Rom. 7. 1 Cor. 7. Ex quibus rurſus conſequi videmus, conſiſtere inter alia mœchationem in ſeparatione. Quomodo enim poſſet dici vir ſeparans mœchari adverſus ſeparatam ἐπ' αὐτὴν, niſi in ſeparatione ſit aliqua mœchatio. Unde Magnus Theologus *Jo. Conr. Danh. Herm. p.* 241. ſeparanti aſcribit mœchationem cum dicit v. 32. ita eſſe excluſive exponendum: *Repudiator uxoris non fornicariæ mæchatur* (*NB*) *& repudiator uxoris fornicariæ non mæchatur &c.* Et non male Auguſtinus citatus in Jure Canonico cauſ. 32. inquit, *qui deſerit malitioſe conjugem, moechatur,* Si itaque *deſerens, ſive vir ſit, ſive mulier moechetur*, quia rumpit, quantum in ſe eſt, vinculum licet externum, (internum enim à Deo factum nonniſi Deo volente in morte & concubitu cum alio viro ſolvi poteſt) *ita quidem, ut deſertus vel deſerta, qui pure paſſivè ſeſe habet,* (ſecus ac in divortio, ubi active etiam ſimul concurrit uxor, & dicitur ideo mœchari Matth. 5. 32. *facit eam moechari*, quia non præſtat omnia, quæ ad reconciliationem, & emolliendum cor mariti ullo modo, cum non ſit lapis, vel beſtia implacabilis, facere videntur; & ideò à Paulo nubere 1 *Cor.* 7. 11. denuò prohibetur) & reconciliationis admonetur) *rurſus alii copulari poſſit*, juxta dictum Pauli 1 *Cor.* 7. 15. Multo magis conſequitur in repudio ſeu ſeparatione eſſe aliquam mœchationem quia illa active, volenter & deliberato animo inſtituitur. Impoſuit autem ſummis viris & noſtris etiam Anti-Polygamis, *vox adulterii* & vox *ſuperinductionis* quæ hâc in materia adhibentur, ſiquidem adulterium nativo ſuo ſignificatu, & primò conceptu concubitum cum alterius conjuge deſignat, quæ eſt una ſpecies mœchationis & quidem communior & craſſior. Chriſtus autem, poſtquam adulterium cordiale, quod etiam vulgariter non habetur pro adulterio, explicaſſet. *Matth.* 5. *v.* 28. adhuc aliam ſpeciem mœchationis, quæ in ſeparatione conſiſtit, monſtrat v. 32. Idcircò bene abſtinetur hic à vocabulo *adulterii*, & adulterari, & rectius adhibetur vocabulum mœchationis, ſicuti & *Beza* in ſua verſione *Matth.* 5. 28. cum de mœchatione cordiali & interna cum alterius uxore agit, uſurpat quidem vocem adulterare, ſed in reliquis omnibus locis *Matth.* 5. 32. *c.* 19. *v.* 9. *Marc.* 10. 11. 12. *Luc.* 16. *v.* 18. ſemper uſurpat *mæchari*, ut ambigu-

nitatem vocis adulterii evincet, nec lectoribus alienum, & peregrinum, atque omnino diverſum conceptum ſuppeditet. Unde concedere poſſumus DnoMuſæo in diſſert. de hac Quæſtione §. 29. p. 19. quod per nudum divortium, ſeu per nudam uxoris dimiſſionem non committatur adulterium; ſcilicet ſtricte & proprie juxta proprietatem vocabuli ita dictum, quod conſiſtit in concubitu cum alterius conjuge. Illud autem ante omnia obſervandum, quod Marcus 10. v. 11. 12. annotaverit verba Chriſti, quibus domi diſcipulos ſuos de eadem divortii cauſa, de quâ à tentantibus ipſum Phariſæis fuerat interrogatus, informationem deſiderantes uberius & ſolidius erudiverit. Ita enim *Marcus* d. l. v. 10. 11. inquit: *Et in domo rurſum diſcipuli illius eâdem de re interrogaverunt illum & dicit illis: quicunque repudiaverit &c.* Et, quia *Matthæus c.* 19. 9. recenſuit verba Chriſti, quibus prius & publice Phariſæis, auſcultante omni populo, reſponderat, habentur hæc Marci verba, ceu poſteriora, quibus diſcipulos ſuos poſteà privatim inſtruxerat Chriſtus, merito pro explicatione priorum apud Matthæum occurrentium. Poſteriora autem, quæ apud Marcum extant, explicant priora, quæ inveniuntur apud *Matthæum c.* 19. *v.* 9. *quicunque repudiaverit uxorem ſuam, niſi ob ſtuprum, & duxerit aliam, moechatur*; hunc in ſenſum: *quicunque repudiaverit uxorem ſuam & duxerit aliam, moechatur adverſus illam* μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν, atque ita clare oſtendunt ſeparantem ſe ab ab uxore mœchari cum illa ſeu adverſus illam, vel ut Grotius explicat, *iſto facto, quod in illam commiſit*, quod nil aliud eſt, quàm ſeparatio. Quis igitur amplius dubitabit, quin ſeparatio unâ cum adulterio ſint ſpecies mœchationis.

4. *Caput penſitâmus, nil quicquam contra Polygam.* Salvator noſter in c. 5. cum Decalogum explicat, à prohibitione effectuum, ad prohibitionem cauſarum, adeoque à prohibitione actus externi ad prohibitionem actus interni recte procedit quia lex eſt ſpiritualis abſolutam & defecatam requirens puritatem ut *Danh.* loquitur *Hermen. p.* 463. conf. *Sibil. Catech. p.* 4. *p.* 102. Dum igitur extremum actum & effectum impudicitiæ adulterium nominat, ſimul etiam redarguit eam, quæ corde, cogitatione aut oculis laſcivis committitur, mœchationem, adeò ut. periculum ſi incurrendum ſit, oculus prius eruendus, qui ſcandalizaverit, quàm ut anima gehennæ particeps fiat. Ita enim verba v. 29. *ſi oculus te ſcandalizaverit*, intelligenda ſunt *metonymice* de ipſa internorum affectuum malorum correctione vel *ſynecdochice*, de negligendis etiam chariſſimis & utiliſſimis præ vitâ æterna, vel etiam *exaggerative*, ſi aliter ſcandalum effugere non poſſis, uti Origenes oculum utrumque & genitalia quoque execaſſe narratur. *Danh. Coll. Dec.* 261. 3. Poſtquam vero hac hyperbolica de eruendis oculis præceptione ſcandali atrocitatem, maximumque periculum indigitaſſet, porro progreditur Chriſtus; & ut ampliorem ſexti præcepti, *de non mœchando* explicationem nobis relinquat, adhuc aliam ſpeciem mœchationis, quam Judæi numero peccatorum eximebant, & bonis Operibus à Deo & Moſe præceptis annumerabant, ſeparationem ſcilicet ex nudo repudii libello conſpicuam, in medium ſiſtebat, cum inquit, v. 31. *Dictum eſt etiam, quiſquis dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum diſceſſionis.* Senſus enim videtur eſſe, dictum eſſe, ſeu ſententiam in ore hominum tunc volitaſſe, ſiquis uxorem ſibi diſplicentem velit dimittere id rite fieri, nulla cauſæ ratione habita, dato duntaxat libello repudii, in quo nullam cauſam exprimebant, ſed omnia mariti conſcientiæ relinquebantur. Atque hoc de ſumma ſolvendi conjugii licentia effatum à Phariſæo illo Rabbi Aquiba, qui circa illa tempora vixit, & procul dubio ſuos habuit ſectatores, atque Hillelianis, à quibus ille parum diſtabat tùm manaſſe non eſt abſurdum ſi cum magno Seldeno aliiſque id ſtatuamus. Quæ vero hic motu proprio docuit Chriſtus, ea extra dubium audiverunt nonnulli Phariſæi, qui poſteà *Matth.* 19. tentandi ergo; an conſtans eſſet in ſua doctrina, & invidiæ conflandæ cauſa aut apud maritos aut maritas, de ipſa inter Hillelianos & Sammæanos tùm temporis notiſſimos controverſiâ interrogabant eum, uti Euangeliſta ait v. 3. *Accedentes ad eum Phariſæi tentantes eum & di-*

dicentes, licetne homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſa. αἰτία tàm *culpam*, quàm *cauſam* aut *rationem* ſignificat, uti in unico exemplari notatur, legi ἀμαθίαν ſeu *peccatum*, ſed rectè *Vulgata, Beza, Eraſmus cauſam* ſubſtituunt, uti & *Syrus* & *Arabs*: *ob omnem occaſionem*. Hacſpan in h l. dicit non eſſe reddendum: *juxta omnem* cauſam: ſed: *juxta ullam cauſam*: ſiquidem τὸ πᾶν reſpondeat Hebræo כל, quod interdum *diſtributive* ſumitur & *collective*, interdum idem eſt, quòd *ullum*; atque ſic Lev. 5. 2, anima, quæ tetigerit rem immundã omnem i. e. ullam. conf. Lev. 15. 22 omnis tangens omne vas i.e. ullum vas. *Lev.* 18. 6. quiſquis ad omnes reliquias carnis ſuæ non accedat, i. e. nemo ad ullã conſanguineã accedat; ita hic. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν eſſe non juxta omnẽ cauſã, ſed *juxta ullam cauſam* atque hoc patere ait in quæſtione Phariſæorum, ex *Deut.* 24. 1. formata, ubi permittitur divortium propter *turpitudinem rei*, ſeu rem turpem commiſſam, quaſi quæſtionem ita formaſſent: an ſi ab uxore res turpis ſit commiſſa, propterea illico liceat dimittere uxorem. Quibus Chriſtus reſpondet: nonniſi ob πορνείαν fornicationem hoc licere. v. 9. cui tamen contrarius videtur *Mal.* 11. 16. ubi Vulgata cum Pagnino & Ariâ Montano Hebræcia vertunt: *ſi odio habes dimitte* ſed non adeò rectè, ut oſtendit *M. Stephanus Iſaac Levita in Scholiis ad Mal.* his verbis: *Thalmudiſtæ in Maſſegath. Gittim hujus verſus talem ſententiam conſtituunt; Si quis odio habuerit uxorem ſuam, det ei literas repudii, & dimittat.* Cujus ſententiæ etiam Chaldæus aliique ſunt omnes, quos videre contigit, excepto unico *Abenezra*, qui ſenioris præ cœteris eſt judicii, Cum enim in lege non ſit conceſſum ſoli odii concepti cauſa dimittere, niſi crimen aliquod turpe in eâ deprehendatur *Deut.* 24. *v.* 1. non videtur Deus *Mal.* 11. jubere, ut odii ſolius cauſa uxor dimittatur. Huic accedit, quod natura Hebrææ linguæ Rabbinorum interpretationi repugnet. Notum enim eſt, nullum verbum (excepto infinitivo) ſequenti annecti, niſi præcedens notatum fuerit accentu diſtinctionis, vel præcedens aut etiam ſequens habeat præfixum vav. Cum igitur hîc verbum שנא non ſit notatum, accentu diſtinctivo neque שלח habeat præfixum vav, dicique non poſſit vav intelligi, non video, quomodo hîc שלח pro imperativo ſumi poſſit. Exiſtimo autem eſſe infinitivum, qui frequenter aliis verbis abſque nulla copula ſubjungitur, ut ſit ſenſus; Deum Optimum Maximum odio proſequi eum, qui ſolius odii cauſa uxorem dimiſerit. Ideo dicit Abeneſra; *Odit Deus, ſi quis dimittit uxorem ſuam, quæ impura non eſt, & odit, quod operiat.* Quæ ſententia maxime placet Stephano Iſaaco Levitæ. Quicquid verò ejus ſit, certum eſt illam controverſiam inter duas illuſtres Scholas, Hillelianam tum temporis & Sammæanam ſummopere fuiſſe agitatam, quod Phariſæi, Chriſtum tentantes, etiam ſubinnuere volunt. Id enim eſt, ac ſi dicerent; Orta non ita pridem inter nos graviſſima eſt quæſtio de Repudiis, aliis ea tantùm permitti *ob rem turpitudinis*, ſeu *turpem* aſſerentibus; Sic Sammæani; aliis tàm *ob cauſam aliam qualemcunque*, quàm ob turpitudinem. Sic Hilleniani. Quid igitur tu ſentis? Anne *omnimodam ob cauſam* licet uxorem repudiare & ut Chriſtus ipſe vulgarem opinionem Matth. 5. 31. proponit, dato ſolummodo divortii libello. Ex quibus ſole meridiano clarius apparet, ſummam tùm temporis apud Judæos divortiorum fuiſſe licentiam, ut non tantum *ob turpitudinem* & *impudicitiam*, ſive ea conſiſtat in adulterio, ſive in aliis pudicitiam muliebrem minus decentibus, aut eam ſaltem ſuſpectam reddentibus; ſed etiam *ob odium & diſplicentiam* ex temperamentorum, naturarum, morum, voluptatum & ſtudiorum diverſitate & antipathiâ ortam, aut alias leviſſimas cauſas ſupra memoratas ad th. 73. 3. 4. uxoribus libellum repudii miſerint, etiam nulla cauſa addita, ut ille Romanus interrogatus, cur ſuam dimiſerit uxorem, calceum monſtravit dicens; *Vos neſcitis, ubi me calceus urget.* Argumenta verò quæ ex Abarbenele pro divertendi licentia afferuntur, hæc ſunt. Primum dicunt eſſe inconveniens, in verbis Moſis *de re turpitudinis* Deut. 241. intelligi tantum adulterium quaſi ob hanc ſolam uxor dimitti poſſit. Non enim fuiſſe neceſſe hanc ſolam cauſam allegare, eò quod *adulterium*

per ſe ſolvit matrimonium, tùm quatenus id capitale fuit, tùm quia adultera per ſe illicita fuit viro, neque licuit ei cohabitare, licet eam adhuc intime amet, & retinere cupiat, Itaque concludit intelligi hic alias res turpes & fœdas, marito diſplicentes, & exoſam uxorem reddentes quod, & ex *Mal.* 11. probat, ubi nullus rei fœdæ meminit Propheta, ſed ſolius *odii*, itaque patere *contrarietatem naturarum* etiam fuiſſe dimiſſionis cauſam. *Deinde* ex *prima conjugis creatione* probat; quæ ex *coſtâ* viri deſumta, *os ex oſſibus ejus & caro ex carne ejus*, ut conveniens ſimilitudo naturæ eſſet, unde cum inter omnia animalia adducta non invenire Adamus poſſet ſibi, quoad temperamentum & naturam ſimile, dixit Deus: *faciamus ei adjutorium, auxilium per omnia ſimile & conveniens moribus, ſtudiis & natura.* Tertium ex illis verbis deducit argumentum cum Deus dicit; *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, adeoque conjugium inſtitutum, ut homini bene, atque adeo melius ſit, quàm extra conjugium in cœlibatu & vita ſolitariâ. At in tali conjugio, ubi vir & uxor non idem jugum trahunt, ſed perpetuò diſſentiunt, ob naturæ & temperamentorum contrarietatem; viro non eſt melius, ſed *ſatius ac melius illi eſt, eſſe ſolitarium, quàm in conſortio ſerpentis talis virulentæ*, uti *Solomon* ait *Cohel.* 7. 27. *Prov.* 21. 19. *c.* 27. 15. Inde rurſus colligit ejusmodi conjugia inſtitutioni primæ non eſſe congrua, ac proinde diſcindi poſſe. *Quartum* nectit ex *finibus conjugii*, & dicit, cum omnes hominum *actiones* in hac vita reſpiciant vel *utilitatem circa bona temporalia, vel gloriam, vel voluptatem corporalem, vel perfectionem animæ, vel liberorum bonum*; eaque omnia in conjugio æquali, ubi conjuges ſunt ejuſdem naturæ, temperamenti, animi, habeantur, ſiquidem ibi bona per concordiam augentur, non ſine gloriâ, quæ ab homine, qui abſque uxore vivit, recedit (juxta *Eſai.* 44. 13. *gloria eſt habitare in domo.* i. e. in conjugio) & propter ſcortationem cœlibibus ferè propriam abeſt: atque inſuper voluptas corporis jucundæ illi atque concordi ſocietati deeſſe nequeat, ut nec *perfectio animæ*, in abſtinentiâ ab inordinatis cupiditatibus, & obſervatione præceptorum divinorum, maxime illius de fructificatione huic ſocietati annexi, conſpicua, & liberorum, quorum cauſa eſt uxor, bona educatione inſigniter aucta. Atque hæc omnia cum inter *conjuges diverſorum temperamentorum* obtineri haut poſſit, quid ſupereſt, quàm ut dirimantur. *Quinto* dicit, ſi divortia ob quamlibet cauſam inſtituta, non fuerunt vel à Deo præcepta, vel ſaltem honeſta & legitima, tùm utique *prophetæ ſine dubio reprehendiſſent Iſraëlitas*, quâ de causâ uxores ſuas repudiantes, & ab hoc facto illos revocaſſent, ſicút eos ob conjugia cum alienigenis contracta, aliasque aberrationes taxarunt, ut pote quorum eſt officium; populum hac de cauſa redarguere, & errores eorum ipſis indicare, nec ob σκληροκαρδίαν aliquid, quod in ſe malum, permittere. *Sexto.* Si divortia fuerunt res per ſe coram Deo abominabiles, & permiſſa tantum non prohibita propter concupiſcentiam hominis malam, ſicut uſura, quæ vetita eſt tantum erga fratrem non ergà alienigenam ad ſatisfaciendum aliquo modo hominis cupiditati, tùm non ita accurate deſcripſiſſet *modum ac formam dimiſſionis* ſicut factum legimus *Deut.* 24. 1. Nam non eâdem ratione deſcripſit formam & modum uſurarum, quantum ſingulis menſibus ex hâc vel illâ ſummâ accipi poſſit. Ita ſi eadem, quæ uſurarum, eſt ratio divortiorum, cur non laudatur in ſcriptura, qui non dimittit uxorem, ſicut laudatur, qui argentum ſuum non dat in uſuram. Pſ. 15. *Septimo.* Si divortia non ſunt à Deo præcepta, neque ſecundum legem & ritum Moſis & Iſraëlis, ſequitur *Mulierem ſemper deſponſatam manere viro ſuo, nec unquam ab eo ſeparari poſſe.* Quod ſi vero res ita ſe habeat, quæritur, *quare Deus permiſerit uxorem dimiſſam ſeu repudiatam viro ſecundo*, cum continuò ſit & maneat uxor mariti prioris. *Octavum* ducitur *à fine ſponſaliorum* ideò juxta Philoſophum in Politicis, inſtitutorum, ut conjuges futuri ſe invicem probent, an pacem & concordiam ex temperamento orituram colere poſſint, quod ſi deprehendant, conſummantur nuptiæ, ſecus, ſi ſecus & ex eodem principio præſtat nuptam etiam expellere, quam in perpetua diſcordia vivere quia inter

duo mala minus eſt eligendum nec cuivis datum eſt, ut lenitate, manſuetudine, prudentia, patientia moroſitatem mulierum vel corrigant, & diminuant vel tolerent, ceu crucem à Deo impoſitam, juxta illud Varronis:

Uxoris vitium tollas opus eſt, aut feras.
Qui tollit vitium, uxorem commodiuſculam
Sibi præſtat; qui fert, ſeſe meliorem facit.

Ultimo ſcribit Abarbenel; *Lex noſtra deducit nos ſecundum vias Naturæ ſapientis. Jamvero conſtat, omnia inferiora compoſita ex materia & forma; materiam item vocari fœminam, & formam* virum, *in parabolis & ænigmatis Prophetarum. Quemadmodum forma igitur* (vir) *non requieſcit in materiâ* (fœmina) *niſi certis conditionibus ſicuti primum eſt ſignatura cæleſtis* (uxor à Deo) *& motus coeli, tanquam generationis ipſius cauſa; dein diſpoſitio materiæ* (uxoris temperamentum conveniens cum viro) *ejusque temperamentum ad recipiendam formam.* ita &c. *Quemadmodum mutato temperamento Forma* (vir) *à materia ſeparatur, neque permanet, niſi ſecundum diſpoſitionē & æqualitatem temperamenti materiæ, recipientis eam.* ita &c. *& ſicut generatio & corruptio primo attribuuntur formæ* (viri eſt ducere & expellere fœminam) ita &c. *& ſicut omnis corruptio ex parte Materiæ* (fœminæ vitio. Eſ. 50. Jer. 3.) ita &c. Hæc & ſimilia pro divortiis arbitrariis & promiſcuis ad retundendam mulierum ſuperbiam inſtitutis afferunt Rabbini.

THESIS LXXXIII.

NE verbulum enim hic extat de Polygamia, ſed de divortio de quo quærebant Phariſæi, eſt ſermo. Nec verba illa: *quicunque ſe ſeparaverit ab uxore ſua excepta fornicatione, & duxerit aliam, mœchatur & qui ſeparatam ducit mœchatur:* ullo modo evincunt mœchationem conſiſtere in ſuperinductione alterius ſeu Polygamiâ. Quomodo enim ſit intelligendum ipſe Matthæus explicat c. 5. 32. dum dicit: *qui ſe ſeparaverit ab uxore ſua excepta fornicatione, facit eam mœchari, & qui ſeparatam ducit mœchatur.* Ex quo diſcimus mulierem propriè, (quia habet duos maritos, unum, à quo ſeparata quidem eſt quoad externum vinculum ſed quoad internum vinculum manet adhuc ejus uxor, & alterum, à quo ducta eſt) mœchari, & qui ſeparatam (alterius uxorem, cujus adhuc eſt & manet, etſi externo actu ſit ſeparata) ducit, mœchari, vinculum enim conjugii propter puram propriâ autoritate ſuſceptam illegitimam ſeparationem non tollitur, ita ut ſe ſeparans & ſeparatam ducens mœchetur id eſt, facit ut ſeparata mulier fiat adultera, ut pote quæ per novam maritationem rumpit vinculum conjugale, quod eſt adhuc inter ipſam & ipſius maritum etſi ille ſe ab illa illlegaliter ſeparaverit, & qui ſeparatam ducit fit adulter, quia rumpit vinculum, quo uxor adhuc priſtino marito, qui ſe ſeparavit, alligatur. Aſcribitur verò ipſi ſeparanti ipſa mœchatio tanquam cauſæ morali, uti in ſcripturis uſitatum

eſt,

eſt, id eſt facit eam mœchari, ceu Matth, 5. dicitur, ſicuti Davidi adjudicatur occiſio Uriæ, qui tamen propria manu non occiderat, erat tamen cauſa moralis ipſius homicidii. Ita ſeparans proprie & immediatè utut non mœchetur, quia tamen eſt cauſa moralis ipſius mœchationis à muliere exercendæ, aſcribitur ipſi actio, ut pote qui etiam ſe ſeparando, & ut ægrè faciat priori, inſuper augendo crimen per ſuperinductionem alterius mœchetur, ſive committat aliquid contrarium pacto conjugali ſeu violet torum conjugalem πορνεία enim & μοιχᾶσθ. ut Smid. in N. T. obſervat, ſignificant in genere omnem violationem tori quocunque modo id contingat, ſive per adulterium ſive alio modo (per deſertionem) contrario pacto conjugali. Jam certum eſt, ſeparationem cum pacto conjugali non convenire. Quos enim Deus conjunxit, homo ne ſeparat. Quis vero nunc niſi plane cœcus non videt, hoc in loco Polygamiam non prohiberi, uti ingenui Pontificii, imprimis vero Sinnichius Ingenioſiſſimus, uti creditur, modernorum fatentur, cum de hâc materiâ diſputant, quod hàc in parte *tantum* ſequantur Innocentium in *Decret.* Nec eſt quod quis objiciat; verba illa (*& ducit aliam*) eſſe ſuperflua. Hoc enim communiter ſeparationem ſequitur & adulterium ſeu violatio tori per ſeparationem exercita hoc pacto aggravatur. Quia enim marito injunctum ut amet uxorem Eph. v. 25. nec ſe illi ſubtrahat 1 Cor. 7. 37. certum eſt, quod qui illud per illegitimam ſeparationem omittit, jam dum eſt adulter, non enim facit, quæ ex ipſa natura & pacto conjugii facere debet, & quia in ducendo alteram æquè amorem ac debitum conjugale priori non tantum ſubtrahit ſed & cum excluſione prioris alteri tribuit (ut ex Marc. 10. 11, 12. mœchatur cum ea, non obſcure videre licet) eo gravius peccat & eo juſtius adulter appellatur, quo ductio alterius cedit ſeparatæ in ignominiam & anſam præbet adulterii per aliam maritationem ſeu medium utut incongruum averruncandi contemtus.

1. *Ne Verbulum Matth.* 19. *extat de Polygamiâ.* Anti-Polygami nonnulli hoc verba maximè adoriuntur & dicunt, etſi κατὰ ῥητὸν non habeatur, tamen per bonam conſequentiam poſſe exinde probari Polygamiam cum primâ conjugii inſtitutione pugnare, & importare adulterium ſicuti per *B. Conſequentiam* Chriſtns ex primâ inſtitutione *prohibitionem divortii* optime elicit, etſi in terminis terminantibus, ut Scholaſtici loquuntur, ibi non habeatur. Verum enim verò ſatis clare ex illis verbis *relinquet, adhærebit uxori, erunt una caro* perſpicuum eſt *devortia pugnare cum naturâ conjugii.* At illas Bonas Conſequentias nondum vidi, quibus Polygamiæ antipathia cum prima inſtitutione ejusque, ceu adulterii, iniquitas fuerit oſtenſa. Malas quidam ſatis perſpexi & detexi conſequentias, ſicuti & amplius in ſequentibus fiet. Alias illas libentiſſimè admitto, bene gnarus, quod *concluſio ſit diverſum quid à medio concludendi*, neque ad probationem rectam & congruam requiri, ut in medio concludendi vel verbulum extet de eo, quod ex illo concluditur, ſed ſufficere, ſi medium concludendi ſit ἐγγύς,

do-

domeſticum & proprium, atque neceſſariam cum extremis concluſionis connexionem habeat. Audiamus tamen quomodo probetur, aliquid de Polygamia Matth. 19. v. 9. haberi, quia ſcilicet ibi expreſſe agatur de conjugio unius viri, qui uxori, illegitimè dimiſſæ, & ſic ſolo toro, non vinculo conjugali, à ſe ſeparatæ *ſuper inducit* aliam, atque adeò toro quidem uni, vinculo conjugali autem utrique uxori conjunctus eſt. Talem conjunctionem autem unius cum duabus uxoribus nil aliud eſſe quàm Polygamiam. Verum enim vero, quis non ex textu perſpicit, repudiatorem uxoris non fornicariæ ſe ſeparare, quantum in ſe eſt, in ſolidum à ſuâ uxore, & vinculum matrimoniale quantum poteſt totaliter rumpere, alterique more ſolito concedere uxorem priſtinam, inque illius locum aliam ducere, unde & à ſecundo maritò denuò repudiatam non poterat iterum prior maritus ducere, quia cum novo ſeu ſecundo erat colligata. *Deut.* 24. 2, 3, 4. Malè autem hic uſurpatur vox *ſuperinducere*, quô Laban cum Jacobo loquens utebatur & obteſtabatur ſuum socerum, ne ſuis filiabus in conjugio manentibus & retentis ſuperinduceret plures. In textu autem noſtro repudiator uxorem non retinebat, ſed è domo expellebat, adeoque non poteſt dici *ſuperinducere* uxori priori, quam non amplius, ut pote ſeparatam, habebat, nec ulterius habere deſiderabat, multò verò melius dici poteſt ſubſtituere in prioris locum aliam, quod Deo maxime erat abominabile, qui contemptum prioris uxoris odio habet, & pro ruptione fœderis volente Deo ſancitì æſtimat. *Mal.* 2. 14, 15. Habebant quidem *Matriarchæ* V. T. in uſu, ut quando viderent ſe eſſe ſteriles, ſubſtituerent ancillas, ut ex *Saræ*, *Leæ*, *Rahelis* exemplis videre eſt, ſed non eo animo, ut affectum maritalem minuerent, & à ſe in ancillas derivarent, ſed potius, ut ex iis ædificarentur, & ſterilitas damnum ancillarum fœcunditate compenſarent, atque liberorum gratia. à ſervis prognatorum, & ad ipſas ceu Dominas jure herili quodammodo pertinentium, amorem maritalem augerent. Neque enim, arbitror, illis unquam in mentem venit, ut æquali jure & amore conjugali ſervæ cum ipſis gauderent, ſed ut tantum ad tempus liberorum gignendorum cauſa, quando Dominabus viſum fuerit, cum heris conſueſcerent, & poſtea iterum in ſervitutem redactæ in ſtatu priſtino ſervili puta perſeverarent. Deus verò ſapientiſſimus, qui Patriarcharum actiones prudentiſſimè gubernavit, & à peccatis, ſcortationibus, aliisque præſervavit, ita direxit illorum animos, ut præter primam fortean priorum uxornm intentionem & Matriarcharum ſcopum ancillas loco verarum uxorum haberent, nonniſi hoc pacto cum iis rem haberent, ad finem vitæ retinerent & legitimo conjugio dignas cenſerent. *Repudiatores* vero primas expellebant conjuges, in ipſarum contumeliam & contemptum alias ſubſtituebant, nullâ reditus & reconciliationis ſpe relictâ uxores juventutis, dato libello, ejiciebant, novas inſuper ducebant, ut eò magis ægre facerent prioribus, atque ad agnitionem turpitudinum in conjugio antea admiſſarum perducerent.

2. *Sed de divortio quærebant Phariſæi.* Dicentes: *licetne* (eſt ne juſtum & æquum) *homini* (marito ſc. cuivis, etiam deſponſato) *uxorem* (tùm per nuptias ductam, tùm deſponſatam duntaxat) *dimittere* (dimiſſione arbitrariâ & in arbitrio privato hominis i. e. mariti poſita totali, cum traditione tamen libelli repudii, quæ fiebat citra cauſæ cognitionem vel deciſionem judiciariam) *quamlibet ob cauſam* (quæ videlicet viro allubeſcit, etiam leviſſimam & nullius planè momenti, quinimò etiam fictam & excogitatam, aut nullam, quia ad eam aperiendam nullus invitus cogebatur) Ad quam quæſtionem hoc ſenſu propoſitam reſpondet Chriſtus, in memoriam ipſis revocando primam creationem atque ordinationem, quâ Deus conſtituit, ut vir derelictis parentibus agglutinetur uxori ſuæ & cum eâ fiat una caro, atque ita maneat neque ſe privatim cum à Deo ſit conjunctus ſuæ uxori, ſeparet. Quo ipſo non voluit Chriſtus licentiam & facultatem divortiorum omnem tollere, ſed *arbitrariam* duntaxat & *privatam* (ſicuti non omnem juſtitiam vindicativam ſeu vindictam ſed privatam ex inordinatis & præcipitantibus affectibus ortam ſibi diſplice-

re oſtendit ob abuſum privatorum, Matth. 5. 38. & juramenta privata temeraria etiam prohibuit v. 33.) *Illam Judaeorum repudiandi & dimittendi uxores licentiam & conſuetudinem*, de quâ Phariſæi quærebant; atque oſtendit, illam primæ creationi & adjunctæ ſanctioni, (quâ ordinatum, atque præſcriptum, ut firmiſſimo atque arctiſſimo vinculo conjuges ſint conjuncti, & vir adhæreat & agglutinetur uxori ſuæ, hancque ita una caro) nullatenus eſſe conformem, neque decere, ut illi, qui *divinâ & publica autoritate conjuncti* hoc pacto fuerint, *privatim ac temerariè* quamvis ob cauſam vinculum hoc poſſint ſolvere, atque ſe ab invicem ſeparare. Neque enim verba Chriſti; *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: abſolute ſunt accipienda, (Chriſtus enim non abſolute fuit interrogatus, ideò nec abſolute reſpondit) quaſi vinculum matrimoniale, vivente utraque parte, totaliter & plane inſolubile ſit, &, ſi inauſpicatis & infelicibus ejusmodi nuptiis medela ſit adhibenda, ſeparatio tantùm partialis reſpectu tori & menſæ, ut utraque pars innupta maneat, ſit inſtituenda. De tali enim divortio nec Phariſæi interrogarunt, nec Chriſtus reſpondit, nec Judæi quicquam de hac ſeparatione partiali tori & menſæ unquam noverunt, nec adhuc ſciunt, unde nec hic fundari eam poteſt dici. Apoſtolus etiam Paulus dicit, quod mulier tantum debeat manere innupta 1 Cor. 7. aut ſi non velit aut poſſit, reconcilietur cum priſtino marito. Reponunt ad hanc Chriſti reſponſionem Phariſæi: *Cur ergo Moſes* ἐνετείλατο *mandavit dare libellum diſceſſionis & eam dimittere?* quaſi dicant; ſi eſt illicitum, quare ergo Moſès non tantum præcepit dare libellum repudii, ſed & actu dimittere. Chriſtus ad hanc novam objectionem reſpondit atque dicit; Moſes ἐπέτρεψε permiſit vobis propter duritiem cordis veſtri dimittere uxotes, ab initio vero non fuit ſic factitatum (γέγονεν) Adamus, Sethus, Noachus, Loth, Abraham, Jacob non dimiſerunt uxores ſuas. Propter duricordiam igitur veſtram Moſes permiſit, quia vos non vultis obſequi divinis mandatis & proprio motu honeſte & concorditer cum veſtris uxoribus vivere, ſicuti permiſit Magiſtratui ut pœnam capitalem ſumat de homicidis, adulteris, inceſtuoſis, immorigeris filiis, &c. cum tamen Deus abhorreat à ſanguine, & non velit mortem hominis, ſed ob σκληροκαρδίαν, propter cordium humanorum, quæ nonniſi formidine pœnæ, non virtutis amore à peccatis abſtinent, duritiem p rmittere, imò præcipere quodammodo cogitur aliis hominibus Gen. 9. 6. præſertim Magiſtratui, qui gladium non gerit fruſtrà, ut ejusmodi ſcelera impunita non relinquat. Eſſe verò dimiſſionem uxorum pœnam à marito (qui eſt caput ſuæ uxoris & olim apud Romanos aliosque populos judicium in ſuam uxorem ſolus exercebat, quin & jus vitæ & necis habebat) uxori, ob commiſſas turpitudines aut adulteria inflicta, patet non tantum ex *Deut*. 24. *v*. 2. 3. ſed & clariſſime *ex Eſ*. 50. *v*. 1. ubi dicitur, quod Deus *Eccleſiam Judaicam dato libello repudii dimiſerit ob peccata illorum* & *Jer*. 3. *v*. 8. expreſſe aſſeritur, quod Iſraeliticæ Eccleſiæ Apoſtaticæ adulterium *puniverit*; addita ſimul *pœnæ ſpecie*, quæ ſub nomine *dimiſſionis* & *dationis libelli repudii* exprimitur. Sicuti igitur injuſtum eſt, ſi Magiſtratus abſque cauſa ſubditos ſuos ſuppliciis afficit, ita etiam excuſari nequit, ſi maritus abſque cauſa πορνείας & turpitudinis pœnam repudii uxori infligit. Interim tamen quemadmodum Magiſtratui etiam moroſo, injuſto, aut rationes ſuarum actionum reticenti obediendum eſt, ita etiam mulierem oportet ſubjici viro, non tantum propter iram, ſed & propter conſcientiam. Rom. 13. 5. quia eſt ὕπανδρος *ſub viro, viro ſubjecta*, quæ leges accipit à viro cui alligata eſt. *Rom*. 7. 2. 1 *Cor*. 7. 39 Quorſum enim in ſuperiori gradu collocatus eſt maritus (Magiſtratus) & caput atque Dominus uxoris conſtitutus, niſi ut inferior uxor ipſi obediat, adeo ut ſi non faciat rebellis ſit & cum Deo ipſo, ordinis hujus autore, bellum gerat; & proinde nonniſi maximas calamitates ſibi accerſat. Deus ſiquidem hoc pacto malas mulieres voluit coercere, bonas vero in officio conſervare, adeò ut non male huc mutandis mutatis accommodari poſſunt quæ *Rom*. 13. *v*. 1. 2, 3. &c. hoc pacto. *Omnis uxor ſupereminenti poteſtati*,

teſtati, viro ſcilicet *ſubjecta eſto, non enim eſt illa* (ſicut omnis) *poteſtas* (& autoritas viri in uxorem) *niſi à Deo*, *& quancunque poteſtatem* ſeu autoritatem *in uxorem habet maritus, illa eſt ita à Deo ordinata*, qui eſt autor hujus diſpoſitionis. Itaque *quæcunque mulier ſe opponit ſuperiori ſuo*, marito videlicet, *Dei ordinationi* ſapientiſſime hoc pacto inſtitutæ *reſiſtit*, *quæ* autem mulieres *reſiſtunt* & inobedientes ſe gerunt, *ſibi ipſi pœnas* à judice marito decretas *accerſent*. Nam *maritus non eſt terrori bonis mulieribus, ſed malis. Vis autem non metuere ſuperiorem* maritum, *quod bonum eſt facito, & laudem* à marito *reportabis. Dei enim miniſter eſt tuo bono*, & ſubdelegatus, intermedius judex, executurus ea quæ à ſupremo Legiſlatore Deo, in tuum commodum expediunda, ſunt commiſſa; *Quod ſi feceris*, *quod malum*, turpe & inhoneſtum eſt, *metue: Non enim fruſtrà hanc ſuperioritatem habet. Dei* enim, in quem primariò ob ejus ordinationem peccaſti, *executor eſt, qui* non ſine graviſſimâ ſeveritate & juſtiſſimo Zelo *vindictam ſumit de muliere, quæ malum perpetravit*; *Quapropter neceſſe eſt mulierem Marito ſubjici, non tantum propter juſtitiam* mariti vindicatricem turpitudinum & prævaricationum uxoris, *ſed & quia bonâ conſcientia* judicique & miniſtro, à Deo conſtituto *reſiſti non poteſt. Reddite igitur* mulieres veſtris maritis *veſtigal* obedientiæ, quam ipſis debetis, *tributum* complacentiæ, *timorem & honorem*, atque ut unico complectar verbo, *amorem* conjugalem, quæ utramque implet paginam. Cum itaque tantam in uxorem poteſtatem habeat maritus nil reliquum eſt, quàm ut uxor ſummam marito ſubjectionem præſtet, ni velit iram ejus experiri, & pœnam à Deo permiſſam & præceptum ſubire, dimiſſionem puta, quæ & permiſſionis & præcepti nomine à Chriſto & Phariſæis inſinuatur. Quod enim Chriſtus *Matth*. 19. *v*. 8. per vocem ἐπέτρεψεν proponit (*permiſit vobis Moſes dimittere uxores veſtras*) id apud *Marcum c*. 10. 5. Salvator expreſſe vocat ἐντολὴν *præceptum* (*propter duritiem veſtram ſcripſit vobis hoc mandatum Moſes*.) Ita & Phariſæi *Matth*. 19. *v*. 7. per vocabulum ἐνετείλατο (*præcepit*. quod Chriſtus etiam *Marc*. 10. *v*. 3. uſurpat. *Quid vobis*, inquiens, *præcepit Moſes?*) Marc. verò 10. 4. per vocem ἐπέτρεψε, voluntatem Moſis proponunt. Ex quo conſequitur *permittere* & *præcipere hoc loco pro ſynonymis haberi*, quanquam *alias* differant ut *latius & anguſtius* ita ut omnis lex præcipiens ſit etiam permittens ſed non contra. Ita Deus præcepit amorem ſui & proximi, ſanctificationem ſabbati, & permittit quoque. Dupliciter enim, ut *Haſpan* obſervat *in h. l.* permiſſio conſiderari poteſt; quædam eſt facti tolerantia duntaxat, qualis fuit in maledictione Davidis & hæc ſub præceptum non cadit, alias Deus eſſet autor peccati, quod tamen longiſſimè abſit, de Deo vel dicere, vel cogitare; quædam verò eſt licentia faciendi, non nuda permiſſio, uti hic Matth. 19. 3. ubi non eſt mera permiſſio, qualis in peccatis; ſed etiam conjuncta cum licentiâ faciendi. Et hæc permiſſio ſub præceptum cadit, unde non malè Hugo Grot. in h. l. vocat legem permittentem, quando dicit; ἐντολὴ *ſignificat omnis generis leges, etiam permittentes; Nam & permiſſio obligat, & quidem 1 alios omnes, ne talè quid impediant.*

2. *Si forma actui permiſſo addatur, obligat eum, qui acturus eſt, ne aliter agat.* Illis itaque, qui negant divortium eſſe præceptum, aut ſub lege propoſitum, impoſuit, à Chriſto *Matth*. 19. uſurpata vox ἐπέτρεψεν permiſit, quem locum non contulerunt cum parallelo *Marc*. 10. 3. 5. ubi Chriſtus vocat ἐντολὴν præceptum, & ἐνετείλατο inſuper uſurpat; adeoque putarunt permiſſionem Matth. 19. v. 8. indigitatam excludere præceptum & implicare, ſi permiſſio per præceptum explicetur. Hoc quidem negari non poteſt, quod implicet & excludat permiſſio præceptum, ſi ſumatur pro nudâ tolerantia facti, ſed altero ſenſu pro licentia faciendi, uti dictum, ſumtum non implicat, neque etiam excludit mandatum divinum. Adeò ut non opus ſit verba Moſis *Matth*. 19. adducta, & *Deut*. 24. 1. reperiunda, de nudâ permiſſione explicare hoc pacto; *Si acceperit vir mulierem, & rem habuerit cum eâ & acciderit, ut ea non inveniat gratiam in oculis ejus, eò quod in-*

venerit turpitudinem in illâ, ſcripſeritque ei libellum repudii & in manum ipſi tradiderit, & dimiſerit eam ex domo ſua, atque egreſſa abierit ac nupſerit viro alteri; hicque vir poſterior etiam odio proſecutus fuerit eam, & itidem ei ſcripſerit libellum repudii, eique in manum tradiderit, atque domo ſua emiſerit; aut ſi vir poſterior, qui eam in uxorem duxerit, mortuus fuerit; non poterit maritus primus, qui eam dimiſit, rurſus eam accipere ſibi in uxorem, poſteaquam polluta facta eſt. Sed rectius Lutherus atque alii ex hâc lege hypothetica leges & præcepta duo faciunt; Unum quidem affirmativum: Si quis acceperit, &c. & rem habuerit, &c. & acciderit, ut non inveniat gratiam in oculis ejus ob turpitudinem, &c. *tum ſcribat ei libellum repudii & in manum ipſi tradat, ac dimittat eam è domo ſuâ:* alterum negativum, quando porro ſequitur: ſi egreſſa fuerit, &c. & nupſerit alteri, hicque poſterior etiam dederit libellum &c. *non poterit maritus ejus primus, qui eam dimiſit, rurſus eam accipere ſibi in uxorem, poſteaquam polluta facta fuerit. &c.* Nil ſane video abſurdi ſi dicatur hic eſſe duo præcepta, unum de uxore ob turpitudinem repudianda, alterum vero de bis repudiatâ à primo & ſecundo marito, non iterum à primo marito ducenda & repetendâ. Chriſtus ipſe præceptive hanc rem proponit: *dictum eſt: quisquis dimiſerit uxorem, det illi libellum repudii,* uti refert Chriſtus *Matth.* 5. 31. atque inſuper deinde vocat *mandatum* Marc. 10. 3. *quid*, inquit, *vobis mandavit Moſes.* q. d. quid me tentatis hâc quæſtione? adite, conſulite Moſen Doctorem Veſtrum, ego me illi non opponam uti de me ſuſpicamini. Moſes quid hæc de re vobis mandavit, proferte illud & deinde *v.* 5. expreſſiſſimis verbis vocat *mandatum*: *Propter duritiem*, inquit, *cordis Veſtri ſcripſit vobis mandatum* iſtud quaſi dicat: quia veſtræ uxores tantis turpitudinibus, ut tolerari non poſſint, ſæpe ſunt repletæ, permiſit & præcepit vobis Moſes, & cum judices & Reges ſitis in veſtris domibus, ratione ſervorum non tantùm & liberorum, ſed ratione uxorum quoque, uxores veſtras puniatis & dato libello repudii ejiciatis. Quia vero Judæi hac lege abutebantur, & uxores ſæpe ob nullam turpitudinem expellebant, ſed ſolam dationem libelli, ut ex *Matth.* 5. 31. apparet, ſufficere putabant, quia reddere cauſam non tenebantur; ideo Chriſtus hic illam dimiſſionem privatam & arbitrariam, ne amplius mariti ſæpè malitioſi in propria cauſa judicarent, vult abrogatam, æquè ac vindictam, & juramenta privata, atque temeraria. Sicuti vero ad averruncandam omnem injuſtitiæ ſuſpicionem, conſultum eſt, ut Magiſtratus ſuarum actionum & ſuppliciorum rationes manifeſtet, ita etiam præſtitiſſet, ſi maritus ſui libelli cauſam detexiſſet, ad ſe ab omni infamia implacabilitatis aut moroſitatis liberandum; ſed quia hoc non faciebant, & ſæpè nullam etiam habebant cauſam, ideo hoc jure divortii quo gaudebant, ſed abutebantur, merito privati, ita ut nonniſi approbante Magiſtratu illud exercere potuerint. Quod & hodie apud nos obſervatur, ſed quia Diabolus hac in re etiam magnum abuſum introduxit, ita ut nullus fere maritus ob advocatos à mulierculis, marſupio præditis, emtos, & corruptos judices divortium inſtituere aut obtinere poſſit, ſed ſi quæ fiant repudia, in hoc inverſo mundo à mulieribus potius, quàm maritis exerceantur, quæri non immerito poſſet, an non ob coërcendam fœminarum laſciviam & extremam malitiam præſtaret; ſi denuo arbitrio maritorum divortia relinquerentur, & certis conditionibus, uti Rabbini circa ſcriptionem libelli multa deſiderabant, ut ſupra audivimus ad th. 13. n. 1. ad terrorem mulieribus incutiendum, & difficultatem etiam ad divortia accedendi maritis inſinuandam aſtringerentur. Certè Reſp. Judaica, quam Cunæus nec Monarchiam, nec Ariſtocratiam, nec Democratiam ſatagit appellare, ſed θεοκρατίαν vocat, multas habuit egregias leges, quæ mutatis mutandis, ratione legum benè perſpecta atque perpenſa uſurpari, & in commodum Chriſtianæ Reip. adhiberi poſſint, uti Zepperus de Leg. Moſaicis aliique docent.

3. *Quicunque ſe ſeparaverit ab uxore excepta fornicatione.* Phariſæi interrogarunt Salvatorem; *Licetne homini dimittere uxorem quamlibet ob cauſam* etiam leviſſimam, ſi-

ſicut ad th. 9. n. 1. 14. ſupra audivimus, quod non tantum ob impudicitiam, ſcortationem, impudicos geſtus & actiones, deſiderium concubitus immodeſtum ſed etiam alias ob cauſas, ſi egreſſa ſcil. nudato capite, in plateâ neverit, aut fila duxerit, nuda brachia oſtenderit, aperto pectore inceſſerit, cum viris in eodem lavacro laverit, cum juvenibus luſerit it. ab aduſtum juſculum vel edulium, vitia corporis etiam, ac malos mores uxor fuerit repudiata, ut Buxt. de ſpon. p. 90. prolixe docet. Quæ quæſtio tum temporis maxime cum fuerit ventilata inter Scholam Sammæanam & Hillelianam, Phariſæi tentandi cauſa proponebant hoc Servatori. Chriſtus vero ita prudenter reſpondit, ut videatur indicare velle, vinculum illud conjugii ſemel contractum & copulatum ita firmum eſſe, ut nullo plane in caſu reſcindi, & diſſolvi queat, ac propterea fruſtrà quæri de cauſa ejus faciendi, quod fieri nulla ratione debeat, cum inquit: *Nonne legiſtis ab initio opificem creaſſe maſculum &c.* ubi ita argumentari vult Chriſtus, *Nullum divinitus unitum eſt humanitus de jure ſeparabile.* Atqui Maritus & uxor eſt ἓν divinitus unitum, E. eſt humanitus inſeparabile, ſiquidem per agglutinationem & adhæſionem perpetuam, eorumque coalitionem in unam carnem ita ſunt conjuncti mas & fœmina à Deo ipſo in creatione prima & ſanctione atque diſpoſitione ipſius conjugii, ut ab hominibus de jure non poſſint diſuniri. De facto quidem uxor quando mœchatur, quod non deberet eſſe, ſe ſeparat, aut marito potius anſam præbet jus repudii & diſunitionis à Deo ipſi conceſſum & in pœnam uxorum aſſignatum exercendi, atque proſequendi. Phariſæi diviſionem conjugii humanitus de jure impoſſibilem percipientes, ſermonem Chriſti, nondum ad finem perductum, interrumpebant, ſiquidem ad quæſtionem propoſitam de cauſis repudiorum, tum ſatis vexatam, nondum reſponderat; atque exiſtimabant, ſe hinc pulchram admodum, & juſtam cauſam reperiſſe Chriſtum capiendi, & confundendi, adeoque præcipuam quæſtionem, quæ τοῦ διότι erat, de cauſis ſcilicet divortiorum, deferunt, atque ad τὸ ὅτι tantùm, quod inter ipſos Antagoniſtas, Sammæanam videlicet & Hillelianam Scholam extra controverſiam erat, excipiunt dicentes; *Cur ergò Moſes mandavit dare libellum diſceſſionis, & dimittere illam? ſi* ſcilicet, *uti innuis*, volunt dicere, *& uti è tuis dictis apparet, atque infallibiliter ſequitur, plane non licitum eſt uxorem ſemel ductam repudiare?* Cauſæ nullam amplius faciunt mentionem, utpote quam diſputabilem eſſe probe ſciverunt. Id vero apprehendunt, & illic Chriſtum ſe ſtricturos exiſtimant; unde, ſuo quidem judicio, nulla ipſi elabendi foret rima. Chriſtus vero reſpondet & ad τὸ ὅτι & ad διότι. Ad τὸ ὅτι; *Moſes pro duritia cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio verò non fuit ſic* quaſi dicat; poſt lapſum tanta σκληροκαρδία omnes homines & ſic etiam vos invaſit, ut pertinacem contumaciam, obſtinationem & inflexibilem duritiem ad deferendos veſtros mores, & legibus divinis vos ſubjiciendos ſemper oſtendatis. Vos eſtis populus duræ cervicis *Ex.* 32. 9. & 33. 3. & 5. 34. 9. *Deut.* 9. 6. 13. *Eſ.* 48. 4. *Ezech.* 3. 7. conf. & *Deut.* 9. 27. Et in Oeconomia veſtra imprimis illa σκληροκαρδία eluceſcit, cum in maritis duritiem, inclementiam, implacabilitatem, & tyrannidem quandoque erga uxores diſplicentes & exoſas præ ſe ferentibus, tum vel maxime in uxoribus, è quibus omnia mala, quæ maritos pro Dominis agnoſcere, & ab ipſorum voluntate in ſolidum dependere ſubterfugiunt, ſed potius libidinibus, ſuperbia, inobedientia, & morum aſperitate dementatæ omnia in Oeconomia turbant, atque interitum familiæ accerſunt. Quare vobis quidem maritis permiſit jus puniendi veſtras uxores, eaſque dato libello ejiciendi Moſes, ne & vos & veſtra familiæ per retentionem turbatricis, quæ affligendo maritum mortem capiti familiæ ſæpe accelerat, maxima & indeclinabilia patiantur damna. Præſtat autem unum è familia per ejectionem quadantenus perire, quàm ut integra familia ad incitas redigatur & totaliter pereat, Deinde reſpondet Chriſtus ad διότι *Dico autem vobis, quod quicunque dimiſerit uxorem ſuam,* εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *niſi ob ſcortationem,* (uti communiter vertitur) *& aliam duxerit,*

rit, mæchatur, & qui dimiſſam duxerit mæchatur vel ut eſt Matth. 5. 32. *quiſquis dimiſerit uxorem* παρεκτὸς λόγου πορνείας, *extra rationem ſcortationis facit, ut ea mæchetur, & qui dimiſſam duxerit, mæchatur*. Marc. 10. 1. *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam mæchatur adverſus eam, &,* qui *ſi mulier dimiſerit virum ſuum, & nupſerit alteri, mæchatur*. Luc. 16. 18. (*omnis dimittens uxorem & ducens alteram mæchatur, & omnis dimiſſam ducens mæchatur*. Ubi ante omnia notandum in verbis *Marci* 10. & *Luc.* 16. τὸ διότι ſive *divortiorum cauſam à* Chriſto non adduci, uti quidem *Matth.* 19. & *c.* 5. Diverſi enim fuêre ſermones, diverſæ conciones, & diverſa colloquia, in his quatuor locis parallelis, quæ tamen conjunctim ſumta naturam divortiorum bene explicant, ſi ſecundum leges Hermeneuticas conferantur. In *Marco* itaque cum Phariſæi tantùm quærerent de *divortiorum licentia*, de τοῦ ὅτι, non de cauſis divortiorum, ſive de τοῦ διότι, Chriſtus etiam ideò cauſas non tangebat. Quæſtio erat ſimplex: *An liceat homini, ſe ſeparare ab uxore ſua*. Chriſtus etiam reſpondet *ſimpliciter* ſine addita cauſa: *qui ſe ſeparat ab uxore, & ducit aliam, mæchatur contra eam*. In *Matthæo* verò Phariſæi interrogarunt de cauſis divortiorum hoc pacto; *An quavis de cauſa liceat dimittere uxorem?* quæ quæſtiones ſunt diverſæ, quia diverſa etiam fuêre colloquia. à diverſis fortean etiam Phariſæis inſtituta, diverſo loco & tempore. Chriſtus verò ad hanc quæſtionem ita reſpondet, ut mediam teneat viam, atque oſtendat, neque plane eſſe illicitum, ullam ob cauſam dimittere uxorem, neque etiam licitum eſſe κατὰ πᾶσαν αἰτίαν quamvis ob cauſam, docens *licitum eſſe, ſed nonniſi in cauſa* πορνείας. ubi ante omnia obſervandum eſt, cum quibus Chriſtus diſputet, nempe cum veteratoribus Phariſæis, Hillelis R. Akivæ diſcipulis, aſſerentibus, non ob ſcortationem duntaxat, & pudicitiam læſam, ſed κατὰ πᾶσαν αἰτίαν ob quamlibet cauſam vel rem, ex qua vel tædium, vel odium uxoris marito poſſet oboriri, pro lubitu & arbitrio ipſius, permiſſum ei fuiſſe, libello dato uxorem dimittere; quin imo vel ideo, ſi alia, qua potiri poſſet, cum priore non concordatura melius ipſi allubeſceret, Cujus ſententiæ fundamentum cum Hillele ſuo Præceptore, quærebant in illis verbis Moſis Deut. 24. 2. 3. ubi duo iſta verba ערות דבר disjungunt, & duas inde cauſas extruunt impudicitiam ſcilicet, & rem aliam quamcunque fœdam in oculis mariti; extendentes iſta, ut ſupra ad th. 9. n. 1. th. 13. n. 1. vidimus, tum ad pudicitiæ violationem, tum ad corporis nævos, & defectus, tum ad mores, tum ad actiones quasvis leviſſimas, tum denique ad incertam & prætenſam ſolum mariti diſplicentiam. Quorſum advocabant iſta quoque verba; *ſi non invenerit gratiam in oculis ejus*. Quæ ipſorum expoſitiones cum Chriſto omniſcio non potuerint eſſe ignotæ ſolide omnium ſcrupulorum habita ratione reſpondet; non licere niſi ob πορνείαν, ſecus ſi fieret, repudiatorem, repudiatam, & repudiatam ducentem mœchationis crimen incurrere. Notanter autem Chriſtus dicit, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ Matth. 19. niſi ob ſcortationem & Matth. 5. 32. παρεκτὸς λόγου πορνείας i. e. πάρα μάτου πορνείας, extra cauſam (ut Phariſæi dicebant πᾶσαν αἰτίαν ob quamlibet cauſam) negotium, rem, οὗ ἕνεκα. reſpondet enim ὁ λόγος Hebræo דבר, quod ſignificat non tàm verbum expreſſum, quàm rem ipſam, ut ex Luc. 1. 38. *apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum*. patet; & notandus eſt locus 1 *Reg.* 15. 5. ubi in Hebræo in negotio Uriæ דבר. LXX. reddunt ἐκτὸς ἐν ῥήματι Οὐρίου niſi in negotio Uriæ. *Pellicanus* vult λόγον ſignificare proportionem ſcilicet ad πορνείαν, ſed melior eſt prior verſio, ex eo etiam quod hic ἐκτὸς, παρεκτὸς, εἰ μὴ non adverſative ſed *exceptive* ſumantur. Quando enim εἰ μὴ, ἐκτὸς adverſativè ſumuntur, ut in locis à *Bellarm. de Matrim. c.* 17. ex *Apoc.* 21. *ult.* 19. 4. patet, tum ſemper aliqua præcedit negatio; Cum autem hic nulla præcedat negatio, non poteſt particula εἰ μὴ ſumi adverſativè, ſed exceptive. Ab exceptiva verò ad excluſivam Bona & legitima eſt conſequentia; unde & *Danh. Hermen. p.* 241. excluſive intelligendum, atque ita exponendum dicit: Repudiator uxoris fornicariæ non mœchatur, & Re-

Repudiator uxoris non fornicariæ mœchatur, ſiquidem ſola πορνεία ſolvat activâ ſolutione matrimonium, divortium autem ex malitioſa deſertione, quod Apoſtolus 1 Cor. 7. permittit, non ſit activum, ſed paſſivum.

4. *Fornicatione.* Græcum πορνεία extat utrobique & *Matth.* 5. 32. & *Matth.* 19. 9. & aliàs in ſcriptura N. T. diſtinguitur à μοιχεία ſeu adulterio ut apparet ex Matth. 15, 19. *Ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes,* μοιχεῖαι, πορνεῖαι, adulteria, ſcortationes, *furta, falſa teſtimonia, obtrectationes &c.* ita ad Gal. 5. 19. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt* μοιχεία, πορνεία adulterium, ſcortatio *impuritas, protervia &c.* Sic etiam ſumitur *Hebr.* 13. 4. πόρνους δὲ καὶ μοιχοὺς, *ſcortatores & adulteros Deus judicabit.* Quæ tria loca expreſſe docent, Spiritum Sanctum πορνείαν & μοιχείαν, ſcortationem & adulterium à ſeipſis diſtinguere. Interpretes verò in illis duobus citatis locis *Matth.* 5. & *Matth.* 19. communiter πορνείαν per μοιχείαν ſeu adulterium explicant, cum tamen in utroque loco πορνεία retineatur, & cum μοιχεία ſeu adulterio ceu ſuo, uti putatur, ſynonymo hoc quidem in loco, non permutatur, uti quidem à Chriſto in hâc materia permutantur ἐπιτρέπειν *permittere* & ἐντέλλεσθαι *præcipere,* ut *in not.* 2. *hujus th.* 83. animadvertimus. Præterea hinc ea propter aſſeritur Chriſtum hoc loco ſtatuere, adulterium proprie ſic dictum eſſe ſolitariam cauſam divortiorum. Quod an Chriſti mens ſit, aliis arbitrandum relinquo. Certe ex lege divina adulteria capite plectebantur, adeò ut non opus fuerit dare ipſi libellum repudii, cum mors omnia ſolvat, niſi forte Magiſtratus contra legem divinam de rigore pœnæ legisque aliquid remittere, & veniam adulteræ dare voluerit. Id enim in arbitrio Judicis ponat maritus neceſſe eſt, qui dimiſſionem quærit magis, quàm ſupplicium capitale uxoris. Et cum privatâ autoritate divortia tum inſtituerentur, Magiſtratui publica ſupplicia de uxoribus ſumenda adulteris relinquebant mariti. Qui cum hæc ſcelera ſæpe ſint occulta, ſolis maritis cognita, teſtibus ſufficientibus deſtituta, adeoque difficillimæ probationis, convictionis, non poterant commode delinquentes uxores ad Magiſtratum Politicum deferre, uti nec ad hoc per ullam legem obligabantur; ſed ſibi divortiorum licentiâ conſulebant. Chriſtus etiam, cum πορνείαν cauſam divortiorum eſſe aſſerit; neque veterem legem de capitis ſupplicio adulteris infligendo abrogare, neque novam etiam legem Politicam ſancire voluit, ſed clericorum ſeu Phariſæorum nimis licentioſæ de divortiis ſententiæ ſe opponere, ſimulque indicare voluit, ex omnibus illis cauſis, quas Phariſæi proferebant, & ex Moſis verbis exſculpere ſatagebant, nullam eſſe ſufficientem, quam πορνείαν vel λόγον πορνείας, cœteras eſſe futiles & inanes, imò nullas plane, adeo ut de adulterio teneatur tum dimittens, tum dimiſſa, tum dimiſſam ducens. vid. *Buxt. de ſponſal. p.* 124. Cœterum ut ad vocem πορνείας iterum deveniamus, videtur non abſonum, ſi quis dicat, πορνείαν hic non adulterium proprie ſic dictum duntaxat, nec tantum concubitum illicitum quocunque veniat nomine, ſed & quamlibet rem turpem in generali ſuo ſignificatu denotare, & correſpondere rei ſeu cauſæ nuditatis & turpitudinis *Deut.* 24. inter cauſas divortiorum allegatæ, quæ res turpitudinis, ſeu nuditatis, erat tum *actus impudicitiæ ipſe, tum actiones, mores vel geſtus tales, ex quibus & ſufficientes & juſtæ pudicitiæ mulieris proſtitutæ, & violatæ ſuſpiciones peti poſſunt.* Et hunc generaliorem πορνείας ſignificatum prolixe probat *Selden. l.* 3. *c.* 22. 23. 24. approbat etiam *Buxtorf. de ſponſ. p.* 122. nec ipſi contrarius eſt *Brower. de Jur. Connub. p.* 686. Siquidem ſcriptura ipſa, licet, quando cum μοιχεία conjungat πορνείαν, ut in tribus illis jam modo adductis locis pro illicito concubitu, quæ ſcortatio communiter dicitur, uſurpet; hac in re nobis præit, & laxiorem ſignificationem, cum ſolitarie, nullo addito alio vocabulo, impuritatem denotante veneream, uſurpat, nobis, ſufficienter inſinuat, ut in illo dicto famoſo, 1 *Cor.* 7. ad πορνείαν vitandam habeat unusquiſque uxorem ſuam, ubi non tantum ſcortatio, ſed adulteria quoque, inceſtus, Sodomia, Onanitica peccata, actiones & mores impu-

pu-

pudicæ, & omnis generis concupiſcentiæ illicitæ & prohibitæ indigitantur. Sic etiam 1 Theſſ. 4. 3. *hac eſt voluntas Dei, veſtra ſcilicet ſanctificatio, ut abſtineatis à ſcortatione & quiſque ſciat ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore;* ubi itidem in genere uſurpatur πορνεία de omni impuritate venereâ, à quâ aliena debent eſſe noſtra vaſa & membra. Ita & Generaliter pro *omnimoda in peccata ſeu turpitudines qualescunque deviatione* occurrit apud LXX. *Ezech.* 16. 51. ubi peccata omnia Judæorum, peccata Sodomitarum, Samaritanorumque graviora & plura *nomine* πορνείας veniunt. De idololatris multoties quoque occurrit *Exod.* 34. 15. *Lev.* 17. 7. *&c.* 20. 4. *Paral.* 5. 25. *fornicantur poſt Deos ſuos.* Lev. 20. 6. de Magis & hariolis dicitur, *ut fornicetur poſt eos.* Hoſ. l. 2. & 4. 12. *fornicata eſt terra, à Domino. filii fornicationum, ſpiritus fornicationis,* πορνείας, non tantum de idololatria ſed & de peccatis Judæorum reliquis *Hoſ.* 4. v. 1. enumeratis cum Propheta infit: *Non eſt veritas, neque pietas, neque cognitio &c. ſed maledictiones, mendacia, homicidia, furta. &c.* qualia πλῆθος πορνείας *multitudo Fornicationum* Nahumo c. 3. & 4. vocantur. Sic etiam David Pſalm 73. 26. *perdidiſti* πάντα τὸν πορνεύοντα ἀπὸ σοῦ *omnem fornicantem à te* i. e. omnes iniquos & impios Pſalm. 106. v. 35. 39. *fornicati ſunt in actionibus, aut ad inventionibus ſuis,* ἐπόρνευσαν ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτῶν. *Num.* 14. 3. *Filii veſtri paſcentur in deſerto 40 annis, & protabunt fornicationes veſtras,* ubi Græci τὴν πορνείαν ὑμῶν & Chaldæus Paraphraſtes Onkelos & Uzielides *ſuſcipient iniquitates veſtras,* ceu vertit Franc. Cardinalis Toletanus, ſeu ut Paulus Fagius, *& luent pœnas peccatorum Veſtrorum.* Ita reddit & Salomon Jarchi ad h. l. Non autem tantum ſcriptura ſacra ſed & ſcriptores Chriſto coævi, ut *Philo Alexandrinus* cujus integrum locum affert *Selden. l. 3. Ux. Hebr. c.* 23. in laxiori ſignificatione pro quocunque crimine vocem πορνείας uſurpant, ut & quamplurimi Patres. *Auguſtinus* qui floruit A. 388. ſub Theodoſ. Arcad & Honor. *l.* 1. *Retract. c.* 19. diverſitatem ſententiarum tum temporis de ſenſu hujus vocis πορνείας nobis exponit: *De præcepto,* inquit, *quo prohibetur uxor non dimitti, niſi propter fornicationem, hic quidem ſcrupuloſiſſime diſputant. Sed eum velit Dominus intelligi fornicationem, propter quam liceat dimittere uxorem, utrum eam, quæ damnatur in ſtupris,* (ſtrictiore ſignificatu) *an illam,* (generaliori) *de qua dicitur Pſalm.* 72. 27. Perdidiſti omnem, qui fornicatur abs te, *in quâ utique & illa* (ſtrictior nempe) *eſt,* (*Neque enim non fornicatur à Domino, qui tollens membra Chriſti facit ea membra meretricis.*) *etiam atque etiam cogitandum eſt, atque requirendum. Nec volo, in re tantâ, tamque ad dignoſcendum difficili, putare lectorem, iſtam ſibi noſtram diſputationem debere ſufficere. Sed legat & alia, ſive noſtra, quæ poſtea ſcripta ſunt, ſive aliorum melius conſiderata atque tractata; vel, ſi poteſt, ea, quæ hîc merito movere poſſunt, vigilantiore & intelligentiore mente diſcutiat. Non quia* omne peccatum *fornicatio eſt,* (*neque enim omnem peccatum Deus perdit, facientem qui quotidie ſanctos ſuos exaudit dicentes* dimitte nobis debita noſtra) *eum perdat omnem, qui fornicatur, & utrum etiam propter hanc liceat dimittere uxorem,* latebroſiſſima quæſtio eſt. *Licere autem propter iſtam, quæ in ſtupris committitur,* nulla quæſtio eſt. *Et ubi dixi, hoc permiſſum eſſe, non juſſum, non attendi aliam ſcripturam* (prov. 18. in vulgata) *dicentem,* qui tenet adulteram ſtultus & impius eſt. Ex quibus ſatis manifeſtum eſt, tum temporis ſatis vexatam fuiſſe quæſtionem, an vox πορνείας *Math.* 19. late pro omni crimine, an vero ſtricte pro ſcorttatione aut adulterio ſit accipienda, *Auguſtinum* verò (vid. *Seld. Ux.* 3. 27.) magis inclinaſſe in primam, quàm in ſecundam acceptionem, nihil tamen certi voluiſſe determinare, ſed lectoris ſolertiæ omnia reliquiſſe. Non poſſum verò non nuper tantum citati *Philonis Alexandrini* verba ipſa, quia notantiſſima, huc apponere, ubi animam qualemcunque in vitia, ſeu quæ turpia ſunt, pronam, ψυχὴν πεπορνευμένην ſeu *animam fornicantem* nuncupat. Scilicet de meretricis mercede, in templum ex lege ſacra non recipienda, verba faciens, tr. περὶ τοῦ μισθώματος πόρνης: *Si mulieris ſe proſtituentis munera profana habentur, quanto magis ſcor-*

ſcortantis ſeu fornicantis animæ, quæ ſe poſtravit turpitudini atque rebus contumelioſiſſimis, Vinolentiæ, ambitioni, voluptatum ſtudio, aliisque innumeris paſſionum etiam & morborum & malorum generibus, quorum maculæ an unquam elui poſſint neſcio quidem ego. Meretriciam artem it. ſenio finiri ait, aut ætatis flore emareſcente, *At animam jam per intemperantiam quæ ei convivia eſt & familiaris*, fornicationem edoctam *quæ tandem ætas in honeſtatem reſtituet? Ætas ſane nulla ſed ſolus Deus, cui poſſibilia, quæ nobis impoſſibilia.* Quo & ſpectare videtur illud Salomoni tributum *Sap.* 14. 12. *Initium fornicationis excogitatio ſimulacrorum, ſeu idolorum; Inventiones autem illorum corruptio vitæ.* i. e. Initium mali omnimodi, vitæ impuræ, inhoneſtæ morumque pravitatis fuiſſe idolorum excogitationem; ubi ex *Papiâ* Robertus Holkat lect. 163. *Scripturæ ſolent vocare fornicationem omnem illicitam corruptionem, ſicut eſt idololatria & avaritia, ex quibus ſit transgreſſio legis divinæ ſecundum illud* Pſalm. 63. 26. Perdes omnes qui fornicantur abs te. Certe nec alio fortean ſignificatu uſus eſt πορνείας voce *Paulus*, Philoni coævus, ubi ad Corinthios inquit 2 Cor. 5. 1. *Omnino auditur inter vos* (ſic vulgo vertitur) *fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Vix autem credibile, ut flagitioſiſſimum illud inceſtus genus ſimplici πορνείας nomine, qua tantum fornicatio ſeu ſcortatio eo denotatur, ibi indigitetur; igitur potius ita reddendum: *Omnino auditur inter vos crimen, flagitium, deviantis animæ turpitudo, & talis turpitudo ſeu ἀσχημοσύνη* (nam & hoc nomine in Judæorum Hillenismo & omnimodus inceſtus & turpitudinis genera reliqua veniebant) *qualis nec inter gentes &c.* Nec contra analogiam fidei peccabit, qui vocem πορνείας in primo Concilio N. T. eoque Apoſtolico *Act.* 15. prohibitæ, non tam de idololatriæ quadam ſpecie uti Beza, aliique volunt quàm generaliter de omnis generis libidinibus & impuritatibus capiet. Atque ſic in laxiori ſignificatu plerique Patres vocabulum πορνείας Matth. 19. intellexerunt. Quemadmodum *Origenes*, qui floruit ſub Alexandro Severo A. 223. ejusque ſequaces docuerunt πορνείας non fieri mentionem à Chriſto in vim ſtrictæ exceptionis, ſed exempli gratia; non excipi ut cauſam unicam, ſed exemplarem; nimirum ut graviores mores, ceu Romani loquebantur, à levioribus diſcernantur. *Orig. homil. 7. in Matth.* 6. vid. & *Ulpian. de Reg. Hug. Grot. in Matth.* 5. 32. 19. 9. Quam acceptionem *Pellicanus* aliique vocant Synecdochicam, alia crimina confinia non excludentem, uti *homicidium præcepto* 5. *ſynecdochice* de craſſo non tantum & externo, ſed & corde, ore & geſtibus commiſſo homicidio, interprete Chriſto, ſumitur: & *adulterium præcepto* 6 omnis generis concupiſcentias & inordinatos venereos affectus & geſtus oculis vel aliis membris commiſſos ſynecdochice denotat. Scriptura ipſa πορνείας πόρνην, de omnimodis delictis & peccatoribus explicat, ſicuti obſervatu dignum hanc in rem omnino eſt, *publicanorum* καὶ τῶν πορνῶν (quod *meretricum* vertitur) ſubinde apud *Matthæum* 21. 31. 32. mentionem fieri debere non aliter, atque apud ipſum *Matth.* 9. 11. Marcumque 2. 16. & Lucam 5. 30. *publicanorum*, καὶ ἁμαρτωλῶν, ſeu peccatorum; quaſi πόρνη pro ψυχῇ τῇ πορνευμένῃ *animâ* ſenſu jam dicto, *fornicante* ſumeretur. Et hoc pacto etiam Beda locum Matth. 19. explicat: *Non hic intelligitur*, inquit, *tantum fornicatio in ſtupro, quod in alienis viris aut fœminis committitur, ſed omnis concupiſcentia, vel avaritia vel idololatria, quæ hominem faciunt à lege Dei aberrare; Si igitur uxor hujusmodi aliquid hominem cogat, qui talem dimittit, cauſa fornicationis dimittit, non tantum illius, ſed & ſuæ; illius, quia fornicatur, ſuæ ne fornicet.* Quo etiam ſpectat illa diſtinctio *Nicol. Gorrani in c. 5. Matth.* ubi fornicationem tripliciter intelligi ſtatuit, primum propriè, quæ carnis eſt, ut ſtuprum, ſeu adulterium ipſum, deinde communiter, quæ eſt infidelitatis, Idololatrarum & Apoſtatarum, & denique commiſſive, atque ita actus cujuſcunque peccati eſt fornicatio. Unde & divortium fit triplex, pro diverſitate cauſarum, ſicut apud Romanos etiam triplex erat repudium. Uti enim *Coemtione, uſu & confarreatione* con-

contrahi ſolebant apud Romanos matrimonia, vid. *Selden. Ux. l.* 2. *c.* 21. ita divortio, i. e. tùm *diffarreatione* quæ juxta Sext. Pompejum erat ſacrificii genus, farre cibo adhibito peractum, quo inter virum & uxorem fiebat diſſolutio tùm ſimplici (ſive ex conſenſu mutuo, ſive ex certis quibuſdam verbis, uti Ciceroni etiam de Orat. l. 1. vocantur, quæ erant: *conditione tuâ non utor, tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito.* ut Græci τὰ σεαυτῆς πρᾶττε, & τὰ σεαυτοῦ πράττε, & γῦναι πράττε τὰ σά divertendi, ac perpetuam conſtituendi diviſionem ſeu diſſenſionem animo alter utrinque ſive prolatis, ſive libello ſcriptis) ſocietatis nuptialis renuntiatione ſolvebantur, uti & captivitate ſeu aliâ contingente ſervitute utrius conjugum. vid. *Synopſ. Baſil. l.* 29. *Theod. Balſamon in Can. Apoſtol.* 48. Conf. & *L.* 2. *ff tit. de divort.* Claves etiam uxoribus ademptæ ſymbolum erat divortii frequens, uti & tabularum nuptialium diſruptio. Libello inſuper ſive tradito, ſive per libertum, ut plerumque fiebat aliumve miſſo res tranſigebatur, qui etiam in acta referri ſolitus. vid. *Petr. Fabr. Semeſtr. l.* 2. *c.* 23. *Lipſ. in Tac. Ann.* 5. *n.* 6. *& in Senec. de benef. l.* 3. *c.* 16. *n.* 100. Utut verò jus divertendi apud Romanos eſſet liberum, nec ullis cauſarum repagulis coërcitum, tamen infame quaſi habitum divortium temerè factum, & nullis amicorum conſiliis aut ſacrificiis Deæ viriplacæ adhibitis peractum. *Ravand. de Reg. Juris l.* 48. Quia itaque Theologi & Patres primitivæ Eccleſiæ vocem πορνείας *Matth.* 5. 32. 19. 9. in generaliori & laxiori ſignificatu, aut etiam ſynecdochico, de ſtupro confinia, aliave peccata non excludente acceperunt; Chriſtiani Principes & Imperatores in conſtitutionibus ſuis de Divortiis cauſas repudiorum etiam ampliârunt, quemadmodum Imp. Conſtantinus non tantum *mœcham* ſed & *medicamentariam* ſeu veneficam & *conciliatricem* expelli poſſe à marito lege ſaxit. *Impp. Theodoſius & Valentinianus* A. A. plures cauſas prioribus adjecere; ſiquidem ita ſcribunt ad Florentium: *Conſenſu licita matrimonia poſſe contrahi, contracta nonniſi miſſo repudio diſsolvi præcipimus. Solutionem enim matrimonii difficiliorem, debere eſſe, favor imperat liberorum. Sed in repudio culpaque divortii perquirendâ, durum eſt legum veterum moderamen excedere. Ideo conſtitutionibus abrogatis, quæ nunc maritum nunc mulierem, matrimonio ſoluto, præcipiunt pœnis graviſſimis coërceri, hac conſtitutione repudia, culpas, culparumque correctiones ad veteres leges reſponſaque prudentum revocari cenſemus, Florenti, Parens cariſſime atque atque amantiſſime &c.* Poſtea nova conſtitutio A. C. 449. ab iiſdem Auguſtis ita introducta eſt de divortiis lex, ut retentis prioribus plures adderentur uti *l.* 8. *C. Juſtin. tit. de repudiis* patet ubi hæc habentur verba: *Viro non licebit ſine cauſis apertius deſignatis propriam repudiare jugalem. Nec ullo modo expellat niſi adulteram, vel veneficam aut homicidam, aut plagiariam aut ſepulchrorum diſsolutricem, aut ex ædibus ſacris aliquid ſubtrahentem, aut latronum ſautricem, aut extraneorum virorum ſe ignorante vel nolente convivia appetentem, aut ipſo invito ſine juſtâ & probabili cauſa foris ſcilicet pernoctantem, vel Circenſibus & theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis, in ipſis locis in quibus hæc ſolent celebrari, ſe prohibente gaudentem, vel ſibi veneno, vel gladio, aut alio ſimili modo inſidiatricem, vel contra noſtrum imperium aliquid machinantibus conſciam, ſeu falſitatis ſe crimini immiſcentem invenerit, aut manus audaces ſibi probaverit ingerentem. Tunc enim neceſſario ei diſcedendi permittimus facultatem, & cauſas diſſidii legibus comprobare.* His verò divortiorum cauſis *Juſtinianus* adjunxit, *ſi voluptatis cauſa mulier commune cum viris lavacrum ingrederetur, ſi abortum induſtriâ provocaret, ſi conſtante matrimonio cum altero viro de nuptiis ageret.* Quæ omnia cum ſine manifeſta & indubitatâ adulterii ſuſpicione, tùm temporis à mulieribus fieri non potuerint, ideò conſtitutionibus Impp. Conſtantini, Theodoſii & Juſtiniani maritis ob has cauſas divertendi jus fuit conceſſum. Jam verò conſtat, hoſce Chriſtianos Principes cùm generi hieratico non parum fuiſſe addictos, tùm & in Chriſti diſciplinâ & Apoſtolorum ſcriptis adeò fuiſſe ſatis verſatos, ut veroſimile non videatur, eos quicquam circa divortiorum jus ſtatuiſſe, quod

quod vel eorum conſcientia, vel Epiſcopi, & ſacrarum literarum tùm temporis myſtæ orthodoxum & doctrinæ Chriſti conſonum non judicarent. Sanè certum & in confeſſo eſt, ex 318. Patribus, qui in *Nicenâ Synodo,* quàm ſuâ præſentiâ ipſe *Conſtantinus* cohoneſtavit, congregati fuerunt, pleroſque Imperatori in rebus Chriſtianiſmi, juxta pietatis & honeſtatis leges ordinandis, à conſiliis fuiſſe: imò ita apud eum gratiâ potuiſſe tùm temporis hieraticum genus (quod clerus vocitatur) ut Epiſcoporum judicio forenſi etiam, & ferme ſoli cauſas undiquaque omnimodas permiſerit, ceu *Euſeb.* teſtatur in vit. *Conſtant. l.* 3. *c.* 27. Conſul. *C. Theodoſ. in app. à Sirmund. edit. Pariſ.* 1631. *& Selden. l.* 3. *c.* 28. Quem erga clericos affectum nec cœteri Principes depoſuerunt nec Juſtinianus intermiſit, uti novellas ejus legenti ſatis conſpicuum eſt. Deinde cum paſſim in Imperio R. hæ Imperatorum de divortiis conſtitutiones obſervarentur, neque in Conciliis Oecumenicis *Niceno* ſub Conſtantino A. 325. *Conſtantinopolitano* ſub Theodoſio I. A. 381. *Epheſino* ſub Theodoſio minore, A. C. 430. *Chalcedonenſi* ſub Martiano A. 451. *Conſtantinopolitano* II. ſub ipſo Juſtiniano A. 553. habitis, Patres aliquid in jure divortiorum publico, vel carpſerint, vel pronuntiarint, vel de eo diſputarint, ut ex Synodorum iſtarum actis & Canonibus omnibus obvium eſt. At verò per incuriam præteriiſſe Patres Imperatorias Conſtitutiones, quas divinæ legi & Chriſti doctrinæ adverſas judicaſſent; vel non auſos fuiſſe ſub indulgentiſſimis clero Principibus eas impietates redarguere, nemo facilè cuiquam perſuaſerit. Ex quibus omnibus conſequitur, Primorum Chriſtianorum Imperatorum de repudiis conſtitutiones plurimorum & præcipuorum Theologorum iſtius ſeculi ſententiis congruas fuiſſe. Nec nobis obeſſe poteſt, cum dicunt, criminum portenta & adulterio graviora vel paria Theologos approbaſſe, inde verò non ſequi, illos quoque leviores cauſas, & quæ mores duntaxat reſpiciunt, uti ſunt, extraneorum virorum convivia appetere, foris pernoctare, gaudere Circenſibus, theatralibus ludis, aut arenarum ſpectaculis; Illi enim ſciant, hæc & ſimilia, etſi in ſe ſpectata non ut crimina conſiderentur, ad adulterium tamen relata, ut infallibilia ferè & inconcuſſa criminis indicia haberi, adeoque marito anſam repudiandi præbere. Chriſtus equidem, cum non civiles conſtitueret leges, ſed animis ſingulorum daret præcepta, aſſeruit, *propter* πορνείαν *dimitti uxorem poſſe;* ſed certitudinem criminis ſingulorum animis æſtimandam commiſit, eodem modo, quo lex Moſis veritatem & gravitatem cauſæ divertentis *mariti arbitrio* æſtimandam reliquerat. At *Chriſtiani Imperatores* cum Ethnicorum pariter & Judæorum liberrima divortia coërcere ſatagerent, *duo ſibi vitanda eſſe judicarunt,* unum quidem, ne ad neceſſitatem accuſandi adulterii publico judicio comparem adigerentur conjuges; alterum vero, ne certitudo criminis cujuſque animo ſuſpicaciori committeretur. Primum enim & *durum & periculoſum nimis* viſum fuit; *durum nimis,* ſi Chriſtianus maritus, & fortean lenis animi homo cogatur tàm inclementer iracundus eſſe in vitæ ſociam, ut eam depoſcat ad judicium publicum, cum in ipſos inimicos benignos nos eſſe jubeat Chriſtus. *Periculoſum nimis,* ex probationis difficultate, & incerto litis. Nam, ſi ſuccumbat maritus, accuſatæ mulieris certiſſimum divortium cum ignominiâ & damno ipſius maximo prævidet. Singulorum autem credulitati committi ſuſpicio adulterii in bene conſtitutâ Rep. non rectè potuit, ne innocens aliquando accuſata ex zelotypi mariti arbitrio damnaretur; præter quàm quod hoc eſſet liberrima & promiſcua Judæorum repudia, ficto ex lubitu mariti crimine, reducere in Rempublicam. Attamen ex privato ſingulorum judicio, quæcunque ſuſpicio, de quâ poſt cognoſceret judex, ad accuſandum ſumi non debuit, ne litium ſeges oriretur. Itaque *Theodoſius Junior* Imperator Chriſtianus & pius, & Epiſcoporum quotidiano uſus conſilio, ſi maritus uxorem publico judicio accuſare nollet, aut ſi quod ipſi crederet, diffideret, ne læſa conjugii fides ſine auxilio eſſet, in quæſtione divortii, impudicitiæ conjecturas (uti Judæi habebant libidinis leges προφυλακτικὰς & *præmunimenta* veluti ſupra *ad th.* 5. *n.* 1. monſtravimus.) ad ſui ſe-

ſeculi mores temperans, ſufficere judicavit, *ſi mulier viro ignorante vel nolente extraneorum virorum convivia appeteret, ſi Circenſibus, theatraibus, aut ludis aut arenarum ſpectaculis, vel ut hodie loquimur Comœdiis intereſset, illisque marito prohibente gauderet, ſi ſine juſta & probabili cauſa foris & non apud parentes pernoctaret.* Quibus adhuc nonnulla alia Imperator Juſtinianus adjecit, ſi *voluptatis gratiâ commune cum viris lavacrum ingrederetur; ſi abortum de induſtriâ procuraret, ſi conſtante matrimonio cum altero viro de nuptiis ageret.* Quæ omnia cum ſuſpicionem adulterii præberent, & ἀναμφισβήτητα impudicitiæ τεκμήρια eſſent, Imperator has ceu cauſas divortiorum maritis indulgere voluit, ut ipſorum Oeconomiæ eò melius conſuleretur & à cornu aliàs indeclinabili mediantibus his adulterii προφυλακτικῶς liberi eſſent; eâ tamen lege, ut de his repudii cauſis publicis judex cognitionem haberet. Unde *Alciatus l. 6. Parerg. p.* 20. non male autumat, divinum illud Chriſti effatum, *quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet*, ita intellectum fuiſſe in primitivâ Eccleſiâ, ut homo dictus fuerit ſeparare, qui humanis & propriis privatis affectibus ductus diverteret, non qui probatâ Provinciæ Epiſcopo cui tum temporis forenſia etiam dijudicanda committebantur, juſtâ cauſa, libellum repudii mitteret. Ita etiam ſenſiſſe Concilium *Agathenſe l. 1. cauſ.* 33. q. 2 notant, afferuntque ipſum Concilium non numerare divortii cauſas, ſed ipſum prohibere divortium, niſi ejus cauſa Eccleſiæ probetur, *c.* 25. *refertur, in c.* 1. *cauſ.* 33. *q.* 2. hujuſque fuit etiam ſententiæ *Ambroſius in Comm. in* 1 *Cor.* 7. *l.* 17. *cauſ.* 32. *q.* 7. Quare nullatenus arguendus videtur Juſtinianus, ſi ſui ſeculi ſcientia contentus, tempori ſuo congruas leges condiderit. *Leonem Philoſophum*, ex ſui ævi Theologorum doctrinâ hoc ſenſu accepiſſe Chriſti verba, apertiſſime conſtat, cum propter furorem repudium concedens ſic loquatur: *Sed per conjugium*, inquiunt, *in unum corpus coïerunt, oportetque membrum alterum alterius morbos perpeti & divinum præceptum eſt*, quos Deus junxerit, ne ſeparentur; *Præclara hæc quidem & divina, utpote quæ à Deo pronuntiata ſunt; Verum nòn rectè nec ſecundum propoſitum divinum hic in medium afferuntur. Si enim matrimonium talem ſtatum conſervaret, qualem ejus in principio pronuba exhibuiſſet, quiſquis ſepararet, improbus profectò fuiſſet, neque reprehenſionem effugeret.* Novell. Leon. 3. 112 Alciatum ſequitur *Sanchez. l.* 10. *diſp.* 1. *n.* 12. *de matr.* Et hujus opinionis etiam eſt *Connanus l.* 8. *c.* 12. *circa fin. Comm. ad Jus Civile.* Sed contrarius *Barboſa* hanc excuſationem minime admittendam putat, docens nunquam Eccleſiam admiſiſſe divortium; imo ne quidem ob adulterium eâ vi, ut vinculum matrimonii ſolveretur & licet id ſenſerit *Ambroſius C.* 17. *cauſ.* 32. *q.* 7. cum tamen contra communem Patrum ſententiam hoc ſtatuiſſe contendit. At hæc Barboſæ omnia ſunt falſiſſima. Falſum eſt Ambroſium hoc contra communem Patrum opinionem aſſerere, cum præter alios ſupra ex Auguſtino percepimus, nullam amplius eſſe quæſtionem in Eccleſiâ de hoc ipſo, quod *ſtuprum vel adulterium ſolvat connubia*, ſed hoc eſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum. Falſum etiam, adulterium non ſolvere matrimonium quoad vinculum, uti quidem Mariani volunt, qui proinde divortium quoad torum & menſam excogitarunt, ; exque *Matth.* 5. &. 19. extruere voluerunt, quum tamen Phariſæi de hâc diſtinctione nil norunt, nec Chriſtum hoc pacto & ſenſu interrogarunt, ſed cum Chriſto *verum divortium etiam quoad vinculum* aſſeruêrunt. Falſiſſimum prætereà eſt, Eccleſiam primitivam nunquam admiſiſſe divortia, nec Cæſareas de divortiis leges unquam Eccleſiæ placuiſſe, quamvis non conſtet, Epiſcopos, ne ferrentur, unquam apud Imperatores interceſſiſſe, ſiquidem contrarium hactenus ſatis patuit, nec ullum prætereà norim, qui negarit. Quare crambe bis cocta, cum aliàs pagellæ præter omnem opinionē excreſcant, faſtidium lectori benevolo movere ſuperſedeo. Nec etiam audiendi hic ſunt illi, qui Theologos tum temporis in primitivâ Eccleſiâ ſtatuiſſe aſſerunt, Moſis de divortiis legem, ejuſque interpretationem à Chriſto factma ad ſolos Judæos pertinere, & non obligare Chriſtianos, cum non inter morales, quarum per-

pe-

petua obligatio eſt, ſed inter judiciales referatur leges, quarum vis cum Rep. Ebræâ evanuit; ideoque cum crederent jure gentium, ſeu ut Hebræorum Magiſtri loquebantur, jure Noachidarum licita eſſe divortia, potuiſſe leges repudiis præſcribere pro arbitrio, qui rerum potirentur. At vero hujus opinionis ne veſtigium quidem apud Theologos veteris ævi reperitur. Lex de divortio, quæ à Moſe refertur, quatenus de divertendi modo & libello agit, ad judicialia ſpectare videtur, non quatenus de divortio, ſiquidem Chriſti verba de divortio, nonniſi ob πορνείαν inſticuendo, tàm clara ſunt, ut vix crediderim, Theologos veteres *jus ipſum* divortii inter judicialia tantum, non etiam *inter naturalia & moralia* collocaſſe. Recte quoque Magnum Eccleſiæ lumen *Hieron. l.* 1. *adverſ. Jovin.* ſentit, ab initio creationis non conceſſa fuiſſe divortia, ſiquidem ab initio creationis nec peccatum erat, adeoque etiam nec peccati pœna, qualis eſt repudium erga uxores immorigeras & adulteras inſtituendum. Et certe, ſi manſiſſemus in ſtatu integritatis ne ulla quidem de divortio oriri potuiſſet cogitatio; etiam poſt lapſum ab initio fuit ita factitatũ, ut pro lubitu uxores ſemel ductas promiſcue ejicerent Patriachæ, qui omnem movebant lapidem, ut in ſummâ concordia vitam aliàs miſeram traducerent.

5. *Et duxerit aliam, mœchatur.* In his verbis Anti-Polygami & præſertim primus & præcipuus *Theophili* Antagoniſta, quem reliqui κατὰ πόδα ſequuntur, fundamentum ſuæ aſſertionis de Polygamiæ injuſtitia quærunt. Verum enim vero tantum abeſt, ut aliquid ſolidi ex illo loco contra Polygamiam poſſit inde extrudi & extundi, ut potius omnia quæ in hoc dicto lateant, pro Polygamia faciant. Primum vero ſcire velim ab Antagoniſtis, quare Deus tàm clare ac perſpicue Polygamiam muliebrem, ſeu Polyandriam ptæcepto ſexto, & decimo, in ſacrificio Zelytopico, *Num.* 5, in pœna adulterarum lege expreſſa Deut. 22. & exemplis confirmatâ multis, 2 Sam. 12. atque quamplurimis dictis in Salomone, Prophetis, Syracide & Apoſtolicis ſcriptis & Chriſti concionibus abundantiſſime occurrentibus corroboratâ, ſapientiſſime prohibuerit; nullum vero dictum clarum in tota ſcriptnra ſacra reperiatur, in quo Polygamiæ iniquitas in gratiam debilis ſexus appareat; adeo ut recurrendum ſit ad nudas & peſſimas, ut καὶ ἀνθοψίαν patet, conſequentias, & refugium unice quærendum in hoc per varias verſiones & interpretationes obſcurato loco. Sed agedum, detegamus nebulas, quas offuderunt huic loco, & apparebit nuda & pura veritas, firmiſſimo innixa cubo, coronaque ex lauri & olivæ (ſymbolorum victoriæ & pacis) contexta foliis ornata, atque hoſtibus, paſſionibus & opinionibus puta, quibus regitur mundus, ad pedes proſtratis conſpicua. Nebulæ autem, quibus clariſſimum veritatis lumen ab Antagoniſta involvitur, in hoc ſunt ſitæ, quod Polygamiam dicat pugnare cum primæva inſtitutione conjugii & ſua intrinſeca natura importare adulterium. Verum ad nauſeam uſque ſuprà monſtratum in th. 16. n. 1. & th. 20. n. 1. conjugii conſtitutionem non in ſecundo capite ubi primæ tantum recenſentur nuptiæ, ſed in primo jamdum capite haberi. Ibi enim dubio procul agit de conjugio, cum ad Protoplaſtos inquit: *creſcite & multiplicamini*; Aut enim *ante* hunc locum, aut *tunc*, cum hæc verba proferrentur à Deo, aut *poſt* cœpit exiſtere conjugium. non ante hunc locum, aut Adamum creatum, quia nulli dantur Præadamitæ vid. th. 29. n. 1. nec ante hunc textum aliqua mentio facta fuit, quantum conſtat, conjugii, ſed hic Gen. 1. primus ſermo de matrimonio habetur, adeoque hic primum incepit exiſtere, & à Deo, autore omnis boni, uti loquimur, inſtitui. Si enim hic inchoatum fuiſſet matrimonium, non potuiſſet illud Protoplaſtis commendari, nulla verba de ipſo fieri. Non entis ſeu non exiſtentis nulla poſſunt eſſe prædicata, nullæ actiones, nullæ paſſiones, In fumum igitur abit, quando dicitur in ſecundo demum capite eſſe conjugium inſtitutum, & non in primo cum tamen egregia de matrimonio hominum ibi Gen. 1. habeantur. Quod & Rabbini atque Hebræi norunt dum præceptum fructificationis Gen. 1. comprehenſum primo inter leges divinas loco collocant: ut ex *Hatting. d-*

Jur, Hebr. aliiſque affatim videre eſt. Neque nobis obeſſe poteſt, quod Protantagoniſta th. 64. affert, & inde abſurdum aliquod inde colligere non erubeſcit, quaſi, quando illa verba benedictionis: *creſcite & multiplicamini* ipſam conjugii inſtitutionem continerent, conjugium in ſuo eſſe ſpecifico nil aliud includat, quàm concurſum maris & fœminæ ad procreationem ſobolis, quo genus humanum natâ ſubinde novâ prole auctum conſervetur, & propagetur, adeoque nil quicquam differat à promiſcua brutorum commixtione ad ſui multiplicationem. Sed large nimis colligit, anti Polygamus. Siquidem eſſe connubii ſpecificum Deus ſufficienter declarat, cum conſenſum animorum & corporum aut potius unionem ad mutuum adjutorium in procreanda ſobole & ſubjuganda terra neceſſariam nobis proponit, & quanquam hæc verba etiam ad bruta dicantur, non tamen exinde convincitur, eodem ſcopo & ſenſu, cum creaturis rationalibus ſi Deus loquitur, eſſe intelligenda. In brutis enim animantibus facultas generandi, quàm in multiplicatione ſui cum hominibus ratione animæ vegetativæ communem habent, ſubeſt ſimpliciter ſenſuum judicio, & ſenſitivo appetitui, qui ut libertatis expers & neceſſarius eſt, ita & ejus actus bonitatis ac malitiæ moralis expertes dicuntur. In hominibus vero eadem *facultas generandi*, quoad exercitium actuum rationis judicio, & voluntatis liberæ imperio ſubeſt, poteſtque in actu conſtitui, judicio ſanæ rationis, convenienter, & ad ejus præſcriptum, vel etiam diſconvenienter rationi ſanæ, & contra ejus dictamen, prout voluntas libera vel paret recto rationis judicio, vel ſenſuum judicio ducta eidem refragatur; & in quantum ad præſcriptum ſanæ rationis, vel contra illud exercetur, in tantum ejus actus bonitatis & malitiæ moralis capaces ſunt. Atque ſic *diſcrimen* ſatis magnum *inter homines & bruta* etiam quoad actum generandi apparet, adeo, ut non neceſſe ſit, *ab identitate verborum* ad utraſque creaturas prolatorum *ad identitatem actuum concludere*, ſiquidem duo, cum faciunt idem, non ſtatim eſt idem, taliaque ſint ſubjecta, qualia permittuntur eſſe à prædicatis ſuis.

Nec ulterius nobis præjudicat, quando dicitur, primo capite totam naturam conjugii non exhauriri; neque ibi aliquid haberi de modo; & indiviſione matrimonii. Neque etiam in concione Paradiſiacâ de Meſſia omnia traduntur, quæ poſtea per Patriarchas & Prophetas populo ſelecto fuêre communicata. Et neque etiam omnia matrimonialia in c. 2. Gen. habentur, ſed omnia loca de matrimonio agentia in *Gen.* 1. 2. 3. 4. &c. ſunt conjungenda, ut in articulis fidei ſolet fieri, & inde natura conjugii tota adæquate cum omnibus dubiis explicanda. Sufficit capite primo haberi primam exiſtentiam, adeoque etiam inſtitutionem conjugii, licet multo plura exinde per legitimam elici poſſint conſequentiam, ceu *Theophilus* oſtendit *in Diſcurſ. th.* 20. quando ſolide, & invincibiliter ex illis verbis benedictoriis non tantum ſed & imperatoriis: *creſcite & multiplicamini*; Polygamiæ ſjuſtitiam internam demonſtrat. Secundum vero caput continet exemplum primarum nuptiarum, ex quibus per ſe nil concludi poſſet, ſiquidem non exemplis, ſed legibus eſt judicandum, niſi quatenus convenientiam habet cum naturâ conjugii, alibi etiam enucleata, & in hoc exemplo etiam dexterrimè propoſitâ. Non tamen plura exinde ſunt extorquenda, quàm ibi habentur, uti *numerus binarius excluſivus* ab Anti-Polygamo per *τὸ tantùm*, quod in textu non habetur, ſemper inſinuatus, ſiquidem unius duorum, trium & 12. poſitio non ſtatim eſt excluſio adhuc plurium. Quod Chemnitius etiam agnovit in Exam. Concil. Trident. cum ait, erant duo in Paradiſo, neque igitur dicere poterat, tres, quatuor erunt in unâ carne, quia non plures aderant, nec poterat dici adhærebit uxoribus qnia unica tantùm præſtò erat. Quare nil aliud inde conſequitur, quàm conjugium Adami fuiſſe Monogamicum, ſimplex non tamen excluſivum, atque ita exemplare, ut nobis non liceat eſſe Polygamis. Sicuti enim in Paradiſo Deus etiam inſtituit Politicum & Oeconomicum ſtatum, & quidem etiam nonniſi inter duo, nil tamen impedit, quominus hodie poſſint eſſe plures in unâ domo, familia, atque etiam Politia.

Qui

Qui inſtituit aliquod Collegium vel Academiam, primùm duodecim fortean conſtituit Profeſſores, & Collegas, poſteà auget pro lubitu numerum. Non enim præciſe pertinet ad eſſentialia numerus. Aliquis tamen requiritur ut ad Collegium ad minimum duo, relatum & correlatum, Pater & filius, herus & ſervus, in compoſita ſocietate vero poſſunt eſſe plures. Pater, ceu ſuperior, poteſt habere plures filios non contra; herus poteſt habere multos ſervos, ſervus verò non poteſt habere multos Dominos. Ita etiam ſe res habet cum ſocietate tertia, conjugio, ſcilicet, quod ſi eſt ſimplex, admittit nonniſi duas perſonas, relatum & correlatum, maritum & uxorem; quando verò eſt compoſita ſocietas, maritus poteſt contrahere cum pluribus uxoribus, non contra; ad minimum verò requiruntur duo mas & fœmina, qui conſtituunt conjugium, qui conjunctim poſſunt generare. Neque enim mas ſolus ſufficit, neque fœmina ſola ſufficit ad generandum. Mas eſt animal quod in alio gignit; fœmina autem, quod in ſeipſo neque tamen ſine operâ inter ventuque viri ut Ariſt. l. 1. *περὶ ζώων γενέσεως* Fieri enim non poteſt, quod Philoſophus ait, ut fœmina ſine mare aut mas ſine fœmina id generationis impleat opus. Lucianus in Amoribus p. 169. *ἐπεὶ δὲ ἦν ἄπορον ἐξ ἑνὸς τὰ γίνεσθαι, διπλῆν ἐν ἑκάστῳ φύσιν ἐμηχανήσατο, τοῖς μὲν ἄρρεσιν ἰδίας καταβολὰς σπερμάτων χαρισαμένη, τὸ θῆλυ δ' ὥσπερ γονῆς τι δοχεῖον ἀποφήνασα.* Apud Deum tamen omne verbum poſſible, cujus efficaciâ etiam virgo fuit facta mater. Jac. Faber ſuper hunc l. f. 124. *Ex mare ſine fœminâ prima parens Eva prodiit, & una ſola fuit, quæ ſine mare profudit.* (durâ hâc & inſolenti phraſi meritò abſtinendum) *hominum Salvatorem; Verum id naturæ poteſtate non ſuit, ſed divinâ virtute operante, cui naturæ impoſſibilitas poſſibilitas, & cujus poſſibilitas eſt naturæ impoſſibilitas.* Alias inauditum eſt, mulierem abſque viri conſuetudine prolem ediſſe. *Nonn. Dionyſ. l. 48. v. 834.*

οὐκ ἴδον, οὐ πυθόμην, ὅτι παρθένος υἷα λοχεύει.

Et *Plutarch, in præc. Connub. p. 145. παιδίον μὲν γὰρ οὐδεμία ποτὲ γυνὴ λέγεται ποιῆσαι δίχα κοινωνίας ἀνδρός*; idque etiam *Oreſtes* apud Euripidem in Tragœdia ejuſdem nominis ab *agro* petita comparatione ita extulit v. 553.

Τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα·
Ἄνευ δὲ πατρὸς τέκνον οὐκ εἴη ποτ' ἄν.

Quamobrem harum duarum perſonarum, maris & fœminæ ſocietas eſt neceſſaria, *ἐξ ἀνάγκης αὐτῶν ἡ κοινωνία.* inquit Philoſophus. Ut hinc me pudeat deliræ iſtius opinationis, quam neſcio quo autore Platonicis affricat *Bonifacius Simoneta l. 4. Epiſt. 9. f. 67.* ſcribens: *Quod formativa virtus ſeminis fœminæ aliquando ſine maſculo confortetur, & fœmina à ſeipſo imprægnetur & pariat, Platonici dixere. Conſortatio talis per ſtellas in primo & quarto climate; in quibus ſiderum virtus eſt magis efficax, præcipue fit.* Nuper admodum in Galliâ diſſeminata & judicio etiam virorum magnorum approbata opinio fuit, fœminam quandam ex ſola concubitus imaginatione concepiſſe & in lucem ediddiſſe infantem, quo de in Belgio lepidum nonnemo edidit diſcurſum. vid. *Fien. de Vir. Imag.* Virginem concipere poſſe ſine mari credunt Saraceni Mahumetani referente *Ribadenira l. 1. de vit. Lojol. c. 3.* & ſic natos *Neſeſogli* vocari tradit *Viciennus de offic. Patriſf. l. 2. c. 14. p. 114. Averroes 2. Collect.* 10 ait mulierem ſine viro concipere poſſe uti meminit *Lindhout Introd. in Phyſ. p. 9.* Abſque coitu & ſemine maris & fœminæ nec hominem, nec perfectum animal naſci, aut concipi docet *Jo. Wierus 3. de Lamiis 22. p. 334.* An verò *ἀλόγως*, ut opinari videtur *Ariſtoteles l. c.* hujuſmodi maris & fœminæ *συνδυασμὸς* ut in cœteris animalibus, fiat, atque *τεκνοποιίας μόνης χάριν, ἀλόγως ſine rationis* impetu cœco, libidine vaga, ut ſpeciem ſuam perpetuent. Hinc & *feras* dictas volunt, quod ſine ratione *ferantur*; quæ alluſio mera eſt; eſt enim ab Aeolico *Φηρ*; Coëunt itaque bruta animantia nulla ratione duce, & naturæ tantùm impulſu. *ἐφ' ὅσον μετέχουσι τῆς φύσεως, ἐπὶ τοσοῦτον. in quantum naturæ capacia ſunt,*

ſunt, ut vertit Areteobſcure; *latenus*, *quoad ſert natura ipſarum*. Camerarius. Quò natura cujuſque animantis inclinat, eò cupidinis pleno impetu fertur ad gigenendum. Plautus *Menæchmis hoc ait*, *ſuapte culpâ genere capi*. Ad aſſequendum fœtum non feruntur aliter quàm naturæ ductu, quod etiam aſſerit Philoſophus 2. de Anim. c. 4. Impetus iſte & *inſtinctus in beſtiis naturalis dicitur* ὁρμή, quæ data eſt animalibus, qua ſe moveant ad ea, quæ ſibi apta & convenientiâ naturæ inſtinctu noverint. Quæ autem ὁ μὴ *in irrationalibus*, id λόγος ſeu *ratio* ſit in *rationalibus* animantibus, quæ magiſterio rationis non tàm τεκνοποιΐας cauſa, caſte & modice coëunt, ſed etiam cauſa τῆς χρείας τῶν εἰς τὸν βίον, ut loquitur *Ariſtoteles l.* 8. *Eth. Nicom. p.* 12. ſive διὰ τὴν σωτηρίαν. *l.* 1. *Pol. c.* 1. quod ἐν φιλείαις χρείᾳ fuiſſe dixit; ὁμ. λυσιτελεῖν χρησίμως ἔχει. Finis ſummus conjugationis iſtius, quò *natura* ſpectat, & quò *ratio* eſt procreatio ſui ſimilis. Τεκνοποιΐαν & brutis & hominibus tribuunt autores, παιδοποιΐαν verò ſolis hominibus. ποιεῖν eſt *rem ob ſcænam facere*, ut etiam abſolute τὸ *facere* Plauto Pœn. Act. 5 ſc. 1. v. 1. v. 6. uſurpatur. ποιῆσαι γυναῖκα. Tatius l. 2. ἐρωτ. p. 93. ποιήσασθαι ἄκοιτιν. Heſiod. θεογ. v. 921. *uxorem ſibi facere*. Apul. *l.* 5. de aſ. aur. init. ποιῆσαι παῖδας Ariſt. 2. Polit. 9. p. 48. Chryſoſt. hom. 15. in Act. 4. 702. δάμαρ παιδοποιός. Eurip. Androm. v. 5. fœmina liberos faciens i. e. prolifica, ut γυνὴ τεκνοποιός Herodot. *Terpſichore* Ebr. עול *puer. q. d. factus* ab עלל *operatus eſt*, *fecit*. De *brutorum pullis* & catulis τέκνον dici, non uno teſtimonio firmari poteſt. de Veſpis *Hom. Iliad. M. v.* 170. ut & τέκος. Iliad. π. v. 265.

Ἔνθα δ' ἔσαν στρουθοῖο νεοσσοὶ νήπια τέκνα.

Idem *Iliad. B. v.* 311. *Plutarchus in Pericle*. κυνῶν τέκνα καὶ πιθήκων ἐν τοῖς κόλποις περιφέροντας. & de *ſera Num. vind.* ἐρετῶν ἰδεῖν νήπια καὶ λύκων τέκνα καὶ πιθήκων. In fabulis Æſopicis n. 1. τεκνοποιεῖν de *vulpe* dicitur ut *pullos facere* Varroni, cujus verba ſunt l. 6. de Re ruſt. c. 9. *Neque ere in villis ova ac pullos faciunt*, *ſed in ſylvis*. Germani dicunt: Junge machen. Sed nequaquam ſenſu de hominibus.

6. *Mœchatur*, *& qui ſeparatam ducit mœchatur*. In his verbis & locis parallelis apparet, mœchationem conſiſtere non in ductione alterius ſed in ſeparatione: hic enim habentur hæ duæ enuntiationes: *Omnis ſeparans & ducens aliam mœchatur*, quia violat torum & quidem ſuum, atque rumpit vinculum cum priore, à qua ſe ſeparat; cum ductâ alterâ enim non rumpit vinculum, ſed novum contrahit matrimonium, neque violat torum illius, cum illa non habeat torum, neque ſuum cum hac, quia illam ducit, neque ſuum cum illâ quia jamdum ſe ſeparavit, & non amplius habet torum & vinculum cum illa, quia ſe ſeparavit quoad torum & vinculum. Judæi enim nil norunt tum temporis de ſeparatione tantùm quoad torum, quæ diſtinctio noviter eſt inventa, ſed ſemper intellexerunt quoad vinculum illam ſeparationem. Nihil igitur aliud remanet, quàm quod mœchatio, quia in ductione alterius non ſubſiſtit, nec ſubſiſtere poteſt, conſiſtat in ſeparatione cum primâ. Quod & Marcus confirmat quando ibi c. 10. v. 11. dicit Chriſtus: *qui ſe ſeparat ab uxore ſuâ*, *& ducit alteram*, *mœchatur adverſus illam* priorem καὶ αὐτήν, quâ cum non poteſt alio pacto rumpere vinculum ſeu mœchari, quàm per ſeparationem, & propter illam, *& ſi quà ſeparaverit ſe à marito ſuo*, *& nupſerit alteri*, *mœchatur*: ubi itidem binæ habentur propoſitiones; prima eſt: Omnis vir dimittens uxorem ſuam, & ducens alteram mœchatur adverſus illam, κατ' αὐτήν, recommittit mœchationem cum illa, itaque contra illam etiam peccat. Sicut enim mœchus non tantum in ſuum corpus peccat, ſed & in fœminæ corpus, cum quo peccat, ita etiam ſeparans peccat, cum in ſeipſum quando vinculum conjugale rumpit, & ſe adjutorio privat, & propriam domum per illam contumelioſam & probe infamem ſeparationem eo inquinat, & collutulat, ſed etiam in maritam, quam marito fraudat, honore ſpoliat & fere infamem reddit quia non facile alium virum inveniebat ut ait *Maimonides c.* 10. §. 22. Halkut *Mulierem*, *quæ dimiſſa eſt propter impudicitiam*

tiam

tiam, vir honeſtus non ducet, ne dicatur; Iſte eduxit impiam è domo ſuâ & hic introducit eam. Uti & Apoſtolus Paulus in totum ſecundas nuptias ſeparatæ interdictas vult. 1 *Cor.* 7. & quidem in genere, propter quamcunque cauſam illa ſit ſeparata. Non enim debet admittere ſeparationem, ſed omnia manſionis media tentare, atque amore atque cordiali dilectione, quâ etiam crudeliſſimi quin etiam beſtiæ, vincuntur, mariti cor emollire, & ad retentionem ducere. Si verò nihilominus ex præcipitantiâ & affectibus ſubitis abreptus maritus ſe ſeparet, ut illa maneat cœlebs, aut ſi non vult manere cœlebs reconciliationem cum priſtino marito per ſe, & per alios quocunque modo quærat, quia ad huc viventi marito quoad vinculum internum divinum eſt alligata. Vinculum enim internum inter iſta duo correlata, maritum & uxorem, poteſt conſiderari vel ex parte conjugum ſeu correlatorum, & nihil aliud eſſe videtur quam conſenſus, & hoc vinculum etiam rumpitur in ſeparatione per diſſenſum (actu & de facto) ſeu defectum & negationem ulterioris conſenſus. Vinculum vero internum ex parte Dei conſiſtit in illa ſanctione & ordinatione divinâ, quâ de intrinſecâ naturâ conjugii eſſe voluit, ut ſit indiſſolubile, licet de facto & actu ipſo diſſolvant conjuges. Voluntas tamen Dei, ejusque conſilium ſeu ordinatio illa manet immutabilis & vinculum illud de jure indiſſolubile. Sicuti igitur Deus vult ut omnes homines juſtè & piè vivant, etſi de facto homines multi ſint impii & dediti ſceleribus, ejus tamen voluntas aut fœdus cum hominibus, ut ſint pii, quaſi initum, manet immutabile, & irrevocabile; Ita & fœdus conjugale etſi ab hominibus conjugatis quoad vinculum externum & internum ex parte ſui rumpatur; ex parte tamen Dei illa indiſſolubilitas conjugio quaſi concreata, & ingenita manet immutabilis. Et hæc eſt cauſa, cur ſecundæ nuptiæ interdicantur ſeparatæ, & reconciliationis tentatio ipſi injungatur; quia adhuc per ſanctionem divinam illud vinculum ſubſiſtit, quamdiu vir vivit, ita ut illo mediante adhuc alligata legi viri, alteri, niſi mœchationis crimen incurrere velit, nubere non poſſit. Viro verô ſecundæ nuptiæ non inhibentur, quia ille non ita uxori alligatus erat, ut vivente illâ, ſi duceret aliam aut retineret, vel reduceret primam, ac ſimul cum poſteriore ſuſtentaret, adulter diceretur. Falſiſſimum enim eſt, Polygamiam virilem eſſe adulterium, uti Antagoniſta dicit, qui etiam eò progreditur ut aſſerat omnem Polygamiam eſſe adulterium; quod nullus Anti-Polygamus, quantum memini, hactenus ſtatuit, ſed ſemper exceperunt Patriarchas illisque privilegium neſcio quod, ſpeciale aſſignarunt. In quo tamen probando non aliter ſe res habet, ac cum Donatione Conſtantini, aut dominio maris Adriatici, quæ etiam ſub nullam probationem cadunt. Cœterum Polygamiam eſſe adulterium in ſcripturâ non habetur, uti expreſſe Balthar. Meinſ. in Philoſophia Sobriâ aſſerit, Polygamiam in ſe atque in ſuâ natura intrinſecè non eſſe peccatum. Neque etiam ex hoc textu *Matth.* 5. & 19. (& duxerit aliam) poteſt extorqueri, quandoquidem ex omnibus parallelis locis *Marc.* 10. *Luc.* 6. ſole, cum in meridiè maximè ſplendet, clarius apparet, in ſeparatione conſiſtere mœchationem, uti & Dn. D. Danhauerus Hermen. Sacr. ſuprà adductâ p. 241. ita Chriſti mentem Matth. 5. 32. 19. 9. eſſe exponendam ait: *Repudiator uxoris non fornicariæ mœchatur*: & *Repudiator uxoris fornicariæ non mœchatur*. Ex quâ expoſitione acutiſſimâ & accuratiſſimâ ſatis perſpicere eſt, quod Theologus ille judicioſiſſimus & conſummatiſſimus, cujus ſententiâ pluris æſtimo, quàm omnes Anti-Polygamos, mœchationem in repudiatione collocet, atque repudiantem mœchationis convincat; Quemadmodum & maximum Eccleſiæ primitivæ lumen, Epiſcopus Hipponenſis ſcil. *Aurel. Auguſtinus*, utl ſupra ad th. 82. n. 3. adductus fuit, deſertorem mœchari aſſerit, qui ſane parum differt à repudiatore, niſi quod ille clàm, inopinato & uxore inſcia rem peragat, hic vero palam conſcia uxore, amicis etiam, conſanguineis, ſcribis libellum repudii exarantibus, & hodie etiam Magiſtratu conſentiente & approbante repudium inſtituat. In hoc tamen deſertio malitioſa & divortium conveniunt, quod in utroque diviſio fiat conjugii aliàs indiſſolubi-

Rrr lis.

lis. Sed quid opus eſt teſtimoniis humanis? cum adſint teſtimonia divina ipſius Archi-Epiſcopi, & Archi-Theologi Chriſti Servatoris noſtri, qui, ut alia taceam, *Matth.* 5.32. ſatis clare nos edocet, mœchationem conſiſtere in ſeparatione, cum inquit: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam extra cauſam fornicationis, facit eam mœchari*, ubi enuntiatio eſt patens & latens, ut ſupra ad th. 82. n. 3. annotatum. Patens cnnſiſtit in illis verbis, quæ jam adduximus & ita ſe habet: *Repudiator uxoris non fornicariæ facit eammœchari*, & altera latens: *Uxor mœchatur, quando maritus ſe ſeparat.* Si itaque uxor, (quæ fere mere paſſive ſe habebat in repudio, ſolis mariтis apud Hebræos proprio, & in hoc tantum activè concurrere videbatur, quod matrimoniali affectu & amore ſinceriſſimo cor mariti inflectere, non omnes ingenii & linguæ nervos adhibeat) mœchari dicitnr in ſeparatione, à marito inſtitutâ eò quod admittat, & non omnibus modis violationem tori impediat & ruptionem vinculi, quantum in ſe eſt, inhibeat; multo magis *repudiator mœchationis* reus erit, qui cauſa efficiens eaque juxta Judæos, unica ſeparationis exiſtit. Quid igitur nunc aliud, cum utrique & ſeparata & ſeparans dicantur à Chriſto, qui veritas ipſa eſt, mœchari in ipſa ſeparatione, reliquum, quam ut dicatur, atque cum Chriſto & cordatis Theologis aſſeratur, *ſeparationem* ſeu divortium *eſſe mœchationis ſpeciem, & competere cùm ſeparanti, tum ſeparatæ hanc mœchiam.* Quo ipſo ſimul concidunt omnia quæ Antagoniſtæ hâc in re afferunt, quod mœchatio non in ſeparatione ſed in ductione alterius, aut, ut verſute dicam an ignoranter Anti-Polygami loquuntur, ſuperinductione ſecundæ uxoris, priori non adeo gratæ, ſit ponenda. Certe *ſuperinductionis* vox præſupponit uxorem non ſeparatam ſed manentem, cui nova ſuperinducitur, ut ex ultimo Labanis colloquio cum Jacobo patet, & non habetur in textu Græco, ubi τὸ γαμεῖν invenitur, quod ſignificat in genere matrimonium inire, ducere uxorem, ſi de marito uſurpatur, & nubere viro, cum de uxore adhibetur, ut ex verſione Bezæ videre eſt; Peſſimè ergo Antagoniſtæ (an ex malitia, an ignorantia fiat, Deo ſoli notum eſt, illa ſane in tam ſanctos homines non cadit, nec hæc in Cenſores aliorum, & Polyhiſtores uti videre volunt) τὸ γαμεῖν per ſuperinducere exponunt, quod tamen in eodem verſu, cum altera vice de uxore uſurpatur, non faciunt, nec per ſuperinducere vertere audent. Siquidem bene animadvertunt abſurdum eſſe, ſi uxor dicatur priori marito alium ſuperinducere (quod actum publicum & manifeſtum præ ſe fert) ſiquidem Polygamia muliebris nunquam fuit in uſu. Eodem pacto etiam malè hic adhibetur in verſionibus horum locorum vox *adulterii*, quod vi vocis & primo conceptu acceſſionem ad alterius uterum, alteri marito proprium & incommunicabilem, inſinuat, unde & per violationem tori alieni deſcribitur, quæ verius eſt deſcriptio nominalis, quàm realis; ſiquidem Græcum mœchia, cui latinum vocabulum adulterii reſpondet, ſignificat violationem tori, ſive proprii, ſive alieni. Atque ex hactenus dictis etiam ſimul diflatur atque in primam materiam ſeu nihilum reſolvitur *abſurdiſſima ſententia* Antagoniſtæ nudius tertiusdemum ab illo de novo præter omnium vetuſtiorum interpretum mentem ex hoc loco extrui cœpta, quod omnis Polygamia ſit adulterium. Quid enim aliud facit quàm ut devotiſſimos Patriarchas, pientiſſimos Judices & Glorioſiſſimos Hebræorum Reges adulterii accuſet? Quod abſonum & abſurdum primitivæ & modernæ Eccleſiæ, omnibusque & Theologis orthodoxis ſemper viſum eſt, ut ſuprà dictum.

7. *Qui ſeparatam ducit mœchatur.* Hæc propoſitio quæ *Matth.* 5.32. 19.9. & *Luc.* 16.18. invenitur, in Marco 10. non repetitur, ſed alia, non tamen diverſa, ſed eodem recidens eaque hæc: *& ſi mulier dimiſerit virum, & ducta fuerit ab alio, mœchatur.* Eundem quippe ſcopum habere videntur hæ duæ diverſæ propoſitiones, quoad verba diſtinctæ, ſed quoad rem ſatis conformes. Siquidem Chriſtus utroque loco vult ſecundas nuptias, uti Paulus, ſeparatæ interdicere, atque cùm uxorem, tum ſeparatam ducentem adulterii reos agere. Atque hic quidem ſeparatam ducens verus eſt adulter, dum alterius mariti torum, ejus uxorem, quæ adhuc primo, quamdiu vivit,

vit, vi ſanctionis divinæ copulata eſt, ducendo. Uxor verò duplici modo adultera eſt, partī, quia ſeparationē ſeu ruptionē admiſit cū primo marito, partim quia etiā ductionē alterius admiſit, unde ſine addito, ἐπ᾽ αὐτὸν dicitur mœchari, ut duplex reatus ratione utriuſque mariti indigitetur. Separans verò & ducens alteram dicitur mœchari ἐπ᾽ αὐτὴν cum una tantum, ſeparata ſcilicet propter ſeparationem, non cū ducta propter ductionem, & novum matrimonium. Præterea nota ndum, conditionaliter hanc propoſitionem proferri, ſi mulier dimiſerit, & ducta fuerit ab alio; quæ conditio in parallelis locis non habetur, ubi enuntiationes ſimpliciter efferuntur. An verò Chriſtus novam, raram tamen adhuc divertendi licentiam, mulieribus, uti nuper de Salome ex Joſepho audivimus, permiſſam intelligat, neque aſſeverare neque negare audeo. Dolendum ſane hodie legibus Cæſareis ex primorum Imperatorum cùm Romanorum tùm Græcorum, priſtinam & præſcriptam fere divertendi libertatem mulieribus non invidentium ſtatutis concinnatis idem jus, ſi non majus fœminis conceſſum, & hactenus cum maximo Reip. & Oeconomiæ, nec non etiam Eccleſiæ damno uſurpatum. Quod olim prorſus non uſitatum aut non adeò frequens, ut particula conditionalis ſi denotare videtur; quæ etiam ſimul raritatem novi matrimonii à muliere ſeparatâ inveniundi innuit; uti ſuprà adduximus ex Maimonidis Halkuth Giruſchim, quod *honeſtus vir non facile duxerit ſeparatam ne ejus* fama in divortium abeat, & dicatur: *Iſte eduxit impiam è domo ſua*; *&* (alter) hic introducit: Unde & in paſſivo effertur, (*& ducta fuerit ab altero*) quia merè paſſive ſe ſe repudiata habebat, & expectare uſque dum venerit alius, neceſſe habebat, quippe ſatis humiliata per repudium, à primo inſtitutum marito, in cujus etiam poteſtate erat, dare nubendi vel non nubendi facultatem & ſibi reſervandi jus recuperandi, ſi forſitan pœnitentiâ ducta ad frugem redeat, & meliora promittat. Unde & Apoſtolus Paulus reconciliationem cum priſtino marito injungit, & ſecundas nuptias in totum, vivente repudiatore, ſeparatæ prohibet, non vero ſeparanti, uti hodie communiter fit. Hoc vero oritur ex æquali illo, illoque adæquato jure mariti in corpus uxoris, & uxoris in corpus mariti, ita ut quod marito licitum ſit, æque & uxori liceat, & quod huic prohibitum, etiam illicò marito ſit prohibitum. Unde in *Concilio Eliberitano* habito A. 322. decretum, mulieri, quæ virum adulterum dimittit, alteri nubere fas non eſſe. *Can.* 4. *refertur in C.* 8. *cauſ.* 32. *q.* 7. Qui canon etſi in hoc conveniat cum ſcriptura, quod ſeparatæ novum matrimonium vetetur, in hoc tamen peccare videtur, quod dimittat virum adulterum, æquali jure, quo maritus habebat jus repudiandi adulteram. Ita & Decr. 2. cauſ. 32. q. 7. quamdiu vir vivit, licet ſit adulter, Sodomita & omnibus flagitiis coopertus, & ab uxore ob hæc ſcelera derelictus, maritus tamen reputandus eſt ejus, cui alterum virum accipere non licet. In Concilio Milevitano placuit Patribus, ut ſecundum Euangelium & Apoſtolicam doctrinam neque dimiſſus ab uxore (*ubi hoc extat in Euangelio & Apoſtolis*) neque dimiſſa à marito (*hoc habetur* 1 *Cor.* 7.) alteri conjungantur, ſed, ut ita maneant, i. e. cœlibes vivant, aut ſibimet reconcilientur, hujus placiti contemtoribus pœnitentia indicta *can.* 17. *refertur cauſ.* 32. *q.* 7. In alterum vero extremum prolapſi ſunt Imperatores cum inſolenter divertentibus, vel non jure dimiſſis tum maribus, tum etiam fœminis conceſſerint alteras nuptias, cum tamen Paulus fœminis interdicat, repudiatis ſcilicet, deſertis tamen concedit, cum nulli proxenetæ intermedii, quandoquidem eſt incognitum, ubi vir degat, etiam an vivat, reconciliationem procurare queant. Illa enim juxta Paulum non amplius eſt ſubjecta ſervituti prioris mariti, divortio tamen ex autoritate judicis facto ſolvere illa vetus matrimonium tenetur, antequam novum ineat. Quod ſi neglexerit, judicis cenſuram non effugiet, quæ ſuo arbitratu, rupto quaſi ob deſertionem malitioſam mariti matrimonio, alteras ſectata fuerit nuptias, excuſanda tamen ab ordinariâ Polygamiæ pœna, & mitius puniendа eſt, quæ, longiori tempore honeſte transacto, ſine ullius ſtupri probatione, tandem falſis rumoribus inducta quaſi ſolu-

ta priore vinculo, non clanculò ſed publicè, conteſtatione depoſita, legitimis nuptiis ſecundis juncta fuit. *l.* 11. §. 12. *ff ad L. Jul. de adult.* Fœminæ enim, citra ſuam culpam remedio contra naturæ ſtimulos privatæ, aliquo modo ignoſcendum eſt, quod alterius culpa commota deliquit. *arg. l.* 38. §. 8. *de ff ad L Jul. de adult.* Mulieri tamen ut omnem notam effugiat, conſultius eſt, re & cauſa expoſitâ ex Magiſtratûs autoritate nubere.

8. *Omnem violationem tori per deſertionem &c.* πορνείαν denotare *omnis generis peccata*, & quoad ſextum præceptum *omnis generis turpitudines* in generaliori ſuo ſignificatu ex N. & V. teſtamento, autoribuſque aliis in hac ipſa *theſi. not.* 4. prolixe deductum eſt; adeoque etiam includere ſeparationem & deſertionem, ceu contraria facta pacto matrimoniali, uti & μοιχείαν *Danhauerus* repudio, & *Auguſtinus* ſupra laudatus deſertioni aſcribit. uti & duo Anti-Polygami, *Victor* ſcilicet *Cretenſis p* 208. & *Perverſus Dialogiſta p.* 22. expreſſe dicunt, à Chriſto hic doceri, quod ſimplici divortio aliquis reus fiat mœchationis. Quod teſtimonium duorum Antagoniſtarum ipſi Protantipolygamo opponendum. Quando vero Theophilus dicit, ſeparantem propriè & immediatè non mœchari, ſed eſſe cauſam moralem exercendæ fortean à muliere mœchationis, mœchationem in ſtrictiſſimo accepit ſignificatu, pro acceſſu ad alterius torum, & exiſtimat non eſſe abſonum & analogiæ fidei contrarium, ſi in h. l. tantùm μοιχᾶσθαι exponatur pro facere mœchari, ſiquidem convenienter ſane duæ explicationes alicujus dicti poſſunt admitti, ſi neutra fidei analogiæ refragetur. Quanquam eò ut deveniamus non ſit opus, cum uti dictum, ipſa ſeparatio mœchationis ſit aliqua ſpecies & violet ſi non torum alienum, proprium tamen, quod ad mœchationem ſufficit.

9. *Et ducit aliam, eſſe ſuperflua.* Analogiæ fidei non contrariatur, ſi hic particula *&*, uti Hebraicum vau cauſaliter exponatur. Ita accipitur Ex. 7. 26. dimitte populum meum *&* ſervit mihi. i. e. *ut ſerviat mihi* LXX. ἵνα μοι λατρεύσωσι. Hic & c. 5. v. 1. & 1 Sam. 20. 16. & pepigit Jonathan fœdus cum familiâ Davidis, & requirat Jehova de manu inimicorum i. e. *ut requireret* Jehova &c. ſi qui hoc fœdus ipitum frangerent, ut ex amicis fiant inimici. Jon. l. 11. quid faciemus tibi & conticeſcit mare, dixerunt ad eum, i. e. ut conticeſcat mare. vid. Gloſſ. Gram. Sacr. p. 876. Ita & loco præſenti poteſt ſalva fidei analogia exponi hoc pacto: qui ſe ſeparaverit ab uxore ſuâ *ut ducat aliam*, mœchatur. Cum enim Chriſto fuerit negotium tùm temporis cum Judæis, apud quos ut *Buxt. in de ſponſ.* obſervavit, ſæpe nullam ob cauſam, quàm ut pulchriorem commode poſſent ducere, & ſine rixis & bello domeſtico inter formoſam & deformem ob prærogativam & inæqualitatem amoris maritalis, vivere, expellebant uxores ſuas: Cœterum Prot-Antipolygamus hinc per conſequentiam argumentum contrà Polygamiam directum extrudere conatur hoc pacto: Si ille qui dimiſſa uxore ducit alteram, mœchatur, multo magis ille, qui retinet & ducit aliam, mœchatur; At enim diverſa plane eſt ratio, uti ad nauſeam probavimus dimiſſionem uxoris eſſe mœchationem, quia contra naturam conjugii; retinere verò uxorem & ducere plures non eſſe contra matrimonii naturam, nec eſſe peccata multò minus adulteria; adeò ut à prohibitione peccati, quale eſt repudium uxoris non fornicariæ, ad prohibitionem non peccati, uti Polygamiam eſſe novimus nulla ſit argumentatio. Verum uti hoc argumentum ex *l.* 4. *Decretal. cap. Gaudemus.* eſt deſumtum, ita eandem autoritatem habet, quantum apud Orthodoxos ipſum Jus Canonicum, cui ne quidem Decretales inſeri volunt ipſi Pontificii. vid. *Joh. Himmet. de Jur. Canon. Oſiand. Papa non Papa: Eraſm. de matr. & Anteceſſor in Acad. Witeb. acutiſſimus Caſpar. Ziegl. in diſſert. de Orig. & progreſſ. Juris Can.* præfixâ Corpori Canonico ab ipſo edito. Hoc quippe jus cum multa impia, ſcandaloſa & Remp. turbantia contineat, aliquando publice combuſtum, cujus facti rationes reddit *Martinus Luth. t.* 2. *Lat. Witeb. p.* 120. & *Ulricus ab Hutten* Eques Francus in *not. ad Bullam Leonis X.* combuſtam. Maximè verò notatu digna ſunt verba *Cornelii Agrippæ l. de*

van. ſcient. c. 92. quibus Juris Canonici myſteria explicat. Ita autem infit: *A Jure Civili dimanavit Jus Canonicum, ſive Pontificium, quod pleriſque ſacro ſanctiſſimum videri poſſet, tam ingenioſæ avaritiæ præcepta ac rapiendi formulas ſpecie pietatis adumbrat, cum tamen pauciſſima in eo ſtatuantur, ad pietatem, religionem, ac Dei cultum, ſacramentorumque ritus ſpectantia. taceo, quod nonnulla verbo Dei contraria ac repugnantia. Cætera omnia non niſi jurgia, lites, faſtus, pompæ, tum quæſtus ac lucri negotia, Pontificumque Romanorum placita, quibus neque ſatis ſunt, qui olim à ſanctis Patribus ſunt conditi canones, niſi his continuò accumulent nova decreta, paleas, extravagantes, declaratorias, cancellariæ regulas, ut nullus ſit condendorum Canonum finis, neque menſura, quæ una omnium Romanorum Pontificum ambitio ac libido eſt, condendorum ſcil. novorum canonum; quorum eo uſque excrevit arrogantia, ut angelis cælorum præciperent, ut ex inferno ſublatâ prædâ rapinam facere præſumerent, & in mortuorum manes manum mitterent; etiam in divinam legem interpretando, declarando, diſputando nonnunquam tyrannidem exercerent, ne quid plenitudini poteſtatis ſuæ poſſit deeſſe, aut derogari. Ex horum prætereà canonibus & decretis didicimus,* Chriſti patrimonium *eſſe regna, caſtra, donationes, fundationes, alladia, opes ac poſſeſſiones ac ſacerdotium Chriſti, Eccleſiæque primatum eſſe imperium, regnum: & gladium Chriſti eſſe Juriſdictionem ac poteſtatem temporalem; & Petram Eccleſiæ fundamentum eſſe perſonam Pontificis. Epiſcopos eſſe Eccleſiæ non miniſtros modò, ſed capita: & bona Eccleſiæ eſſe non modo doctrinam Euangelicam, ardorem fidei, contemtum mundi, ſed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, poteſtatem: Summi Pontificis eſſe gerere bella, diſſolvere fœdera, ſolvere juramenta, abſolvere ab obedientiâ, & domum orationis facere ſpeluncam latronum, ita quod* Papa *poteſt deponere Epiſcopum ſine cauſa, quod poteſt dare rem alienam, quod non poteſt committere Simoniam, quod poteſt diſpenſare contra votum, contra juramenta, contra jus naturale, & nemo debet illi dicere:* cur ita facis? *Epiſcoporum verò officium eſſe non prædicare verbum Dei, ſed datis alapis confirmare pueros, conferre ordines, dedicare templa, baptizare campanas, conſecrare aras & calices. Ex iiſdem fontibus prodierunt cautelæ iſtæ, quibus hodiè citra* Simoniam *Epiſcopatus & beneficia emuntur, vendunturque & quicquid præterea eſt nundinationum & monopoliorum in gratiis, in condonationibus, in indulgentiis, in diſpenſationibus, & ſimilibus rapinarum formulis, à quibus etiam in gratuitis ab ipſo Deo factis peccatorum remiſſionibus pretium ſtatutum eſt, & inferorum pœnis inventum eſt lucrum. &c.* Hæc Agrippa ſtylo quidem Satyrico, ſed verè & ingenue. Antequam vero hinc abeam, & locum de divortiis *Matth.* & 19. aliiſque parallelis à Chriſto expoſitum relinquam, non poſſum non ſimul etiam claudere his verbis, quibus Chriſtus præſentem ſermonem finiit, cum dixit: ȣ̓ πάντες χωρȣ̃σιν τὸν λόγον τȣ̃τον. in quem l. *Danh. Call. Decal. p.* 375. ait, τὸ χωρεῖν non notat 1. *capacitatem intellectus theoricam*, nec 2. *capacitatem practicam* q. d. non omnes approbant, nec 3. *in ſenſu inchoativo* ſeu voluntatis captationem. i. e. non omnes captant, quærunt & deſiderant; ſed 4. *capacitatem* i. e. *capiendi poteſtatem.* ſicut vas anguſtum non poteſt rem ſe majorem capere; & ita omnes fere Patres & interpretes explicare fatetur ipſe *Maldonatus*, in h. l. ipſe tamen prævaricator antiquitatis. τὸ λόγον autem notat rem ipſam τῷ ȣ̓ γαμῆσαι τῇ αἰτίᾳ oppoſitam; quam vocem e foro Romano petitam Caſaub. opinatur, ubi cau a idem ac conditio: ut publicanorum cauſa melior. *l.* 1. §. 4. *ff de publ.* ſic ex eodem foro manavit aliud loquendi genus, Græcis diſertioribus ignotum, γαμβάνειν τὸ ἱκανὸν *Act.* 17. 9. conſ. ipſe *Danh.* Ita etiam ad Anti-Polygamos poſſet dici: *Non omnes capiunt hunc ſer monem.* Plerique enim præſertim ruſticantes & pagani Bœotico ingenio ſunt præditi, & cerebrum humoribus craſſiſſimis impeditum gerunt, ut non poſſint intelligere quæ ſunt ſpiritus Dei. Alii præconceptis opinionibus per longos annos ſunt imbuti, ut ad veritatem amplexandam fere plane ſint inepti. Sicut

iſterici omnia, quæ aſpiciunt, putant eſſe flava & verum illud Poëtæ:

Quo ſimul eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

Nonnulli in conſcientia convicti licet, nolunt tamen confiteri ex puſillanimitate veritatem ne odium, quod animo, ex ſuo ingenio alios æſtimantes, concipiunt, & non emanſurum prævidere ſe putant, incurrant. Cœteri ex malitia rem deditâ opera obſcurant, & evertere laborant veritatem etiam agnitam, ne inconſtantes, aut ab aliis aliquid diſcere videantur, dicentes cum illis ſubſannatoribus Davidis in corde ſuo: *Quid? ille nobis monſtrabit, quæ ſunt ſalutaria.* Quibus omnibus verba Chriſti, non conſilii, aut conceſſiva & conſultatoria; ſed præceptiva & imperatoria, ut *Danh. Hodam. Pap. t.* 1 *p.* 6. p. 1055. loquitur, oppono: *qui poteſt capere capiat*, i.e. debet capere, & eò omnem ingenii aciem convertere, omniaque adhibere media, ut capiat uti dicitur præceptive, *qui habet aures ad audiendum, audiat.* ſed merito mihi hic in memoriam Servatoris noſtri Paradoxum revoco: *publicani & ſcortatores facilius intrabunt in regnum cœlorum.*

THESIS LXXXIV.

NEc ipſi Apoſtoli ita intellexerunt verba ſui Salvatoris & uſpiam Polygamiam inter Judæos & gentes tum uſitatiſſimam recenſuerunt inter peccata excludentia à regno cœlorum, quod tamen neceſſarium fuiſſet, ſi à Chriſto prohibita. Arceſſunt quidem communiter ceu cauſæ ſuæ Patronum hoſtes Polygamias Apoſtolum Paulum qui 1 Cor. 7. dicit: *Vir non habet poteſtatem ſui corporis ſed mulier, & mulier non habet ſui corporis poteſtatem ſed vir.* Sed omnia in vanum. Sicuti enim in illis verbis Chriſti: *ſicut miſit me Pater ita ego mitto vos:* non illico omnibus modis æqualis miſſio filii & diſcipulorum concipienda eſt (datur enim, ut in confeſſo eſt, aliqua & maxima quidem differentia) ita etiam in illis verbis non æqualis poteſtas mulieris & mariti in corpora mutua eſt intelligenda. Maritum enim majorem habere poteſtatem (ut taceam gentes & jura civilia) ipſa ſcriptura infinitis locis inſinuat. Maritus eſt Dominus mulieris, poterat inquirere in virginitatem ſponſæ, Zelotypiam per aquam amaram probativam exercere, repudiare etiam, quæ ipſa mulier non poterat. Ipſe Paulus dicit: mulier eſt alligata *viro quamdiu* vir vivit, ita ut non poſſit alteri nubere *& ſi alteri, vivente adhuc priore marito, nubat adultera vocatur. Si vero maritus eſt mortuus, libera eſt à lege viri, ita ut illa non ſit adultera, ſi alteri nubat*, Rom. 7. 2, 3. & in loco Parallelo, 1 Corint. 7. 39. *Mulier quæ ſub viro eſt*, Rom. 7. 2. *alligata eſt legi mariti ſui, quamdiu vir eſt in vivis*, ſed ſi eſt mortuus libera eſt, & poteſt nubere, cuicunque velit. Ex quibus duobus locis clariſſimis evidentiſſime patet, maximum eſſe peccatum ſi fœmina habet duos maritos, quandoquidem ita eſt obli-

obligata primo marito, ut ab illius nutu in ſolidum pendeat, & ab illo leges accipere teneatur. Mulier verò nullas leges præſcribere poteſt marito, nec ille tenetur ſe ita mancipare ſuæ uxori, ut non poſſit alteri etiam ſuum corpus communicare. Quod etiam clariſſimè apparet ex eodem cap. 7. Cor. v. 10, 11. ubi Paulus inquit: *Maritatis præcipio non ego ſed dominus, ne mulier ſe ſeparet à ſuo marito, & ſi ſe ſeparat* (de facto, non de jure) ut ita maneat, nec iterum nubat, aut cum marito iterum reconcilietur. Et ne *vir uxorem ſuam deſerat.* Ubi divus Apoſtolus duo præcepta divina commendat fœminis, 1. ne repudient ſuos maritos. 2. ſi vel maxime affectibus inordinatis abreptæ quamvis injuſtiſſimè ſe ſeparent, ut maneant cœlibes, aut in gratiam redeant cum priſtino marito, cum quo adhuc coram Deo ſunt una caro. Vinculum enim internum matrimonii, quod cum viro primo contraxit, manet adhuc integrum, etſi ſceleſtiſſimè per deſertionem vel divortium externe & quantum in ſe, etiam internè, ſe ſeparaverit. Unicum verò injungit marito, ne ſcilicet ſe ſeparet, non vero alterum, ne ducat aliam uxorem. Polygamia enim muliebris ſeu multiviratus eſt contra legem Dei, 6. & 10. præceptum. Nuſpiam vero dicit Paulus, quod vir ſit alligatus mulieri, quamdiu mulier vivit, ut non poſſit aliam ducere. Polygynæcia enim non eſt prohibita. Adeoque maritus habet majorem poteſtatem in corpus mulieris ſibi ſoli proprium, nec alteri communicabile. Mulier quidem habet etiam aliquam poteſtatem prorata parte in corpus mariti quoad debitum conjugale, ſeu ἐυνοῖαν γαμικὴν, cum non eſt prægnans & vir non eſt debilis & morbidus. Ita tamen ut omnia mariti arbitrio relinquat, qui uti in ſe, ita & in uxore poteſt, & debet refrenare concupiſcentias inordinatas, aut ad interitum mariti ſpectantes. Maritus poteſt ſuum corpus præter voluntatem uxoris, non tantum cum eſt prægnans ſterilis, vetula, communicare alteri, ancillæ, ſed & quandocunque vult, ut videmus in Abrahamo, Jacobo, Davide, aliisque. Cum non vult aut poteſt mulier, veniat ancilla, ita tamen ut ad finem vitæ, ceu uxor ſecundaria retineatur, ne incurratur in pœnam ſcortationis à Deo prohibitæ. Et præterea non video, quid obſtet quominus altera uxor ob parem contractum maritalem, etiam paria jura & ſine confuſione æque communia habere poſſit, (ſicuti filii multi æqualia jura reſpectu parentum habent) illud tamen jus ſeu poteſtas mulieris in virum multas patitur limitationes, & extra ſeu citra *congruum concubitum conjugalem* non habet locum, nec ultra, quam res conjugii, quæ ex fine æſtimandæ ſunt, extendi debent, alias maritum oporteret eſſe ſimul Dominum & ſervum quod abſurdum. Et idem jus, quod mulier habet in poſtulando debito conjugali, habet maritus ob parem imo majorem in ipſius corpus poteſtatem in recuſando.

1. *Nec*

1. *Nec Apoſtoli inter peccata excludentia.* Theophili mens non eſt, ex ſolo defectu Apoſtolicorum tantùm ſcriptorum Polygamiam improbantium argumentum nectere, ſed quia hactenus docuit nullum librum biblicum Polygamiæ eſſe contrarium, jam ad Apoſtolorum etiam Epiſtolas tranſit, & ad objectiones, quæ illinc proferre ſolent Antagoniſtæ, reſpondet, & πὺξ καὶ λάξ negat uti hactenus ſatis demonſtratum, Polygamiam ſub adulterio, peccato ſcil. excludente à regno cœlorum, contineri. Et præterea non video cur non etiam in moralibus, uti in articulis fidei, valeat argumentatio negativa, ita ut quod in ſcripturâ prohibitum non eſt neque κατ' ῥητὸν neque κατὰ διάνοιαν, id nomine peccati venire non poſſit. Inſuper etiam notum eſt, quod quidam *articuli fidei* ſint vel *fundamentales*, vel *non fundamentales*. Loquimur autem de fide non *qua creditur*, ſeu ſalvificâ, ſed de fide *quæ creditur*, ſeu objectivâ; & in hâc ſpectandum vel ipſum *fundamentum fidei*, abſolute neceſſarium, idque eſt Chriſtus, quà cognitus, qua fere & plene cognitus, ſecundum omnia fundamentalia de fide (vocantur alias articuli fidem conſtituentes, aut ingredientes definitionem fidei ſalvificæ, iique ſunt neceſſarii, vel neceſſitate præcepti, vel neceſſitate medii, vel neceſſitate connexi.) vel ipſum *fundamentale*, i. e. articulus fidei, qui vel *ad fidem* neceſſario ducit, vel *ex eâ* fluit; illi dicuntur fundamentales *ad fidem*, ſeu antecedentes fidem, *hi ex fide*, ſeu conſequentes; Et hi poſſunt quidem ſalva ſalute vel ignorari vel negari, ante factam vel revelationem, (ut partus virgineus) vel revelationis planam & ſufficientem explicationem, ut hinc errores fundamentales in Patribus *nævi* dicantur non hæreſes, ſed poſt factam revelationem & evolutionem nec ignorari nec negari poſſunt. Articuli *non fundamentales* ſunt illæ, quæ ſunt *circa fidem*, alias quæſtiones annatæ, Theologicæ, & Scholaſticæ dictæ, & ſunt 1. *doctrinæ* quædam, quas ſine jactura ſalutis ignorare & negare, vel ſaltem ignorare licet, ut angelorum confirmatio, mundi creatio autumnalis, quæ licet veræ ſint, tamen in ſcripturis non extant expreſſe definitæ; 2. *Sententiæ* ſeu variæ expoſitiones orthodoxorum; analogiæ non contrariantes. 3. *Ritus adjaphori.* 4. *Doctrinæ inutiles*, ſingulares opiniones, ſpinoſæ quæſtiones. 5. *Veritates illæ divinæ*, quæ quidem in ſcripturis definitæ, ſed tamen ad fidei ſalvificæ conſtitutionem cum in eſſe, tum in bene eſſe non ſunt neceſſariæ, nec neceſſitate efficientis nec materiæ, nec formæ. nec finis. vid. *Hulſem. diſſert. pec. de artic. fid. & in Formul. Conc. p.* 841. *Danh. Dram. Sacr. p.* 45. *Antichriſtoſ.* 142. 152. 437. 894. 449 *& Hodom. Pap. t.* 1. *p.* 62. *Abr. Calov.* Syſt. t. 1. p. 914. conf. & *Becan. Theol. Schol.* t. 2. tr. 1. c. 2. q. 5. p. 26. *Thom.* 2. 2. q. 3. a. 4. 5. *Bonav.* l. 3. diſt. 24. a. 2. q. 1. *Valent.* t. 3. d. 1. q. 1. §. 2. 3. Poteſt autem fieri, ut fidei manifeſtatio, ſeu articulorum fidei explicatio creſcat, & hodie ex occaſione antagoniſtarum vice cotis acuentium, articuli fidei reddantur clariores, qui olim ante mota certamina fuêrunt obſcuriores & ſi non ab omnibus, certe ab hoc vel illo Patre agniti & aſſerti, vid. *Danh. Dram.* 268. *Dorſch. Pentad. d.* 1. §. 37. Jam cuilibet arbitrandum relinquo, quorſum doctrina legis, peccatorum, miſeriæ humanæ peccaminoſæ pertineat, ad fundamentales vel non fundamentales articulos? Quanquam enim ad fundamentales, Principales, ipſam fidei eſſentiam conſtituentes ſpectare dici non poſſint, à veritate tamen fortean non aberrabit, qui ad articulos fidei ſecundarios, eosque fidem ſalvificam antecedens & præſuppoſita fundamenti dogmatici referat; quorum nonnulli ita ſunt comparati, ut ſimul fide divinâ ex ſcriptura credantur, atque inſuper fide humanâ ex naturâ ſciantur, & evidenter agnoſcantur; unde fundamentales non puri, ſed mixti generis eſſe dicuntur; adeoque ſunt partim ἐπιςητὰ, partim πιςὰ vid. *Carpz. Specim. Theol. Chemn. p.* 43. *Meiſn. d.* 1. *de fide Theol. th.* 96. ubi docet, quòd unus idemque articulus poſſit ſciri, videri, credi diverſo reſpectu temporum, actuum, ſubjectorum & objectorum. vid. & *Thom. Bonav. Valent. ll. cc.*

2. *Vir non habet poteſtatem ſui corporis.* Paulus ad pedes *Gamalielis* (qui fuit Hillelis

cx

ex filio Simeone nepos, ejusque in ſcholâ ſucceſſor, & avitarum Hilleanarum traditionum, per filiam vocis, cœlitus delapſa voce, pro veris juxta Thalmudicos declaratarum cuſtos, & Patronus acerrimus, νομοδιδάσκαλος τίμιος παντὶ τῷ λαῷ. Act. 5. 34. vid. *Selden. Ux.* 3. *c,* 20. *p.* 449.) πεπαιδευμένος κατ' ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου informatus juxta veritatem ſeu exactam rationem legis Patriæ, Polygamiæ à patribus Hillelianæ Scholæ approbatæ, & legibus ut Joſ. docet, etiam Judæorum patriis confirmatæ nihil ſuis Epiſtolis, uti quidem Anti-Polygami volunt, præjudicat. Neque enim hic Apoſtolus æqualem dicit eſſe poteſtatem mariti in corpus uxoris, & uxoris in corpus mariti, ſiquidem hoc ipſo capite aſſerit, quod maritus habeat tantam poteſtatem in corpus uxoris, ut ipſi leges præſcribere poſſit, & ipſa vivente illo non poſſit, nec debeat alteri nubere, quin etiam quod repudiata non poſſit ſuum corpus alteri communicare, ſed maritus adhuc poſſideat illam priſtinam in corpus uxoris poteſtatem, ut illam ſi velit, recuperare poſſit, quandocunque placuerit. Unde etiam apud Judæos in uſu erat, ut niſi repudiator libello repudii insereret facultatem nubendi uxori dimiſſæ conceſſam, novum matrimonium inire non poſſet repudiata. Taceo quod ubique in ſcriptura major poteſtas in omnibus viro concedatur, & matrimonium ceu inæqualis contractus, ut ſuprà monſtratum, ad th. 1, n. 4. 5. 6. 7. majoris eum minori, ſuperioris cum inferiori ſemper proponatur. Nec etiam *particula* ὁμοίως omnimodam & omnibus numeris abſolutam æqualitatem importat, uti alia loca, ubi uſurpatur, & ſcriptura ipſa tota, per quam *hæc ſcriptura*, ut regula Hermeneutica monet, *eſt explicanda*, abunde docent. Male igitur hic ex loco repugnantium, non ex loco ſimilium, cum ὁμοίως tamen ibi habeatur, ducit argumentum Protanti-Polygamus bene gnarus, quod *ex loco ſimilium* nil obtinere poſſit. Nec etiam ex loco repugnantium. Putat quidem repugnare, ſi maritus corpus, quod non amplius habet in poteſtate, alteri, ſecundæ uxori ſcilicet, communicet. At vero maritus aſciſcens ſibi uxorem, non abdicat ſe poteſtate aſciſcendi ſibi aliam, nec poteſtatem corporis ſui totam, quoad actus conjugales, confert in uxorem, ſemel aſcitam, atque adeo ſibi reſervat adhuc poteſtatem liberam communicandi ſe pluribus, uti quidem uxor in totum ſe abdicat omni poteſtate ſuum corpus communicandi pluribus, quia illud repugnat naturæ conjugii, & pacto etiam matrimoniali, ſi uxor pluribus uno velit nubere, & adulterium, fœdus connubiale rumpens, committere. Maritus verò nullum committit adulterium, ſi vivente & retentâ uxore prima alteram ſibi aſciſcit: uti exempla Patriarcharum teſtantur, qui citra crimen mœchationis, & quidem naturæ rationali convenienter plures duxerunt, nec hoc pacto vinculum cum priore ruperunt, ſed ſartum tectumque conſervarunt, multo minus in primam uxorem, cui etiam pro rata parte ſuum corpus, quando libuerit, communicarunt, nec etiam in primam inſtitutionem conjugii peccarunt, quæ cum in primo Geneſeos capite facta legatur, tantum abeſt, ut illa Polygamiæ jus impugnatum aut everſum eat, ut potius illud modis omnibus unice ſtabiliat & confirmet uti *ſupra ad th.* 20. *& ſequ. earumque notis* invictiſſime eſt demonſtratum. Falſum itaque eſt, maritum vi primævæ inſtitutionis ſe ita abdicare in ineundo matrimonio, poteſtate ſui corporis, & conferre uxori ductæ illam in ſolidum, adeo ut illa corpore mariti pro lubitu ad laſciviam & impudicitiam abuti poſſit; ſed potius maritus vi primæ inſtitutionis non aliam accepit poteſtatem ab ipſo Deo corpus ſuum communicandi uxori, niſi ob fructificationem & multiplicationem; quæ cum uno actu, duobus vel tribus annis, ſi tempus lactationis ſecundum laudatiſſimum Hebræorum morem longe extendatur, ſemel peracto abſolvi poteſt. Quamcunque igitur maritus poteſtatem ipſe à Deo (quid habes quod non accepiſti, dicit Paulus) non accepit, nec habet, illam alteri dare non poteſt. Atqui maritus vi primæ conjugii inſtitutionis à Deo non accepit poteſtatem ſuum corpus uxori communicandi ad laſciviam & impuritatem exercendam. (Deus enim nos non creavit, nec vocavit ad impudicitiam ſed ad ſanctificationem)

nem) ſed tantum ad fructificationem & mulriplicationem; Ergo majorem poteſtatem uxori dare non poteſt, ſed tantum illam, quam ipſe habet, & à Deo accepit. Si vero mulier de facto ſibi arrogat majorem poteſtatem in corpus mariti, & abuti vult ad laſciviam, facit contra pactum conjugale, & primam inſtitutionem, nec poteſt maritus ipſi hanc poteſtatem in ſuum corpus permittere, & ſalva conſcientiâ concedere, cum ipſe non habeat, imo Deus ipſe, ut ita dicam, qui tamen autor conjugii, habere non poſſit. Neque enim Deus hanc facultatem vi ſanctitiats ſuæ habet permittendi tanquam licitum, aliquod peccatum, cum illud Pſ. 5. odio habet, & hoc ipſum ejus ſanctitatem imo Deum ipſum, ut ita dicam everſum eat. Quam igitur facultatem Deus ipſe non habet, nec maritus etiam habet aut à Deo accepit; Quo pacto quæſo maritus dare illam poteſt de jure uxori. De facto etiam dare non poteſt, quia non habet; permittere tanquam illicitum ipſique ingratum poteſt uxori jus hoc ſibi per Diaboli inſtinctum rapienti: Maſculus vero accepit hanc facultatem phyſicam & moralem ſuum corpus ob multiplicationem communicare pluribus. Quæ ipſa omnia confirmat Paulus in præcedenti verſiculo 1. Cor. 7. *Vir*, inquiens, *uxori debitam benevolentiam* τὴν εὔνοιαν ὀφειλομένην *reddat, ſimiliter & uxor viro.* Certè non eſt benevolentia, εὔνοια, nec bene vult uxori, ſi ipſi dat facultatem per laſcivam peccandi in ſuo & mariti corpore, nec ſibi etiam bene vult maritus, quando cum ipſa peccat, & denegando corpus ſuum in laſciviam peccatum, mortem animarum ſecum ferens, non impedit. Nec uxor etiam bene cupit marito ſuo, nec ſibi, cum peccatum hoc deſiderat, & poteſtatem hanc in corpus mariti ſibi arrogat, & arripit. Ergo nulla hic eſt εὔνοια ſeu benevolentia, multo minus ἡ ὀφειλομένη (notanter Paulus addit articulum demonſtrativum τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, illam debitam benevolentiam reddat uxori maritus) illa debita, à Deo in inſtitutione prima ſcilicet monſtrata, & in legibus ipſius præſcripta, ſecundum voluntatem ejus, multiplicationis ergo exercenda, non libidinis ergo adhibenda. Non ergo maritus uxori benevolentiam Deo exoſam, ipſiuſque voluntati contrariam debet, nec tenetur benevolentiam contra legem Dei ad phantaſiam mulieris poſt lapſum ſemper malam exercere, & cum ipſa peccare, ſed potius obligatus eſt, Deo benevolentiſſimo, ejusque legibus & inſtitutionibus ſanctiſſimis morem gerere, ſe, ſuaque membra omnia, coſtam quoque, uxorem puta, à ſcandalo & peccato præſervare, atque ſi oculus, pes, manus, aut coſta quoque ipſum ſcandalizaverint, ipſa abſcindere & abjicere.

Notanter autem Paulus in ſequenti verſiculo loquitur: *Uxor non habet poteſtatem proprii corporis, ſed vir, ſimiliter & vir non habet proprii poteſtatem corporis, ſed mulier.* quaſi dicat, uxor non habet hanc facultatem à marito, nec maritus ab uxore, uti Antagoniſtæ loquuntur, & nos cum ipſis loqui cogimur, ſed habent, (etiam ſi maritus aut uxor non dent & exhibeant) & poſſident eam facultatem ab ipſo Deo vi primæ inſtitutionis, non tamen alio modo & fine quam quo Deus voluit, ſcilicet ob propagationem & ſubigendam terram, non ultra, non ad laſciviam, otium ſed ad aras uſque, ob hos fines, multiplicationem & adjutorium.

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quo ipſo concidunt omnia, quæ ex hoc loco Antagoniſtæ exſculpere ſatagunt, adeo ut fere non opus ſit ad inæqualitatem pacti matrimonialis re currere, Cui quidem præſens textus non eſt contrarius, ſi regulas juxta Hermeneuticas ita explicetur, ut aliis locis non repugnet. Cum itaque in tota ſcriptura ſacra fœderis conjugalis inæqualitas, ut ſuperioritas, atque major poteſtas viri in uxorem, eluceſcat, non poteſt ſalva fidei dogmaticæ analogia, hic locus ita exponi, ut æqualis poteſtas marito & uxori tribuatur, nec alterutri plus concedatur poteſtatis in corpus proprium quàm alteri. Subleſte vero affingitur Theophilo à Protantagoniſta, quod ex locis illis adductis, quod *maritus ſit Dominus; poſſideat uxorem ab ipſius voluntate dependentem: potuerit exercere ſacrificium Zelotypicum, repudium: poſſit præſcribere*

re leges uxori, &c. velit omnem poteſtatem uxori in corpus mariti denegatam, quod ipſi nunquam in mentem venit, ſed tantum demonſtravit, maritum habere majorem poteſtatem in corpus uxoris, nulli alteri communicabile, quàm uxorem in mariti corpus, aliis, iisque pluribus pro lubitu communicabile. Nec opus eſt hic differentias inter tres illas ſocietates Politicas adducere, ſiquidem non ſunt eædem, ſed ſufficit, ut in hoc conveniant, quod omnia ſuperiora, ſeu ut Auguſtinus loquitur, *quæ principantur*, poſſint habere plura inferiora non contra: ut genus plures ſpecies, una ſpecies plura individua, herus plures ſervos, pater plures liberos, atque ita etiam maritus plures uxores. Nec minus ſubleſtæ fidei eſt, cum idem Antagoniſta Theophilo affingit, quod per Polygamiam vagam libidinem approbet, cum potius libidines cum propria uxore, aliasque hoc pacto diminutas, abolitas & eliminatas velit.

3. *Paulus dicit, mulier eſt alligata viro.* De marito verò *neque Rom. 7. neque hic 1 Cor. 7. 38.* aſſeritur, quod *maritus ſit alligatus mulieri*, ut ea vivente non poſſit aliam ducere, ſed ſi faciat, adulter ſit, & appelletur. Ad hæc reponit primo Archantipolygamus, quòd quamvis Paulus non dicat, Chriſtus tamen quoad rem dicat, quando ait, virum dimittentem extra cauſam adulterii & ducentem aliam committere adulterium, & hoc ipſo ſignificet, maritum eſſe alligatum uxori, quamdiu ea vivit, ut aliam ducere non poſſit citra adulterii culpam. Ubi notandum, quòd *verſute* ſanè *ſemper adhibeatur vox adulterii*, ubi melius uſurparetur vox mœchationis. Deinde falſum eſt, eſſe hanc διάνοιαν & mentem ipſius Chriſti, qui tantum vult monſtrare *ſeparationem æque eſſe contra ſextum præceptum*, ſicut adulterium reale & cordiale cum alterius uxore, & eſſe quoque mœchationem, quia violet torum proprium; & rumpat vinculum matrimoniale, inter ſeparantem & ſeparatam hactenus conſpicuum uti ſupra in præcedentibus theſibus LXXXII. & LXXXIII. notiſqus earum irrefragabiliter evictum fuit, quod *mœchatio conſiſtat in ſeparatione*, & non poſſit aliter, ſalva Chriſti mente, explicari, quo benevolum lectorem remittimus. Ulterius verò urget atque dicit, Polygamiam virilem æque eſſe contra ſextum & decimum Præceptum atque Polygamiam muliebrem; præterea etiam Præcepta Dei eſſe Catholica, & obligare æque ſexum utrumque, ita ut quod ſexui uni ſit prohibitum, etiam alteri ſit prohibitum, & quod uni ſit mandatum, etiam alteri ſit mandatum. Verum enim vero jamdum *ſupra th. XXIII. XXIV. XXV. & ipſarum notis* ſatis probatum fuit, quod *Polygamia virilis neque contra ſextum neque contra decimum ſit præceptum*, uti quidem Polygamia muliebris. Deinde præcepta Dei obligare æque utrumque ſexum Judæi non concedent; Numerant illi præcepta 613, aut juxta recentiores, qui ſeptem addiderunt, 620. quot ſcilicet ſunt voces in Decalogo Hebraico, quotque in numeris conficit vox כתר quæ *coronam* ſignificat; *Caph* enim *Tau* & *Reſch.* ſexcenta & viginti conſtituunt. Scilicet, ſi quis hæc omnia præcepta obſervare poſſet, totius orbis corona foret. Neceſſe tamen eſt, dicunt, ut obſerventur: Mundus enim non poſſet ſubſiſtere, niſi propter præcepta. &c. alii pro numero *literarum Decalogi* eliciunt præcepta 613. vid. *Lex. Thalm. Buxt.* 1895. *Fagm. Paraphr. Onkel. Lev.* 4. 1. Memorabilis hac de re locus eſt *Exc. Gemar. Maccoth. c.* 3. qui Latine ſic habet: *Obſervat Rabbi Schamlei præcepta* 513. *dicta eſſe Moſi in monte Sinai*; 366. *pro numero dierum anni ſolaris*, 248. *pro numero membrorum hominis. Dixit R. Hammeuna, quâ ſcripturæ autoritate confirmatur?* תורה. Legem præcepit nobis Moſes. תורה per Gematriam facit 611. Duo iſta præcepta *Ego &c. Non erit tibi &c.* ex ore potentiſſimi audivimus. David venit & illa ad undeci redegit. *Pſalm.* 15. 1. Venit Eſaias & illa redegit ad ex, *qui ambulat in juſtitiis* &c. Venit Michas & redegit ad tria: *Indicavi tibi homo*, Mich. 7. 8. Rurſus Eſ. 56. 1. ad duo contraxit. *Obſervate jus & facite juſtitiam.* Amos denique ad unum omnia redegit. c. 5. v. 6. Venit Habakuk & redegit etiam ad unum: *juſtus in ſua fide vivit.* Atque de his præceptis eorumque ſenſu ac explicatione multa extant Judæorum ſcripta ut 1. *Columnæ exilii.* Liber præceptorum parvus R.

Iſaci filii Joſephi Corbolenſis. 2. *Illuminans Oculos* 3. *Corona legis*, quæ etiam eſt explicatio Talmud. 613. præceptorum. 4. *Lux oculorum.* liber ad comparandas artes per 613. præcepta. 5. *Liber* 613. *præceptorum*, qui docet, à quonam ex quinque ſenſibus ſingula dependeant, quaque ratione ſint obſervanda. 6. *Cortina Caprinæ.* verſibus 613. præcepta redduntur. 7. *R. Maimonides* præfat. *Jad Chazaka* cum notis Rombam. Et non ita pridem *Iſaacus Atias* qui A. 1627. Venetiis præcepta Moſaica cum explicatione earum Hiſpanice edidit. Hi omnes docent *mares* quidem ad *omnia præcepta* ſervanda *obligatos* fuiſſe, *non* item *fœminas*. Has enim volunt teneri quidem omnia præcepta prohibitiva obſervare, ſed non jubentia univerſa per omnia. Quædam enim præcepta ſtatis ſolum temporibus obſervanda ſunt, non autem quotieſcunque libet. quædam autem ad mulieres omnino non pertinent ut *circumciſio*, *officium ſacerdotum & Levitarum*, *primogenitura* & alia id genus: interdum etiam quædam præſtare præcepta non poſſunt, propter maritos, qui jus habent illis imperandi, illaſque vel invitas ad alias operas cogendi. Uxores enim maritis ſuis obtemperare & miniſtrare tenebantur. Et ſi quis exactius inquirere, & rationes inire voluerit, inveniet mulieres 64. tantum præceptis negativis, & 36. affirmativis obnoxias eſſe. Hæc nempe à Rabbinis circa obſervationem legis gratia facta eſt mulieribus, eo quod non ſemper otioſæ ſint, & multis aliis negotiis domeſticis, ut ciborum præparatione & coctione, lotione, liberorum educatione & variis maritorum mandatis exequendis occupatæ. Atque hæc quidem Rabbinorum ſententia eſt de mulieribus, quod ad omnia quidem præcepta ſervanda non obligentur. De *præceptis* tamen *Decalogi* dubitari fere non poteſt, cum ſint Catholica & quidem negari non poteſt, ipſa ad utrumque ſexum pertinere, ſed recte explicata & applicata. Quia igitur *decimum præceptum ex jure dominii* quod habetur in uxorem, ſervos, ancillas. jumenta, oves &c. *ortum, & ibi prohibitum, ne jus dominii proprietarii, quod alteri competit, in ſe derivent,* aut ſaltem concupiſcant derivare, non poteſt commode dici atque accurate: non concupiſces alterius maritum. quia illa altera, cujus maritum fœmina concupiſcere interdicitur, habet quidem maritum, ſed non ſibi ſubjectum, aut jure dominii à ſe poſſeſſum, ita ut illa uxor dominium in maritum exercere, & alteri etiam fœminæ jus hoc concedere & in vita etiam relinquere poſſit. Nec etiam fœmina concupiſcens poteſt jus dominii ab altera fœmina, quia ipſa non habet, in ſe derivare, ſicut quidem poteſt derivare in ſe jus dominii ab altera perſona poſſeſſi & exerciti in ſervos, ancillas, domum, jumenta &c. Proinde prudentiſſimus Legislator omiſit: *filium & filiam*, nec dixit: non concupiſces alterius filium & filiam quia parentes non habent tantam poteſtatem, quamdiu parentes ſunt & vocantur, in liberos, ut illos majorennes & nubiles poſſint impedire, quo minus ab aliis invitis etiam & inſciis parentibus, concupiſcantur & matrimonio copulentur: quin etiam filius majorennis è poteſtate patris exiens poteſt ſe ipſum, neſciis etiam, & invitis, aut contradicentibus quoque parentibus in peregrinis oris pro lubitu deſponſare. Filia vero viripotens & nubilis, ſi parentes officium à Deo juxta Syraciden concreditum non peragant, & filiæ de honeſtis nuptiis proſpiciant, poteſt etiam in alterius ambitionem conſentire, & futuri mariti deſideriis honeſtis ſe ſubmittere, ita ut parentes tantum dominium non habeant in filium & filiam, ut concupiſcentes illos propterea in hoc præceptum peccare dici poſſint, ſicuti quidem nemo alterius uxorem, domum, ſervos, ancillas, oves & boves, quamdiu alter eſt dominus, deſiderare citra crimen poteſt. Præterea, quia concupiſcere eſt actio aliqua, non poteſt apte atque concinne dici: non concupiſces alterius maritum, quia mulier in matrimonialibus ſe habet ferè pure paſſive, ita ut expectare cogatur, uſquedum aliquis veniat, cujus deſideriis velificetur; ipſique fœminæ vitio vertatur, ſi incipiat. & primas in deſponſatione agat partes. Vir enim ducebat mulierem, non mulier virum. Vir verbis & formulis paſſive conceptis mulierem deſponſabat & pecunia ſæpè (qui erat inter tres modos unus deſpon-

ſpon-

ſponſandi) emebat, aut, ut David centum præputiis Philiſtæorum, ſibi ſponſam, atque dicebat. *Ecce tu mihi es per hoc deſponſata; Ecce tu mihi es cum hoc in uxorem: Ecce es mea empta: mea es: Es mea accepta, ducta, Es in poteſtate meâ. Ecce uxor mea ſis, mea ſponſa, à me poſſeſſa, aut mihi acquiſita mea; mihi ſumta, addicta mihi, in meâ poteſtate, mihi ut conjugalibus utãmur amplexibus copulata.* Atque his formulis eâ linguâ, quam ſponſa intelligebat, prolatis contractus ſponſalitii fiebant firmi atque validi. Illas verò formulas; e. g. *Ecce ego maritus tuus ſim, ecce ſponſus tuus; Ecce vir tuus* improbabant, & neque dicta neque ſcripta aliquid valere volebant. Illud enim in contractu matrimoniali ſpectandum cenſebant, ut ita ſonarent verba, ut *acquiri & poſſideri ſponſam à ſponſo*, non hunc ab eâ denotarent. vid. *Gemar. Babyl. ad tit. Kidoſchim* c. 1. f. 5. 6. *Maimon. Halach. Iſchoth.* 14. c. 3. confer & *Buxt. de Sponſ. & divort. p.* 66. atque *Joh. Selden. Ux. Hebr. l.* 2. *c.* 2. *p.* 136.

4. *Maritatis præcipio non ego ſed Dominus.* Paulus deinde v. 12. inquit: *Reliquis autem ego dico, non Dominus:* v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, ſed do vobis quod ſentio* γνώμην conf. v. 6. & v. 40. κατ' ἐμὴν γνώμην, ſecundum meam ſententiam. Videtur Apoſtolus ſibi in quibusdam circa matrimonium derogare θεόπνευσιν, quando diſtinguit inter ea, quæ ipſe dicit, & quæ Dominus dicit inter ἐπιταγὴν præceptum & inter γνώμην vel συγγνώμην ſententiam vel conceſſionem. Verum ſi accuratius loca conſideramus revera ſibi non derogat divinam inſpirationem, ſiquidem expreſſe profitetur. v. 40. ſe habere etiam Spiritum-Sanctum, ſed his formulis negat, illud ſuum præceptum à Domino expreſſe traditum, à ſe demum non ſine ſingulari Spiritus S. aſſiſtentia erroris cautrice argumentando collectum. vid. *Danh. Antichr. p.* 47. *Hodoſ. p.* 18. conf. & 1 *Tim.* 3. 14. 1. *Petr.* 1. 11. adhibuerunt ſcil. θεόπνευστοι ſcrutinium & ſtudium in exercitio docendi; ſcribendi tamen raptum fuiſſe ſine moleſtia oſtendit, cita illa & expedita recitatio è memoriâ eorum quæ in charthâ exciderunt. *Jer.* 36. 2. Cœterum *Paul. v.* 25. & *v.* 40. vocat ſuam ſententiam γνώμην ſententiam, verſ. 6. vero συγγνώμην conceſſionem vertit Beza. γνώμη aliàs ſignificat ſententiam, quam quis de aliqua re concepit. non it. conſilium alteri datum. & propoſitum 1 *Cor.* 1. 10. *c.* 7. 40. *Act.* 20. *Philem.* 14. ſed 2 *Cor.* 8. 10. uſurpatur de elemoſynis, quorum neceſſariorum erogationem Pontificii non referunt inter conſilia perfectionis. Ergo hic non conſilium γνώμη denotat, ſed præceptum pro donorum menſura datum, quod ὡς φρόνιμος ἀνὴρ ex circumſtantiarum conſideratione ὡρίσειν; pro ratione enim perſonarum & circumſtantiarum Apoſtolus hic quibusdam cœlibatum, quibuſdam conjugium (quod Pontificii non dicunt eſſe conſilium Euangelicum) conſulit. Cum enim virginitas & conjugium per ſe non ſint virtutes, ſed ſtatus vitæ, igitur fruſtra quæritur de majori vel minori bonitate morali; cœteroquin ratione diverſorum accidentium circumſtantium nunc conjugium nunc cœlibatus melior. In incontinente certe tam melius eſt conjugium, quam medicina ægroto. In continente tempore perſecutionis cœlibatus optabilior; Neque omnem continentiam impoſſibilem dicimus, ſed in eo, qui poſt multam luctam donum non habet. Sentit *Danh. Antichr. p.* 979. conſ. & *Dram. p.* 182. & 472. ejusque *Hadam. Pap. t.* 1. *p.* 6. *p.* 1057. *Brochm. Syſt. t.* 2. *p.* 256. & 945.

5. *Maneto innupta, aut viro reconcilietur.* Secundæ nuptiæ prohibentur *ſeparatæ*, quia adhuc vinculo interno eſt unita priſtino marito. Quapropter ipſi commendatur omne ſtudium & omnis labor, ut iterum reconcilietur. Neque etiam facile, ut ſupra adduximus inveniebat emptorem, quia *à ſuſpicione malitiæ & infamiâ liberari commodè non poterat*, partim ob repudium, partim ob defectum reconciliationis. atque adeo omnibus fere erat abominabilis Quilibet enim eſt ejuſdem opinionis, cujus fuit quidem *BenSyra in Prov. p.* 62. Si vis vivere in hilaritate, & *annos vitæ in pace implere*, ante omnia tibi compara tibi *uxorem bonam*; vocat vero *Iſchah thoba* quæ Latinis eadem ſenſu dicitur *uxor bona*, i. e. officioſa, morigera, & frugi,

quæ domeſtica probe curat, qnalem qui invenit, *invenit bonum* teſte Sopho. Optima ſiquidẽ domus pars & principiũ poſſeſſionũ *bona uxor*, omnibus divitiis anteponenda. τῶν πλούτων ὁδὲ ἄριστος, γενναῖον λέχος. ait Menander in *Andromedâ* apud *Stob. orat.* 67. ubi in voce γενναῖον generoſæ indolis ſignificatio eſt, transferturque ad omnia, quæ naturâ ſunt egregia. Cui conſonat illud Simonidis apud *Clem. Alex. l. 6. Strom. p.* 622. γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ᾽ ἀνὴρ ληΐζεται ἐσθλῆς ἄμεινον. Eleganti catachreſi metaphoricâ *prædam* eſſe ait nullam meliorem uxore bona & provida. Quam ab Heſiodo videtur accepiſſe γνώμην in ἔργ. v. 700.

> Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ᾽ ἄμεινον
> Τῆς ἀγαθῆς.

Quo ſalutarior domûs pars eſt uxor, hoc accuratius providere decet, ne *malam* accipiamus, juxta Philoſophum. Nam quod ſtatim ſubjecit *Aſcræus vates*.

> τῆς δ᾽ αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο.

Haut poſtrema pars felicitatis humanæ eſt *felix conjugium.* Neque enim abs re dictum in Tragœdia ab *Eurip. v.* 601.

> Γάμοι δ᾽ ὅσοις μὲν εὖ καθεστᾶσι βροτῶν
> Μακάριος αἰών· οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν εὖ
> Τά τ᾽ ἔνδον εἰσὶ τά τε θύραζε δυστυχεῖς.

& *Lucian. in Amor. p.* 236. γάμοι ἀνθρώποις βίῳ φελὲς πρᾶγμα καὶ μακάριον ὁπόταν εὐτυχῶνται. Ut autem ex ſententiâ contingant, probe conſiderare primo *natales* monent, Nam veroſimile *ex bonis bonas naſci. Ariſtot. Rhet.* 9. Εἰκὸς ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθούς, καὶ τὸν οὕτω τραφέντα τοιοῦτον εἶναι. Conſentaneum eſt, talem & rectius educatam eſſe, & avitæ eſſe virtutis imitatricem. Qui ſanæ mentis eſt ante omnia in *qualitatem uxoris & vitam Patris* diligenter inquirat, recordatus ejus, quod dicitur,

> *Nec imbellem feroces*
> *Progenerant aquilæ columbam.*

Liberi maximopere imitantur mores parentum & præſumitur, quod ait Juv. ſat. 6. v. 235.

> *ut tradat mater honeſtas*
> *Aut alios mores, quàm quos habet?*

Id ſuaſit idem *Euripides in Androm. v.* 619. ut ducturus uxorem primum conſideret cum quo affinitatem contrahat, & ex quibus ædibus recipiat uxorem. conf. & v. 1279. ut peſſime, ita conſulant utilitatibus Rei familiaris, qui πρώτην ἐπιμέλειαν faciant à *dote ampliſſimâ*, neglecta parte præſtantiſſima. Quo fit ut inter medias opes inopes ſæpe fiant. Non eſt hominis cenſu cenſendus, qui opes quàm uxorem præoptat. Probi hominis eſt inquirere primum in pietatem & educationem ejus quam eſt ducturus & cœtera *Dei benedictione* facile adjicientur. Hunc ſpes non fallet, figetque domum tutam, domum divitem, domum rectam, atque inſuper addet divina clementia,

> *Ut pietas formæ, pietati forma viciſſim*
> *Juncta, pares operas in honeſto corpore reddant.*

Quam negligentes vero ſint plerique & improvidi in comparanda ἐκ τοῦ δέοντος matrefamilias, conqueritur *Phocylides v.* 191. ſeq. *inſipientes* eos vocans, qui *equos generoſos taurosque robuſtos* quærunt, ſed in uxore quærenda deſides plane ſunt. Quam turpem conſuetudinem reprehendit etiam *Theognis v.* 183. & *Xenophon* apud *Stob. de nobil. ſerm.* 86. Sis itaque cautus mercator, ne in connubiis ſpreta ingeniorum morumque generoſitate aurum & cuprum ſpectes. Si canes & equos generoſos ex bonâ progenie quærimus; in vitibus, arboribus, seminibus optimi generis fit ratio, multo potius uxor ex optimo quærenda genere eſt. In *agro comparando* conſideramus terræ indolem, inquam ſerere volumus. Magis hoc curabis de futura conjuge, ex qua cupis filios ſerere. Nam hic omnia σκοπεῖν δεῖ, ἐξ ὁποίων γυναικῶν βέλτιστα, ὑμῖν τέκνα γένοιτο. αἷς συνελθόντες τεκνοποιοῦ μεθα. monente *Xenophonte* 2 *Apopth. p.* 432. Qualem enim habiturus eſt conjugem, talem nacturus es ſobolem; Eſt quædam occulta affectionum animi in corpora, rurſus corporum in animum tranſitio eſtque etiam τρέμουσα ψυχὴ τῇ ψυχῇ Hippocr. l. 1. de vict. rat. p. 15. Si ſervos, pecudes, do-

mos emturi curioſi ſumus, multo magis ducturi uxores. *Chryſoſt. t.* 8. *Opp. p.* 81. *Guaz. l* 3. *de civ. Conv. p.* 276. *Ant. Mokeros de pia & liberali diſciplina l.* 1. *c.* 4. In electione uxoris ſeptem conſideranda juxta *Cardan.* l. de util. ex adverſ. c. 3. p. 931. *corpus incolume, ætas, prona ad generationem forma, animi qualitates, eruditio, conſanguinei, dos* de quibus ibi legito memor, illum multa docere propter quæ ſatius fuiſſet ei Horatio morem geſſiſſe A. P.

non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam, multaque tolles
Ex oculis.

6. *Ne vir uxorem deſerat.* Ex naturali deſiderio & inſtinctu eſt illa *conjugalis ſocietas* juxta Philoſophum eaque propter in naturam peccat, qui illam ſocietatem diſſolvit, vel per repudium, vel per deſertionem. Natura enim non ad κοινωνίαν ſollicitat homines, qui verè homines ſunt, ſed iis omnibus *natura* ineſt appetitus & impulſus ad συνδυασμὸν; unde eleganter à Chryſoſtomo τῇ φύσει τυραννὶς Tom. 1. p. 492. Hinc ex neceſſitate maris & fœminæ συνδυασμός. ἀνάγκη γὰρ συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι. 1 Pol. c. 2. Sic certe ipſa natura marem cum fœminâ conjunxit, non etiam cum ſuo horum utrumque ſexu; quod autor *libri de Mundo* ita exprimit: ὥσπερ ἀμέλει τὸ ἄρρεν ἡ φύσις συνήγαγε πρὸς τὸ θῆλυ, καὶ οὐχ ἑκάτερον πρὸς τὸ ὁμόφυλον. Homines enim ſunt in utroque ſexu hâc naturæ lege generati. ut ſibi quærant, & generent ſimile, ſimile cum ſimili in ſocietate vivant, & poſt ſe alia, qualia ipſa ſunt, relinquant. *Valer. Max. l.* 9. *c.* 9. *n.* 1. *Natura nobis ut naſcendi, ſic gignendi legem ſcribit.* Unde Philoſophus vocat *Zoon politikon phyſei.* & *koinoonikon.* 7. Eudem. ab init. *kai philállelon.* Stob. d. l. p. 185. Hinc infert Anton. Codrus ferm. 4. *Si homo animal Politicum eſt, i. e. civile, quæ pulchrior civilitas, quæ pulchrior conjunctio, quàm ea, ex qua duo ſunt in carne una.* Sic enim à Deo ſapienter inſtitutum eſt, ut homo non ſolus eſſet, ſed duo eſſent homines, ad generationem ſpecieique conſervationem neceſſarii, habitantes *eis ſareemian*, per commixtionem in matrimonio, & *eis Pſycheen mian* per copulationem amoris mutui, & conſociationem affectuum vitæ quæ totius individuum conſortium. Non profecto aliquid majus dici tanta corporis communione & ſpiritus unione, ubi duo in unum tranſiiſſe videntur, quorumqũ eſt idem velle ac idem nolle, quæ firma demum unio jugalis eſt. Corporis unio ſine ſpiritus unione eſt *ſaccaratum venenum*, ut *Chryſoſt. t.* 4. *p.* 157. conf. & *Luth. t.* 5. *Jen. Germ. f.* 253. Quare Philoſophus optime dixit, lege naturæ edoctus, fœminam ſine mari, & marem ſine fœminâ naturam adimplere non potuiſſe, atque ideô eam ſocietatem Oeconomicam ex neceſſitate conſtitutam, tum quod ita neceſſarium eſſet, ad generis humani propagationem, tum quod ad vitam jucundam multum conferat quemadmodum & 1 *Polit.* 2. ait, omnes homines ad ſocietatem Politicam inſita quadam naturæ vi, naturali impetu & inclinatione, quam Græci feliciter præſertim Stoici *ôrmeen* vocant, Numine ſupremo ita diſponente ferri. Undê *Cic.* in fin. 4. ait: *Noſmetipſos commendatos eſſe nobis, primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conſervemus nos ipſos.* Quæ aut extare poſſet ſanctior & jucundior conjunctio? quæ arctior, quæ caſtior *énàs* quàm mariti & uxoris? In *koinoonia* iſta caſta omnia *koinà locus* quem inhabitant, *menſa* in qua cibum capiunt unà, *fons* unde aquam hauriunt, *focus & ignis*, apud quem ſe calefaciunt; *lectus* in quo ſe laboribus diurnis fatigati noctu recreant, *agri* ex quibus ſibi, quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent, procurant. Horum gratia ſibi mutuo opitulantur, *pros tó ëy ëinai*, ubi *èn où tai to èroon too èrooménoo* quibus illorum idem eſt, quod alter, in corporibus geminis unus ſpiritus, in uno conformi animo duo corpora. Alter alterius dolore, & gaudet gaudio alterius alter. Alter ex altero dependet, & in altero quieſcit. Eadem illis arca, eædem divitiæ, eadem paupertas, communis acceſſio lucri, communisque fortuna. Ei credimus nos ipſos, facientes eam theſaurariam domus fidiſſimam, communiſque fortunæ ſociam indiſſolubilem, quod oves *Syzygia ſuzeoozis, proſcolla ſtha;*

con-

conjugium & Juno, Juga & Jugatina dicta declarant.

7. *Mulier habet aliquam poteſtatem quoad* εὔνοιαν. Nos non negamus illam εὔνοιαν γαμικὴν, quæ vulgò concubitu ſolo uſurpatur, omnia matrimonialia includere, ſed eo tamen extendenda non eſt, ut mulier propter hanc debitam benevolentiam maritum à ductione plurium prohibere poſſit, Nec enim Paulus, nec Chriſtus ita exponunt atque declarant, ſed hic poſterior, uti deduximus nuper, expreſſe docet ductionem plurium Matth. 19. 9. non eſſe mœchiam, ſed ſeparationem ipſam vinculum conjugii rumpentem. Nec primæ inſtitutioni repugnat, primæ uxori retentæ ſuperinducere vel ancillas vel alias fœminas, ſi fiat non ex libidine ſed ex propagandi deſiderio. Miror autem Archantagoniſtam, tantum virum adhuc aſſerere audere, quod Patriarchæ ob ſpem Meſſiæ pluribus ancillis etiam fuerint juncti, cum non neſciat, quod non ſint facienda mala, ut eveniant bona, Atque ita etiam Matriarchæ, ſteriles præſertim, potuiſſent aliis ob ſpem futuri Meſſiæ copulari, quod cum altero pari abſurditate laborat. Falſum vero eſt, maritum in contractu cum prima uxore matrimoniali ſe abdicare omni facultate ducendi plures, & omnem facultatem impediendi in primam uxorem conferre. Nec minori falſitate laborat, conjugium cum pluribus illis eſſe adulterium, & à Chriſto ita appellatum. Æque abſurdum etiam eſt; mariti poteſtatem vi primævæ inſtitutionis determinatam tantum eſſe ad unam uxorem, uti hæc omnia abſona, ἀδόξα, ἄγρα & ἀνέγγραφα eſſe in notis ad hanc & præcedentem theſin clariſſime evicimus.

THESIS LXXXV.

SAne in Moſe uxoris voluntas marito ſubeſſe jubetur; & hic iſtius dominus expreſſe conſtituitur; adeo ut fœmina propriè loquendo non propriam & liberam voluntatem ſed reſtrictam, limitatam, dependentem habeat, & velut luna à ſole mutuatitium lumen & vires à marito accipiat. Uude inſolitum & præter naturam eſt, quod *Ælianus V. H. l. 12. c. 8.* de Sacris refert. *Si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea ſuſcipit, & ſi illa ſuperior ſit, captivum abducit, atque imperium in eum tenet. Sin inferior igitur ab ipſo. Certant autem non de vita ſed de victoria.* Et notum eſt communiſſimum in hac ultima mundi fece natum proverbium: *Mulieres imperant vel clam, vel vi vel precario.* Quanquam enim ab initio ante pactum matrimoniale libere quodcunque velint, agere poſſunt fœminæ, eo tamen inito ad voluntatem viri ſe componere tenentur, & quia familia ſegrex cumprimis ſe habet civitatis inſtar, in quam dum recipitur uxor, ejusdem regimen ſubire debere videtur; cum & in hac valde *irregularis ſit ſtatus biceps*, aut ut in ea exiſtat aliquis eidem capiti non ſubjectus. nihilominus tamen fieri poteſt, ut inſtar ſimplicis pacti & per modum amicitiæ viro conjuncta videatur uxor. Uti Abrahamus in cœteros ſuos familiares imperium ſatis exercebat, Saram tamen non aliter ferè, quam Sororia æqualitate videtur habuiſſe *Gen.* 16. 2, 5, 6, 21,

6, 21, 10, 11, 12. quanquam inſigniter in ſacris literis commendetur ipſius erga maritum obſervantia, quod *dominum* ipſum vocaverit, 1 *Pet.* 111. 6. Quia enim in contractu connubiali mariti conditio eſt melior, non dicam quod natura & ſexus etiam ſit præſtantior, naturam *fœderis inæqualis* hoc pactum æmulatur, in quo uxor marito obſervantiam maxime hic illi protectionem debeat, *Martialis* 8. 12.

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito
Non aliter fuerint fœmina virque pares.

Neque tamen ſe invicem deſtruunt metus imperii & amicitia conjugalis, non magis, quam imperium in principe amorem civium per ſe extinxerit. Et hoc imperium non ſolum ſinguli ſibi mariti quærere poſſunt, per pactum matrimoniali conventioni adjectum, ſed & apud integros populos publica lege id ſanciri ſuevit, uti præter illa, quæ ſupra de *antiquo vitæ & necis jure Gallicano, Germanico & Romano* adduximus, conſtat ex illo Regio Maximi Monarchæ *Ahaſueri* edicto, omnium mulierum animis aureis literis inſcribendo, & in omnibus benedictionibus ſacerdotalibus merito prælegendo, quod habetur *Eſth.* 1. 14, 15, 16. ubi legimus, quod Rex ille Magnus poſt conſilium cum 7. illis ſapientibus ſeu Paribus Imperii, habitum curaverit ſuæ uxoris inobedientiam & inde ſubſecutam è Regali throno rejectionem diplomate Regio eoque more Medorum & Perſarum irrevocabili, publicari, & inſimul ſeveriſſime ſignificari cum omnibus uxoribus cujuscunque ſint conditionis, ut debitam reverentiam præſtent ſuis maritis, tum ipſis etiam maritis, ut *quilibet ſit Rex in domo ſua.*

1. *Irregularis ſtatus biceps.* Status Oeconomicus eſt Monarchicus, ubi pater familias, maritus eſt caput familiæ, caput uxoris & Rex in domo ſua, in cujus ſocietatem æqualem ſi uxor ſe obtrudit, & de regimine ſimul participare cupit, adeo ut colus & gladius de principatu digladientur, non poteſt non res familiaris maxima ſentire damna, juxta Poetam: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. Ita olim magnas turbas dedit in Eccleſia, cum tres ſimul Pontifices de Petri clave & patrimonio per quinquaginta fere annos decertarent, ita ut alius Romæ, vel alicubi in Italia, alius Avignione in Gallia reſideret, & tertius tandem à Synodo Piſana adderetur. Qui ſinguli pro veris ſe venditabant, & duos reliquos damnabant. *Fuit hæc Schiſmatica diviſio*, ait Jo. Marius l. de Concil. & ſchismat. part. 3. c. 13. *adeo dubia atque perplexa, ut etiam peritiſſimi atque præcipui quique clerici diſcernere non poſſent, quis eorum verus Petri ſucceſſor eſſet*, Et *Joh. Gerſon* ſerm. de ſign. ruin. Eccleſ. *ad tantam* inquit, *ambiguitatem Eccleſia univerſalis pervenit, quod ignoravit, apud quam partem vera ſedes Romana erat, niſi forſitan Deus alicui revelaſſet, &c.* Eaque propter in Gallia magni motus fuere exorti, ut refert *Jo. Papon. l.* 1. *tit.* 5. *arreſt.* qui ſimul ſuam ὑπεροχὴν de officio Papæ adjicit, aſſerens Petrum optime mandatum Chriſti (*Paſce oves meas*) executum, & poſt ipſum aliquos, ſed paucos admodum.

2. *Sara vocabat Abraham Dominum.* Ex vera ſubjectione & ſubmiſſione uxori debita, ſecus ac hodie fit in mundo inverſo, ubi ra-

 riſſi-

riſſime uxores ſolent maritos præſentes nomine Domini vel viri ſui cohoneſtare, ſed vel nomine proprio vel gentili illos appellant, atque dominium maritorum nec titulis marito debitis, nec reapſe agnoſcere cupiunt, ſed potius dominium in maritum exercent, quod oritur partim ex divitiis, & dote allata, de qua Comicus appoſite inquit: *Mulier ſi indotata venerit, in tua eſt poteſtate, ſi dotata, mactat & damno, & malo virum*; partim quia viri ſæpe mulieribus ob concubitum blandiuntur, ut *Enchiridio Epictetus. c.* 55. annotavit, & ſuas Donnas, ut Hiſpani, vel Dominas, ut Latini loquuntur, vocant, quod olim ſecus erat, & nunquam factitatum apud Latinos & Romanos, ſed poſteà ſequioribus temporibus, adulatione pleniſſimis, demum introductum. Multo aliter Sara fuit affecta, qui ex vero & reverentiali amore conjugali maritum ſuum vocabat Dominum, non ex adulatione, aut impietate, qua *Gloſſa ad Extravag. Joh.* 22. *de V. S.* Papam *Dominum & Deum noſtrum* vocat, & paraſiti Pontificii ob dominium Catholicum & univerſale in totum terrarum orbem Pontificem Domini & Dei ſui nomine inſignire ſolent, uti conqueritur *Georg. Wicel. in via Reg.* Una quidem omnium Germanorum de Concilio Tridentino expectatio fuit, emendatum iri abuſus Canoniſtarum Papam Dominum ac Deum ſuum vocantium, infallibilitatem ei aſcribentium; idemque tribunal utrique aſcribentium, referente *Petr. Suav. hiſt. Conc. Trident. l.* 2. Sed vana fuit expectatio. Siquidem adhuc hodiè Canoniſtæ & Gnathones alii ſedis Romanæ Dominium illud univerſale in Eccleſiam & in omnia imperia agnoſcunt; Imperatori poteſtatem dependentem, Pontifici vero ſummam, abſolutam, illimitatam, non quoad ſpiritualia tantum, ſed etiam quoad temporalia, adeoque in univerſum mundum, non tantum quatenus Eccleſiam, ſed etiam quatenus regna & imperia continet primo & directo tribuunt. Equidem in Petri Patrimonio, aliiſque provinciis, quibus jure territoriali præeſt, non denegamus illi Juriſdictionem ſecularem, ſed, quod plus ultra tendat, & in omnibus fere terræ partibus dominium Catholicum affectet, id Tyrannidem Antichriſtianam ſapit. Impudentiſſimus Papæ aſſentator *D. Morta Neopolitanus* in præfat. tractatus ſui Juriſdictione Pontificem his verbis compellat: *Tu es vicarius Dei in terris, à quo emanat omnis Juriſdictio, unicus in orbe Pontifex, Imperator & Rex, omnium Principum ſuperior, rerumque & perſonarum ſupremus Dominus.* &c. Conf. *Sigiſm. Seaccia de Jud l.* 1. *c.* 7. *n.* 6. *ſeq.* & *n.* 12. *Petr. Binsfeld. de Injur, & damn. dat. c.* 7. *q.* 1. *concluſ*, 2. Hoc ſcilicet eſt, quod in decretalibus ſuis ſciſcit Hildebrandus ſive Greg. VII. *unicum eſſe nomen in mundo, Papæ videlicet.* vid. quæ ſuprà ad th. 19. n. 12. obſervavimus. Non negandum quidem eſt Papam ſibi titulum *Servi Servorum* aſcribere, & humilitatem inde quandam præ ſe ferre, ſed hypocritica illa eſt, & ſub hoc abjecto nomine *Dominus Dominantium* eſſe affectat. ut bene animadverrit *Jaſon. l. Reſcripta. C. de præc. Impp. offic.*

3. *Fœderis Inæqualis.* Quod matrimonium ſit contractus inæqualis prolixe oſtenſum *in th.* 1. *n.* 4. 5. 6. & *th.* 84. *n.* 3. Cum enim maritus ceu Dominus & ſuperior imperet ſuæ uxori, paris vero in parem nulla autoritas, nullum imperium eſſe queat, non poteſt non inde aliqua imparitas & inæqualitas reſultare. Quod vel ipſa praxis omnium fere gentium docet. Apud Judæos, alioſque populos vicinos ad judicia, ad officia forenſia, ad juramenta, & teſtimonia, de aliis dicenda, non admittebantur, *Hatting. Jur. Hebr. p.* 157. *Selden. de Jur. Nat. & Gen. p.* 855. nec etiam omnibus præceptis, ſive affirmativis, ſive negat. tenebantur. *Hatting. Jur. Hebr. præf. & p.* 1. 2. 3. *Selden. Jur. N. & G. p.* 568. non poterant accuſare, repudiare maritos, ut ſupra monſtravimus, ſicuti & apud Burgundos, Gundebaldo Rege, uxori plane divortium omnimodum eſt denegatum: *Si qua mulier, maritum ſuum, cui legitimè juncta eſt, dimiſerit, necetur in luto.* Leg. Burgund. c. 34. Quare non ſatis mirari poſſum Canoniſtas genuinos uti videri volunt ſcripturæ interpretes, aut etiam ampliatores parem & ſæpe etiam majorem fœminis tribuere facultatem, e. g quod mulier à viro, Monacho facto, poſſit

poſſit debitum conjugale petere, ſi illa invita intraverit monaſterium, maritus vero illud exigere non poſſit, cum tamen illud votum juxta Pontificem & *Lancell. Inſtit.* 2. *tit.* 16. §. 13. non teneat, adeoque tali exigendi poteſtate per votum non ſit privatus, nec ſeipſum privare voluiſſe præſumatur nec ſemper verbis quibuſdam ſolennibus & conceptis debitum iſtud inter conjuges flagitetur, verùm illi quandoque mutuâ quadam affectione in copulam illiciantur, nulla omnino exactione verbali, aut petitione interveniente. Quicquid vero ejus ſit, certum eſſe omnes norunt, *fœminas omnem reverentiam & obedientiam* juxta mandatum Dei *debere ſuis maritis, etiam moroſis & imprudentibus ac ſæpe paradoxa imperantibus.* Cum enim in omni regimine ſint vitia, præſtat, etiam non adeo ſapienti marito, ceu Regi in domo ſua; eoque difficili & quodammodo contentioſo, ac litigioſo morem gerere, quam contra ordinationem divinam agere, & ſtatum Oeconomicum evertere, pœnam à Deo non ſane injuſte impoſitam cum murmuratione & contradictione perferre. Taceo, quod ſicut ſubdito de ſuperioris ſui Magiſtratus actionibus, juxta Politicorum monita, judicare non licet, ita uxoribus ſine ulla inquiſitione maritalia imperia ſint exequenda, & vita ad nutum mariti, obedientia quaſi cœca componenda.

THESIS LXXXVI.

NEc illa verba Pauli: *Propter ſcortationem habeat unus quiſque uxorem ſuam, & unaquæque proprium maritum*: aliquid faciunt contra Polygynæciam. Singularis enim numerus (uxorem ſuam) uti ſuprà demonſtratum eſt, nil probat. Nec vox proprium ſemper infert proprietatem in 4 modo uti in ſcholis loquimur. Quilibet enim filius inter 70 filios Ahabi potuit dicere de ſuo Patre. Hic eſt proprius meus pater, & tamen Ahab fuit Pater multorum filiorum. Non enim eſt contra naturam proprii, ut hic ſumitur, pluribus eſſe commune, ut Rom. 14. *Servus*, dicitur, *cadere ſuo proprio Domino.* Sicuti nunc ex verbis, *Servus cadit ſuo proprio Domino*: non poteſt inferri, quod illi Domino non poſſint & alii ſervi cadere, aut quod ille Dominus non poſſit & alios habere ſervos. Ita non ſequitur, quod, quia uxor habet proprium maritum, non & alia uxor eundem maritum habere, aut ille maritus aliam uxorem ſimul habere non poſſit. Præterea eſt extra controverſiam, quod pluralis rerum numerus proprietati non ſit contrarius, & in hoc ſenſu numerus in ejuſmodi locutionibus expreſſus non reſpicitur, ut cum dicitur: ob nuditatem habeat unusquiſque propriam veſtem, propter commoditatem habeat unusquiſque propriam domum.

Sicuti etiam ex hoc loco de vera ſignificatione vocis *proprii* non poteſt judicari, ſed illud ex locis Parallelis aliis, ubi de materia conjugii agitur, eſt ſupplendum. Quia igitur Scriptura alibi ſufficientiſſime docet, quod uxor ita ſit propria ſuo marito, ut ab ipſius nutu dependeat, & ſuum corpus

alteri communicare nequeat, maritus vero non eodem pacto ſit proprius ſuæ uxori, ut ad illius voluntatem ſe componere teneatur, aut ſuum corpus alteri communicare non poſſit, ut ad nauſeam hactenus eſt probatum. itaque hic textus ita eſt explicandus, ut ne reliquis clariſſimis contradicat; Scilicet, ut breviſſimè rem complectar, quilibet his verbis obligatur ad ineundum matrimonium, eo ſcil. modo, qui aliàs in verbo Dei præſcriptus, ut nempe non maritus, ſed *uxor ſit alligata legi viri*, ut non poſſit citra culpam adulterii nubere, *Rom.* 7. 2, 3. 1 *Cor.* 7. 39. Uterque vero tenetur ad contrahendum conjugium ad *evitandas ſcortationes* tum temporis maximè inter Ethnicos nec minus hodie deplorandis temporibus uſitatas. Cum enim regularem ſexuum commixtionem non voluptatis ergo, ſed ad procreandam ſobolem natura fuerit commenta, utique intentioni hujus repugnant, qui nil hic ſpectant aliud, quàm ut pruritum demulceant. Equidem quibuſdam perſuaſum eſt, complures gentes hanc partem naturalis libertatis cenſuiſſe, ut innupti, innuptæque corporis ſui copiam invicem commodandi haberent licentiam etiam deliciarum duntaxat & voluptatis ergo, gratis aut pacta etiam mercede. Sic *Seldenus* v. 4. ex Hebræorum Doctoribus oſtendere vult ante legem Moſaicam licuiſſe fœminæ innuptæ & nondum deſponſatæ ſui copiam corporis gratis aut pro mercede facere ſine conſenſu in vitæ communionem; ſed ex lege Moſaica primum ejusmodi concubitus innuptarum Hebræis interdictos fuiſſe, adeo ut dein nec mercedis nec libidinis gratia extra matrimonium circumciſis inter ſe concubitus aliquis licitus haberetur, etſi circumciſi cum pagana innupta concubitum in certis caſibus illi non judicarint illicitum, quo fine allegant *Deut.* 23. 18. *Lev.* 19. 29 *Gen.* 38. 14. Rationem autem proſcriptarum è Sancto populo meretricum hanc affert *Maimonides* citante *Seldeno*, tum, ut evitarentur contentionum & ſimultatum mala, quæ ex ejusmodi libidine matrimonio non cohibitâ, oriri ſolent, tum ut bono illo fruamur diſtinctionis ac certæ notitiæ familiarum. Ad Gentilium teſtimonia provocare non eſt opus: vid. *Epicteti Enchir.* c. 17. *Plaut. Curcul. act.* 1. *ſc.* 1. *Ph. quin leno hic habitat. Palm. Nemo hic prohibet, nec vetat. quin quod palàm eſt venale, ſi argentum eſt emas. Nemo ire quenquam publica prohibet via. dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam. dum te abſtineas nupta, vidua, virgine, juventute & pueris liberis. ama, quod lubet.* Verum enimvero, ſi in univerſum id reciperetur, ut omnes ſibi membra generationi dicata, ſoli libidini exercendæ data crederent, eique uſui unicè applicarent, decora inter homines & tranquilla Societas ſubſiſtere non poſſet. Ex quo conſequitur, jure naturali illas vagas libidines & ſcortationes damnari, nec per conniventiam tolerari debere, etſi quidam prætexere velint, quod hoc pacto matro-

tronarum atque virginum pudicitia paucioribus inſidiis ſit obnoxia. Neque enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Neque etiam apud illos, ubi velut publica ſecuritas iſti vitio eſt indulta, ita exolevit dictamen rectæ rationis, ut vagam libidinem non taxarent, atque ab omni turpitudinis nota abſolverent. *Turpiter facere meretricem, quod ſit meretrix.* Ulpiani pronuntiatum eſt. & gravisſimæ inſtar pœnæ habebatur, apud ædiles licentiam ſtupri vulgando exiſtimationis jacturam facere. Tacitus Ann. 11. *Viſtilia prætoriâ familiâ genita licentiam ſtupri apud ædiles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* His ultimis quidem temporibus, de quibus illud Horatianum uſurpari poſſet:

Ætas parentum pejor avis tulit,
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

eò deventum eſt, ut ſolutas & vilioris ſortis fœminas inerraſſe juvenilis quædam labes habeatur, lubrico ætatis non tam defenſa, quam utcunque elevata. vid. *Cic. pro Lælio.* & prolixus locus Auſonii apud *Stobæum Serm.* VI. Inde certè Gentiles multis Chriſtianis hic Sanctiores quibus & ſcortatio ſimplex grande peccatum ducitur. teſte *Petro de Vall. Itin. p.* 3. Muhammedani vero ſcortationem cum ancillis inter licita recenſent.

1. *Ob ſcortationem habet unusquiſque.* πορνείαν hic ingenitam carnis vim notare obſervat *Jo. Currad. Dietr. Lexic. Phil. N. T.* in voce. Quæ explicatio, quia analogiæ fidei non ſit contraria, nil impedit, quo minus admitti poſſit, ita tamen ut altera expoſitio non inſuper habeatur, qua Apoſtolus vult, ut propter evitandas ſcortationes quilibet matrimonium inire debeat, & hoc pacto ſe à ſuſpicione omni liberare. Peſſimus vero eſt ſenſus hujus loci, quem vir magni nominis aliàs non ita pridem præſentibus multis honeſtis viris, eructabat, quod Apoſtoli mens ſit, quod ad ſcortationes exercendas cum propria uxore conjugium ſit amplexandum. Huic non alia ſedit in mente ſententia, quàm quod conjugium ipſum ſit honeſta ſcortatio, ut veteribus Hæreticis, & nonnullis modernis Miſogamis dicitur. Equidem negare non poſſumus, impios in his mundi fœcibus ſæpe non aliter cum uxoribus ſuis converſari, atque cum ſcortis. Interim conjugium ipſum eſt τίμιον ἐν πᾶσιν, in omnibus perſonis, partibus, ordinibus, temporibus ut *Danh. Hodoſ.* 108. explicat; & hodie poſt lapſum in remedium ſcortationum ceu medicina adhibetur, Unde Plutarchus libr. de educ. lib. *vinculum illud jugale* (juxta Virg. 4. Aen. v. 16. 59.) vocat δεσμὸν τε ἐντονώτατον ὡς ἀσφαλέστατον *certiſſimum vinculum, quo libido juventutis poſſit frenari.* Cui conſentit *Baſil.* in Ep. ad Greg. Naz. de ſolitudine. *Luxuria iſta puerilis nuptialibus pedicis alliganda.* dicit Apul. 6. Met. 279. Arnobius contra Gent. l. 5. p. 97. dicit *uxore adoleſcentulum vincire.* Horatius *gratam compedem* vocat amorem. l. 1. od. 33. & Lipſius *vincula & carcerem* de nuptiis dixit. Statius in Epithal. Stellæ & Violant.

ſubiit leges & frena momordit:

Greg. M. homil. 17. in Eu. p. 660. *Cum vocantem quendam lubricum videmus, admonendus eſt, ut conjugio frenare ſtudeat iniquitatem ſuam, quatenus per hoc, quod licet, diſcat ſuperare, quod non licet.* Hoc conſilio data fuit Plautiani filia Baſſiano Caracallæ, eroci juveni, à Patre Severo, γάμῳ σωφρονίσαι θέλοντι teſte *Herodiano l. 3. p.* 76.

Sic enim nil eſſe aptius putavit ad expugnandum ferocientis juventutis animum.

2. *Habeat.* ἐχέτω eſt Imperativus Catholicus omnes nulla excepta perſona, loco, ordine, obligans, præſertim poſt lapſum, ubi quilibet ἄγαμος ſcortationis ſuſpicioni & quidem non immerito, eſt obnoxius. *Bellarm. l. 1. de Cler. c. 21:* & *Corn. à Lap.* in h. l. depravant explicando, vel de conſilio ad homines, voto ſolutos, reſtricto. q. d. Unuſquiſque niſi per votum impediatur liberè ducat uxorem; vel de præcepto ad ſolos conjugatos ſpectante; habeat, i. e. habere pergat, nec repudiet, ut ſignificet actum continuatum. Verum enim verò hoc non eſſe conſilium patet ex verbis in imperativo ſub obligatione (ἐχέτω) propoſitis. De ſolis autem conjugatis non loqui Apoſtolum manifeſtum eſt, partim ex eo, quia de conjugatis demum ex profeſſo agit v. 10. partim etiam exinde, quod quæſtio eſſet inſtituta non de conjugis aſſumtæ retentione, ſed de aſſumendæ tactu, atque ductione, ut ex v. præcedente patet. Præterea, quia idem periculum ſcortationis imminet innuptis, qui continere non poſſunt, atque nuptis, qui tabulas matrimoniales divortio ſolvunt atque violant, eadem hac in re cœlibum & conjugatorum eſt ratio. Neque tamen proinde omnes præciſe inhabiles etiam, ſenes Eunuchi hoc præcepto obligantur, cum Apoſtolus ipſe addat, & limitet dicendo: *propter ſcortationem*, qui continere non poſſunt; illis ſimpliciter ſcilicet eſt injunctum, qui caſti vivere non poſſunt, ut matrimonium contrahant, ne peccent, reliquis vero, qui ſe etiam continere poſſunt, imperatum Gen. 1. ad ſui multiplicationem. Quin etiam inhabiles ad generandum, ſenes it. & Eunuchi ob mutuum adjutorium poſſunt ſibi de ſociis & coſtis proſpicere. Antea v. 1. autem dixerat Apoſtolus: *Bonum eſt mulierem non tangere:* ubi τὸ *tangere* non ſumitur in *ſenſu proprio*, quaſi abſolute bonum non ſit, mulierem tangere manibus, ut *Hieronymus*, ſummus cœlibatus Patronus autumat, ſed in ſenſu *Synecdochico* de ipſa συνουσίᾳ γαμικῇ, quam ipſe Spiritus S. voce *tactus* exprimit. Gen. 20. 4. Bonum verò hoc loco *non morale & ſpirituale*, ut Corn. à Lap. in h. l. ſcribit, ſed *utile* intelligitur, quod patet 1. ex ſcopo quæſtionis. Urgebant Corinthii rationes è malitia temporum, & moleſtia conjugii natas, ſervitutem, malitiam mulieris, ſolicitudinem pro liberis, eorum degenerationem, electionis difficultatem. &c. Deinde ex eo etiam conſtat, quod ſi moraliter bonum eſſet, non ducere, moraliter malum eſſet ducere. At quomodo moraliter malum eſſe poteſt, quod à Deo ipſo ortum & inſtitutum. Quod ipſum etiam docet addita adverſativa limitatio v. 2. *propter ſcortationem habeat.* ubi utilitas ſatis perſpicitur. quæ etiam apparet ex collatione v. 26. ubi aſſerit quod matrimonium non ſit bonum propter inſtantem neceſſitatem, pericula, perſecutiones. Quæſtio igitur eſt de ducenda uxore tempore perſecutionis, quando Chriſtianis nil relinquebatur proprii, ſed profeſſis omnia adimebantur. An in tali caſu, inquam, & in illa neceſſitate melius abſtinere, an vero præſtet ducere, quam tolerare uſtiones carnis, & decidebat Apoſtolus in hoc dubio: melius eſt nubere. Per πυρώσεις vero intelliguntur non ipſi motus primi, impuri, primi calores, nec etiam deinde ipſa incontinentia, fornicatio, tentatio vincens. ut *Bellarm.* cenſet, quia fornicatio differt ab uſtione, ut fœtor à flamma, Apoſtolus etiam hæc duo ab invicem diſtinguit, atque ppræterea præſcripſiſſet externo non interno morbo remedia. Hic igitur per πυρώσεις intelliguntur motus graviores atque intermedii, tentationes penetrantes. vid. *Danb. Colleg. Decal p.* 371. 373. 315. *Lac. Catech.* 2. 62: *Dram Sacr. p.* 82 *p.* 472. Melius itaque, dicit Apoſtolus, eſt matrimonium inire, quàm uri vel ſcortari, non obſtantibus periculis, perſecutionibus, curis, moleſtiis, poſt lapſum à conjugio inſeparabilibus. ut Poëta canit

Littore quot conchæ, tot ſunt in amore dolores,
Quæ patimus multo, ſpicula felle madent.

Victor Utopicus exinde vult infringere Polygamiam, ſi Monogamia tot curis, laboribus, incommodis eſt expoſita, multo majoribus erit obnoxia Polygamia, quia creſcentibus cauſis creſcunt effecta. At hoc tantum valet in

in cauſis eſſentialibus & per ſe, non vero illis, quæ per accidens contingunt, aut extrinſecus adveniunt. Una mulier mala poteſt plus negotii faceſſere viro imprudenti quàm decem bonæ, nec arbitror Jacobum Quadrigamum tot pedicis curarum fuiſſe irretitum, quàm hodie ſæpè aliquem Monogamum. & prætereà

Omnis commoditas ſua fert incommoda ſecum.

Prudens vir adjutorio plurium felicius utetur, quàm unius, & ex omnibus adverſis utilitatem capiet, adeoque ſapientior & beatior evadet: uti *Cardanus* monſtrat *in libr. de Utit. ex adv. capienda.* Qui verò ſeipſum non novit, aut ſe inhabilem putat ad Polygamiam, ſeu contractus hos Politicos ineundos non tantum, ſed & continuandos ob defectum donorum animi, vel corporis, vel fortunæ, per me licet, ut intermitttat. Sicuti enim conjugium habilibus & capacibus præſcriptum eſt, ita etiam Polygamia. Quisque igitur ſe & ſuam naturam, ſuasque *vires naturales probet*, & bene ſcrutetur, atque deinde edat, bibat, dormiat, & reliqua naturalia peragat naturæ ſcilicet convenienter, uti rationalia, præſertim animalia decet, ita ut neque in exceſſu, neque in defectu peccet, ſed auream mediocritatem, ut ab Horatio Ethnico vocatur, Chriſtiano more obſervet Illud autem *Victori* illi *Cretenſi* condonandum non eſt, quod Paulo p. 8. impietatem, temeritatem, & tentationem Dei aſcribat, quando verba illa: *utinam omnes eſſent ſicut ego*, de ſtatu extramatrimoniali exponit, quod impienuiſſimum votum eſſet pariter atque ſtultiſſimum, ſiquidem nihil aliud involveret, quàm ut aut mundus ante tempus brevi interiret, aut ſpuriis, nothiſque totus impleretur, aut novo medio ſine conjugio per extraordinaria miracula in Utopia noſtri Victoris patria, fortèan conſpicua conſervaretur. Quando itaque Paulus dicit atque optat, ut *omnes homines eſſent ſicut ille*, non hic ſenſus eſt, ut omnes homines ſint ἄγαμοι, uti Victor Extramundanus ſomniat ſed ut omnes ſint ἁγνοὶ, caſti. Illud enim pugnaret cum loco 1 Cor. 9. 5. ubi Apoſtolus ait: *Annon habemus poteſtatem ſororem uxorem circumducendi uti quoque reliqui Apoſtoli, & Fratres Domini & Cephas. An ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem hoc faciendi?* Qui locus, ſi ullus alius favet Conjugio Paulino, & contra Pontificios urgeri poteſt. Non enim loquitur Apoſtolus de muliere adminiſtra alimentorum, de qua hunc locum ſecuti gloſſam ὧν γαμουμένων *Tertull. de Monog. c. 8. & Hieron. exhort. ad Caſtit. c. 8.* exponunt *Bellarm. de Cleric. c. 20. à Lap. ad l. c. Conzen. q. 7. in Ep. ad Rom.* Quos tamen facile refellit 1. ſcopus Apoſtoli, qui eſt *aſſertio juris Apoſtolici*, de onerandis Eccleſii, q. d. liceret mihi onerare Eccleſias muliere, &c. cui alimenta deberetis. 2. phraſis *circumductionis*, quæ autoritativa eſt, non beneficiaria. Neque alumno hujusmodi jus competit in benefactricem. 3. *Sanctitas Apoſtolica.* circumducens enim mulierem incurriſſet ſuſpicionem mali, cujus etiam ſpecies cavenda. *Clementis Alexandrini* aſtipulatio, qui *l. 3. Strom.* & *Tertull.* γυναῖκα de uxore explicant. Neque Chriſtus circumduxit diſcipulam, ſed illum ſecutæ mulieres ſponte, eæque multæ; & uxorem ſororem dici religionis ergo nil impedit, licet articulus τὴν non addatur. Ergo hinc elicimus 1. *jus*; Apoſtolis eſſe uxoratis licuiſſe. 2. *Factum*; Paulum fuiſſe uxoratum. Loquitur enim de jam ducta, & tantum profitetur, ſe non habere jam ſecum. ſalutat enim illam *Phil. 4.* & vocat illam γνήσιον σύζυγον, conjugem Germanam, ut *Ignatius*, *Clemen. Alex. Chemnit.* aliique teſtantur citati ſupra *ad th. 20. n. 2. fin. th. 75. n. 15.* Prætereà etiam hinc patet, fabuloſa eſſe, quæ de Tecla Pauli diſcipula, ex ſuppoſititio ſcripto *Tertull. de bapt. c. 17.* Cardinalis *Hugo* affert. vid. *Greg. Nyſſen. hom. 4. in Cant. Auguſt. l. 30. contra Fauſt. c. 47. Epiph. c. 78. it. Morellius & Eſpencæus in h. l. it. Baron. T. 1. ann. 47. ſect. 2.* Falſa igitur eſt opinio cum *Victor Ecſtaticus* fingit Paulum fuiſſe ἄγαμον, ſeu ſine matrimonio, & optare etiam, ut omnes homines vivant extra conjugium. Hoc ipſi nunquam in mentem venire potuit, ſed vult ut omnes homines ſint caſti, quemadmodum ille, ut qui habent uxores, ſint quaſi non habentes. v. 29. & donum continentiæ habeant,

ſuo

ſuo exemplo, idque pro tempore illo inſtantium perſecutionum. quæ continentia non tantum extra, ſed & in conjugio locum habet ut exemplo Joſephi mariti Deiparæ patet. (& *Paphnutius:* etiam in conjugio eſt caſtitas) Et ita mecum ſentit incomparabilis Theologus Dn. D. *Danhauerus* Præceptor & Hoſpes olim meus nunquam ſine præfatione laudis nominandus. vid. ejus *Dram. p.* 131. 127, Subleſte etiam agit *Victor Extraſolaris*, cum Paulo affingit, quaſi ipſius ſententia ſit, etiam ipſum matrimonium propter vitæ mortalis curas & moleſtias non ineundum, ſi quis caſte eo abſtinere poteſt. Certe tenerrime ſit educatus oportet, *Victor Sideratus* qui nullas moleſtias perferre poteſt. Fugiendum ipſi eſt è mundo, & ſedes inter aſtra, aut plus ultra collocanda, ut nebulis ſublunaribus & ſolaribus etiam ſit liber. Nam & ſolem ſuas nubes, aut nubeculas, vel nebulas habere aſſerunt, qui maculas illas ſolares ex exhalationibus & vaporibus ſolaribus ortas conſiderant, & ceu meteora Heliaca contemplantur, de quibus *Jo. Andr. Boſius* Philologus inæſtimabilis, contubernalis olim meus deſideratiſſimus, in ſuis *de Meteoris Heliacis* diſſertationibus ſolidiſſime. Ultra hæc Meteora ſi *Victor noſter Aſtralis* inter ſidera ſedem ſuam fixerit, fortean iſtas nebulas non ſentiet, & ad pedes Andromedæ & Meduſæ ſi requieverit, plura in gratiam fœminarum adducenda addiſcet, & ceu oculiſſimus Argus in Paulo ea deprehendet, quæ alii ne per ſomnium quidem cogitatione aſſequi potuerint. Quorum egregia ſpecimina cum jamdum ediderit, ſane meretur, ut aſtris inſertus Meduſæ aliiſque Deificatis aſſocietur, & præmia fœminarum Patronis digna reportet, aliiſque exemplo ſit, ut ipſius veſtigiis inſiſtentes aliquando à Deabus quoque coronentur.

3. *Suam uxorem; ſuum maritum.* Turpe eſt *tota lege non inſpecta vel perlecta de lege judicare*, dicunt, quantum memini ICTorum filii. ita turpe etiam Theologo, textum Originalem in ſcriptura ſacra non inſpicere, aut illum ſtudio præterire, & tamen ſcripturam explicare velle. Si noſtri Anti-Polygami hoc dicto contra Polygamiam utuntur, cum tamen ex textu Græco non inſpecto ab illis originali ea inde ſatis probetur: Cum vero in Latina & vulgata verſione unum idemque vocabulum (ſuam uxorem, ſuum maritum, aut propriam uxorem, proprium maritum) habeatur, ideo etiam ſummam æqualitatem inter hæc duo correlata fingunt, ut quod uni non licet, alteri etiam non liceat, & cum non liceat uxori alligatæ viro *Rom.* 7. 2. 1 *Cor.* 7. 29. alteri nubere; illico concludunt etiam non licere viro aliam ducere. Certe, ſi ex Marianis eſſent noſtri Antagoniſtæ, vitio illis non verteretur, ſi vulgata ut authentica uterentur. nunc cum orthodoxos ſe venditent, & filios veræ Eccleſiæ, miror, cur in probationibus & actionibus more Marianorum ſe gerant. Nullam igitur injuriam perferent, ſi quis inter Semi-Marianos & Semi-Tridentinos numeret. Sane, Patres Tridentini, ſi adhuc in vivis eſſent, ipſis immortales agerent gratias, quod è ſcriptura ſacra anathematis in Polygamos vibrati juſtitiam atque æquitatem, ceu optimi Hyperaſpiſtæ & ſuccenturiati triarii defenderint, eaque præſtiterint quæ ipſi ne quidem audere voluerint. Verum enim vero ſi Græcum textum attendiſſent, aut conſiderare voluiſſent, inveniſſent ibi duo diverſa vocabula, uti Græca lingua aliis linguis multo amplior, diverſitatem quoque rei nobis inſinuantia. Quod *Victor* noſter *Meteoricus* bene animadvertit, ideo cum hoc dictum proponit, uno quidem loco (*unaquæque habeat ſecum proprium virum*) addit Græca vocabula τὸν ἴδιον ἄνδρα. in altera vero propoſitione (*unuſquiſque habeat ſuam uxorem*) omittit Græca verba (ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω) non enim audet iterum vocem ἴδιος opponere; ne mendacii aperti & doli argueretur; altera verba etiam apponere noluit, ne ſub diverſitate vocabulorum illico etiam diverſitatem rei animadverterent lectores; Quare ſtudio omiſit, atque adeo à dolo abſolvi non poteſt; ſiquidem hoc ipſo non adeo erudito & curioſo lectori imponere voluit, ac ſi in Græco etiam unum idemque vocabulum, ἴδιος nempe utrobique de marito & uxore habeatur, ſicut in Latino (ut & in Germanica verſione unum idemque, *eigen*, habetur) in utraque propoſitione *proprius* vel

ſuus

ſuus legitur; ſicuti etiam Latinum maxime urget, & exinde æquale interdictum in marito & uxore de non ducendis pluribus exſculpere allaborat, cum tamen in Græcis ἴδιος & ἑαυτοῖς ſint diverſiſſimæ ſignificationis. ἴδιος *proprius* non præciſe ſignificat tale proprium, quod non & pluribus ſit commune, ut cum Chriſtus dicitur Matth. 9. 1. veniſſe in ſuam (ἰδίαν) civitatem. Quis vellet inde Capernaum eſſe ita Chriſto propriam, ut non ſit pluribus communis. certe plures ibi erant concives? ita cum uxor debet habere maritum proprium, non hic eſt ſenſus ac ſi mulier habeat talem maritum qui non poſſit pluribus eſſe communis, ſed ſicuti ibi verus ſenſus hic eſt: Chriſtus venit in ſuam civitatem i.e. Chriſtus non habebat niſi unicam civitatem in quâ vectigalia ponebat, in qua requieſcebat, in quâ ſedem fixam poſuerat, in quâ habitabat, quorſum defatigatus laboribus & functionibus Eccleſiaſticis ac concionibus iterum, iterumque recurrebat, ubi tanta miracula patravit. itaque hanc civitatem habet, ut præter illam non habeat aliam. Ita etiam eodem modo explicandus Paulus dicens: *uxor habeat proprium maritum* i. e. *nonniſi unum, unicum & præter illum habent nullum*, adeò ut hic clariſſime prohibeatur polygamia muliebris, ſeu multinubentia, & multiviratus, atque interdicatur mulieri habere plures viros. Qui tamen viri poterant etiam eſſe communes aliis & pluribus uxoribus. uti civitas quæ erat ita propria Chriſti ut non habebat niſi hanc unicam, nihilominus tamen illa erat communis pluribus civibus. Chriſtus vero non habebat plures civitates. Sic ἴδιος etiam uſurpatur *Act. l.* 25. *Judas abiit in ſuum* (ἴδιον) proprium *locum*, infernum qui ipſi ita erat proprius, ut non haberet, niſi hunc unicum qui tamen erat communis impiis pluribus. Ita *Joh. l.* 2. venit ad ἴδια, *ad ſua*, ad ſuum proprium populum, unicè dilectum, quem nonniſi unicum habebat cui tot privilegia, beneficia (leges, ſtatuta communicando, ex iis naſcendo) contulerat. Reliquis populis ita non fecit. *Pſalm.* 147. 20. Ita Chriſtus dicitur *proprio ſuo ſanguine* i. e. ſuo unico, non taurorum, non vitulorum, non ſanctorum, non Mariæ ſanguine aut lacte, ſed ἰδίου αἵματι proprio ſanguine *redemiſſe Eccleſiam*, ut hunc ſanguinem nullum alium adhiberet ad redimendum genus humanum. Ita *Rom.* 8. 32. Deus non pepercit ἰδίῳ *proprio* ſuo *filio* i. e. ſuo *unico*, unigenito naturali filio, præterquem nullum alium habebat, Pſalm 2. ad quem dixerit: *filius meus es tu, hodie genui te.* Ex quibus locis parallelis ſatis patet, prohiberi hic clariſſime Polygamiam muliebrem, & Paulum innuere, quod mulier debeat habere nonniſi unicum maritum. Jam, de viris ſi hoc vocabulum etiam uſurparetur, quod maritus debeat habere ἰδίαν γυναῖκα propriam mulierem, i. e. nonniſi unicam, ſicut dicitur de mulieribus non tantum hoc loco, ſed & 1 Petr. 3. v. 1. (*ſimiliter uxores ſubjectæ ſint* εἰς ἰδίοις ἀνδράσιν, *propriis maritis*) Anti-Polygami poſſent aliquid obtinere, & Polygamiam virilem evertere. Sed Apoſtolus Paulus de maritis dicit *unusquiſque habeat* τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα *ſuam uxorem*, non dicit ἰδίαν, propriam; ſed τὴν ἑαυτοῦ ſuam, uſurpando *poſſeſſivum* vocabulum; atque denotando uxorem eſſe *ſuam, à ſe poſſeſſam, ac quiſitam, emptam*, uti formulæ Hebræorum in ſponſalitiis uſurpatæ & ſupra *ad th.* 84. *n.* 3. adductæ etiam inſinuant. Quod etiam *Beza* bene animadvertit dum in verſione ſuâ non utrobique vocabulum *proprius*, ſed in priore loco de marito vocabulum *ſuus* uſurpat, cum ait: *ſuam quiſque uxorem habeat, & proprium quæque virum.* Quo ipſo indicatur, quod mulier ſeu uxor reſpectu mariti ſit res poſſeſſa, incommunicabilis, quam non vult nec vi inſtitutionis divinæ poteſt habere communem cum aliis, nec alius, ipſo vivente, ſibi appropriare de jure ſcilicet, poſſit; quia eſt proprium incommunicabile. Maritus vero ceu ſuperior non poteſt dici poſſideri ab uxore ſeu inferiore, ſiquidem poſſidens ſemper eſt major re poſſeſſa, cum qua poſſeſſor pro lubitu poteſt agere quicquid velit, reique poſſeſſæ, ſi eſt animata, leges præſcribere *Rom.* 7. 2. 1 *Cor.* 7. 39. Res vero poſſeſſa uxor, ceu inferior, dependens à poſſidente, leges accipit, nullaſque leges præſcribit poſſeſſori quia *non eſt ſui juris*, ſed ſubjecta; atque

ſubdita ſuperiori, ad quem ſolum pertinet, non ad alium. Poſſeſſor habet jus dominii in rem poſſeſſam, & vere eſt ac dicitur Dominus rei poſſeſſæ, qualis eſt maritus reſpectu uxoris. uxor vero ceu res poſſeſſa, inferior non eſt Domina mariti. Ita uſurpatur 1 *Cor.* 6. 19. οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν. *non eſtis veſtri juris.* q. d. vos & veſtra corpora ſunt templa Spiritus S. qui eſt veſter Dominus, non vos, non alius. ad hunc ſolum pertinetis non ad alium. Sic *Act.* 20. 28. *attendite vos ipſos, non alios.* προσέχετε ἑαυτοῖς Luc. 15. 17. de perdito filio dicitur; εἰς ἑαυτὸν ἐλθών. *cum ad ſe rediiſſet*, non ad alium, cum in ſeipſum deſcendiſſet, ſeipſum cognoviſſet, non alium, ſuum ſtatum conſideraſſet, non alienum. Luc 7. 39. Phariſæus dixit εἰς ἑαυτὸν *ad ſe*, in ſuo corde, non ad alium, non altero audiente. Act. 28. 16. Paulo permiſſum fuit, ut habitaret & maneret καθ' ἑαυτὸν *cum ſeipſo*, non cum alio, ſeorſim, non cum aliis captivis. Ita h. l. unuſquiſque habet *ſuam* ἑαυτοῦ uxorem, ſuam, non pro alio, quæ ad ipſum ſolum pertinet, non ad alium. Quæ ipſa collatio harum diverſarum phraſium & vocum abunde docet, Polygamiam muliebrem eſſe prohibitam; non vero virilem.

4. *Quiſque habeat ſuam uxorem.* Apoſtolus hic maxime omnibus commendare vult matrimonium ceu rem omnium neceſſariam, utilem, jucundam & honeſtam. Tria enim ſunt præcipua bona, homini maxime conſideranda. *Bene naſci, bene nubere, bene mori.* Non debet dici bene natus, qui non eſt bene conjugatus. Uxor vero du:enda oculis, auribus, & manibus, illis, quæ videlicet ſit decora facie; iſtis quæ virtutis & honeſtatis ſit amans, his quæ ſit locuples. Rarum quidem iſtud trifolium, ſed à Deo petenda legitimis mediis. Hinc *Ariſtot. Oecon. c.* 3. πρώτην εἶναι κατὰ γυναῖκα ἐπιμέλειαν. *præcipuam curam eſſe de ducenda uxore, & ſocia vitæ*, cum ſine illa ullo modo domus eſſe nequeat. Nam qui uxore caret, quia domum non figit, non habet, & ſi habet in ea moratur, non tanquam pater familias, ſed tanquam peregrinus in diverſorio. Uxor enim *domus firmamentum*, quod *Afranius* in Privigno ſcribit: Uxorem quæris, *fundamentum & firmamentum familiæ.* & R. Joſe in Maſſechet f. 118. uxorem ſuam vocavit *domum ſuam*, quia eſt fundamentum domus, ut ibi gloſſator exponit. Res enim domeſtica, cui uxor præfici debet, bene ſe habere non poteſt, niſi mulieris principis, quæ mater familiæ dicitur, prudentia, cura, induſtria inſtituatur, gubernetur, componatur. Domus enim ſine uxore eſt veluti *hortus ſine ſepimento, conclave ſine clavi, navis ſine carina.* Qui vites plantat, mox ſepimento illas vallat, ne à beſtiis depaſcantur, quanto magis par eſt, fœminam domus ſepimentum parare, ne peſſum eat res familiaris, ut Syr. 36. 17. ubi vocat *ſemper* domus & *requiem* πλανωμένου, errantis. eſt *portus* juventutis. Ut in portu eſt protectio navium à ventis, ita & conjugium, ſi cupiditatum æſtus in altum libidinis feruntur, juventuti remedium incontinentiæ & *portus* propter animi tranquillitatem, qui vacat tunc omni perturbatione. Nam ante matrimonium juvenis amator πλανώμενος, oberrat, & nunquam quieſcit, & ut in mari æſtus ſunt, ita *æger amore* ſemper perturbatur, ut Plaut:

> *Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rotâ miſer,*
> *Exanimor, feror, diſtrahor, deripior, ita nubilam mentem*
> *Animi habeo, ubi ſum, ibi non ſum, ubi non ſum, ibi eſt animus.*

Ut igitur à curis vacuus ſit juvenis & pater familias bonus inveniatur, ante omnia ſibi paret *animi turbati curatricem, domus ſedulam auctricem, liberorum providam nutricem.* ut eandem quoque habeat proſperis dubiisque ſociam, rerum adverſarum ſecundarumque conſortem; Domus enim alternum maris & fœminæ ſubſidium requirit, ut *Xenophon* docet in *Oecon. c.* 7. ubi uxorem vocat eleganter ἀντίρροπον ἀνδρὶ ἐπὶ ἀγαθόν. Uxor enim velut *mariti pars*, quæ & adhæret ipſi perpetuo, & juvat, ſolaturque ipſius labores, & præſtat ei operas, quas ipſe ſibi non poteſt ἐν τῇ ἐκείνης κοινωνίᾳ ἐν παιδοποιίᾳ καὶ οἰκίας προστασίᾳ ut inquit *Chryſoſt. hom.* 20. *ad Eph. p.* 870. *t.* 3. Hinc in ſacris Eva, & cum eâ quævis fœmina vo-

ca-

catur *adjutorium*. Gen. 2. 18. Tob. 8. 8. Multum enim præſidii viro in matre familias, ut ſit *ad manum* κατ' αὐτόν, ut fideliter LXX. reddiderunt τὸ *Chenegdo*, vel ut Onkelos & Jonathan *in conſpectu ejus* i. e. ut eſſet individua vitæ comes. *quæ adhæret ipſi marito*, ut *Targum Hieroſ.* explicat illud Chenegdo. Ita deſcribitur uxor & officium ejus, quod ſit ἀνδρὶ συμπεριφερομένη. *Syr.* 25. 2. quæ ad nutum viri q. *circumferatur* individui inſtar comitis; quòd ſit q. *navis inſtitoris*, ναῦς ἐμπορευομένη. prov. 31. 14. *lumen domus* λύχνος ἐκλάμπαν ἐν κόσμῳ οἰκίας. Syr. 26. 19. *levamentum viri.* Eccleſ. 4. 11. Neque enim aliud *probis, quam ex matrimonio ſolatium*, quod apud *Tacitum* Ann. 53. ait Agrippina ſibi maritum à Tiberio depoſcens; inde & *portus viri in mœrorem prolapſi*, dicitur uxor ap. Naumachium in Stobæi ſerm. 72. f. 401. unde Chryſoſtomo t. 8. Op. p. 86. etiam γάμος dicitur λιμὴν καὶ καταφυγὴ καὶ παραμυθία τῶν ἐπικειμένων κακῶν, καὶ γὰρ λιμήν ἐστιν ἡ γυνὴ homil. 26. in 1. Cor. p. 415. Nam ſi virum caſus aliquis aut morbus gravior lecto affixit, præſto eſt, quæ aſſideat, conſoletur, manum porrigat, medicum advocet, fomenta paret, nihilque non agat, quò reſtituatur. *Væ autem ſoli, cum cadet. Eccleſ.* 4. 10. Itaque cadenti viro, ſi quæ triſtia aut incommoda obveniunt, ſocietas uxoris lenit, adimitque dimidium infortunii, ut de *Hipſicrateâ Mithridatis uxore* refert ex Plutarchi Pompejo *Valer. Max. l. 4. c. 6.* tantam ejus fidem in aſperis atque difficilibus rebus Mithridati *maximum fuiſſe ſolatium, & jucundiſſimum lenimentum.* Nihil enim tàm adverſum, quod non per hanc minus adverſum, nihilque tam lætum, quod hujus alloquio non lætius appareat. ut *Lucian.* docet *in Amoribus* p. 206. Sic *Ciceroni* unicū adverſorum ſolatium uxor fidiſſima *Terentia*, ſicut legenti patebit ex Epiſtolis curſim ad eandem datis, quanquam *Ciceronem in Cicerone requiram*; nam ibi video Philoſophum ita emollitum & dejectum, ut nil præter Epiſtolas quaſdam muliebres exararit, omnia queſtibus implens, ut etiam Terentia afflictiſſima non habuerit in Viro ἄπλετον ἄκος ἀνίης *ingens curarum levamen*, quale in Achille Briſeis deprædicat ap. *Q. Calabrum l. 3. v.* 563. Chriſtierni R. Danorum uxor Eliſabetha omnium mariti ærumnarum & exiliorum comes & ſocia eſſe maluit, quàm in regno tranquilla & incolumis ſine marito florere, teſte *Chytræo Orat. de Conjug. T. 4: Declam. Witeb. p. 495.* Alia exempla vid. in eleganti tractatu Belgicè conſcripto *de Eccl. ſex. fœm. Beverovicii l. 3. c. 5. p. 574.* Si autem læta obveniunt marito, gemina eſt voluptas, quia in dulciſſimæ conjugis ſinum effunditur, neque non aliud blandimentum majus viris, quam ex uxorculis blandientibus. Nam uxoris eſt exhilarare virum Syr. 26. 2. & *haut decet triſtem eſſe ſuo Jovi Junonem.* ut Plaut. & Martial. 10. Ep. 47. Non triſtem torum, ſed pudicum inter vitæ beatioris partes numerat.

THESIS LXXXVII.

NEc denique ex illis verbis cum dicitur, quod Epiſcopus debeat eſſe *unius uxoris vir*, aliquid poteſt obtineri. Sciendum enim eſt quod numerus unitatis, dualis vel pluralis non excluſive poſitus non ſemper excludat majorem pluralitatem. Nec enim unius poſitio eſt ſtatim alterius excluſio. Unum eſt neceſſarium dicit Salvator noſter. Unum peto à Domino, dicit Da-

 vid.

vid. Duo ſunt quæ peto à te Domine, quæ mihi non denegabis, antequam moriar, dicit Salomon. Ubi duo convenerint, id continget illis à Patre meo cœleſti, dicit Chriſtus, Matth. 18. In 2 vel 4 ore conſiſtit veritas, ait Moſes, & ex illo Chriſtus, Deut. 15. 19. Matth. 18. 16. Inter 12. diſcipulos cœna Domini eſt inſtituta, nil vero prohibet, quo minus inter plures celebretur. Ita inter 2 conjugium eſt inſtitutum, nil verò impedit, quod non plures poſſint eſſe in uno conjugio, ſeu unum, non quidem identificè, ſed per ſummam conjunctionem & arctiſſimam conglutinationem colligati, uti Actor. 4. 30. multi fideles dicuntur fuiſſe *unum cor & una anima*. conf. 1 Cor. 6. v. 16. 17. *Ab uno ſanguine omnes nationes in terra proveniunt*, Actor. 17. adeoque non tantum mas & fœmina, ſed omnes homines ſunt unum & conſanguinei. Quando igitur aſſeritur quod Epiſcopus debeat eſſe unius uxoris vir, ipſi ſummopere recommendatur matrimonium, & imperatur, quod debeat ad minimum unius uxoris vir eſſe ſeu maritatus ad movendam ſuſpicionem ſcortationis, cui omnes ἄγαμοι ſunt obnoxii. An verò, uti à Rabbinis Pont. Max. ad averruncandam luxuriæ ſuſpicionem, ita hic Epiſcopo tantum unica uxor concedatur, equidem aſſerere non audeo. Et ſi vel maxime hoc concedatur, ab Epiſcopo tamen ad omnes homines argumentari non fas eſt.

Et quanquam *Auguſtinus quæſt. N. T. quæſt.* 96. exiſtimet ſacerdotibus in Veteri Teſt. licuiſſe tantum unam uxorem ducere, quod etiam apud Ægyptios Polygamos in uſu erat. ut ſupra diximus. *Hieronymus* tamen non malè cenſet, etiam ſacerdotibus Polygamiam non fuiſſe prohibitam. Cœterum hic notatu digna egregia explicatio, quam P. *Martyr in Loc. Comm.* in hunc locum affert, ubi ait, *unius uxoris virum eſſe* eum qui caſté vivat & alienas uxores non ſequebatur, ſed ſit bonæ & integræ famæ, idque inducor, inquit, ut ea ſentiam, quia de vidua etiam dicitur quod debeat eſſe *unius viri uxor*, id eſt, caſta, atque optimæ famæ. Sicuti enim non ſequitur quod cum unius viri uxor ſit eligenda his verbis Polygamia muliebris ſit prohibita (nullis legibus enim & moribus unquam fuit conceſſa ſicut Polygamia virilis) ita etiam non ſequitur, quando Epiſcopus debet eſſe unius vir, quod Polygamia virilis ſit prohibita. Quæ ſanè obſervatio utramque implet paginam, licet priores etiam poſſint admitti. Quanquam etiam unius loci unicus tantum ſit ſenſus literalis ut Glaſſ. Phil. Sacr. & Danh. Id. B. Interp. & Herm. Sacr. docent, nil tamen impedit, quo minus poſſint eſſe multæ & variæ interpretationes, ſi analogiæ fidei non ſunt contrariæ, omnes poſſunt admitti. Interim certum eſt Apoſtolum neque hic neque alibi Polygamiæ refragari (unde & Laurent. Beyerling. dicit in Scripturâ nuſpiam expreſſe prohiberi.) Sed po-

potius illi ubique magnam autoritatem conciliare. Quando enim omnibus hominibus injungit, ut σωφρόνως δικαίως καὶ εὐσεβῶς vivant, nec ambulent in concupiſcentiis carnis, uti gentiles Deum ignorantes, ut conſervent ſuum vas in ſanctificatione & honore, quia vocati ſumus non ad immunditiem, ſed ad ſanctimoniam; quid aliud nobis quam Polygamiam vult recommendare. Annon illi εὐσεβῶς vivunt, qui primum illud Præceptum Catholicum divinum: Creſcite & multiplicamini & replete terram: pro virili implent. Annon illi vivunt δικαίως qui cuique tribuunt quod ſuum, qui ſemen uxori communicant, quod ipſi debetur, ſemen vero, quod ipſi & ipſius infanti nocet, non tribuunt ſed liberorum quærendorum cauſa, ad quod à Deo deſtinatum tribui debet uſurpant. An illi non σωφρόνως vivunt, qui in conjugio non voluptatis ergo, ſed ob procreationem ſobolis, ut in Polygamia fit, degunt, & cum uxore nonniſi ob ſpem poſteritatis rem habent. Sic enim aurea illa virtus σωφροσύνη & in viro & in uxore locum habebit. Nec concupiſcentiæ carnis tam frequentes erunt in illo, qui membra generationi dicata illi fini tantum conſecrat. Et ita illa vaſa conſervabuntur in ſanctimonia & honore quo pacto etiam ante lapſum, ubi nullum peccatum fuiſſet, eſſent uſurpata. Et minor eſt etiam immundities ſi in conjugio nil ob oculos, quam procreatio ſobolis, ut in Polygamia fit, ponitur. Unde multi ex patribus gravida & lactante cum uxore cubare improbant, pecora imitanda præcipientes, *ne poſtquam uxoris venter intumuit, infans officiatur. C. 5. cauſ. 32. quæſt. 4. diſt. 5. c. 4.* & *ne matrix ipſius agitationis uſum*, ut Priſcianus loquitur, *non ſuſtinens abortiat.* Huc facit quod Juſtinus Apol. 11. f. 55. *Matrimonium non aliter contrahimus niſi liberorum creandorum atque educandorum cauſa.* Præterea conſtat ex omnibus Epiſtolis Apoſtol. quod debeamus *vocationi noſtræ* attendere, omnemque movere lapidem, ne quicquam intermittamus, quod ullo modo ad illam ornandam facere videatur. Cum vero negari non poſſit, homines *ad id eſſe vocatos, ad quod à Deo vires acceperunt*, (quis enim fruſtra illas datas exiſtimet?) & præterea in propatulo ſit, hominem maſculum habere vires ſe multiplicandi cum pluribus, & generandi multos homines iniquiſſime ſe gereret erga Deum & poſteritatem, ſi non eo modo, qui Deo nunquam diſplicuit, nec quia vires dedit, diſplicere poteſt, liberis operam daret. Quis enim illum à culpa abſolveret, qui ſuam *vocationem divinam* non ſequitur. Quis reſpondebit aliquando in die Pantocritico pro illo, qui *diviniſſimam & naturaliſſimam imo & Chriſtianiſſimam vocationem* omnium hominum improbat, impedit, aut pœna mortis graviſſima coërcet & abrogat. Divus Apoſtolus *Paulus*, 1 *Timoth* 4. vocat *Diabolicam doctrinam ortam ab Apoſtolis Seductoribus, hypocritis mendacibus & conſcien-*

 tia

tia cauteriati , illorum qui prohibent matrimonium puta legitimum. Jam vero conjugium cum pluribus ſeu Polygamia legi naturali & divinæ, uti demonſtratum eſt, exactiſſimè congruit. Ex quo non poteſt non conſequi, quod omnes illi qui reprobant, ſufflaminant & puniunt Polygamiam foveant doctrinam Satanicam mendaciis pleniſſimam, hypocriticam, ſint Apoſtatæ à verâ fide Abrahamiticâ, Jacobiticâ, Davidica, Salomonæa divantes contra propriam conſcientiam, quam omnes gentes ex lumine naturæ habent, falſa pro veris venditantes, adeoque graviſſimè & ἀναπογολήτως peccantes. Unde non immerito *Jacobus* 4. 17. ait: *qui ſcit bona facere & non facit peccat.* Nunc vero ignorare non poſſunt ex hoc perlecto diſcurſu omnes, quocunque nomine veniant, ſive ſint Magiſtratus ſive ſubditi, ſive Eccleſiaſtici, ſive Politici, ſive Viri, ſive Fœminæ, Polygamiam in numero peccatorum non eſſe habendam, ſed potius inter bona opera ut conjugium collocandam. Annon igitur graviſſime delinquent, quando ullo modo remoras dabunt, & *Polygamiam ceu rem naturaliſſimam, diviniſſimam & Chriſtianiſſimam*, addo & *Catholiciſſimam* in dubium vocabunt, aut plane abolere conabuntur. Sed

Naturam expellas furca, tamen ipſa recurret.

Ipſæ *Fœminæ* alias hac in re vitio Zelotypias iniquiſſimo maxime obnoxiæ norunt ex natura non tantum, quod omnis labor poſt imprægnationem ſit fruſtaneus, ſed & ex 1 *Petr.* 116. 6. quod Saram imitari debeant, quæ Abrahamum vocans Dominum ſua ſponte ancillam ſuam ſubminiſtrabat. Væ illis ſi huic præcepto Petrino morem non gerant. Qui plura de hac deſiderat, poteſt conſulere Diſcurſum Politicum inter Monogamum & Polygamum inſtitutum & centum argumentis ſcripturariis illuſtratum & deinceps ut audio à Millegamo Salomone mille rationibus, ſi opus fuerit, demonſtrandum hactenus linguâ Germanicâ, Belgicâ, Anglica & Suecica evulgatum.

1. *Epiſcopus.* Doctores & auditores in Eccleſiâ hodie dicuntur *Clerici & Laici*, quæ vocabula quatenus in Eccleſiâ toleranda vid. *Nicol. Vedel. in Ign. Epiſt. ex. 2. p.* 66. Cleri vero nomine in ſcripturis tota venit Eccleſia, non ſola turba raſa & uncta, uti hodie apud Pontificios. vid. *Menz. Exeg. A. C. a.* 14. p. 640. Poſtquam autem hæc diſtinctio inter clericos & laicos invaluit, Canones deſtruere ceperunt ſtatum Laicorum, ut ampliarent ſub quâdam ſimulatâ conſcientiâ ſtatum clericorum, ut loquitur *Petr. de Ferrar. in Pract. tit.* 41. *n.* 17. Inter Clericos in altiore gradu ſunt poſiti Epiſcopi à Presbyteris in ſcripturis non diſtincti, ut ſupra diximus ad th. 75. n. 20. ſub tribus generibus *Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum in ſpecie ſic dictorum* conſpicui, qui omnia ſacerdotalia munera olim obibant, miſſas celebrabant, & in magnâ autoritate erant conſtituti, ob ſacra officia uti & ſacerdotes ipſi, ceu videre eſt ap. *Alanum de*

Ru-

Rupe Ordinis Fratrum Prædicat. tr. de dignit. & Excell. ſacerd. ubi inter alia elogia ob ſacrificii confectionem ad blaſphemias uſque progreditur, quando nefandum in modum ita ait: *Quilibet ſacerdos habet poteſtatem Patris, & (ſalva ſemper Dei reverentia) habet majorem potentiam quam Pater omnipotens in mundi efficientia. Nempe Pater 7. dies laboravit tàm in opere creationis quàm diſtinctionis. Sed ſacerdos celebrans quilibet, quantumque parvus, majus his omnibus facit. Pater enim ibi fecit creata, ſed ſacerdos increatum. Ibi Deus producit effectus, ſed ſacerdos cauſam cauſarum generat. Quanta igitur eſt diſtantia Dei à mundo creato, tanta eſt excellentia operis ſacerdotalis ſuper opus creationis. Unde definitive dico. quod majus eſt opus ſacerdotis, quàm habere potentiam creandi creata tot mundorum, quod ſunt ſubſtantiæ in mundo* &c. Tanta tribuunt in Marianâ Eccleſiâ ſacrificulis, eorumque Principibus, Epiſcopis, cum tamen conſtet, ſæpe malæ notæ homines ad iſta eligi officia; de quo jamdudum conqueſtus *Georg. Wicelius*, qui cum à Ferdinando & Maximiliano Impp. de religionis negotio ſententiam ſuam exponere juſſus fuiſſet, in libro, quem *viam Regiam* inſcripſit, in elencho abuſuum ita ſcribit: *Abuſus præcipuus committitur in electione, quæ parens eſt poſtea omnium corruptelarum. Eliguntur affectu magis quàm judicio; non à totâ Eccleſiâ, ſed à certis quibuſdam paucis, quorum pars major neque Deum magnopere, neque Eccleſiam Univerſalem curat, neque hujus profectum ſpectat, neque ſacras callet literas, tota harum rudis, tota tenebris involuta, operibuſque carnis immerſa, quo fit, ut ament potius ſui ſimilem eligere, quique ipſis commodus ſit præſul magis, quàm qui ſit propenſus ad populum ſubjectum* &c. *Poſt hæc prima eſt cura de novis corradendis pecuniis, virtus poſt nummos, ut ſemper, & de moribus ultima quæſtio. Proxima cura eſt de amplificando choro* i. e. *ut turba ſacerdotum ingens præſto ſit in conſpectu Principis ſacerdotum, & quo majora ſcandala veniant in mundo & populo, & peccata multiplicentur ad ſacerdotum numerum* &c. *Tertia cura electo incumbit de equitatu, ſtrepituque aulico, & ſatrapiâ Magnificâ cum præſulum nullus inferior ſuo præ deceſſore videri velit. Inde nobis vita tota aulica, conſilium aulicum, ſupercilium aulicum, nihil Epiſcopale, nihil humile, præter amictum clericalem, cæteroquin familiaribus, quia de ſeculo ſunt, & Pſeudo Evangelici, permittitur veſtitus barbaricus.* &c. *Et indulgetur peccaminoſa crapulatio, inebriatioque dies & noctes, & neſcio quid obſcœnius, ne querantur de inſulis ſordidis.* &c. Similes querelas à Patribus Tridentinis non unis vicibus ingeminatas refert *Petr. Suav. hiſt. Concil. Trid.* paſſim. Præcipua verò cura eſt de multiplicatione cleri, quo Epiſcopi ſuperbire ſolent, quando viſitant Eccleſias, & tot miſſas quotidie audiunt celebrari. Quia enim maximus numerus eſt ſacrificulorum, in immenſum exceſcere poteſt, uno etiam die numerus miſſarum. Ita Philippus III. Hiſpaniæ R. pro conjuge ſua Margaritha ipſo exequiarum die Madriti curavit fieri *miſſas mille ſeptingentas.* Deinde præter *mille piacularia ſacrificia*, de quibus agebatur in teſtamento, curavit alia fieri vigeſies mille. *Iſabella Clara Eugenia* pro marito ſuo Alberto imperavit celebrari *ſacrorum quadraginta millia.* Et *unus* quidem ſacrificulus non poteſt niſi *unicam uno die* celebrare miſſam, excepta Domini nativitate & nocte reſurrectionis, ubi ob beneficia Dei poſt dimidiam noctem tres dicere miſſas uni permittunt *Didac. Spino in ſpec. teſt. l. 3. n. 54.* exceptis etiam aliis caſibus, de quibus *Mart. ad Azpilkuet. Navarr. t. 3. c. 25. n. 87. Paul. Laym. Theol. Mor. l. 5. tr. 5. c. 4. n. 6. Thom. Hurtad tr. 2. t. 7. reſol. ult.* Rationem autem hujus unitatis excluſivæ hanc afferunt, quia Chriſtus ſemel tantum mortuus *c. ſufficit 51. de Conſecr. diſt. 1. Didac. Spino l. c.* Quæ omnia eo tendunt, ut præter proventus ex officiis curatis pecuniæ plures corradantur, aut monaſteria diteſcant, & ſalaria augeantur. de qua re eleganter *Annæus Robertus Rer. Judic. l. 1. c. 7.* ubi ita infit: *Prælaturæ & ſacerdotia, & quæ nunc vocamus* beneficia, *olim* martyria *erant, quin & primis Eccleſiæ temporibus ordinarii beneficiorum proventus & annui dignitatum Eccleſiaſticarum reditus non alii fuerunt, quàm perſecutiones*

ſtagella, fidiculæ, cruces, ſupplicia, membrorum lacerationes. *At nunc Eccleſiæ prælati cœleſtes illos proventus abnuunt, & pro tormentis, cruce & culeo delicati martyres magno Eccleſiaſticorum beneficiorum reditu ſuperbiunt, & pingui fructuum abundantiâ ſaginantur. Sacerdotia & prælaturæ, dum viguit incorrupta Eccleſiæ antiquitas, nec annuos, nec ſtatos reditus habebant. Unde conveniens videbatur, ut plebs Chriſtiana ſacerdotes ſuos in unâquaque Eccleſiâ* alere teneretur. *Magnam & ſolicitam adhiberi operam hoc ſeculo videmus ab iis,* qui fructuum & redituum occaſione beneficia venantur. &c. *Vanæ ſunt & ſuperfluæ hoc tempore illæ Canonum Conſtitutiones, quibus ſub gravi pœnâ interdicitur; ne quis ad ſacerdotia, ſacros ordines, aut dignitates Eccleſiaſticas invitus promoveatur. Neque enim corvos aut cæteras aves, quæ laceratione corporum aluntur, tam rapido volatu ad cadavera per aërem ferri videmus, quàm, ægrotante clerico, beneficii opimi poſſeſſore, corvos beneficiarios cernimus, aut ad extorquendam à languente reſignationem, & ſpolia adhuc ſpiranti detrahenda, aut deſperata reſignatione ad Regis aulam curiamve Romanam incredibili celeritate advolare.* Hactenus Robertus. Quibus addo, quæ erudite obſervat Pet. Suav. hiſt. Concil. Trid. l. 6. *Canonici,* inquit, *olim his uno è quatuor modis gaudebant, Vel enim omnes una ſolum menſa ſumtu communi more monachorum regularium alebat, vel ſua cuique portio ſeorſim præbebatur,* præbenda *inde denominatâ, vel poſt præſtitum à ſingulis Eccleſiæ debitum miniſterium dimenſum ſuum in annonâ aut pecuniâ numeratâ capere conſueverant. Diſciplina illa vivendi in commune exiguo tempore viguit, plerisque diviſionem, vel in præbendas vel in quotidianas diſtributiones ſingulis faciendas flagitantibus, tùm aliis, qui vel ob invaletudinem vel ob exercitium aliquod ſpirituale ſacris officiis intereſſe non poſſent, excuſari cupientibus. Neque erat difficile aliquid cauſari, cur ſacris non intervenirent, unde in redivivâ parùm frequentes, præbendæ tamen fructum perciperent. Ubi vero nonniſi Opere peracto ſua cuique menſura tribuebatur, non adeo proclive erat excuſationem obtendere, adeoque diſciplina ſanctior & in frequentandis officiis divinis aſſiduitas in ſecundo genere, quàm in primo diligentius culta, factumque inde ut viri pii ex eo tempore Eccleſiæ aliquid donantes aut legantes id in quotidianas diſtributiones conferri præciperent, experimentiſque comprobatum, quo majores eſſent diſtributiones, hoc Canonicos ad Eccleſias itaſſe frequentius. &c.*

2 *Irreprehenſibilis.* ἀνεπίληπτος, nullæ culpæ, crimini, qui totum curſum inculpate tranſegit, ſecus ac exponunt *Canoniſtæ diſt. 26. c. 1. Unius Uxoris.* ubi delicta juventutis, aliave non obeſſe volunt aſpiranti ad Epiſcopatum; Verba hæc ſunt: *Si Epiſcopus ante baptiſmum conjugem habuit, quæ obierit, non ei imputatur, cui prorſus novo homini, nec ſtupra nec alia, quæ ante fuerunt, jam obſunt.* Ubi Gloſſa ejusmodi invenitur: *Si aliquis occiderit mille homines ante baptiſmum, omnis infamia & irregularitas tollitur.* Per baptiſmum intelligunt ingreſſum in *Monachatum*, qui *ſecundum baptiſma* à clericis nominatur, ut pote in quo etiam nova accipiunt nomina, ex Saule fit Paulus, & innocentes, velut infantes in baptiſmo, deveniunt. Atque huc referunt exemplum *Hieronymi*, qui juvenis Romæ literis impalleſcens Italicas virgines adeo deperiit, ut longè poſt de ipſarum choreis ſomnia habuerit. *Luth. Dipn. p. 332. Geneal. Mar.* 30. *Sept.* 423. Quod & ipſe fatetur in Epiſt. Quæ ita incipit: *Quod ad te huc uſque non ſcripſi* &c. ita locutus *Virginitatem autem in cœlum fero, non quia habeam, ſed quia magis miror, quod non habeo. Ingenua & verecunda confeſſio eſt, quo ipſe caveas in aliis prædicare. Nunquid quia gravi corpore terræ oneroſus hæreo, avium non miror volatus, neque columbam prædico, quod*

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Et in aliâ Epiſt. cujus initium: *Non debet charta:* confeſſionem edit his verbis: *Scitis ipſi lubricum adoleſcentiæ iter, in quo & ego lapſus ſum.* vid. *Eraſm. in vit. Hier.* t. 1. p. 6. Quod & contigit *Auguſtino*, qui Carthagine literis, Manichæiſmo adhuc addictus, cum operam navaret, cum concubina filium *A-*

deo

Deodatum genuit, atque poſt illius abitum in Africam, aliam concubinam inſuper denuò aſſumſit. *Geneal. Mar.* 22. *Aug. p.* 259. *Luc. Oſiand. Cent.* 4. *l.* 4. *c.* 13. *p.* 515. 516. Atque ita dicunt hos lapſus juventutis nullum præjudicium his viris in adeundo miniſterio ſacro attuliſſe. Uti & in *Jure Canonico diſt.* 34. *c. Fraternitatis*, hoc decretum habetur: *Eum qui poſt mortem uxoris habuerit de ancilla filios, diaconum fieri poſſe.* quod *diſpenſatio miſericordiæ* in illo Canone apelletur, quia *defectus noſtri temporis, quibus non ſolum incerta, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis illius non patitur manere cenſuram.* Multo verò minus Monachis hodie vitio vertitur, ſi ante initiationem ejuſmodi delictis fuerint collurulati. Sic *Franc. Zagius* Fundator Monaſterii S. Magdalenæ in urbe Paduæ, unâ vice 40 ſcorta è lupanari ad ſanctiorem vitam in monaſterium traduxit, quibus ſane hoc non obfuit, licet florem juventutis in lupanaribus Veneri conſecraverint, ſi modo feces ſenectutis Deo conſecrent in cellis ſanctorum. *Chron. Chron. l.* 2. *de obit. Cler. p.* 1188. De hoc baptiſmo Paulus nil novit, ſed requirit, ut Epiſcopus ſit irreprehenſibilis in omnibus, per totam vitam inculpate ſe geſſerit, & nulli occaſionem maledicentiæ præbeat; ut ſit irreprehenſibilis quoad nativitatem, mores & doctrinam. Ante omnia ne ſit natalibus læſus ut Hebræorum Magiſtri & Canoniſtæ loquuntur. *diſt.* 56. vid. *Lancell. Inſtit. l.* 1. *tit.* 7. §. 9. Unde Judæi accurate in Genealogiam Pontificis Maximi, aliorumque ſacerdotum inquirebant, ne ex illegitimo toro eſſent progeniti ut *Selden. de ſucceſſ.* prolixè docet. Canoniſtæ ſpurios & nothos moribus & ſcientiâ inſignes ad dignitates Eccleſiaſticas admitti poſſe per diſpenſationem cenſent, ut de adulterinis fratribus Gratiano, Lombardo, & Petro Comeſtore nuper audivimus. vid. *Coraſ. de Offic. Eccl. p.* 3. *c.* 2. *Gabr. Palæott. de ſp. c.* 57. Ut hinc minus dubium ſit de legitimatis per ſubſequens matrimonium. *Covarr de matr. p.* 2. §. 2. *n.* 37. *Roſenth. de feud. c.* 7. *concluſ. c.* 7. *concluſ.* 18. attamen ſi alicui decerni certum ſacerdotium reſcripto Pontificio mandetur, id ita ſemper intelligi ſolet, ſi ex juſtis ortus ſit natalibus. *Baldw. ad Leg. neque* in fin. C. de prob. In Natales olim tam curioſe inquiſitum non fuit. Hieron. Sicut Chriſtus eſt verus Pontifex ex adulterinis natus conjunctionibus. ita. &c. ap. Grat. c. 8. diſt. 56 Uti vero Judæi circa corpus & membra ſacerdotes etiam inculpatos eſſe volebant, & vitia corporis etiam minima notabant, ceu ſupra *ad th. LV. n.* 6. *ex Selden. l. c.* adduximus; ita adhuc hodienum nimis ſuperſtitioſi hic ſunt Pontificii, ut patet ex iis, quæ notari ſolent ad *th.* 10. *de corp. vit. ord.* quibus addi poteſt *Layman. Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. hujusque rei fundamentum petunt ex *Lev.* 21. 18. ubi non male obſervat *Luc. Oſiand.* hodie ad has leges alligatam non eſſe Eccleſiam. Etſi enim, ſi commode fieri poteſt, tales ſunt præficiendi qui corporis ratione non ſint aliis contemtui; tamen ſi aliàs præclaris Sp. S. donis inſtructi, melius eſt, ut careat Eccleſiæ miniſter eleganti forma corporis, quàm Eccleſia idoneo miniſtro. Ad mores & doctrinam magis reſpiciendum, cum ars ſit artium regimen animarum; Unde requirit Apoſtolus ut ſit vigilans νηφάλιος, σώφρων temperans μὴ πάροινος, non vinoſus) ut ſupra vidimus ex Teſt. Vet. quod ſacerdotes templum ingreſſuri ab omni generoſo potu abſtinere debeant ad *th. LX,* 3.) κόσμιος, compoſitus, veſtitu decenti ornatus ut in V. T. multa de veſtitu ſacerdotum quæ ex Rabbinis illuſtravit integro *tr. de veſtitu ſacerd. Jo. Braunius Palatinus Lud.* 1670. Huc pertinet *Pallium Epiſcopale*, quod quidem non adeo inſigne uti nunc eſt. Totum enim id, quod pallium dicitur, faſcia tantum eſt latitudinis trium digitorum ex candidâ lana linoque confecta habens circulum, humeros circumſtringentem, & duas lineas, ſeu chordulas, ab utraque parte ante & retro pendentes, it. quatuor cruces nigras ſeu purpureas, quarum una ad pectus, altera retro in humeris jacet, ultimæ hinc inde brachia exornant. *Joh. de Turrecremata ad c.* 1. 100 Olim autem revera inſigne fuit ornamentum. Ut enim *Petr. de Marc. de Conc. ſacerd. & imp. l.* 6. *c.* 6. obſervat, fuit id quondam genus Imperatorii indumenti ad talos uſque demiſſi, cujus uſum ſibi ſolis re-

ſervatum Imperatores ſucceſſu temporis communicarunt Patriarchis. Illud autem pallium in arâ Petri & Pauli ſolennibus precibus recitatis à Pontifice conſecratur, cujus conficiendi rationem & modum vid. ap. Sleidan, l. 13. p. 377. Uſus verò hujus pallii conſuetudine primum, ſine neceſſitate legis vel divinæ vel humanæ invaluit, & fuit ab initio, uti dixi ornamentum Imperatorum proprium, datumque dono ab Imperatoribus Epiſcopis in ſignum gratiæ & honoris, uti id colligere licet ex *Gregor. l.* 1. *Ep.* 27. quemadmodum & *Valentinianus* Imperator ſeculo jam *V. Ravennati Epiſcopo* honorem pallii conceſſit. *Baron. ad A.*432. *n.*91. Eo tamen tempore plenitudinem paſtoralis officii (*Lancellotto Inſt.* 61. *tit.* 11. § *& Canoniſtis* aſſertam *c. quod ſicut in fin. ext. de elect. & c. ad hon. in Gloſſ.*1. *Ext. de autor. & uſu pall. & cap. niſi de auth. & uſ. pall. ext.* ac præterea *Extrav. com. unici de aut. & uſu pallii*) pallium nondum deſignavit, quaſi Metropolitanus non potuerit conſecrare & ordinare, aut ſi ſcapha ſcapha eſt dicenda, vendere Epiſcopatus in diœceſi ſuâ; niſi pallio Romæ emto. Quin etiam adhuc poſtea, cum à Patriarchis & inter hos etiam à Pontifice Romano Epiſcopi petere cœpiſſent pallium, factum id principaliter videtur, ut *ſymbolum* eſſet *conformitatis in fide & doctrina.* Ita enim Pelagius ne temerè aſſenſu ſuo quemvis Metropolitanum approbari pateretur, qui in fide parum ſanus exiſteret, juſſit, ut fidem ſuam exponerent, atque ita pallium expeterent, i. e. aſſenſum ejus, cujus indicium erat pallium. *c. quoniam. diſt.* 100. Et huc faciunt ſc. *literæ Synodicæ* & Canonicæ, quæ etiam *formatæ*, dicebantur, quibus ipſimet etiam Patriarchæ fidem ſuam exponebant, & ſe invicem convenire oſtendebant. Defuncto enim ex Patriarchis uno, qui in locum ſuccedebat, reliquis electionem ſuam ſignificabat, & ne de ſua in Orthodoxâ fide ſinceritate dubitaretur, confeſſionem edebat, quâ dignum ſe probabat, qui in communionem reciperetur. Luculentum hujus rei teſtimonium eſt *Epiſtola Gregorii M.* ad Joh. Conſtantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, Gregorium Antiochenum, & Johannem Hierosolymitanum *l.* 1. *Reg. ep.* 24. Cum igitur etiam Metropolitani confeſſionem ſuam Patriarchæ exponerent, & ſimul aſſenſum peterent, pallium ut ſymbolum recipiebant. Sequioribus temporibus Papa Romanus pallii uſum ex ſuâ tantum poteſtate dependere, & à ſe ſolo peti voluit, ità ut impudenter aſſerat, Patriarchas Orientales jus non habere conferendi pallium ex ſeſe, ſed cum à ſede Romanâ prius ipſi obtinuiſſent, c. antiqua 23. 10. *de privil.* At Innocentii hæc eſt Conſtitutio, inaudita parte altera in propria cauſa, & contra Canones *Concilii Niceni, unumquemque Patriarcharum in ſuâ regione independentem facientis*, promulgata. Et rectè igitur *Rudolphus Mamiſtanus*, factus Patriarcha Antiochenus *pallium de altari B. Petri Antiochiæ* ipſe ſibi ſumſit, utramque eſſe D. Petri cathedram & hanc quidem antiquiorem aſſerens. *Guil. Tyr. l.* 14. *c.* 10. Elegantia ſunt, quæ de artificiis ſedis Romanæ notat *Petr. de Marca de Conc. ſacerd. & imper. l.* 6. *c.* 7. nempe ſeculo octavo à Pontificibus Romanis inſtitutum fuiſſe, ut metropolitani à ſede Romanâ pallium quærerent, ut eâ ratione magis obnoxii fierent ei ſedi, ac præcipuo quodam jure Pontifici Romano ſubjicerentur. Id vero cum animadverſum fuiſſet ab *Epiſcopis Gallicanis*, hæſitaſſe eos in hoc negotio. At mox Pontificem eis oſtendiſſe, pallium non ob aliud Archi-Epiſcopis tribui, quam ut hoc exteriori ſigno à *ſuffraganeis* ſuis diſtinguantur, & ut eo admoneantur, teneri ſe ad vitam ſeveriorem & ſanctiorem, Atque ſic eos perſuaſos, aut potius deceptos honorem ita oblatum amplexos fuiſſe. Non inviderent autem hoc terrarum populi, niſi propter immenſum ejus pretium integræ provinciæ expilarentur, contra diſertam ſanctionem *c. novit diſt.* 100. vid. *Marc. Anton. de Dom. de Rep. Eccleſ. l.* 9. *c.* 9. *n.* 52. 53. & inprimis *Petr. de Marc. de Conc. ſac. & Imp. l.* 6. *c.* 10. *n.* 8. 9. ubi laudat enixam Gregorii Pontificis operam, quam in pravâ iſtâ conſuetudine evellendâ poſuit. Et agnovit Papa *Zach. in Epiſt.* veram Simoniam committi, ſi pretium detur pro pallio. Notæ ſunt querelæ Germanorum de hac pallii nundinatione, & aulæ Romanæ avaritia. Poſtquam enim in gravaminibus ſuis de *ſede Mo-*

Moguntina retuliſſent, quomodo alius poſt alium, ſucceſſor quandoque pro defuncto, & aucto magis magisque pretio pallium id Romæ redemerint, tandem ita concludunt: *Sicque in vita unius hominis, ſepties viginti quinque millia à ſolo Archiepiſcopatu Moguntino pro confirmatione Romam pervenerunt.* Et cum Archiepiſcopus Jacobus vix quatuor annos ſediſſet, mox poſt cum electus eſſet Dominus Uriel ad minus quatuor viginti aut viginti quinque millia coactus eſt ſolvere, quorum partem mutuo forſan accepit, atque imponere coactus fuit ſubſidium aut exactionem in ſuos populos & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum ſatisfecerunt tributo, aut exactioni pro pallio à ſuo prædeceſſore Jacobo impoſitæ. Canoniſtæ enim dicunt, pallium perſonam non tranſire, *c. ad hon. in Gloſſ. 1. extr. de aut. & uſ. Pall. & c. 2. eod. tit.* nec alteri commodari poſſe, ſed quemlibet Epiſcopum cum pallio ſepeliendum. *Lancell. Inſt. l. 11.* Sed in Oriente Alexandrino Patriarchæ demortuo à ſucceſſore pallium detrahebatur de collo, quod ſibi ſucceſſor imponebat, uti ex Liberato Diacono refert *Marc. Ant. de Dom. l. 3. c. 11. n. 8.*

Paulus & Petrus hoc pallio non uſi, nec ab Epiſcopo requiſiverunt, ut eo veſtitus ſacra peragat, ſed potius ut virtutibus ornatus incedat, ut ſit φιλόξενος *hoſpitalis, liberalis*, ſi non quoad effectum ſemper, ſaltem quoad actum & animi propoſitum, cum non omnibus nec ſemper ſuppetat, unde hoſpitalitatem exercere poſſint. *Marſil. Patav. Defenſ. Fid. p. 2. c. 13.* modo non propriis divitiis inhient, ſiquidem optime *Hieronymus l. 2. Ep. 12.* inquit: *Ignominia ſacerdotis eſt, propriis ſtudere divitiis.* Itaque pauperes præſertim in hoſpitio recipiat. At hodiè Epiſcopi Mariani pauperes ſpoliant, & earum facultates pravè conſumunt, quod juſta querela perſtringit *Marſil. Patavin. in Defenſ. Pac. p. 2. c. 10.* Et hinc eſt, quòd Epiſcopus vilem ſupellectilem & menſam ac victum pauperem habere debet *c. 8. diſt. 41.* quanquam id hodiè conſuetudine abrogatum putet Joh. Andreas, à quo recte diſſentit *Conrad. in temp. l. omn. Jud. l. 2. c. 5. n. 19.*

Porro juxta Paulum requiritur in Epiſcopo ut ſit διδακτικὸς *aptus ad docendum.* ſciens, peritus, qui utrumque munus & docendi, & judicandi expedire poteſt. ut *P. Greg. de Benef. c. 37. n. 14.* prolixè docet. Hoc autem nullis certis annis alligari poteſt, multò minus anno trigeſimo illo ſcil. quo *Chriſtus baptiſatus, Luc. 3. 23.* de quo anno vid. *Chriſt. Juſtell. ad Cod. Can. Eccl. Univ. p. 168. Richard. Montac. ex. 9.* Nec enim Chriſtus ſuo exemplo voluit certam regulam præſcribere, vel definitum annorum numerum in eligendis ad miniſterium determinare. Neque etiam Apoſtolus in forma hîc præſcripta, juxta quam eligendi ſunt miniſtri, ullam certæ ætatis mentionem facit, cum tamen alibi de vidua ad certas quaſdam operas Eccleſiæ præſtandas eligenda præcipiat, ne minor ſit ſexaginta annis. *1 Tim. 5. 9.* Hic ante omnia ἱκανότης eſt reſpicienda, quæ in quibuſdam citius, in quibuſdam tardius ſe exerit. Unde egregie *Ignatius Ep. ad Magneſ. Neque etiam contemnenda eſt Epiſcopi juventus, ſed ſecundum voluntatem Dei Patris omnis reverentia ei tribuenda eſt, quemadmodum facere novi ſanctos presbyteros, non reſpicientes ad eam, quæ apparet juventutem, ſed ad prudentiam, quam in Deo habet. Quandoquidem annoſi continuo ſapientes non ſunt, neque ſenes poſſident intelligentiam, ſed ſpiritus qui in hominibus eſt.* Malè tamen Eccleſiæ conſulunt, qui inidoneos prorſus adoleſcentes, & tantum non pueros ei præficiunt. vid. *Cl. Eſpenc. de contin. l. 4. c. 2.* Ita aliquando puer quinquennis nondum Rhemenſis electus fuit Archi-Epiſcopus, quod ipſe conqueritur *Baronius A. 925. n. 9.* Et de Joanne XII. apud *Luitprand.* ſunt teſtimonia, quod ordinationes Epiſcoporum pretio fecerit, & quod annorum decem Epiſcopum in Tudertina civitate ordinarit. Ætas autem 30. annorum generaliter ſelecta eſt, quia ſolidæ ea ac perfectæ prudentiæ eſſe creditur. Proinde igitur peccat, qui Epiſcopi manus ſuſcipit, & ignorat ea, quæ ratione ſtatus ſcire tenetur. *Greg. Sayr. in clav. reg. l. 2. c. 9. n. 31.* Refert *Sozomenus l. 4. c. 23.* Leonem Seleuciæ Urbis Iſauriæ Epiſcopum abdicatum fuiſſe, quod nonnullos ſacrarum literarum legumque

Eccleſiæ ignaros Epiſcopos conſtituiſſet. Sed hodie ejuſmodi Rectoribus coadjutores adjungi ſolent. uti habet *Auguſt. Barboſ. de Jur. Eccleſ. l. 3. c. 10. n. 12.* Et ob ignorantiam quoque Νεόφυτον juxta Suidam τὸν ἐωστ' φυτευθένζων i. e. qui nuper è gentiliſmo Chriſtianam religionem amplexus, per baptiſmum Eccleſiæ inſertus, inque vita nondum ſufficienter probatus, atque in doctrinâ nondum plene informatus, protinus fieri Epiſcopum prohibet *Juſtin. Novell.* 123. *c.* 1. Et cum deinde novitii clerici etiam dicerentur Neophyti, eos ſummo ſacerdotio etiam prohibuit *Concil. Sardicenſe. can.* 13. vid. *Petr. de Marc. de Conc. Sacerd. & Imp. l.* 1. *c.* 8. *n.* 6. *Aug. Barboſ. de Offic. & pot. Epiſc. p.* 1. *tit.* 2. *gloſſ.* 17. Nec negligenda eſt ratio, quam *Ambroſ.* adducit, ſi modo is autor eſt comment. in Ep. ad Tim. *Rudis in fide*, inquit, *ſolet extolli ſuperbia, maxime ſi accipiat ordinem; Novitate enim & poteſtate inflatur arbitrans ſe præ cæteris digniorem. Videns enim primo anno nativitatis in ſe collatum honorem, putat non magis ad ſuum ſed aliorum profectum ſe eſſe vocatum, quaſi beneficium religioni det magis, quàm accipiat ab eâ, per quam rem elatus incurrit laqueum Diaboli &c.* adde *Gerh. t.* 6. *Loc. c.* 4. *th.* 183. Sed ipſe tamen Ambroſius, ne quidem Neophytus, nedum baptiſatus, ſed adhuc Catechumenus à profana præfectura ad Epiſcopatum communi populi Mediolanenſis ſuffragio fuit evectus. *Ruffin. l.* 2. *c.* 11. *Theodor. l.* 4. *c.* 6. Et hinc eam electionem Patres divinæ potius, quàm humanæ tribuunt juſſioni. vid. *Epiſt. Nicol.* 1. *ad Phot.* quæ extat inter acta Concil. Oecumeuici VIII.

Ulterius vero deſiderat Apoſtolus in Epiſcopo, ut ſit μὴ πλήκτης, ἄμαχος, non percuſſor, alienus à pugnis. Unde etiam arma prohibentur illis ab Canoniſtis ne portent. vid. *Martin. ab Azpilkuet Navarr. t.* 3. *c.* 25. *n.* 110. *Claudius Eſpenc. t.* 2. *Digreſſ. c.* 6. deplorat ſtatum Eccleſiæ modernum, quod dum Abbates, Epiſcopi & Archiepiſcopi ſimul Comites hodie ſint, Duces & Principes, ea potius ab illis ſuſcipiantur, quæ ad ampliandam provinciam ſpectant, quàm quæ Eccleſiæ poſſint eſſe utilia: *Sint*, inquit, *per me licet omnia Eccleſiaſtici, & ſive ex hereditate, ſive Principum liberalitate merum imperium habeant, omnemque juriſdictionem, ſive ipſi, ſive per alios exerceant &c. ſed optandum, ea ne gubernatio à ſpirituali eos procuratione avertat; duplicem gerant perſonam, ſed ne neglectâ propria functione, profana, multò minus vel potius omnium minimè cruenta & bellica tractent.* Et aliquanto poſt multa cum enumeraſſet, in priore Eccleſiâ non armis, ſed precibus pugnatum fuiſſe, ità concludit: *Et tales quidem fuerunt in utraque Dei populo ſacerdotum inermium & pacificorum erga ſeculi Dominos fideles & infideles, mites & barbaros victoriæ non minus glorioſæ, quàm incruentæ, quibus non contenta poſteritas veteris gentiliſmi ritu togas in ſaga mutavit. Poſtquam enim exlex ſemel neceſſitas clero ad prælia non tantum animum, ſed manum etiam exeruit, factum eſt, ut eum, tempore omnia deterente, eundem ludum exercerent, ſimul atque receptum eſt, ut profanas cum ſacris miniſteriis ditiones & tenerent, & gererent. Nec tantum contra barbaros & incredulos, ſed ejuſdem quoque nunc ſanguinis, nunc patriæ, aut certe fidei principes, Domini noſtri Dei pacis quidem minus pacifici vicarii bella indicerent & gererent, exemplo ſcandalis infinitis gravido, & nulla ſcripturarum aut Canonum autoritate probato.* Subjungit dein hiſtoriam Pontificum Romanorum, qui bella vel ipſi geſſerunt, vel hortatu ſuo aliis ut bella gererent, autores fuerunt. Et certe Leonis IX. proterviam atque bellicoſum animum gravi cenſura notavit, *Hermannus Contractus* in Chron. & poſt eum *Petr. Damiani* in Ep. ad Sirmum, Vir Bellarmini judicio *de Script. Eccl.* valde ſanctus & devotus, ſed qui propterea à *Baronio* A. 1053. n. 14. hæreſeos nota inuritur. Sed & in privatas hominum neces ſæpiſſime Pontificum Romanorum intervenire juſſus, ſcribit *Marc. Ant. de Dom. de Rep. Eccl. l.* 5. *c.* 9. *n.* 21. Ut autem Papa bellum indicere & gerere poteſt, ſalvâ cathedrâ, ita & Cardinales, Epiſcopos & reliquum clerum militiam affectare, præliis intereſſe poſſe & præeſſe, ſalva purpurâ, ſalvis ſedibus, ſalvo denique ordine, & hujus & ſuperioris ſeculi hiſtoria multis exemplis comprobavit. Nam ut in veteri verſu eſt:

Præ-

Præſul ut amptruat, inde & vulgo redemptruat olli.

Nihil eſt igitur, quod tàm acerbe inſultet Cardinali Guiſio *Gabr. Barth. Gramondus hiſt. Gall. l.* 8. *circa fin.* Bene tamen, quod perverſos iſtos Epiſcoporum mores reprehendit *Baronius* A. 888. n. 2. *Videri potuit*, inquit, *monſtroſum plane, quod tam Epiſcopi, quàm Abbates armati ad bella procederent, in hoſtes irruerent, cæderent ipſos, & cæderentur ab ipſis, tanquam ſacrorum Canonum violatores, & muneris Paſtoralis & nominis deſertores deteſtandi.* Maximam etiam tyrannidem ſæpe aut ſaltem violentiam & coactionem adhibent in hæreticis, uti vocant, & infidelibus convertendis, & in officio retinendis. Multo aliter ſenſit Auguſtinus, cujus verba: *Verum ſæviant illi, qui neſciunt, quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores: illi ſæviant qui neſciunt, quàm rarum & arduum ſit, carnalia phantaſmata præ mentis ſeveritate ſuperare. Illi ſæviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. Illi ſæviant, qui neſciunt, quibus gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus.* Nobis nefas eſt ſævire, quorum auribus perpetuo inſonat prophetæ illud: *Veritatem & pacem diligite.* quibus ante oculos poſita lex Euangelica, *quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris.* quibus denique ſemper in manibus illud Apoſtoli: *Servum Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui contrario ſunt animo affecti, ſi quando det eis Deus forte reſpiſcentiam ad agnitionem veritatis. Fides ſuadenda eſt*, inquit Bernhard. ſerm. 66. in Cant *non imperanda.* Et ſerm. 64. *hæretici capiantur potius, quàm diffugentur. Capiantur dico, non armis, ſed argumentis, quibus refellantur errores eorum.* Et Auguſt. Ep. 18. *neminem*, ait, *ad unitatem eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus.* Certe cum unica hâc ratione & Arianos & Apollinariſtas & Macedonianos & Sabellianos alioſque ſui temporis hæreticos in viam à ſe reductos glorietur Sanctiſſimus *Nazianzenus*, ſævitia autem aliis infeliciter ceſſerit, par utique eſt, ad tanti viri exemplum animum, linguam, & calamum componere. Tortoribus enim magis, lictoribus & carnificibus conveni: diſputandi ratio ſanguinaria, quàm Apoſtolis, & Eccleſiæ Doctoribus. vid. Laurent. Banck. de Tyrann. Pap. per integrum ſatis prolixum librum.

3. *Unius Uxoris Vir.* μιᾶς γυναικός ἀνήρ. aliud eſt unum, aliud eſt unicum, quæ confundunt qui hinc Polygamiam impugnari putant. Ariſtotele teſte unum, ἓν eſt vel genere, vel ſpecie, vel ſubjecto, vel πάθει, vel numero, vel conſenſu. μία σαββάτων habetur *Matth.* 28. *v.* 1. & ſignificat non unicam ſed *primam ſabbatorum*, primum dein ſeptimanæ, quod & parallelus locus *Marc.* 16. 1. 2. *Luc.* 24. 1. *Joh.* 20. 1. 19. in quibus locis omnibus μία σαββάτων eſt idem, ac *prima dies hebdomadis*, primum ſabbathum inter reliqua ſabbatha ſeu dies, ut nos loquimur, Dominica. Apud Hebræos *unum* idem eſt ac *primum* dicit *Hacſp. ad h. l.* & refutat Gomarum de Orig. Sabb. Idem confirmat *Danh. Chriſtoſ. p.* 292. & in *Coll. Decal. diſp.* 8. §. 5. Ita igitur *Luc.* 14. 18. *omnes cœperunt*, ἀπὸ μιᾶς (γνώμης, βουλῆς φωνῆς ut ſupplet Jo. Cur. Dietr. Lex. Philol.) *uno* (*ore* vertit Beza) *ſe excuſare.* ibi verti non poteſt *unico ore*, ſiquidem quot homines tot ora, eſt enim unum non numero ſed conſenſu intelligendum. quo ſenſu etiam habetur *Rom.* 15. 6. *ut concorditer* ἐν ἑνὶ ςόματι *uno ore* (non unico) *glorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ita occurrit 1 *Joh.* 5. 7. 8. *Tres ſunt, qui teſtimonium* &c. & *hi tres unum ſunt. Ego & Pater* ἓν *unum ſumus*, non numero, (erant enim diverſæ & quidem tres perſonæ in divinitate) ſed eſſentia, voluntate, potentia, ſcientia &c. Male itaque, quando Epiſcopus dicitur eſſe debere *vir unius uxoris*, explicatur, quod debeat tantum habere unicam. Ante quadraginta annos adhuc habuit quidam Epiſcopus in Anglia binas ſimul eaſque ſolenniter copulatas, uti *Bakerus* de Rebus Anglicanis refert, & mihi etiam, in Anglia verſanti, à nonnullis Epiſcopis, & presby-

teris relatum fuit. & hoc pacto *Cajetanus* inquit in Matthæum: *jure divino uxorum pluralitatem eſſe licitam, idque naturali jure nullam habere indecentiam, quin & ſacerdotibus hoc licitum fore, niſi Eccleſiaſtica prohiberentur diſciplinâ.* Nonnulli exiſtimant in hoc loco Paulino Polygamiam Epiſcopo tantum prohibitam, ſicuti forte apud Ægyptios Polygamos hoc etiam in uſu, ut ſacerdotes nonniſi unam ducerent, & apud Judæos conſuetudine, quæ in legem ferme degeneraverat, erat receptum & quidem ex placitis Rabbinorum, eorumque lege Eccleſiaſtica, ut laici non facile ultra 4. Rex ultra 18. & Pontifex Maximus ultra unam duceret. Quo etiam alludit *Owenus* l. 1. Epigr. 134.

Accuſaretur cum coram præſule Cajus
Confeſſus bigamum, ſeque profeſſus ait:
Unius Uxoris vir Epiſcopus eſſe jubetur
Ergo licet laico nunquid habere duas?

At enim in V. T. etiam ſacerdotibus permiſſum fuiſſe πολυγαμεῖν *Hieron.* Ep. ad Oecanum teſtatur: *Prima C. Eccleſia de reliquiis Iſraël congregabantur. Sciebat Paulus lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum familiare noverat populo, in multis uxoribus liberos ſpargere, ipſis quoque ſacerdotibus hujus licentiæ patuiſſe arbitrium.* &c. Nonnulli ex vetuſtioribus hinc nuptias ſecundas tum ſimultaneas improbatas voluerunt, illas benedictione ſacerdotali privarunt & pro honeſta ſcortatione cum Athenagora, aut honeſto adulterio, quod Deum offendat, animam uxoris ad triſtitiam provocet, & liberorum odium indicet, habuerunt. Non ita pridem editus Epiſcopus δευτερόγαμος, ſeu liber ſub h. titulo, in quo Patrum ſententiæ ſuper h. dictum prolixius ſunt adductæ, & Polygamia indirecte ut ſtabiliatur contra Polygamicum Theophili diſcurſum tentatum fuit. Sed quantum memini (non enim jam eſt ad manus amplius, ſed neſcio quo fato abreptus) Lutheri, ejuſque tractatus ſatis prolixi, de Digamia Epiſcoporum nullam facit prorſus mentionem. Quod factum eſt vel ex ignorantia, vel data opera. Quod vero Vir ille multæ, quin diffuſiſſimæ lectionis & omnigenæ eruditionis ignoraverit, Lutherum de Digamiâ Epiſcoporum ſuper hoc dictum aliquid in tomis ſuis reliquiſſe nobis, vix inducor, ut credam, cum ipſum jam olim, cum ejus commenſalis eſſem, in tomis Lutheri ſatis verſatum fuiſſe, recorder. Si data opera Lutheri ſententiam omiſit, vel Lutheri ipſius cauſa (ne ille ceu maximus Polygamiæ Patronus toti mundo ſiſteretur, forteque ab obeſæ naris hominibus & adverſariis magis ac olim ea propter, quanquam immerito traduceretur, Theologique qui hactenus ab hâc re ipſum vendicare laborarunt, mendacii, vel inadvertentiæ accuſarentur,) factum eſt, vel hoc fecit *Autor* ἐπισκόπου δευτερογάμου ſui ipſius cauſa, ne ſcilicet, quod ex multis (non omnibus) adductis Patribus aliquo modo jam deſtruxiſſe viſus, conjugium Polygamicum autoritate Lutheri ſolide aſtrueretur. Noverat enim autoritatem Lutheri eſſe tantam, ut multis Patribus non tantum comparetur, ſed etiam anteferatur. Siquidem ut poſteriores cogitationes & Theologi ſemper ſapientiores, ita Lutherus ex lectis multis prioribus Patribus, & propria ἀγχινοίᾳ majorem cognitionem veri ſenſus ſcripturæ ſacræ, quàm vel centum Patres, habuit, ita ut mihi hic unus inſtar omnium habeatur. Ut autem vera mens ipſius Pauli, eo clarius pateat, ſciendum primum hîc non agi de uxore Metaphorica, quo ſenſu *Ambroſius* per uxorem intellexit Eccleſiam. *l. de Dignit. Sac. c.* 4. Cui obſtat, quod jam à Theophylacto eſt monitum, quod hîc de uxore non aliter loquatur, quam de liberis & domo. Jam autem liberi & uxores proprie accipiuntur, & diſtinguuntur ab Eccleſia. Ergo etiam uxor, uti & *Hieronymus Ep. ad Ocean.* explicationem de una diœceſi conctam vocat. vid. *Danh. Herm.* 258. Unde & ipſe *Cornel. à Lap.* fatetur juxta Ambroſium eſſe hoc myſticum, non autem literale. Neque etiam ſermo eſt de Polygamia ſucceſſiva. Quod quidem multis rationibus evincere conatur *Corn. à Lap. l. c.* Nam uti *Flacius* obſervat, hic & mox in Diaconorum deſcriptione, item in Epiſtola ad Tit. nominantur *filii viventes* & *uxor* etiam *vivens* atque *præſens.* Unde & *Cajetanum* ait exponere de *præſenti uxore*, de præſentibus & viventibus liberis, ſiquidem per mortem illa relatio tol-

al-

ſatur. Quò faciunt egregia verba *Joſephi Scaligeri*, quæ ita ſe habent: *Eos, qui interpretati ſunt illa verba* μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα *per* ἅπαξ γεγαμηκότα, *quis Grammaticus, aut Juriſconſultus, aut Philoſophus ſine riſu audiverit? Grammaticus nunquam concedit, dici* μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *niſi quamdiu habet unam tantum, tametſi mille alias habuerit.* Juris conſultus *negat mortuorum liberorum memoriam prodeſſe Patri ad jus trium liberorum adipiſcendum, cenſens Patrem trium liberorum eſſe eum, qui tres ſuperſtites habuerit, quamvis viginti antea habuerit.* Philoſophus *ait,* τῶν πρός τι *ſublato altero alterum tolli.* Helena *a Lycophrone dicitur* τριάνωρ, *quod* Theſeo, Menelao, Paridi *nupſiſſet. Quid* τριῶν ἀνδρῶν γυνὴ *dicentis? minime. Theſeus enim jam mortem obiverat, ſed Menelao & Paride ſuperſtitibus recte dicitur* δυῶν ἀνδρῶν γυνή. *ſublato Paride in patriam reverſa* ἑνὸς γυνὴ & τριάνωρ. *Quare Epiſcopum aut Presbyterum nego* μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα *dici, niſi quamdiu ipſi una nupta eſt; Eâ de medio ſublata non modo non* μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, *ſed ne* γυναικὸς ἀνὴρ *quidem dicetur. Sublatum enim eſt alterum* τῶν πρός τι. Hæc ille accuratè ſanè. Quò etiam tendit *Lutherus in fin. tractatus de Digamia Epiſcoporum*, quando aſſerit in antiquis autoribus non inveniri vocabula διγάμους, τριγάμους, πολυγάμους de iis, qui ſucceſſive habeant duas uxores, ſed ſemper de illis, qui ſimul duabus vel tribus, vel pluribus gaudeant Sed oſores ſecundarum nuptiarum ubique, ubi vocabula, *unum* vel *duo* repererunt, ſententiæ ſuæ patrocinium quæſiverunt, uti *Hieronym. princ. Comment. in Hagg. & l. 1. contr. Jovin. ex* ludicrâ ſane ratione *nuptias ſecundas* improbat, quia ſcil. *ſecundo die* creationis omiſſum fuit: כי טוב *quia bonum.* Egregium ſane argumentum, quod ad Polygamiam probandum apprimè facit. Quia ſcilicet 3. 4. 5. 6. die adjectum: Fecit omnia bona, igitur *conjugium quod ex tribus quatuor, quinque, ſex perſonis conſtat, eſt bonum,* quod verò ex duabus perſonis conſtat, non eſt bonum, quia in ſecundo die omittitur τὸ bonum. Atque ideo etiam illi Miſodeuterogami noluerunt ſecundas nuptias à ſacerdote benedici; ſicuti in Concilio Neocæſarienſi c. 7. ſtatuitur, *presbyterum convivio ſecundarum nuptiarum intereſſe non debere*, maximè cum præcipiatur ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Vid. ibi *Franc. Long. à Coriolano. & Gerh. de Conjug. n.* 178. Unde & Canoniſtis iteratio nuptiarum contra honeſtatem eſſe dicitur, aut ſi omnino in genere honeſtorum admittunt, *honeſta* illis eſt *ſcortatio.* Sic enim legitur in *c. hâc ratione* 31. *q.* 1. *ſecundam quidem accipere ſecundum Apoſtoli præceptum licitum eſt, ſecundum autem veritatis rationem fere fornicatio eſt, ſed cum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honeſta ſcortatio.* Illa verò ratio etiam ridicula & frivola eſt, quod ex ſecundis nuptiis contriſtetur anima defuncti, quam refert *Jo. de Nevizanis in Sylv. Nupt. l. 2. n.* 51, 52. Cum vero Miſogami hoc pacto ſecundas nuptias abolere non poſſent, tandemque ob pluralitatem Digamorum in Heroico & plebejo ſtatu pœnitentia ſecundis nuptiis impoſita ceſſaret, & tamen illi cœlibatus & Virginitatis Patroni ſecundas nuptias in infamiâ quodammodo relinquere voluerunt, benedictionem adhuc denegarunt, aliam verò cauſam, quia prior amplius non erat ejuſdem valoris, denegatæ benedictionis ſubſtituunt, quia, *cum ſemel benedicti fuerint, hujuſmodi benedictio iterari non debet. Lancell. Inſtit. l. 2. tit.* 16. §. 26. At vero hæc ratio minus eſt ſufficiens, quia non ad perſonas tantum, ſed ipſum etiam conjugium, quod initur, refertur benedictio. Quoties igitur iteratur conjugium, toties etiam benedictio iterari debet, cum prius matrimonium per mortem penitus ſolutum ſit, & hinc etiam benedictio illi addita exſpiret. Præterea etiam fieri poteſt, ut viduæ jungatur adoleſcens, & viduo virgo, quibus anteà benedictum non fuit. An ergo iſti à perſona jam ante benedicta accipient benedictionem, ſicut aqua non benedicta aquæ benedictæ juncta eandem acquirit virtutem. Sed hoc nugari eſt & fingere. Vera cauſa fuit illa ſupra adducta, quod nuptiæ ſecundæ minus probatæ fuerint quibuſdam Veteris Eccleſiæ Patribus. Occaſionem vero dedit illi Connubialis benedictionis initerabilitati conjugium ſpirituale, quod clerici cum diœceſi ſuâ vel Eccleſiâ ceu ſponſa, in or-

ordinatione contrahunt; quæ cum iterari non poſſit, etſi aliam ducant uxorem, i. e. ad aliam ſe conferant Eccleſiam, tamen non denuo ordinantur. uti quidem, *Gabriel Biel in IV. Sent. diſt.* 6. *q.* 2. *a.* 1. *not.* 3. definit, quod ſit *ſignum ſpirituale à Deo ſolo animæ impreſſum in ſuſceptione initerabilis ſacramenti, manens indelebiliter de lege communi.* At paulò poſt concluſione primâ ſubjungit; *characterem eſſe ponendum eo modo, quo definitus eſt, nec ratio neceſſaria demonſtrat, nec evidens auctoritas probat.* item: *Omnia quæ attribuuntur Characteri, puta, ſignificare, figurare, diſtinguere, diſponere, rem emorari, obligare, æque ſolvuntur ſine charactere, ut cum charactere. Omnia enim ipſum ſacramentum operatur ſine charactere;* Et iterum art. 3. dub. 5. *Omnia de charactere dicta pro magna parte voluntaria ſunt, & modica ratione fulcita.* Similia inveniuntur apud *Sotum* 4. *Sent. d.* 4. *q.* 9. *Durandum de S. Portiano.* 4. *ſent. diſt.* 4. *q.* 1. cujus ſententiam vix à noſtra diſtingui docet *Bellarm. l.* 2. *de ſacr. c.* 19. *prop.* 2. Et ingenuè confitetur *Jo. Altenſtang. Lex. Theol. Charact. Neque autoritates S. Scripturæ neque S. Patrum Originalia cogunt ponere characterem ad hunc intellectum, in quo accipitur à recentioribus DD. nec experientia probat, characterem eſſe.* &c. Gabriel *Vaſquez in* 3. *diſp.* 134. *c.* 1. poſt allegata quædam ſcripturæ loca fatetur, Catholicam veritatem his teſtimoniis non uti, ſed traditione, & hæc loca varie à Patribus accipi. Sed & miſere porro inter ſe digladiantur Mariani, ad quamnam rerum claſſem character ille referri debeat. *Durand.* 4. *diſt.* 4. *q.* e. docet, non eſſe niſi ens rationis, ſive reſpectum rationis. *Scotus* 4. *diſt* 6. *q.* 10. cenſet eſſe rationem realem *Richard.* 4 *diſt.* 5. *a.* 1. *q.* 1. eſſe reductive qualitatem, quæ ad triplicem ejus ſpeciem, primam, tertiam, & quartam pertineat. *Alenſis p.* 4. *q.* 19. *membr.* 1. *a* 2. & *Bonavent.* 4. *diſt.* 6. *a.* 1. *q.* 1. nonniſi in prima collocant. *Marſilius* 4. *q.* 4. *art.* 1. *concluſ.* 7. in quarta. *Thomas* 3. *q.* 63. *a.* 2. in ſecundâ & hanc ſententiam approbant *Soto, Cajetanus* & *Valentia.* Sed *Suarezio* videtur difficillima, propterea ipſe facit cum Alenſi & Bonaventura. *Bellarminus* ſimpliciter qualitatem eſſe dicit, de reliquis difficultatibus nihil ſollicitus. Atque hinc propter multiplices ejusmodi opiniones valde dubii fere ipſi Patres Tridentini. *Suav. Conc. Trid. l.* 2. ſed referant, quo velint, nos inter figmenta habemus, & febricitantis cerebri partus prodigioſos. Tantum vero abeſt, ut character fictitius ille ſit fundamentum initerabilitatis baptiſmi, uti nonnulli ſcholaſtici ſtatuunt; ut de ipſius baptiſmo in iterabilitate aliunde conſtet, ſcil. ex inſtitutione diviná, per quam iſta iteratio non fuerit ordinata. Ut nil dicam, quod character ipſe ſit minus evidens, quàm initerabilitas baptiſmi, cum initerabilitas ab inſtitutionis baptiſmi tempore fuerit certa, character vero ne hodie quidem evidenter certus ſit.

Sicuti vero in hoc dicto Paulino Polygamia ſucceſſiva non prohibetur, ita nec ſimultanea, uti ab initio hujus annotationis fuit probatum quod vox *unius* non ſit excluſive intelligendum, ſed uti *Petr. Martyr, Martinus Lutherus* aliique explicant, quod debeat eſſe alienus ab omni impudicitia, vivere in conjugio, & ab alienis uxoribus & amoribus abſtinere, vagis libidinibus non implicari, uti hoc egregie deducit in aureo ſuo tractatu *de Digamia Epiſcoporum* noſter *Martinus Lutherus*; Qui cum fuerit præteritus in *Epiſcopo* δευτέρῳ γάμῳ cum tamen in hujus dicti explicatione utramque faciat paginam, placet in fine Annotationum in hunc Theophili diſcurſum integrum apponere, ut inde benevolus lector non tantum genuinum hujus dicti ſenſum capere ſed & incomparabils Viri mentem exacte κατ᾽ αὐτολεξεὶ percipere poſſit.

Poſt virtutes à Paulo requiſitas in Epiſcopo etiam Apoſtolus deſiderat, ut habeat *bonum teſtimonium ab illis, qui foris ſunt ſc.* ethnicis, & quia tum Ethnici, Romani ſcilicet, ſub quibus vivebant Chriſtiani, Polygamiam infamia notabant, ideo etiam vult *Victor* ille *Meteoricus* ab Apoſtolo fuiſſe Epiſcopis interdictam Polygamiam, ne à gentilibus traducerentur. At ita eodem modo vellem colligere quod ſacerdotes Lutherani propter Pontificios deberent abſtinere à conjugio, quandoquidem apud illos *conjugia ſacerdotum* ſunt *infamia*, & habentur ſcortationis in-

inſtar. Quin & olim prima in Eccleſia *nuptiæ ſecundæ* habebantur infames, & pœnitentia Eccleſiaſtica coërcebantur atque benedictione ſacerdotali privabantur, quæ non poterant non aliquam poſt ſe trahere maledicentiam. Hodie verò nullâ amplius notantur infamia cum nuptiæ ſecundæ, tùm conjugia ſacerdotum apud Orthodoxos. Fuit infamia facti, &, ſi etiam fuit infamia juris, fuit juris injuſti, ethnici, Pontificii. Apoſtoli uxorati & Patriarchæ Polygami nullâ inſigniebantur infamiâ, ſed apud Deum & homines in magna erant gratia. Nil dicam quòd incertum ſit an tempore Apoſtolorum Polygamia fuerit infamis. Quæ enim ex Pandectis, & ex legibus Valeriani & Gallieni *ad L. Jul. de adult.* it. ex legibus Diocletiani, & Maximiani afferuntur, illa fuêre longe poſteriora. Jam verò diſtinguenda ſunt tempora in his conſuetudinibus & legibus. Non omnia omni tempore ſunt turpia vel infamia. Sanè tùm temporis apud Judæos non erat infamis Polygamia, ſed maxime uſitata, ceu legibus Patriis conformis, ut teſtatur *Joſephus l.* 17. *Antiqu. c.* 1. Quin etiam longe poſt, tempore Patrum adhuc fuit conſueta, ut *Juſtinus Martyr. in Dial. cum Tryphone, Hieron. Ep. ad Oceanum. Chryſoſtomus* & *Theodoretus in* 1 *Tim.* 3. referunt, & licet ab Impp. & ſingulariter à Theodoſio. C. de Jud. & Cœlic. ipſis fuerit ſeculo 4. interdictum, ne plures unâ caperent uxores, illa tamen lex, ceu injuſta viſa Judæis non ſtatim fuit accepta, aut tantæ efficaciæ, ut inveteratam illam & avitam conſuetudinem illicò potuerit eradicare.

4. *Unius viri uxor.* Inter alia *Victor Utopicus* fœminam quoque ratione minus honeſtâ poſſe multorum eſſe virorum, idque duobus modis 1 *ſcortando.* ut Joh. 5. quinque viros habuiſti, Sic Minutius in Octavio multiviram vocat eam, quæ ſane numerare poterat adulteria. & *Univira* dicebatur caſtâ apud Romanos. ut ut Weſenb. ad Treutlerum docet. Heraldus in Diſc. de Polygamiâ ſucceſſivâ & ſimultaneâ ejuſque juſtitia internâ. Atque hoc pacto etiam *vir unius uxoris* dicitur, qui eſt caſtus, alienus à libidinibus, ſcortationibus, adulteriis. Deinde dicit & *Victor Ovidianus* quod 2. mulier fiat multorum virorum uxor, ſi, repudiato primo marito injuſte, alteri nupſerit. quod quidem olim interdictum, tùm conſuetum fuiſſe probat ex Pauli interdicto 1 *Cor.* 7. *uxor à viro ne diſcedito.* & Concilii Eliberini (ſed id fuit longe poſterius Apoſtolis) c. 7. & 72. *Tertull. Apol. c.* 6. *Cic. l.* 8. *ad Fam. ep.* 7. *Sen. de Benef. l.* 3. *c.* 16. *Martial. l.* 10.

veterem Proculeja maritum
Deſeris atque jubes res ſibi habere ſuas.
Et l. 6. *Et nubit decimo jam Tubeſina viro.*
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt.
Offendor mœchâ ſimpliciore minus.

Sic Juven. ſat. 6.
Sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, & flammea conterit &c.
Ornatas paulo ante fores pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos
Sic creſcit numerus, ſic fiunt octo mariti.
Quinque per autumnos.

ita *Chriſtianus Gerſon in Jud. Thalm. l.* 1. *c.* 21. ex Thalmudis Kethuboth idem fœminis Magiſtros permiſiſſe docet ſeu ſupra ex *Joſepho* annotavimus, quod Salome marito Coſtobaro repudii libellum miſerit. Atque hoc ſi ex mente Antagoniſtæ explicatur, nil aliud ſequitur, quàm ſicuti unius viri uxor denotat eam, quæ virum non repudiavit, nec nupſit alteri, ita unius uxoris vir deſignat virum juſtum, qui citra cauſam legitimam ſe non ſeparavit à ſuâ uxore prima, (μία, una i. e. prima ſabbatorum) eam non contempſit, ſed lætatur uxore juventutis ſuæ, *Mal.* 2. *Prov.* 5. Quod vero fœminæ interdicatur iterum nubere poſt repudium quodcunque 1 Cor. 7. marito vero non prohibeatur ducere plures, vidimus hactenus hinc & inde rationes prægnantiſſimas, quas jam repetere tædioſum eſſet.

5. Εὐσεβῶς, δικαίως, σωφρόνως. Hic nonnulla monet Autor Polygyniæ, quæ

non adeo erant monitu neceſſaria, cum jamdum ſatis fuerint ſoluta. Omnino enim qui piè legem Dei implere deſiderat, opus eſt ut ſecundum mentem Dei hoc faciat. Jam cum voluntas Dei ſit multiplicatione noſtri ut repleamus terram, & modus multiplicandi, Polygamia ſcil. voluntati divinæ non ſit contraria, ut hactenus affatim demonſtravimus, nil contra pietatem delinquimus, ſi hoc modo congruè utamur. Cumque contra juſtitiam agere videatur, ſi ſemine ſuperfluo poſt impraegnationem onerat uxorem, aut lactantem impedit, quo minus lactationis tempus conſuetum abſolvere poſſit, melius eſt juxta nutum Dei *in plures ſpargere ſemen.* Neque negamus tamen, Polygamos ſæpe intemperantiores fieri, quod & in Monogamis videmus, qui ſæpe ex intemperantiâ conjugia ineunt, in illâ perſeverant, nec alio modulo matrimonia ineiuntur. Propter *abuſum* vero ſi quis res è mundo eliminare velit, paucula erunt reſidua, ſiquidem deprehendimus, poſt lapſum *creaturas* omnes ut Paulus loquitur, *gemere*, & deplorare quaſi injurias, quibus ab hominibus afficiuntur. Quibus gemitibus qui premi non vult atque gravari, opus eſt ut illas tres vivendi regulas, tribus verbis εὐσεβῶς, δικαίως & σωφρόνως comprehenſas bene obſervet.

6. *Liberorum cauſa.* Quærendorum. Erat matrimonii formula tabulis matrimonialibus inferri ſolita; de quâ vid. *Briſſon. l.* 6. *de form. Reip. R. p.* 642. *Cujac. ad Novell.* 22. *c. ult. Lindebrog. in Terent. Adelph. p.* 643. Juſtitia vero *utendi conjugii hæc eſt, ut non explendæ libidinis, ſed ſubſtituendæ prolis obtentu ſibi conjuges congruo tempore miſceantur*, ait *Fulgent. Ep.* 1. *de conjug. p.* 350. Rationis præſcriptum hic ante omnia obſervandum, & verecundia, tanquam lux rationis, animo eſt præfigenda, de quo Chriſtianis optimas præſcribit leges *Clem. Alex. l.* 2. *Pæd. c.* 10. *p.* 187. *ſunouſias toon cairon monois tois gegameeko apole laipta ſcopeintois de gegamenois, apolelospta ſcopein tous de gegamekous ſcomos eus pirdopoias telos de ee eutecnia.* Non ſemper autem concedit tempus natura *ten endeoxin tougamou teleiouaſthai.* p. 394. Plura dicere pudor vetat, A conditore ſcil. datum, ut individuorum opere prorogaretur ſpecies imagine quadam æternitatis propter ſucceſſionem. Spe enim poſteritatis & memoriæ conſervandæ homines ducunt uxores, ut hoc in connubio per generationis circuitum & ambitum (*toute te periodo*) in hâc caducâ mortalitate ſempiternitatem accipiat, ut homines ſemper ſint *kata to eidos*, ex quo *kath. aridmon* eſſe non poſſunt. Natura enim, quæ hominem gignere non potuit immortalem, ſpeciem, quantum in eâ eſt, nititur facere immortalem, atque ſexuum mutuo commercio univerſitatem ſingulis conſervat; nam profecto *diverſitas ſexus & coitio* nullam aliam habent rationem, *niſi ut genera viventium, quando ſunt conditione mortalitatis obitura, mutuâ poſſint ſucceſſione ſervari*, uti docet *Lactant. l.* 1. *de falſ. relig. c.* 8. *& lib: de Opif. Dei c.* 12. *illud vero ipſum, quàm mirabile Dei inſtitutum eſt, quod ad conſervationem generum ſingulorum duos ſexus maris & fæminæ machinatus eſt.* Junilius de part. div. leg. l. 2. c. 4. *Generalis gubernatio ſucceſſione conſtat, ut homines vel jumenta, cæteraque quæ morte vel corruptione pereuntia renaſcentium ſimilitudine renovantur.* Alii ex aliis dum naſcuntur, humanum aliquo modo ſempiternum exiſtit genus. Nemo autem eſt, quin perpetuitatis & æternitatis dulcedine commoveatur. ut vitam, quam ipſe à parentibus accepit, viciſſim quaſi tædam ardentem poſteris tradat. *Plato in Symp.* citante Stobæo ſerm. 73. p. 408. *Athanaſias ama cai eudaimonias eis ton aei cronon pants auton ee pouſee cai o eros epetai.* Hoc ſtudium, hic amor maximè heroicis & illuſtribus viris inhæret, genus ſuum æternum efficere, in quam eſt rem in Maximiniano & Conſtantino Impp. dicato Panegyrico egregius locus: *Maximas Vobis publico nomine gratias agimus, quod ſuſcipiendis liberis, optandiſque nepotibus ſeriem veſtri generis propagando omnibus in futurum ſeculis providetis ut Romana res olim diverſis regentium moribus fatiſque jactata, tandem perpetuis domus veſtræ radicibus coaleſcat, tamque ſic immortale illius imperium, quàm ſempiterna ſoboles Imperatorum. Hæc eſt vera pietas, hæc voluptas conſervandi generis humani exem-*

exemplum dare gentibus ad matrimonia ſtudioſius expetenda, & liberos educandos. ut ſubſtituendis ſucceſſionibus ſingulorum nihil obſit omnium poſteritate Reipublicæ. Hoc enim maxime ſtudendum familiis præſertim illuſtribus, ne intercipiat oblivio familias. *Bon. Simoneta* l. 6. Ep. 48. ad Lud. Sfortiam: *Homo excelſus ſine liberis non eſt vere beatus. Tu, Dive Ludovice è conjugii fœtura beatitudinem tuam venuſtabis, cum eris per eam immortalis. Patres è notis ſcios perennari, immortalesque fieri, etiamſi individua corrumpuntur, tamenè ſucceſſoribus ſpecies perpetuatur.* Certe ægrotans Pater mortique vicinus filios ſuos circumſtantes cernens, ſibi mori non videtur, videt enim quodammodo in prole ſua ſemina futuræ immortalitatis ſuæ, quia liberos relinquens in illis juveneſcit, & quodammodò renaſcitur, & dum abit, non obit, ſed aliud novum ſibi ſimile relinquit, ut ita non hunc amplius mortalem oporteat numerari, *kreyttona gyromenon danatou cai paſees diaphidoras*, qui factus major quibuscunque hominibus pereuntibus, & à morte ipſa quaſi invictus. Unde exclamat Vivo *Wallendorf.* concluſ. 13. f. 14. *O Societas omnium ſocietatum, quæ homines vinculo conjungit fortiſſimo & arctiſſimo, quæ diſtantes familias affintate conſociat, domos & civitates conſtituit, ne genus humanum temporum depereat longævitate, optime conſervat.* Cœterum in filiis immoritur Pater, dum aliquis perit, & omnes moriuntur, tunc mors eſt familiæ & immortalis redditur. unde Salomon dicit prov. 17. 6. *Corona ſenum filii filiorum, & gloria filiorum Patres eorum.* Egregia enim corona & maxima gloria, ſi per Dei benedictionem bene educatos, inque gloriam Dei quotidiè ſuccreſcentes, majorum gloriam ac nomen propagaturos coram ſe videant nepotes, & vice verſa ex venerandorum parentum ac majorum præſentiâ & ſuperſtite vitâ non exiguus redundat in filios honor, quorum intuitu non pauci promoventur, & ad altiora evehuntur. Unde tota Oeconomiæ vis in fertili & fœcundo conjugio eſt, ut pote in quo ex Uxore, tanquam radice fertili, mortale nomen domus ſucceſſione & propagine immortale redditur.

Quam *tekno poieetikeen* conjunctionem Philoſophus vocat *leito urgian tee phyſei* quaſi hoc ſit rite miniſtrare naturæ, ſi liberis opera detur. *tautee gar ſyroikeeſis paidoon eneka* dicit *Plato l.* 1. *de Leg. & Clem. Alex. l.* 2. *pæd. p.* 194. *to de mee eis paidoon goneen ſuntenai* id eſſe ait *injuriam facere naturæ enybrizein tee phyſei. leitourgoi.* Græcis ſunt miniſtri, qui ſerviunt publico, ut in Rep. & Eccleſiâ, aut negotium curant, ex quo ad publicum aliqua redit felicitas. Et liturgiæ hujus is effectus eſt, ut reddat homo naturæ, quod mutuo à natura accepit, ſimiles ſibi natos producendo & nutriendo. *Plato l.* 7. dicit eos, qui liberis operam dant, *ekupereetein tee phyſei, cai tees aennaou phyſeos antekethai.* Quod nil aliud eſt quam Ariſtotelicum *leitourgema.* Unde & *Clem. Alex.* 3. *Strom. p.* 459. ſcribit nuptias habere *idias leitourgias cai diaconias too curioo diapherouſas* nimirum *to keedeathai teknoon cai gunaicos.*

7. *Vocationi noſtra.* Vid. egregium librum *Dilher. de vocatione* ex Anglico verſum, ubi ſolide docet, quod detur & *vocatio naturalis*, qua vocamur à natura ad nos conſervandos, cum in individuo per nutritionem, tum in ſpecie per generationem. Quemadmodum Deus Protoplaſtis noſtris illico in Paradiſo inſinuavit hanc vocationem cum dixit: Creſcite (per nutritionem) & multiplicamini. Hæc fuit prima cura Dei, & debet quoque eſſe prima cura hominis, cum ſit *prima reliquas præcedens vocatio*, primo præcepto Catholico comprehenſa; Aſt hodie non attenditur, niſi prius aliam habeamus vocationem, humanam puta, ſalario ſufficiente ad naturalem vocationem bonis auſpiciis ad ornandam, ſuffultam; cum tamen Apoſtolus in miniſtro Eccleſiæ requirat, ut ſit antea uxoratus & ſpecimina prudentiæ in gubernatione familiæ & liberorum educatione edat, ex quibus auditores futuram in regendâ Eccleſiâ ſolertiam præſumere poſſint. Confundit vero *Victor* noſter *Chimæricus* vocationem generalem illam atque Catholicam naturaliſſimam cum vocationibus ſpecialibus in Oeconomia, Politia & *deoſophia* conſpicuis. Concedimus autem ipſi, poſſe aliquem eſſe aptum & ido-

neum creatum à Deo ad aliquid, ad quod ab hominibus non vocetur, qui tamen nihilominus habet illam vocationem internam, eamque divinam ex dotibus ad hanc ornandam neceſſariis conſpicuam, licet extrinſecus ad tale officium propter malitiam & Simoniam hominum non adhibeatur. Ad illa vero homo vocatus, ad quod vires non fruſtrà à Deo & natura datas accepit, uti ante omnia diſtinguendum inter *actionem ipſam & actionis ataxian* Ad illam homo accepit vires, ut poſſit ſe & ſua membra regere, movere, atque uſurpare, non ad laſciviam, cædes, violentiam, fraudes, quæ omnia *ataxiai* ſunt ab actionibus ipſis in ſe ſpectatis ſeparatæ. Ideo quippe potentiæ phyſicæ ſunt datæ homini, ut rationabiliter, & verbo Dei conformiter ſe gerat in omnibus moralibus, nec iis abutatur ad illud, quod Deo diſplicet, peragendum.

8. *Diabolicam doctrinam.* Sicuti ipſum conjugium à Deo inſtitutum, & ſub præcepto hominibus commendatum, ita ejuſdem prohibitio non poteſt non niſi ab *antideoo* à Diabolo ſcilicet provenire. Neque enim Polygamia adulterium aliquod, aut aliud peccatum, ſed verum conjugium, idque compoſitum, aut ſpecies conjugii, Deo maxime placens. Hoc ipſum agnovere Ethnici dum publice confeſſi ipſum matrimonium Deum habere autorem. *Ariſtoteles*, qui alias negatæ providentiæ divinæ accuſatur, clare fatetur, 1 *Pol. 2. & 7. Eudem.* Deum eſſe cauſam univerſi, atque à Conditore Deo ipſo conſtitutum eſſe ait, ut mas cum fœmina conjungatur. Sic *Xenophon c.* 12. Oecon. cauſas, cur conjugium ſit inſtitutum, explanaturus, præfatus ſub perſona Iſchomachi ait: *tou to zeuges, o paleitai thels cai arren, o theos ſunetheke.* Verba certe aurea Ariſtotelis & Xenophontis, quorum vel Chriſtianum non pudeat. Unde & *Thomas Gianninius l. de Dam. c. 26. p.* 427. de Ariſtotele dicit: Novit Philoſophus & omnes ſaniores à Deo eſſe nuptiarum fidem, conjugum charitatem, naturæ fœcunditatem. Ideo etiam à Diis petebant, inter ſacra nuptias auſpicaturi, ut Dii bene verterent. *Abi domum* (ait Parens apud Comicum ad filium nuptias jam aditurum) *ac deos comprecare, ut uxorem accerſas.* Juno auſpex erat nuptiarum Didus & Æneæ. Pelei nuptias Dii immortalibus curæ fuiſſe *Q. Calaber l. 3. v.* 99. & *l.* 4. *v.* 132. narrat. Deam Venerem pronubam fuiſſe Stellæ & Violantillæ ſublimis ille & celſus Poëta *Stat.* 1. *Sylv.* ſcribit in Epithal. ad Amicum Stellam v. 11.

Ipſa manu nuptam genitrix Æneida ducit
Lumine demiſſam, & dulci probitate rubentem
Ipſa toros & ſacra parat.

Catullus nuptias legitimas Juliæ & Manlii ſub Dei *Hymenæi* nomine celebrans ait p. 74.

Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe dicier; at poteſt
Te volente.

Athenienſes prolis gratia preces & ſacra Diis faciebant, quod Etymologici M. autor tradit. p. 768. qui etiam p. 220. *gamelian duoſan* Junoni, Veneri & Chariti factam fuiſſe ſcribit. Sic quoque *Pollux* 3. *Onom.* 3. 4. tradit *proteleia* & *progameia* facta fuiſſe Junoni, Dianæ & Parcis. Diis gameliis cum neglexiſſet *duoſan* facere Proteſilaus, *fruſtrà inceptam domum* Catullus Epigr. ad Manl. v. 75. ait:

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilaicam Laodamia domum
Inceptam fruſtrà, nondum cum ſanguine ſacra
Hoſtia cæleſtis pacificaſſet heros.

Scripturam ſi conſulimus fruſtrà incipi *genialis lectuli ſacramenta*, ut cum *Arnobio p.* 83. loquar abſque Dei auxilio legimus *Pſ.* 127. 1. *Ean me kyrios oikodomeſes oikun, eis Maten ekopiaſan oprodomentes*, cui conſonat illud Euripidis in *Menalippe* ap. Stobæum orat. 70.

Garmous d'oſoi peudouſi me prepomenous
Maten ponouſi.

A Deo eſt uxor, qui boni conjugator amoris eſt. ſic & Prov. 19. 14. *para kyriou amo-*

ze-

zetai gyne andri. conſ. 2 Cor. 11. 2. A Deo eſt, ſi quis liberos accipit. Deus collocat *ſolitarios* in domo, & *unicos morotropous inhabitare facit domum* i. e. reddit multorum liberorum Parentes, qui ſine liberis fuerunt. *Deus habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Pſ. 68. 6. 113. 9 Ut autem matrimonium felix à Deo, ita illud quoque felix, in quo Deus. Deo ſunt vocabula conjugum ap. Hebræos אנש &, אישה, (*vir & fœmina*) quæ continent in ſe nomen יה ſan, Deus. Si ex איש vir adimitur ב jad, & ex הושה adimitur ה he, asque ita יה ſah, Deus, remanet אש ſine יה, ignis ſcil. & abeſt Deus, omnisque benedictio, uti ludunt Hebræi.

9. *Vitio Zelotypias iniquiſſimo.* De hoc egimus in *th.* 2. *n.* 19. *th.* 19. 4. 9. *th.* 69. 1. *th.* 74. *n.* 1. ſatis prolixe, quo lectorem remittimus. vid. *Scal. l.* 3. *de Re Poët. c.* 14. *Plut. l. de tranquill.* Hoc certum eſt, fœminas eò impotentiores, quò plus naturalibus indulgent affectibus, ut etiam iſtarum Zelotypiam furori leonino comparavit. *Ovid. l.* 2. *de art. am*: ſicuti & multas in furorem egit. vid. *Petrarch. de rem. utr. f. c.* 72. *Neviz.* 2. *Sylv. Nupt. n.* 92. Ægerrimè enim ferunt mariti pluribus implicari amoribus, & communioni s metu quaſvis à ſe ſocias repellunt, metuentes, ne deamatæ rei poſſeſſione, ſi non totali, ſed tamen partiali exturbentur. Namque

Eſt res ſoliciti plena timoris amor.

addo & ſuſpicionis. Unde fit, ut illa *ſunergia* & *omonoja* in Oeconomia neceſſaria violetur, & exoriatur *make*, nutetque domus, ut *Chryſoſt. t.* 3. *p.* 93. *gunaikos pros andra ſaſa zoudes, ouden ugies eſtai epites oilleias.* Sic enim habendum eſt nullum majus eſſe à procreatione ſobolis requiſitum, quàm *ſunergian*, animorumque ſuavem harmoniam, ut communicent omnia inter ſe *en omonoia meta tes tou oicou, kedemonias* mutuiſque in acquirendâ re familiari officiis certent, quibus & conſervari, jucundeque vita degi queat. Non enim quicquam præſtantius, quàm cum concordes conſiliis domum adminiſtrant vir atque fœmina, monente etiam Sapientiæ Patre *Homero ad. z.* v. 182.

Où mèngar toùgekreiazon kai áreion
Eë ó ómo phoroxéonte noéemaſiu óikon
èchieeton
Anér éede gynée.

Mia toon kath' éna èſtin óikioon ſooteria tó tayta phronein. ait *Ariſtid. Orat. de Conc.* Hæc longè eſt expeditiſſima ad benè vivendum in Oecon. ſi *ſugcata ſontes* (de conjugibus id dixit *Plut. Erot. p.* 910) mutuo amore ſe complectuntur, natos in timore Dei educant, inſtituunt honeſtis moribus, regunt diſciplina accurata, proſpiciunt de neceſſariis, ſervos & ancillas ad officia debita & honeſta flectunt. *Duo* ſunt, quæ domum faciunt, *lapis & lignum*, *Tria* ſunt, quæ exornant eam & conſervant, Pietas religionis, concordia inhabitantium, & juſtitia virtutum. Ut mutuus conjugum amor fundamentum Oeconomices; ita earundem diſſenſio eſt totius domus perturbatio. *S. Chryſoſt. homil. T.* 8. *Opp. p.* 79. inquit: *Meedén é ſoo gynaiki ándros timóoteron, meedén án dri gynaikós potheinoteron. Toùto pàn tóon éemóon ſyngratei téen zooeén tó ómonoéin gynaika prós ándra. Toùto ſynéchei tóu koſmon apanta: Kathà per gàr tou theme lïon ſaleythéntos, páſa ée oikodomee kata pheretai, oú too kai gámoon ſtaſiazontoon, á pas ô bios eémoon ànatrépetai. Idem* paulo poſt *p. eadem* docet, neque divitias, neque honores, aut illa alia felicitatis humanæ nomina exhilarare, ſi conjuges invicem diſſentiant, *otan aros allelous zugomalos* Sic Leonis Byzantii miſſi Athenas ad ſeditionem ſedandam verba fuere: *Obeſus ego ſum, obeſior uxor, & tamen cum tales, tantique ſimus, concordes lectulus capit, diſcordes neque tota domus.* Proinde *Eurip.* in Medea:

Megiſee gignetai ſooteeria
ô tan gynée pros andra mée dichoſatée.

Aſt ubi uxor moroſa & exoſa, ibi dies triſtitiæ & amaritudinis, & dulcedo ſuavitatis in amaritudinem abſynthii vertitur. Sic erit *onus grave* marito, & male erit domui, quæ nacta eſt uxorem moribus exoſis præditam, quæ *terram*, (multo magis domum) *movere* dicitur Prov. 30. 23. Ejuſmodi erat in

 ædi-

ædibus *Jobo*, quæ pro lenimentis dolorum objurgatione conduplicabat ægritudinem pio marito. *Adhuc perſeveras* &c. ajebat; ad quam ſarcaſmum regerebat patientiſſimus Vir. c. 2. 9. *ut loqui ſolet mia toon àphronoon gynaikoon, loqueris.* Oblatratricem habuit Tobias, cui eleemoſynas uxoris lingua maledica exprobrat. c. 2. 22. *Importunam & incommodam* habuit Dæmenebus Plautinus Aſin. 1. 1. 48. A mulieribus tribus *Sote, Dejanira, Omphale* Herculem afflictum & perditum fabulantur Poëtæ. Si mulieris malæ animus eſt in fermento, ratio à ferveſcente animo vincitur, tuncque

Fertur equis auriga nec audit currus habenas

De litigioſis iſtis mulieribus apprime dixit Salomon Prov. 19 *ſtilla continua jurgia mulierum.* De iſto ſtillicidio bonus Socrates perſenſit acerbiſſimas guttas; nam ei uxor erat Xantippe peſſimarum peſſima, *toon ouſioon cai toon gegeneemenoon cai toon eſomenon calepotatée,* elogio *Xenoph. in conv. p.* 511. *moroſa admodum & jurgioſa, irarumque & moleſtiarum per diem, perque noctes ſatagens,* Gellio teſte l. 1. c. 17. Xantippes ſuas & Andromachas hodienum habent domi tolerantiæ Magiſtras multi; quas neque Prometheus refingere, neque Vulcanus aliter recudere, neque Orbilius plagis (quibus olim *Tiraquel.* contumaces afficiebantur *leg. conn.* 1. *n.* 8. 9. *p.* 291.) emendare poteſt. Si tamen experiris, quarum malevolentia nullis poteſt emolliri delinimentis, tu Socrates eſto, cum quo cogita, te habere domeſticum patientiæ exercitium. Alias artes emendandi mulieres contumaces, inſinuat Hier. Card. l. 4. de ut. c. 3. & 4. p. 952. Conqueruntur ſæpe Docti in literis Viri cum Xylandro, ſibi eſſe uxores, quæ animum curis exurant, ſeniumque velox afferant, & ut id ex Anthol. l. 19. dicam:

Audra gar ekkaiei tais phrontiſin, eede maratnei
Cai keeras propetes tee neoteeti pherei.

De malis mulieribus vid. *Tiraqu. ad L.* 9. *Conn. n.* 16. *Ut nil benigna* (Fulg. Mythol. 1. p. 140.) *ſuperius conjuge, ita nil infeſtâ crudelius muliere. Conjux quantum jure conjunctior, tantum eſt aut morum dulcedine mellea, aut felle, aut felle malitia toxica. Eſt quippe aut perpetuale refugium, aut perenne tormentum.* Nil acerbius malâ. Heſiod. l. 2. vocat ἄχαιρον, quæ cum vir lætatur, torvum videt, cum ſerias res agit, ludit ac ridet. Plut. Connub. p. 139. Si vir eſum poſtulat, illa ignem adeſſe negat, ſi panem deſiderat, lapidem oſtendit, nolunt ubi velis, ubi nolis, veniunt ultro. *Hic tu ſi finxeris nolle, quod velis, habebis obſequentiſſimam, dum repugnare ſe tuis mandatis exiſtimat.* ex conſilio Cardani de util. c. 4. p. 955.

10. *Saram imitari, qui Dn. vocans ancillam* Hæc verba quoque notare, ne nihil proferret, voluit *Autor Polygynias*, dicens, quod Sara tùm non vocarit Dn. Abrahamum cum ancillam ſubſtitueret, ſed cum Jehova apparens Abrahamo & Saræ filium promiſerit. Sed hoc primum nil obſtat, ſiquidem novimus, quod ſemper maritum pro ſuo Domino fideliſſime coluerit licet ſcriptura, à cujus ſilentio in hiſtoricis nullum duci poteſt argumentum, non meminerit, quod ſemper & hîc quoque illum hoc nomine ſalutarit. Semper & in omnibus erat & agnoſcebatur uxoris Dominus. Porro dicit Anti-Polygamus, quod *Petrus* 1 *Petr.* 3. 6. non ratione ſubſtitutionis ancillæ Saram in exemplum ſiſtat mulieribus. Reſpondetur vero ad hoc, quod licet non expreſſe dicatur, hoc tamen certum eſt quod in omnibus matrimonialibus actionibus ad imitandum fœminis proponatur. In quibus cum utramque impleat paginam Heroicum ejus factum, in ſubſtitutione Hagaris admirandum, de quo Owenus l. ep. 143.

Quæ velit ancillam concedere nupta marito.
Res, eſt hoc noſtro tempore rara Sara:

Nil impedit, quo minus etiam ratione conceſſæ ancillæ in imitationem à Petro dicatur propoſita Sara. Certè Antagoniſta cum aliis Anti-Polygamis exemplum Adami ratione divortii tantum *Matth.* 19. à Chriſto adductum extendunt etiam contra mentem Spiritus S. ut oſtenſum, ad Polygamiam improbandam. Quis igitur nobis vitio vertet

ſi

ſi dicamus omnes mulieres hâc in re æmulari debere ad mentem Petri Saram, ſicut ejus exemplum uxores Jacobi, qui erat Saræ nepos, Rahel atque Lea ſine ulla Dei reprehenſione & dubio procul deinde plures in populo Iſraelitico fœminæ ſine ulla tergiverſatione ſunt ſecutæ. Ut nil dicam quod Petrina etiam huc faciant, quando jubentur uxores *ut ſuis ſint ſubjectæ viris, quemadmodum Sara obedivit Abrahamo, Dominum eum vocando, cujus filiæ quaſi ſint factæ, ſi* (*αγαθο ποιεῖν*) *benefaciant, & nullum caſum adverſum expaveſcant.* Quid enim melius poſſunt facere fœminæ, quàm ſi cum Sarâ ſeipſas, ſuos affectus, & antipathiam naturalem quaſi couxorum & coadjutricum veniant, juxta Poëtam:

> *Fortior eſt quiſe, quàm qui fortiſſima vincit*
> *Mania, nec virtus altior ire poteſt.*

Quid melius (ἀγαθο ποιεῖν) poſſunt facere, quam ſi multiplicationem generis humani, quod ſane eſt bonum opus, promoveant, & moleſtias atque incommoditates, quæ ex couxoribus & coadjutricibus pluribus inductis plerunque naſci ſolent, non reformident, ſicut meticuloſus ille Laban, qui ulteriorem Polygamiam in Jacobo, ne filiabus tædia crearentur, ſub juramenti exactione deprecabatur. Cœterum in Sara hic laudatur obedientia marito præſtita, & ſumma conformitas atque harmonia voluntatis ipſius cum voluntate viri, quæ ὁμόνοια laudatur in Monica, quam *nullam cum Marito unquam habuiſſe ſimultatem* ſcribit ejus filius *Auguſt. l. 9. Confeſſ. 9.* Sic Macrinus cum uxore vixit 39. annis ſine jurgio ſine offenſione teſte *Plinio l. 8. Ep. 5.* Felices vero ſunt illi qui α'πολίμεις ἰυιὰς habent. Unde non ſtruſtra *Suadam & Gratias* priſci conjugiali thalamo præficiebant, ut indicarent, conjugium invicem manſuetam debere juxta *Plut. Con.* eſſe vitam & ſuavem. Certe talis uxor eſt magnus theſaurus, & res pretioſiſſima. *Clem. Alex. 3. Pædag. 12. p. 258.*

> *Ou cruſos; ou turannis ou ploutou chilſee*
> *To ſouton, eike diaphorous tas eedonas*
> *Os andros eſthlou cai gunaicos euſebous*
> *Gnomee dicaia cai phronouſa t'andrica.*

THESIS LXXXVIII.

HOc certum eſt, quod Polygamia plerumque à luxuria, & inordinatis affectibus, datis occaſionibus & rariſſime deſtinato conſilio pleriſque fuerit ſuſcepta, & propterea etiam ut Azorius dicit, *Patribus fuit inviſa, quia luxuriæ argumentum videbatur.* Verum hoc pacto ipſum conjugium è mundo tollendum, quia plerunque à luxuria inchoatur. Diaboli enim vafritiè factum, uti multis maculis conjugium & Polygamia fuerit collutulata, & deinde quia Apoſtoli & Patres caſtitatem maximopere commendarunt, ex malâ interpretatione Diaboli conjugium & multo magis Polygamia, ſeu multarum uxorum conjugium pro ſtatu impuro habitum fuit, & ſi vel maxime unus vel alter Paphnutius in conjugio etiam eſſe caſtitatem aſſeruerit, multitudo tamen errantium errori à Satana ſemel introducto patrocinium peperit, donec tandem cœlibatus conjugio prælatus Polygamiam in deſuetudinem perduxerit. Hic nuſpiam legimus quod Patres ipſi Polygamiam ceu peccatum contra legem naturæ vel moralem vel Novum Teſtamentum taxarint.

rint. Expreſſe dicit Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, 47. *Quando mos erat, plures habere uxores crimen non erat, nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt.* Hieronymus ad Pammachium ſcribit: *non damno Polygamos.*

Et quanquam Hieronymus odio Jovinianiſmi in hunc errorem delapſus fuerit, ut cœlibatum & virginitatem conjugio prætulerit, conſcientiæ tamen ſtimulis adactus non potuit Polygamiam damnare. Sicut nec reliqui Patres ſcripturæ momenta penetrantes dicere potuerunt, quod Polygamia ſit contraria ſacris literis. Et ne multos antiquos Patres recenſeamus, ſit inſtar omnium noſter Martinus qui in Comm. in Gen. 16. expreſſe profitetur, his verbis: Hiere were auch zu reden von den Stück / ob ein Mann mehr als ein Weib haben möge. Es iſt gung geſagt / was geſchehen und beſchrieben iſt / muß man laſſen bleiben als Gotts geſchicht / gebiert niemand ſolche Hiſtorien zu ſtrafen / darumb mus Abraham hier in nicht geſundigt haben (NB) weiter haben wir gehört / das Abraham ein rechter ja volkommener Chriſt geweſen. Aufs aller Evangeliſchte gelebt im Geiſt Gottes und Glauben. Darumb müſſen wir ſein leben alſo laſſen gehen / daß es ein Exempel ſey darnach zu thun / wo ſichs begebe in ſolchem Glauben. Fragt man nun weiter / weil es verboten / daß er mehr denn ein Weib hätte / wie wollen wir ihn denn verantworten / das er kein Chriſt blieben ſey. Zum erſten / wenn mann wil einfellig dazu reden / ſpricht mann alſo / es ſey durchs Evang. aufgehoben / wenn Chriſtus ſpricht in Matth. von Anfang war es nicht alſo Und Paul. Ein jeglicher hab ſein Weib und ein jede ihren Månn. Das man mocht ſagen / Abraham hat etliche euſerliche werck gethan / die nun aufgehoben / aber das wird nicht gnug ſeyn (NB) wir muſſen uns ſo bewahren / das es redlich (cum fundamento NB) verantwortet ſey. Denn das je wahr / das alles ſo wir finden in alten zeiten von den Vetern euſerlich gethan / frey ſein ſolle / nicht verboten / ſo můß anch neben andern Exempel der Våter mitgehen / das ſie viel Weiber genommen / das es ach frey geweſen / und ſumma ſummarum Abraham hats ſo weit nicht gefuhrt / als die andern Patriarchen / nimbt die Magd nicht eh / venn es ihn ſein Weib heiſſet / und bittet. Ander Exempel werden weiter dringen / dis kont noch wohl ſo hingehen / als ein ſonderlichs vor andern Våtern / ſo ſage ich nun und ſchlieſſe / wo nicht Chriſten / ſondern Heidniſche Leute ſind / wolte ich noch / das man dem geſetz nachthete von ſcheiden / das einer ein Weib möchte von ſich thun und ein andere nehmen. Chriſtus hat es ja auffgehoben. Sagt alſo in Matth. Moſes hat euch erleubt zu ſcheiden umb eůers Hertzen hertigkeit willen / von anbegin war es nicht alſo / ich ſage aber euch: wer ſich von ſeinen Weibe ſcheidet / es ſey denn um der Heurerey willen / und freyet eine andere / der bricht die Ehe. Desgleichen Paulus:

lus: den Ehlichen gebiete nicht ich / ſondern der Herr Daß das Weib ſich nicht ſcheiden laſſe von dem Manne / ſo ſie ſich aber ſcheiden leſt / das ſie ohn Eh bleib / oder ſich wieder verſoene mit ihm. Und daß der Mann das Weib nlcht van ſich laſſe. Aber die Chriſtum nicht horen / were noch wohl ſo gut / das Moſes Geſetz gienge / eh man daß leiden müſte / das Ehleute keine güte Stund hatten. Aber dabey muß man ihuen ſagen das ſie nimmer Chriſten weren / ſondern in Heidniſchen Regiment. Biſtu aber ein Chriſt / muſtu dich nicht ſcheiden. Aber nicht verboten (NB) das ein Wann nicht mehr denn ein Weib durfte haben. Ich kunte es nich heut uicht wehren / allein rathen wolt ichs nicht. Denn damit bleibt gleich wohl noch / das man ſich nicht ſcheiden ſol / ſondern ſeinen Weibe anhangen / darumb dringen die vorigen Spruche (Matth. 19. 1 Cor. 7. non prohibent Polygamiam) ſolchs nicht / doch wolt ichs nicht aufbringen. Sondern darum ſag ichs / wenn es zur Scherfe kame / das man recht wuſte zu antworten / das man die Väter nicht verwerfe / als hätte ſich es nicht geziemet zu thun. Wie die Manichæi ſagten. Ejusdem ſententiæ eſt etiam in propoſitionibus ſuis & in tr. de bigamia Epiſcoporum. Huic ſuffragatur etiam Philippus Melanchton, ut infra audiemus, & Joannes Calvinus ut de eo refert Chokier in Face Hiſtoriarum.

1. *Patribus fuit invisa P. quia ſignum luxuriæ.* Hæc unica quidem *Azorii* ratio poterat ſufficere ad retundendam *Victoris Utopici* audaciam, quâ Polygamiam per univerſalem Eccleſiæ antiquæ Chriſtianæ conſenſum improbatam eſſe aſſerit & in hanc rem Patres c. 6. integro prolixe adducit, jactatque ne unum quidem non tantum inter Patres, ſed omnes Veteres quoque Chriſtianos reperiri qui aliud ſenſerint. Quæ ſane eſt maxima & intolerabilis jactantia, inaudita præſumtio, ſceleſtiſſima confidentia ſui ipſius & blaſphema quoque ſuperbia, qua ſibi tribuit, quod ſolius Dei eſt, ſe ſcilicet noſſe omnium veterum Chriſtianorum mentem atque ſententiam; (Nemo enim novit, quæ in homine ſunt, niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo, dicit Paulus 1 Cor. 2. 11.) ac Thraſonice gloriatur, ac imperitis imponit, quaſi omnes Patres in univerſum legerit, examinarit, illorum ſententiam penetrarit. Quod ſane non unius hominis eſt Et qui hoc de ſe affirmat, ille mendaciſſimus eſt, & neſcit ſane, quinam ſint Patres & quæ eorum ſcripta, conditioque. Patres ſcilicet ſunt Doctores Eccleſiæ, non ſubjecto quidem ſemper, ſtudio tamen ab Epiſcopis diſtincti. Quanquam enim etiam requiratur, ut Epiſcopi ſint διδακτικὸς, δυνατὸς, ad convincendos adverſarios, non tamen tanto gradu nec tanta contentione, nec tanta vacatione, quanta qui, quod Doctorum eſt, id unice agunt, hoc expedire poſſunt, uti & inter felicia & σπάνια ſit referendum ſi in uno ſubjecto & ἐπισκοπῆς vigilantia & ſumma doctrinæ excellentia concurrant. Jam verò Patrum ſeu Doctorum Eccleſiæ conſideremus numerum, quem nobis ſuppeditavit *Euſebius in hiſt. Eccl.* uſque ad Conſtantini M. tempora, atque eum ſecutus *Hieronymus de ſcrip. Eccleſ.* ſeculo 7. vero *Gennadius* Presbyter Maſſilienſis uſque in ſeculum 6. continuavit, quibus nonnullos addidit ſeculo 19. *Iſidorus Junior* Hiſpalenſis Epiſcopus *l. de Vir. Illuſtr.* ſeculo 12. *Honorius* Auguſtodunenſis Presbyter, & *Sig. Wartus* Monachus Gemblacenſis plures adjecerunt. Seculo vero 13. *Henricus de Gandavo de Vir. Illuſtr.* & ſeculo 15. *Trithemius de Vir. Illuſtr. & ſcript. Eccleſ.* inſigniter auxerunt.

Quod etiam poſtea multi alii fecerunt recenſiti à *Dracidio* in Biblioth. inter quos præcipui ſunt *Geſnerius*, *Poſſevinus* Appar. *Sixt. Senenſ. Bellarm.* de ſcript Eccl. *Sanderus* de Monarch. Eccleſ. *Caniſius* inMaj. Explic. Catech. *Caulterius* in tab. Chronol. *Franc. Junius.* *Pappus* in Comp. *Gerhard*. Method. Stud. Theol. *Danæus* Comm. ad Auguſt. *Scultetus* Medull. Patr. *Rivet*. Crit. Sacr. *Rob. Cocus* Cenſura Patrum aliique ferè innumeri. Si quis vero Mathuſalæ annos attingeret, feliciſſimo etiam ingenio & memoriâ ſtupenda, atque ferreo quoque podice gauderet, non poſſet omnia omnium Patrum ſcripta percurrere, examinare, ventilare, verumque ac genuinum ſenſum indagare; Notum enim eſt, *multa patrum ſcripta eſſe mutata, mutilata, ſuppoſita*; quin etiam divinâ procul dubio providentia factum eſt, ut ab Apoſtolorum diſcipulis, Apoſtolicisque viris, & Apoſtolorum ſeculo proximis, aut nihil ſcriberetur, aut nil conſervaretur, aut ad poſteros manaret, aut ſaltem nil ab initio Eccleſiæ uſque in hunc diem ſupereſſet, de quo non dubitaretur, quod per tineas blattas, aliũve Dei exercitum, mutilatum non eſſet, ut ſoli *ſcripturæ* tanto evidentius ſua conſtaret *autoritas*, *illique ſoli eſſet propria incorruptibilitas & æternitas*. Patribus vero multa ſcripta fuêre ſuppoſita, ita ut ſæpe carbones pro theſauro inveniantur, uti teſtantur veteres hiſtoriæ & inter alia *Concilii Carthag*. 4. acta, in quo de Decretis Concilii Niceni genuinis diſputatum fuit. ceu *Hieron. Kromaerus* Præceptor olim meus Venerandus *hiſt. Eccl. p.* 24. refert. Suppoſuerunt autem Patribus ſæpe aliena ac ſpuria ſcripta, partim ut autoritatem ſibi illorum teſtimonio conciliarent, vanam gloriam ac invidiam declinarent, partim etiam ut ſententiam ἄγραφον & ἀντίγραφον, quin etiam ἄδοξον fraudulenter munirent. Sæpe etiam cum ſcripta nonnulla per tineas & blattas corroſa & mutilitata ſine die & conſule, atque autore addito exarata invenerunt, huic vel illi Patri per ϛοχασμὸν imperitam aſſignarunt. Hodie vero per indices expurgatorios plerique Patres ſunt caſtrati à Marianis prætendentibus, Eccleſiam jus & autoritatem habere non tantum in libros autorum, ſed & in autores ipſos, quin etiam ad caſtrationem hanc obligari ad ſcandalum præcavendum, quia Patres ſcateant erroribus tùm veterum tum recentiorum hæreticorum. Præterea etiam Patribus multa *addita* & infarcta fuerunt, ab hæreticis vel imperitis Typographis, vel etiam Monachis, qui in cellis ſuis ante inventam Typographiam deſcripſerunt, ut nil dicam de hodiernis fraudulentiſſimis additionibus, in novis Patrum editionibus ſæpe conſpicuis. vid. *Danh. Antichr. p.* 61. *Dram. p.* 250. Quæ aliam ob rationem non fiunt, quam ut malæ cauſæ, cui adverſari non raro vident Patres, patrocinium aliquod habeant, licet admodum infirmum & ſtramineum. Bene etiam ante omnia perpendenda *doctrina* earum vel Exegetica vel Agoniſtica, vel dogmatica, vel Homiletica, aut Philoſophica, aut Hiſtorica, aut Poëtica, aut Categorica. Cujus *doctrinæ ſenſum* ſiquis indagare velit, opus eſt ut hiſtoriam coævam cognoſcat, Protypum & genuinum ſcriptum inſpiciat, atque unum locum cum altero conferat. Sæpe etiam novas phraſes, jure Eccleſiæ conſueto, uſurpant, ac ante motas controverſias ſecurè loquuntur, formulas etiam loquendi petunt ex liturgiâ veteris fœderis, aut mutuantur à gentilibus, aut ab iis cum quibus quandoque agendum (dies ſolis) aut communem uſum obſervant, penes quem jus & norma loquendi.

In Parædeticis verò & Demegoricis ſæpe Patres ſolent rhetoricari, ut teſtantur προσφωνήσεις ad crucem, ad Euchariſtiam, vid. *Chemnit. Exam. C. Tr. de invoc. p.* 329. 331. 341. 344. *Gerb. de Cœn. p.* 449. *Carpz. Spec. Th. Chemn. p.* 36. 37. *Danh. Dram.* 259. *Antichr.* 704. Jam vero Theologia Rhetorum, uti Allegorica, non eſt argumentativa. In Dogmaticis vero animadvertendum an dogma aliquod obiter tantum, & Gymnaſtice, ac ὡς ἐν παρόδῳ attendant, an vero dogmatice aſſerant, & deinceps an ex ſua vel aliorum ſententia referant. *Gerb. Method. Stud.* 297. Quare bene ſunt diſtinguenda ſcripta Gymnaſtica, à dogmaticis, didaſcalicis, & Oeconomicis, atque diſputationibus καθ' ἄν δρακωτοι, In Polemicis etiam ſæpe affectibus abrepti ab uno extremo ad aliud deveniunt aut non ſemper

eunt,

euut, quo eundum, ſed quo itur, ſecureque ſe gerunt, ſenſumque ſcripturæ pro verbis allegant, Sæpe etiam ex puſillanimitate multos abuſus tolerant, & ex ſimplicitate in credendo patiuntur ſibi imponi, iis, qui à veritate ſunt aliena, fidem adhibentes.

Ex quibus ſatis apparet, quanta ſit autoritas Patrum, & quouſque in probando aliquo dogmate adhiberi poſſint.

Equidem illorum Orthodoxiam in rebus fundamentalibus, ad hæc ſanctitatem, Zelum; eruditionem (in aliis ſummam, in aliis majorem, in aliis mediocrem, in nonnullis inferiorem pro difficultate illorum temporum, aliiſque incommodis & defectibus) agnoſcimus, veneramur, magnifacimus. veluti illi nobis recommendantur *Deut.* 32. *prov.* 22. 8. *Eccleſ.* 8. 11. *Jerm.* 6. 16. quia conſanguinitate doctrinæ antiquæ deguſtatâ nil ſuavius, nil ad perſonam diſputantibus poſt ſcripturam efficacius. vid. *Tertull. de præſcript. p.* 100. *Auguſt. l.* 4. *contra Pelag. Hulſem. de Præſcript. Danh. Antichr. p.* 59. *Calixt. de Autor. Antiqu. Eccl.* Æquum enim & juſtum eſt, ut eos tanquam mutos Præceptores honoremus, earumque operâ pro re nata utamur. In dubiis autem, obſcuris, & difficilibus (quorum veritas ex ſcriptura nondum conſtat) illorum conſenſus præjudicio tanto apud nos præponderat, ut à poſteriori pro illâ ſententiâ potius, quàm pro alterâ validis præſumtionibus animum noſtrum oecupari ac detineri velimus. Illorum itaque *autoritas* ita eſt comparata, ut *non ſit humana, Canonica & indepedens,* ſive ſcorſim, ſive conjunctim ſive ratione conſenſus ſpectetur. Sicuti enim ex multis granis avenæ non fit triticum, ex multis lapidibus, aut fruſtulis æris, argenti non fit aurum, ita ex multis hominibus, Patribus, qui erroribus & mendaciis ſunt obnoxii, non infallibile & divinum teſtimonium oriri poteſt. Non igitur ſunt *Numina* quæ adorare oporteat; ipſi Patres, ſed *lumina*, ex ἐλλάμψει Spiritus S. non quidem immediata ac infallibili, ut Apoſtoli, ſed mediatâ. 1 Cor. 12. 3. nata atque accenſa, &, quoad lumen luminum ſcripturam ſacram ſequntur ſatis certa atque tuta, dependentia tamen non à ſolio Papali, ſed à Regio ſcripturæ ſolio quo dimiſſa ad Patres provocare ars eſt hæreticorum: Sunt enim multis erroribus obnoxii, unde ſolemus pudenda illorum παροράματα tegere, excuſare, nec illico nomine hæreſeos aut ſchiſmatis, aut Syncretiſmi accuſare, aut diffamare, quin potius oculis prudentiæ & charitatis aſpicimus, aut etiam oculos inſtar Semi & Japeti penitus. à Patrum verendis avertimus. vid. *Danh. Antichr. p.* 62. *Voët. Diſp. Sel. t.* 1. *p.* 92. Neque enim erronea aliqua opinio, vel incommoda incautè & ſecure uſurpata, & ab analogiâ fidei abſona phraſis. hæreticum conſtituit, uti ſæpe olim ea propter multi peſſime tamen à contentioſis & κενοδόξοις hæreſeos ſunt incuſati. Infirmitates aliàs & παροράματα Patrum qui videre deſiderat, poteſt conferre Centuriat. Magdeburg. Flacii Catalog. Teſt. Chemn. Orat. de Lect. Patr. Gerh. Conf. Cathol. l. 1. Gener. Danh. Dram. 265. 269. Antichr. 62. Voët. diſp. Sel. t. 1. p. 93. Conſenſus tamen Patrum non eſt ſimpliciter negligendus, nec ei temere contradicendum nec temere etiam nova muſteâ fidei doctrina inſignita de qua in totâ antiquitate nullum veſtigium, in Eccleſiam invehenda. Qui enim unanimi conſenſui affirmativo temerè contradixerit, is ſine dubio novator, uti hoc gladio pugnavit contra Huberum Ægid. Hunn. de Prædeſt. p. 100. contra Reformatos Gerhardus Harm. c. 174. *p.* 340. contra Romanenſium Indulgentias *Calixt. Digreſſ. Nov. art. p.* 318. Ita vero hic, conſenſus eſt magnifaciendus, ut *non regulæ inſtar pro Canonico & normitativo conſenſu* habeatur; ſiquidem in nullâ ſcientia praxis & continuata deductio ſeu propagatio principiorum ſcientificorum doctrinæ, & concluſionum ſcientificarum pro principio & fundamento habetur. Conſervatio quippe doctrinæ ex conſenſu conſtans docet tantum, quid creditum ſit, aut ut crederetur, ex conſenſu decretum, non autem præciſe ex illo conſenſu, tanquam principio, cognoſci poteſt, an credi debuerit ex obligatione divinâ. Prætereà etiam cum principium & principiatum debeant eſſe homogenea, omnia illa, quæ fide ſupernaturali, ut articuli fidei, ſunt credenda, ſeu principiatum, tale etiam requirit principium. Conſenſus

verò non gignit, niſi fidem humanam ex ſe, & vi iſtius conſenſus acquiſitam. nec plus, quàm moralem certitudinem afferre poteſt, adeoque *non eſt Canonicus aut normativus*, quia iſte *non eſt* αὐτόπιςος & certus certitudine divina, nec ab omni errore immunis. Si enim ſinguli Patres potuerunt errare, quo privilegio cautum fuit univerſis, pro quibus nullum extat: Non denegamus quidem, cum de mediis interpretationis verbi divini agimus, ommentariis Patrum aliquem locum, ſed concedimus omnino, & nonniſi ultimum. vid. *Danh. Id. B. Interpr. p.* 174. 223. *Antichr. p.* 60. 489. Sola fidei menſura eſt verbum Dei.

Deinde ille *Conſenſus Catholicus* non eſt *neceſſarius, nec perpetuus*. Eccleſia enim prima caruit & carere potuit, ſolo atque unico credendi principio ſcriptura ſacrâ ſcilicet ſufficienter ſuffulta. Et ſi aliqua hodie ipſi neceſſitas aſſignanda eſt, non eſt abſoluta & ſimplex, ſed expedientiæ, utilis ad hominem, non quod plane finis ſine eo obtineri non poſſit, ſed quod non tam commode & expedite καθ᾽ ἄνθρωπον ſine eo obtineri non poſſit. Prætereà ille conſenſus *non eſt tutus ſed* maxime *periculoſus*, ſiquidem & prima Eccleſia à ſeminio Antichriſtianiſmi non fuit libera. Chiliaſmus ψυχοπαννυχία, amor cœlibatus, aliaque gaudent antiquo & catholico conſenſu, & tamen ſunt falſæ doctrinæ. vid. *Danh. Dram. p.* 270. *Antichr. p.* 60. 489. 491. Denique ille Catholicus conſenſus ut ſupra dictum eſt *obtentu impoſſibilis*. Nec enim omnes Eccleſiæ Doctores ſcripſerunt, nec qui ſcripſerunt, in omnibus conſenſerunt, nec etiam omnes perlegi, examinari atque rite ac plenariè cognoſci poſſunt.

Quia itaque ſola ſcriptura eſt norma atque Canon perfectus, adæquatus, Patres etiam non præſtent niſi teſtimonium humanum & probabile quia de facto errarunt, fatentibus omnibus Antagoniſtis, pauca etiam eorum ſcripta imprimis ex antiquiſſimâ antiquitate primorum 3 ſeculorum habeamus & fere duntaxat habeamus ea, quæ ſunt aut fuerunt in imperio R. ex ſcriptis Patrum etiam multa ſint notha, nec conſtare certo poſſit, quænam ſint genuina ob Patrum multitudinem, ſcriptorum ſuppoſitionem & ſcribendi pruriginem, & utut Patres ſint certi, eorum tamen verſiones, editiones incertæ, nec omnes ab uno homine legi, conferri, trutinari, & ità intelligi atque apprehendi poſſunt, ut de vero conſenſu conſtet, cum propter difficultatem Patrum, tum propter ruditatem, linguarum ignorantiam, oſcitantiam, & inconſtantiam in Patribus non raro conſpicuam; adeo ut incertum ſit, an hæc vel illa propria illorum opinio an aliena, univerſalis an particularis, inſuper etiam nondum conſtet, quid ſit conſenſus, qui ſint genuini Patres. & qui ex genuinis faciant conſenſum. Idcirco neceſſario conſequitur illum *Catholicum conſenſum antiquæ Eccleſiæ*, quem Anti-Polygamus ſomniat, eſſe *non ens*, in cerebro nonniſi Victoris cerebroſiſſimi natum & nonniſi in Utopia conſpicuum. Ipſi Patres & doctrina & praxi hanc ad conſenſum ipſorum provocationem deprecantur, cum ad ſolam ſcripturam nos ablegant, prædeceſſorum errores reprehendunt, lectorem ſuis ſcriptis non aſtringunt, ſed liberum judicium permittunt, quin etiam aliorum judicio ſe ſubmittunt, errorum petunt veniã, atque eadẽ ſubinde retractat nec ſibi ipſis etiam in libris & ſcriptis ſatisfaciunt. Præterea etiam plerique Patres res à noſtris controverſiis alienas tractant, noſtræ quoque controverſiæ pleræque ea ſaltem forma, qua nunc ſunt, in pleriſque Patribus non apparent, atque inſuper omnes illæ difficultates, quas Pontificii objiciunt ſcripturæ ſacræ, ſecundum hypotheſin, & conſequentias eorum etiam hic moveri poſſunt, quod ſcilicet ſit *regula Leſbia, Cereus naſus, liber hæreticorum*. Denique circa genuinos autores, ſcripta, editiones Patrum eadem moveri ad minimum poſſunt, quæ pro atheis, infidelibus circa ſcripturam movere ſolent Romanenſes. Qui & ipſi *Patrum* conſenſum normativum negant, partim directe, uti ex antiquioribus fecit *Gerſon*, ex Scholaſticis, *Thomas, Biel, Bonaventura*, ex Elenechthicis *Bellarminus, Becanus, Stapletonus*, ex Commentatoribus *Stella Pererius, Maldonatus*, ex hiſtoricis & Antiquariis *Baronius, Sixtus Senenſis* &c. partim indirecte, cum in dogmaticis, eriſticis, exegeticis libere diſcedunt & reprehendunt, cum tot cautelis editionem & lectionem Patrum muniunt,

cum

cum tot diſtinctiones in Commentariis & Elenchthicis ipſorum occurrunt, quibus excipiunt adverſus teſtimonia Patrum ſibi objecta, cum inſuper expurgationi & correctioni ſcripta ipſorum ſubjici poſſe credunt, ac denique reipſa oſtendunt, atque aperte profitentur, Patrum autoritatem ipſis nil aliud eſſe, niſi larvam, ludibrium & merum non ens, atque in ſua dicta Eccleſia, ſive rectius dicendo, Papâ omnem reſidere autoritatem. Quæ cum ita ſint, luce meridianâ clarius apparet, quo loco habendus ſit ille Univerſalis antiquæ Eccleſiæ conſenſus quem jactat *Victor Utopicus* tanta impudentia, ut aſſerat: nullum antiquum Patrem, quin etiam nullum veterem Chriſtianum fuiſſe, qui aliter ſenſerit, ſed omnes atque ſingulos Polygamiam improbaſſe. Quod purum putum mendacium, quod multis mendaciis tegit, ne perpluat. ut Plautus loquitur. Ut jam nil amplius dicam de univerſali. Patrum conſenſu, quòd haberi prorſus nequeat, uti hactenus oſtenſum, inſuper *Thraſonicus ille miles* & *Victor Babylonicus* gloriatur ſe habere conſenſum omnium veterum Chriſtianorum Nunquid *Conſtans, Conſtantius, Carolus Magnus, Valentinianus, Dagowertus, Lotharius, Comes de Gleichen*, aliique innumeri partim jam adducti à Theophilo. partim adhuc adducendi non fuerunt Chriſtiani, qui cum ſuis exemplis, tum legibus ut Valentinianus, Polygamiam approbarunt, nec Epiſcopos, ut Ambroſium maximum verbi divini zeloten alioſque ut ſupra de *Valentiniano* ad th. 13. 5. dictum eſt, contrarios ſenſerunt. Quid vero aliud Epiſcopi, dum non contradixerunt legibus & exemplis, aliud innuere voluerunt, quàm quod non improbarent. Et annon etiam illi fuêre Chriſtiani, de quibus ſæpè Patres movêrunt quæſtionem, an ad compaternitatem in baptiſmo Polygami ſunt admittendi. Certè multò meliores fuêre, quàm noſter Thraſo Gigantæus, vix dignus, ut illorum corrigias ſolvat. Cœterum Catholicum antiquæ Eccleſiæ conſenſum probat adductis nonnullis Patribus, Canonibus Apoſtolorum, & conciliabulis nonnullis ſequioris ſeculi. Verum enim vero illa omnia ita ſunt comparata, ut nullum adverſarium ſtringere poſſint. Scripta enim adducta partim ſunt ſuppoſita, ut Canones Apoſtolorum, partim repleta doctrinis Antichriſtianis, ut eſt amor nimius cœlibatus, virginitatis; odium matrimonii, nuptiarum ſecundarum, quo plerique Patres fuêre infecti. Jam facile omnis *Cui eſt mens ſana in corpore ſano* conjicere poteſt, quod, ſi Patres ſecundis nuptiis ſucceſſivis à Paulo expreſſe conceſſis, fuere adeo infenſi, multo magis odio habuerint Polygamiam ſimultaneam, quia majus argumentum, ut Azorius loquitur, præbebant luxuriæ. Quam cum Patres vellent totaliter extirpatam, abuſum cum uſu confundentes ipſam Polygamiam cùm ſimultaneam tùm ſucceſſivam tollere ſategerunt, & ſi penes Monachiſmi & cœlibatus Patronos ſtetiſſet, totum conjugium ceu rem impuram exterminaſſent. Fuêre tamen nonnulli Patres qui ſatis aperte veritate convicti confeſſi ſunt, Polygamiam non eſſe peccatum. ſicuti Auguſtinus fecit in l. allegato, ubi triplicia facit peccata contra naturam, contra legem & contra conſuetudinem, & ſine hæſitatione ulla confirmat, Polygamiam non eſſe peccatum contra naturam nec contra legem, ſed contra conſuetudinem i. e. non eſſe adeò conſuetam atque uſitatam. Siquidem jamdum Antichriſtianiſmus latebat ſub herba, & communiter putabatur, quòd qui in conjugio viveret, in carne viveret & Deo placere non poſſit, uti hæc verba peſſime in Jure Canonico ad conjugium applicantur, & non ita pridem etiam ab Anti-Polygamo quodam in titulo ſui Anti-Polygamici ſcripti, & famoſiſſimi Diabolici libelli, juxta leges Cæſareas comburendi, fuere uſurpata. Quaſi verò Apoſtoli Pauli mens ſit, conjugium eſſe ſtatum carnalem, & matrimonio utentes non poſſe apud Deum eſſe in gratiâ, ſed Gentium Doctor loquitur de carnalibus concupiſcentiis, quæ conjugio, quà conjugio, per ſe non inſunt, poſt lapſum tamen, ſicuti omnibus noſtris actionibus, perpetuò & inſeparabiliter adhærent. Alterum lumen Eccleſiæ, quod à noſtris ſtat partibus, eſt Hieronymus, qui licet in fervore diſputationis conſtitutus contra Jovin. in alterum extremum vergeret, & conjugium deprimendo palmam unice cœ-

cœlibatui & virginitati deferret, veritate tamen & conſcientia extra fervorem convictus, clarè hoc aſſeruit dicendo: Non damna bigamos, nec trigamos nec octogamos, ubi non tantum de Polygamia ſucceſſivâ, ſed & ſimultaneá loquitur, uti in Concilio Neo Cæſareenſi, cum miniſtro Eccleſiæ interdicitur intereſſe convivio ſecundarum nuptiarum, & cum Lutherus in tr. de Digamiâ Epiſcoporum agit, de utraque ſimultaneâ & ſucceſſivâ ſunt capiendi. *Origenes* cum dicit *feliciſſimum eum eſſe, qui multas habet uxores* allegorice de virtutibus & propriè de veris uxoribus eſt intelligendus aut ſaltem poteſt explicari, ita tamen ut fons comparationis, multas ſcilicet habere uxores, non negetur, ſiquidem aliàs eſſet inepta & abſurda comparatio & enuntiatio. Concilium quod directe prohibuit Polygamiam, fuit Tridentinum, ex odio Lutheri & Reformatorum conceptum & hâc in parte etiam anathemate munitum. Indirectè anteà in Concilio Neo Cæſareenſi per denegationem præſentiæ clericalis quodammodo fuit interdictum. Miror autem Orthodoxos tantopere inhærere Concilio Tridentino, ejuſque anathema defendere, cum conſtet Papam, qui ante hâc in re ceu caſu reſervato ſolus diſpenſarat, & audiverat, Lutherum licentiam Polygamiæ ex ſcriptura ſacra permittere, Regalia Papalia hoc pacto diminuere, & jus diſpenſandi ſibi quaſi appropriare, ut in facto Landgravii conſpicuum eſt; de quo mox.

2. *Ejuſdem ſententiæ eſt Lutherus in tr. de Dig.* Teſtimonium hîc *Lutheri*, Optimi interpretis, & cum poſteriores Theologi ſint ſapientiores, melioris pluribus Patribus, Auguſtinis, Tertullianis, Ambroſiis, adducitur, qui hic de Abrahamo bigamo loquens, ipſum non tantum à peccato abſolvit, ſed hodie quoque per ſcripturam non eſſe peccatum, nec prohibitam eſſe *Matth.* 19. & 1 *Co.* 7. Polygamiam, quod quidem ab imperitis & ſimplicibus hominibus ſed ſine fundamento credatur, uti *ſupra de Abrahamo* cum ageremus, latius deduximus. Idem etiam expreſſe idem Megalander cum hiſtoriam *Lamechi*, ut ſupra etiam ipſius verba clariſſima Germanicè & Latinè propoſuimus, explicat, confirmat aſſerens; *Lamechum non peccaſſe, Polygamiam quoque ipſam in ſe conſideratam non eſſe delictum; multò minus adulterium*, ut communiter habeatur. In hiſtoria *Jacobi* Quadrigami ulterius procedit & aſtruit, *ducere quoque duas ſorores non eſſe contra præcepta Dei, ſed contra decreta duntaxat Papalia*; ſeque ſi talis hodie emergeret caſus, non poſſe aliter conſulere, quam ſorores illæ duæ ut retineantur in matrimonio uſque ad finem vitæ exemplo Jacobi. Quod etiam ſtabilit in Latino *Comment. in Gen. Cap.* 16. Polygamia, inquiens, non tantum permiſſa, ſed & mandata fuit Judæis. Et hoc prolixe in aureo *tr. de Digamia* Epiſcoporum, in fine notarum apponendo, agit docens Polygamiam ſucceſſivam & ſimultaneam hodienum eſſe liberam & à Deo neque præceptam, neque prohibitam. Quemadmodum etiam *Landgrafio Haſſiæ Philippo* ea propter *Bucerum* Witebergam ableganti reſpondit: non eſſe contra verbum Dei; quibus literis ſubſcripſere non tantum ipſe *Lutherus* ſed *Philippus* quoque *Melanchthon*, *Martinus Bucerus*, *Juſtus Mendus*, *Joannes Lendagus*, *Balthaſar Raud. Dionyſius Melander*, aliique uti hæ literæ Reſponſoriæ ex parte in *Corpore matrimonialis Juris Sarcerii* habentur, non ita pridem etiam mihi ex Bibliotheca Theologi Haſſiaci *Steuberi*, unà cum memoriali ipſius Principis communicatæ ſunt, quam primum edendæ; uti & tum temporis *Juſtus Menius* pro Polygamia, ſcripſit. & *Oldendorpius* ICTus Haſſiacus celeberrimus exemplum Principis ſecutus bigamus etiam factus eſt.

THE-

THESIS LXXXIX.

QUanquam vero ſenſim apud vulgus hic mos, Polygynæcia nempe, in deſuetudinem venerit ſacerdotali copulatione per Papam Euariſtum. vid., *Pol Virg. Invent.* & Selden. Ux. Hebr. introducta, apud Magnates tamen, niobiliores Principes, Reges, Imperatores adhuc obtinuit nullis cenſuris Patrum vel Epiſcoporum obnoxius. Ita *Conſtans* & Conſtantius Imperatores Polygynæcia uſi ſunt. *Commodus* Imperator tres habuit uxores. *Carolus M.* Defenſor fidei acerrimus duas uxores habuiſſe dicitur. Qui tamen in magnâ gratiâ Romanorum Epiſcoporum fuit adeo ut à Papa Paſchali 3. in numerum Deorum relatus adhuc hodie ab Aquisgranenſibus colatur. Et ob filium ſuum Rolandum in Germaniâ ubique celebretur. Ipſe Imperator *Valentinianus* Bigamus legem pro Polygamia tulit, in ſuo imperio promulgavit, nec ab Ambroſio maximo Zelota & legum divinarum Patrono uſpiam propterea reprehenſus legitur: Archiepiſcopus, Trevirenſis, Tengualdus & Colonienſis, nomine Contrarius, *Lothario*, Imperatori duas uxores permiſerunt. De *Land-graffio Haſſiæ* & *Comite à Gleichenres* eſt notiſſima. Qua in re legi poteſt Conſilium ſummorum Theologorum de Bigamià Land-graffii ſuppeditatum ut & diſpenſatio Papalis in cauſa Comitis de Gleichen, cujus meminit Thuanus & Dreſſerus in Millen Simile exemplum non ita pridem fuit in Bataviâ, ubi *civis Amſtelodamenſis* è peregrinis oris rediens cum uxore novà primam adhuc invenit in vivis & conſentiente nec decidere volente Magiſtratu utrique cohabitavit. Ut alia exempla taceam, quanquam uxorum rationem, niſi aliquid ſingulare circa illas contigerit, hiſtorici fere nullam habeant, uti in ſcriptura hiſtoria 4000. annor. vix viginti exempla πολυγάμων, occurrent. Apud Judæos uſque ad *Theodoſii*, *Honorii*, & *Arcadii* tempora Polygamia fuit in uſu, quanquam & hodiënum adhuc apud quoſdam clam conſuetam eſſe dictum mihi à Rabbi quodam nuper fuerit; & Seldenus refert in ux. Hebr. quod in Italia à Papa Judæis ſteriles habentibus uxores fuerit permiſſà. Uti *Leo Mutinenſis Hiſt. Rituum Hebraicorum* IV. c. 2. 5. 2. teſtatur, ubi monet *Seldenus* d. l. in prima editione fuiſſe ſubjuncta illa verba: *indultu tamen Pontificis impetrato*: quæ verba in editione Pariſinâ 1637 ſunt omiſſa. Conſtat autem ex jure Canonico *Gregorium* III. permittere ipſam Polygemiam *c. quod propoſuiſti. q. 2.* Verba hæc ſunt: *quod propoſuiſti, ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debi-*

tum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum eſſet, ſic ſic permaneret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis, non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa quam infirmitas præpedit, non deteſtabilis culpa excludit. Hic Pontifex vivente uxore aliam ſuperinducere concedit. Sicuti & ſæpè Pontifices hac in re diſpenſarunt, ceu Phil. Melanchthon in Diſp. & conſult. ſcripta A. 1531. 23 Auguſti teſtatur & in conſil. Theol p. 1. p. 128 dicit *Polygamiam non eſſe contra* (NB) *jus divinum, & profuturum ad vitandas quaſdam offenſiones, ſi à Rege Angliæ petatur diſpenſatio Pontificis, ut permittatur Regi Polygamia, idque credo, Romæ impetrari poſſe, Nam divinum jus non repugnat, & Pontifices conceſſerunt aliis.* Uti etiam Durandus, Toſtatus Abulenſis in Matthæum XIX. q. 30. & præprimis Cardinalis Cajetanus fatentur. *jure divino uxorum pluralitatem eſſe licitam, idque naturali jure nullam habere indecentiam, quin & ſacerdotibus hoc licitum fore, niſi Eccleſiaſtica prohiberentur diſciplinâ.* Nec diſſentit Cardinalis *Bellarminus l. 1. de Matr.* c 10. cum dicit *Polygamiam non repugnare juri naturæ, quod eſt divinum, quod unus vir ex pluribus fœminis liberos poſſit ſuſcipere & álere.* In oriente exceptis locis, quibus à Chriſtianiſmo fuit abolita, Polygamia olim hodiëque in uſu. In Occidente non item. Cecrodem primum Monogamiam apud Athenienſes invexiſſe aſſerunt, quamvis alii dicant, quod uxorum proprietatem, libidinibus vagis valere juſſis quod credibilius eſt, introduxerit. Apud Gentes pleraſque omnes hodiè, item apud Perſas & Turcas, ut ex Alcorano conſtat, adhuc Polygamia uſitata eſt; & certum, ſi apud Chriſtianos permitteretur; multos ex iſtis, ut ſupra de integro regno relatum fuit, futuros Chriſtianos.

Conſtat enim ex relatione *Alex. de Rhodis* Avenionenſis ordinis Jeſuitarum in ſuâ relatione *de ſucceſſu prædicationis in Regno Tunchino* propè imperium Chinicum a. 1650. Italicè edita, quod Chriſtianis ob improbatam Polygamiam Rex omnem licentiam prædicandi ademerit, cum enim Rex cum aulicis, ipſe pluribus gauderet, nec vellet ſuis quibusdam ſubditis videri inhoneſtior, per rationem ſtatus interdixit & dixit: *Vultis ut mei ſubditi tantum habeant unam mulierem, & ego volo, ut habeant plures, ut poſſint producere filios, qui mihi ſint fideles ſubditi. Non amplius prædicate ſimilem doctrinam.* Ut jam nil dicam de Polygamiâ in Imperio Perſico Mogulico, Japonico, Chinico, Tartarico Europæo, Javano & regnis Tartaricis Aſianis. Ita in Itinerario Georg. Spielbergen refertur Regi alicui Indico defuncto parentatum à 30 uxoribus quæ ſe in ignem præcipitarint. *Abiſſinos* etiam habere multas uxores Auberrus Miræus l. 4. Pol. Eccleſ. teſtatur.

1. *Conſtantius.* Conſtantini Pater *Conſtantius Chlorus* (quod negat Victor noſter Utopicus) omnino fuit Polygamus. In matrimonio enim habuit *Helenam* Galli cujusdam Reguli filiam, puellam miræ pulchritudinis, & præterea *Theodoram* Maximiani Her-

Herculei privignam. Errant enim omnes, qui *Helenam*, Conſtantini matrem, non uxorem legitimam, ſed concubinam tantum Conſtantii fuiſſe autumant. Fuiſſe quippe veram uxorem, eamque priorem, patet ex *Eutropio*, *Pomponio Læto*. *Jo. Baptiſtâ Egnatio*, *Matthæo Weſtmonaſterienſi*, *Philippo Bergomenſi*, *Jo. Nautlero*, aliisque quorum verba leguntur ap. Dn. D. *Dorſcheum in tr. de Tun. C. inconſul.* §. 31. Contingit autem, ut cum Maximianus Herculeus *Conſtantinum* adoptavit in filium matrimonio etiam ipſi junxerit *Theodoram* privignam ſuam, atque *Conſtantium* coegerit, ut repudiaret Helenam, priorem conjugem, teſtantibus *Eutropio*, *Victore*, aliiſque. Repudium vero, cum non concubinæ, ſed uxori detur, aſſerendum eſt, *Helenam* non concubinam, ſed legitimam, & genuinam fuiſſe Conſtantii conjugem, quicquid etiam calumniarum evomant Conſtantiniani nominis hoſtes, inter quos primus eſt *Zoſymus*, homo Ethnicus, & Chriſtianæ religioni infenſiſſimus. Remoto autem figmento de Conſtantii concubinatu, remanet nihilominus eum fuiſſe bigamum, quia cum illegitime *repudiata Helena quoad vinculum internum cohæſit*, & *Theodoram* inſuper duxit. Et hujus *Conſtantini Chlori* nepotem filium [*Conſtantini* M. *Conſtantium Imperat. etiam* fuiſſe Polygamum (quod Victor Cretenſis etiam negat) teſtatur Abbas Urſbergenſis. in Chron. p. 88. tradens multas eum habuiſſe uxores, præcipue tamen inter illas dilexiſſe Euſebiam. vid. *Oſiand. hiſt. Eccl. c. 4. l. 3. c. 7. p. 281.*

2. *Commodus.* Hunc Anti-Polygami ſugillant, & quaſi Theophilus primo loco ceu Polygamorum anteſignanum, collocarit, primum etiam in refutatione aſſignant locum, quemadmodum etiam inter Polygamos Poſtdiluvianos nolunt primas partes Abrahamo concedere, ſed Sodomitas primos conſtituunt Polygamos, ſicut Lamechum jamdum ſatis præter meritum odioſum, primum inter Antidiluvianos volunt eſſe, qui duas duxerit uxores. Quicquid ejus ſit; ſive Commodus primus in N. T. inter Imperatores fuerit, ſive ultimus Polygamus, ſive etiam optimus ſive peſſimus uti *Lampridius* & *Rupertus Obſerv. in Synopſ. Hiſt. Beſold. p. 332. 333.* tradunt; perinde nobis eſt. Nullus enim tam malus, qui in actionibus omnibus omni loco, tempore malus ſit. Cajaphas etiam non laudatur, ab eo tamen egregia proveniebat ſententia: *melius eſt unum mori, quam totum populum perire.* Ita *Commodus*, licet in aliis rebus reprehenſionis notam incurrat, in hoc tamen nil quicquam deliquit, quod tres aſſumſerit uxores.

3. *Carolus M.* Duas uxores habuit *Longobardam* & *Suevam*. Repudiavit quidem priorem ſuaſu & diſpenſatione Pontificis, ceu ſua Majeſtate non ſatis dignam, *Irmogardam* ſc. R. Italiæ *Deſiderii* F. & alteram *Suevam* duxit, judicans ex ſeculi ſuperſtitione, Pontificis ſententiæ in matrimonialibus ſtandum eſſe, & per illius diſpenſationem vinculum conjugale ſolutum. Quia tamen illegitimè repudiatæ quoad vinculum internum adhuc fuit alligatus, verus fuit digamus. vid. *Arniſ. l. 4. Ann. 280. Aimonus de Rebus Franc. 4. 68. de Jur. Connub. c. 4. p. 206. Albertus Stad. in Chron. Eginh. de vitâ Caroli*, qui & mentionem facit 4 concubinarum.

4. *Valentinianus.* De hoc egimus ſupra prolixe ad th. 13. n. 5. & omnia deſtruximus quæ Anti-Polygami effutiunt, quaſi nunquam legem talem pro Polygamia tulerit.

5. *Lotharius.* Apud Francos *Chlotarius* uxorem *Ingundem* maxime dilexit, quæ cum petiiſſet ab eo, ut ſorori nuptias conciliaret honoratas, uxoris ſororem *Aregundam* ſibi etiam vinculo junxit matrimoniali. Id ex relatione ipſius Regis Chlotarii percipiens *Ingundis*, nil reſpondit quàm illud: *quod bonum videtur in oculis Domini mei faciat, modo ancilla tua in gratia Regis vivat*, ut refert *Greg. Turon. Hiſt. l. 4. c. 3. p. 69. 70. c. 26. p. 80. & c. 28. p. 81.* ubi etiam mentionem facit Polygamiæ *Chariberti* & *Chilperici*. vid. & *Abbas Urſbergenſis Chron. p. 69.* Ita *Dagobertus* Rex Galliæ *tres uxores* ceu Reginas duxit *Nauthilden. Wiſſiganden*, & *Berthilden*, multas vero concubinas habuit, quas *Fredegarius in ſuo Chron.* non dignatus eſt nominibus propriis memoriæ relinquere. (uti nec concubinæ Salomonis nominantur) *Les Antiquités Gauloiſes & Françoiſes par*

Præſid. Fouquet edita & Pariſ. 1599. impreſſæ. *Lotharius* vero Cæſar, cujus Theophilus facit mentionem, ab aliis non habetur pro Imperatore, ſed tantum pro Rege, (vid. *Mar. Scotus Chron. l.* 3. *art.* 6. *p.* 442.) qui Ludovicum ejus fratrem, pro genuino Cæſare ſalutant. At dicitur de ipſo Lothario quod prædicti Epiſcopi *Tengualdus Teutgardus dictus & Contrarius* ſeu Guntharius permiſerint ei repudiare *Theutbergam*, & ducere aliam *Waldradam* ſcilicet. vid. *Marian. Scot.* l. c. & *Sigwertus Gemblacenſis* Chronogr. ad A. 862. imprimis *Reginon. Chron. l.* 2. *p.* 43. vid. *Otho Friſing.* Chron. l. 4. c. 3. *Annal. Bertiniani* T. 3. hiſt. Franc. & *Annal. Metenſes* p. 306. *Blondel.* de Papa fœmina contra Mareſ. p. 238. *Spondan.* ad A. 862. 863. Ita *Evenus* Rex Tertius hoc nomine Scotorum habuit *centum uxores*, legemque tulit, ut quiſque pro opibus ad alendum & quot vellet, duceret uxores. *Bucchan. l.* 4. *Rerum Scot. p.* 109. *Proculus* Imperator *centum virgines* captas noctibus quindecim fœcundas fecit. *Vitiza Rex* Toleti plures uxores & concubinas habuit, aliiſque permiſit, *legemque tulit*, qua dedit licentiam, imò præcepit etiam clericis, ut uxores vel concubinas unam aut plures haberent publice. *Rodericus* Archi-Epiſcopus Toletanus *hiſt. l.* 3. *c.* 15. *&* 16. *p.* 740. *Veremundus* Rex Oveti & Aſturiarum *duas* uxores legitimas *Velaſquitam*, ex qua Chriſtianam, *Geloiram* ex qua genuit Aldefonſum & Thareſiam, & *duas* nobiles *concubinas* habuit, eaſque ſorores ac ex una Ordonium, ex altera Gloriam ſuſtulit. *Rodericus l.* 5. *c.* 14.

De Borealibus refert *Vaſtonius* in vit. Aquilon. dedic. p. 5. *Vulgo uxores pro lubitu aut opibus cujuſque plures fuiſſe aut pauciores, divitibus autem ac Principibus fere innumeras.* Nolo hic memorare *Ludovicum* Aurelianenſem vocatum Regem Galliæ, qui repudiata prima uxore ex licentia Alexandri VI. Pontificis cum uxore Regis Caroli contraxit, uti autor eſt Ludov. Tubero l. 7. Comm. p. 186. Hoc enim fuit adulterium, ſi vivo Carolo factum eſt, ſi vero mortuo, poteſt Polygamiæ nomine haberi, quia primæ adhuc contra fas repudiatæ ratione vinculi internè adhæſit. Unde & prælaudatus Tubero paucis interjectis ita pergit: *Nec mirum, ſi tales nuptiæ ab Alex.* 6. *P. R. permiſſæ ſunt, cum & ipſe Alexander filiam ſuam ex quadam adultera ſuſceptam, atque cum Principe Piſaurienſium matrimonio conjunctam, è viri thalamo, adverſus leges Pontificias abripuerit, atque alii in matrimonium ſola fortunatioris conjugii ſpe, dederit.*

6. *Philippo Landgrafio Haſſiæ.* De hoc Thuanus ad A. 1596. narrat, illum fuiſſe *triorchin, quod poſt mortem eſt compertum, inſpecto à Medicis corpore, itaque cum tantâ eſſet fœcunditate, ut uxor eum, quoties opus erat, admittere non poſſet, virum alioqui caſtum, & qui vagis libidinibus minime oblectabatur, tandem negotio cum Paſtoribus communicato concubinam unam ſuperinduxiſſe cujus conſuetudine ardorem aliqua parte domando, uxore moderatius uteretur.* Ex quibus Thuani verbis colligitur, Philippum impietati & luxuriæ (uti quidem *Ant. Matth. de Crim.* dicit, ſe audiviſſe à parentibus Landgrafium formâ cujuſdam virginis captum id feciſſe) non fuiſſe deditum, ſed natura fœcundum & naturali ſemine abundaſſe, uxoremque moleſtias ex profuſione ſeminis nimiâ & inutili ortas non potuiſſe tolerare, (alias enim ſunt inſaturabiles & bene poſſunt perferre, ſi ſine ſeminis profuſione, qua ſatiantur fiat concubitus, à quo Chriſtiani tamen abſtinere debent, qui nonniſi liberorum cauſa &c.) adeoque Principem conſilium cepiſſe de altera, quæ apud Horthederum vocatur *Margaretha von der Sala*, (*Hortled. de Cauſ. Bell. Germ. c.* 19. *p.* 1400. *c.* 35. *p.* 1656. *c.* 48. *p* 168. 1869.) ſuperinducenda, judiciumque hâc in re non neglexiſſe. Victor noſter Utopicus hic dicit ab extraordinaria corporis conſtitutione non poſſe quicquam trahi ad ordinariam, ita ut quod illi liceat, etiam illico huic ſit permiſſum. Verum enim verò in moralibus & præceptis divinis eſt eadem ratio. Adulterium & ſcortatio omnibus prohibita ſunt, ſive abundent ſemine, ſive non abundent, ſive habeant duas, ſive tres ſive quatuor teſticulos. Homicidium eſt vetitum cum Herculi tum pygmæo aut puero. Ridicula vero & puerilis eſt inſtantia, quam affert *Victor Ovidianus* de Eſauvo, quia ille eſt hirſu-

ſutus omnes homines etiam eſſe hirſutos debere, quia hic naſcitur monoculus ergo omnes ſunt monoculi, aut debent eſſe. Non enim in negotio Landgrafii illatio fit ex naturalibus, quaſi omnes deberent eſſe τριόρχεις ſed ex moralibus, hoc pacto; quod illi licet circa moralia præcepta Dei, etiam aliis licet. Certe multi ſunt juvenes, & Hercules atque Proculi, qui licet non ſint τριόχεις, tamen etiam magna, ſi non majori ſeminis abundantia ſunt præditi. Porro dicit noſter Anti-Polygamus, veroſimile eſſe, ſi quid tale à Landgrafio eſt commiſſum, ipſum ea in re magis ſuo quàm ſacerdotum judicio uſum. Noſter Dubitantius & Cartheſianus omnia in dubium vocat, cum ipſum factum Landgrafii, tum communicationem ejus cum Paſtoribus inſtitutam. Quod tamen utrumque claris verbis narrat Jacob. Thuanus, quem incomparabilem noſtri tempo pris Hiſtoricum vocat *Ritterhuſ. ad Salvian. Caſaub.* Epiſt. 41. Appar. ita de eo ſcribit: *Quem ego virum cenſeo datum ſeculo iſti in exemplum pietatis, integritatis, probitatis, & ut uno verbo dicam* πάσης ἀρετῆς, καὶ καλλονῆς ψύχης & Ep. 31. *Ampliſſimi* καὶ λία παντὸς ἀξίου *Thuani, quo nemo vivit omnis eruditionis amantior. Conringius de illo* ita ſentit: *Thuanus ab A.* 1546. *incepit ab exceſſu Franciſci, ſi quis alius & propter fidem & propter prudentiam meretur laudari perſecutus eſt hiſtoriam uſque ad exceſſum Henrici.* 4. *Non extat ejus hiſtoria integra, quod hæredes invidiæ vitandæ ergo noluerint integram edere, Extat tamen uſque ad A.* 1607. *Non tantùm Galliæ, ſed & totius orbis hiſtoriam licet inde petere, nec quiſquam cum Thuano meretur conferri, adeo ut qui Thuanum habeat, is florem habeat univerſi orbis hiſtoriæ, unde merito debetur haberi quaſi communis hiſtoriæ theſaurus.* vid. *Boet. ad Tac. hiſt. c.* 11. *p.* 92. ubi judicia de eo plura, & Apologiam contra Erbermannum, qui ipſum Politicum Chriſtianum i. e. Chriſtianum nomine, alias impium & atheum vocat; alioſque Jeſuitas invenies. Noſter verò *Cartheſianus Victor* de tanti Viri relatione dubitat, uti & audacter & impudenter aſſerit, noſtrates omnes negare, ex conſilio aut ſuffragio Lutheri id, quod de Landgrafio narratur, geſtum fuiſſe. Quaſi vero omnia noſtratium ſcripta legerit, aut cum omnibus modernis etiam locutus fuerit. Ego vel centum ex noſtratibus viventibus, novi, qui hoc non negant. Sed de mortuis fortean ſolis loquitur. Nec illi omnes (admodum liberalis eſt in apponenda & uſurpanda voce *omnis*, Anti-Polygamus noſter, quia etiam eſt generis omnis) negant. Legat *Sarcerium* in *Corpore Juris matr. p.* 27. 36. 274. & ibi inveniet & literas Martini Reſponſorias ad Philipp. datas, non tamen integras, quas tamen propediem videbit, ſiquidem ex Bibliotheca Theologi Haſſiaci Steuberi, una cnm memoriali ipſius Landgrafii Bucero Witebergam ad Theologicam Facultatem hanc ob cauſam tunc temporis ablegato, dato literæ binæ reſponſoriæ ipſius Lutheri una cum Cancellarii Saxonici Brucken Epiſtola, hanc ob rem ſcripta, ſunt communicatæ, quibus concedit Philippo alteram uxorem deſideratam, ſicuti his literis non tantum ſubſcripſerunt *Martinus Lutherus, Philippus Melanchthon*, ſed & *Martinus Bucerus, Juſtus Menius, Johannes Leningus, Balthaſar Raud, Dionyſ. Melander aliique.* Quin etiam *Juſtus Menius* ſcripſit tum temporis de hac re pro Polygamia ſc. Adducunt quidem Lutherum ipſum t. 7. f. 425. Jen. Germ. quando ita infit. **Van Landgraffen wilt ich nicht viel dis mal reden / der Landgraf iſt Mans gnug / hat auch gelährte Leute bey ſich. In Heſſen wieß ich von einer Landgraffin / die da iſt und ſall heiſſen Frau und Mutter in Heſſen / wird auch keine andere mögen junge Landgraffen tragen und Zeuger / ich meine die Herzogin / Herzog Georgen zu Zachſen Tochter.** quæ verba in Latino ſermone ita verti poſſunt: *De Landgrafio jam multa dicam. Landgrafius ipſe ſe virum præſtabit, præterea etiam multos doctos habet ſecum. In Haſſia novi unam Principiſſam, quæ eſt & vocatur mater Haſſiæ, nec præter illam ulla Landgrafios pariet, intelligo autem Principis uxorem, filiam Georgii Ducis Saxoniæ.* Ex quibus ver-

bis patet, Lutherum non negare ſe conſultum aut ſe approbaſſe, ſed tantum affirmat quod non vellet multum in Gratiam Landgrafii in medium afferre, quia ipſe Landgrafius ſit par ſuæ cauſæ defendendæ, & habeat eximios in ſuo territorio Viros, qui idem præſtare poſſint. Se non noſſe, niſi unicam uxorem Philippi, ex qua Hæredes Principatus naſcantur, i. e. uti *Maximil. Sandæus* de ſecta Proteſtantum deſerenda 132. ait: *Permiſit ſanè Lutherus ſuæ ſectæ* (loquitur more Romanenſium) *Principii duas uxores ducere, conditione* tamen *addita, ut prior tantùm hæredes & ſucceſſores in Principatu gigneret.* Ita celeberrimus Haſſiæ Anteceſſor *Oldendorpius* illo tempore uxori viventi aliam ſuperinducebat. Sicut autem inter Magnates ex uxore ſecundaria ſeu concubina nati non ſuccedebant, ita etiam, quod privatos attinet, differentia etiam fuit nonnulla, ut apud Abrahamum videmus.

7. *Comite à Gleichen.* Fuit in expeditione Palæſtina Imperatoris Frid. II. A. 1217. Comes & captus à Saracenis ad ſe liberandum duxit Baronis filiam, etſi haberet unam domi, hocque permiſiſſe R. Pontificem refert *Dreſſer. Millen. 6. Zeiler. Contin. itineris Germ. Peccenſteinius in theatr. Saxon.*

8. *Civis Amſtelodamenſis.* Anton. *Matth. de Crimin.* dicit ad l. 47. 48. p. 424. Amſtelodamenſes neque probaſſe. vid. & *Franciſcus Amici in theatro Hiſtorico.* Ante 40 annos in Anglia Epiſcopus duas habuiſſe ſine contradictione aut moleſtiis judicialibus dicitur uxores, ceu *Bakerus in hiſt. Angl.* narrat.

9. *Quod propoſuiſti.* Ita in alio loco Jus Canonicum Polygamiam confirmat, c. 1. de eo qui duxit in matrim. quod polluit per adulterium. Innocentius dicit: *ſi quis contraxit cum arcta, tenetur cum ea ſtare, ut frater cum ſorore: ſi tamen contrahit cum alia, tenet matrimonium, nihilominus tenetur primam, ut ſororem tenere.* Finis enim matrimonii mutuum adjutorium, ſive in procreando, ſive in aliis rebus. Idem etiam aſſeritur in *Corpore Canonico q. 4. c. quod autem ex ancilla*: ubi concluditur propter ſterilitatem uxoris ſive ex ancilla ſive ex alia qualibet licitè filios quæri, idque autor probat exemplo Abrahami & Jacobi. Sic *Leo Mutinenſis* à Theophilo in h. th. citatus refert in caſu ſterilitatis, Pontificem diſpenſare apud Judæos, ut aliam ſuperinducant. Ita *Sanchez* & alii ſtatuunt, conjugem ex infidelitate ad Catholicam fidem converſum poſſe tranſire ad alias nuptias, quamvis altera conjux in infidelitate perſiſtens pacifice & ſine injuria cohabitare vellet, ſicut videre eſt ap. *Anton. Dian. in Reſol. Moral. p. 3. tr. 4. reſol. 252. p. 434. Sanchez. de matr. t. 2. l. 7. diſp. 74. n. 9.* Aſt cum per infidelitatem non tollatur vinculum matrimoniale, quia gratia non deſtruit naturam, certum eſt, illum, qui durante adhuc vinculo aliam ducit, fieri Polygamum. Licet verò Jus Canonicum ejuſque interpretes Canoniſtæ & Moraliſtæ multa habent impia ἄγραφα & ἀντίγραφα, hoc tamen ipſum, quod Polygamiæ à ſcriptura nuſpiam damnatæ flavet, aſſumi poteſt, præſertim cum in matrimonialibus maximam etiam in Eccleſiis & Conſiſtoriis Orthodoxis habeat autoritatem, unde Felin. in rubr. de ſponſal. n. 6. In materia conjugii ſemper & omni caſu attendendum eſt Jus Canonicum non civile. Huc facit quod refert Felinus in c. Labor. in. col. de reg. Jur. *quod ſi vir duxit ſcienter uxorem non cognoſcibilem, licet non debeant ſeparari, tamen Epiſcopus, qui admodum inferior eſt Papa, videns eum ſuſpectum de incontinentia, debet providere, ut contrahat cum alia, & tenebitur primam uxorem alere,* quod dictum pro ſingulari obſervavit Marſil. Sing. 63. & dicit ſe iſtud vidiſſe obſervari in facto. Huc ſpectat quod Pontifex Luc. 3. in c. Conſultationi 4. 10. de frigid. & malef. ubi dicit: *licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat, matrimonium: Romana tamen Eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores.*

10. *Philippus Melanchthon.* Præter hoc dictum hic à Theophilo allegatum habetur & alius locus in Ep. moralibus p. 122. ubi aſſerit *Polygamiam ita comparatam eſſe, ut Deus eam aliquando approbarit, & Magiſtratus in eâ diſpenſare queat.* Quod vero Deus ſemel approbat, non poteſt eſſe peccatum. Nec circa legem divinam Magiſtratus diſpenſa-

ſa-

ſare. Ex ſuperioribus etiam conſtat, Phil. Mel. ſubſcripſiſſe literis Polygamicis à Luthero ad Landgrafium exaratis.

11. *Cecropem.* de hoc vid. ſuprà th. 2. 14. 12. 2.

12 *Abyſſinos.* De his populis Chriſtianis, quod etiam ducant plures uxores. vid. *Hildebr. in Antiquit. Eccl. Franciſc. Alvarez. c.* 3. Legat. ad Principem Abyſſinum *Dam. de Goes* de Æthiop. Mor. p. 431. ait eos magnam reverentiam exhibere ædibus ſacris. Chriſtianiſmi initia referunt ad Eunuchum Candaces (Philippum) *Indich* dictum Act. 8. alii ad Matthæum Apoſtolum. conſ. *Nicol. Gadign. de Reb. Abyſſin. l.* 1. *c.* 36. *Selden. Ux. Hebr. p.* 529.

Thesis XC.

VErumenimvero Diabolus acerrimus hoſtis generis humani omnem movet lapidem ne hoc effectui detur, ideo non acquievit, uſquedum ſanctiſſimis Patriarchis & pientiſſimis Regibus frequentatam Polygamiam penitus extirparet; Et quidem, ut myſterium iniquitatis eo melius pateat, gradus quosdam animadvertere licet, quibus ille uſus, antequam ad ἀκμὴν res fuerit perducta. Primum enim nullus ſub ditione Romana, decernentibus hoc quibusdam Imperatoribus, fuit toleratus, qui duas haberet uxores, & cum hoc pacto res non adeo præſertim apud Judæos & Chriſtianos ſuccederet, in principio cum à plebe ad labem aliis affricandam facili, tum etiam deinde à Legibus infamia notabantur Polygami, qui tamen in primitiva Eccleſia ad Baptiſmum fuerunt admiſſi. Tandem à Carolo V. inſtinctu Nunciorum Apoſtolicorum primum capitaliter prohibita, & in Concilio Tridentino, Anathematiſata fuit Polygamia. Cum enim Papa reſciſceret, quod Lutherus in ſuis ſcriptis ut in Comment in Gen. in Propoſ. & in libro de bigamia Epiſcoporum, aſſereret, Polygynæciam non eſſe contra legem naturæ, aut moralem aut ipſam ſcripturam ſacram, inter alia, ut Sleidanus refert ſuis Nunciis Apoſtolicis ad Comitia Spirenſia, Auguſtana, Wormacenſia aliaque miſſis in mandatis dedit, ut ex hoc capite Proteſtantium ſeu Lutheranam Doctrinam exoſam facerent, quod ſint Turcæ quia probarent Polygamiam. Quod vaferrime etiam executi ſunt, & optimum alias Imperatorem eò adduxerunt, ut primus capitalem pœnam in Polygamos promulgaret, à Concilio Tridentino poſtea Anathemate confirmatam. Quæ lex etſi hactenus non tantum in imperio Romano, ſed & in aliis regnis vicinis per conſuetudinem peſſimam obtinuerit, nullus tamen Magiſtratus ad legem Reip, Chriſtianæ pernicioſam & verbo Dei contrariam ſervandam obligatus eſt. Audiviſtis enim Polygamiam legi naturæ, legi morali & ſcripturæ toti nullo modo contrariari, ſed potius ab

omnibus commendari ſummopere. Scitis etiam Polygamiæ favere ipſum jus civile, cum concubinatum ſeu poſſeſſionem ſecundariarum uxorum permittit (vid Clariſſ. Heroldus in diſſert. Juridicà de Polygamià ſimultanea & ſucceſſivà, ejusque Juſtitià interna hoc anno editâ mihique nondum viſâ) De Jure Canonico audiviſtis antea. Noſtis *conſenſu omnium gentium* ſane non fruſtraneo eundem ſtabiliri, Creditis in *Præcepto illo primo Catholico*, omnibus in Adamo poſteris & omnibus Noachidis dato, de multiplicatione generis humani omnes homines obligari pro virili ad ſe multiplicandum & conſequenter, ut ex ſuperioribus ſcitis, ad Polygamiam mediocrem juxta ductum naturæ propriæ non adeo nimis onerandæ nec opprimendæ inſtituendam. Imperator ſummus imperavit: creſcite & multiplicamini. Fac hoc & vives. Peſſimus miles eſt, qui Imperatorem ſuum gemens ſequitur. Deo vero tuo Imperatorum Imperatori magis eſt obediendum, quam omnibus hominibus, omnibus Imperatoribus, omnibus Canonibus. *Nulla lex humana poteſt prohibere, quæ lege divina ſive naturali ſive poſitiva fuerunt mandata, neque mandare, quæ fuerunt prohibita*, inquit acutiſſimus ſupra laudatus Theologus Calixtus in tr. de legibus. Jam vero percepiſtis Polygamiam cum lege naturali ſeu naturæ noſtræ inſcripta, tum poſitiva illa Catholica, Antelapſaria Adamica & Poſtlapſaria Noachica mandari. Ergo nulla lex humana ſeu Carolina ſeu Pontificalis Canonica poteſt de jure prohibere & ſi de facto fiat, meliori imo optimo jure repudiatur. Erraſti hactenus & veritatem hanc ignoraſti, improbaſti aut impugnaſti. Age pœnitentiam & factis contrariis illam conteſtare. Errare humanum eſt, ſed in errore perſeverare, illum propugnare Diabolicum. Nos omnes ſumus natura cœci, & ſemper opus habemus lumine divino ad dirigendos pedes noſtros. Qui illuminatus eſt, poteſt adhuc magis magisque illuminari. Perfectus poteſt fieri perfectior. Nos vivimus in ſtatu imperfectionis & præſertim omnes ſumus proni ad peccata omiſſionis, de quibus parum ſumus ſoliciti, ideo ſemper dicendum cum Davide: *Domine quis intelligit, quoties deficiat.* Omnem itaque moveamus lapidem, ut nihil intermittamus eorum, quæ ad augendam noſtram beatitudinem ullo modo facere videbuntur. Laboremus indies, ut quotidiè lumen cognitionis & bonorum operum & perfectio ipſa in nobis augeatur. Aperite ergo oculos mentis, diviniſſimæ animæ, *illuminatiſ. Heroes, Chriſtianiſ. Principes, Defenſores fidei Catholiciſ. Patroni Polygamias Optimi Maximi, ejusque Statores veriſſimi* atque *unici*. Ad vos pertinet conjugium ceu *contractus purè Politicus*. Nolite hæc Regalia jura veſtris extorqueri manibus. Clava hæc eſt Herculis, qua hoſtem veſtrum, totiuſque generis humani infenſiſſimum Diabolum, qui vobis veſtriſque regionibus turmà multorum

pec-

peccatorum, mollitie ſcilicet, impuritatibus, peccatis Onaniticis, ſcortationibus, adulteriis, infanticidiis, uxoricidiis, multum negotii faceſſit, & tantum non exitium minatur, profligare & ad internecionem fere opprimere poteſtis. Sequimini Sanctiſſimos Patriarchas, Abrahamum, Jacobum, Pientiſſimos Reges Davidem, Salomonem, Joas, Joſias, qui inter ſuos & in populo Dei proprio & ſelectiſſimo permiſerunt & proprio exemplo præiverunt atque promoverunt. Agite igitur Dii terreſtres implete voluntatem Dei veſtri cum Adamo & Noacho loquentis imperate promovete introducite. Ita multa ſcandala & infinita peccata minuetis, & multas plagas à veſtris imperiis, regnis, ditionibus ſubditis averruncabitis, & contra omnem benedictionem vobis veſtrisque ſubditis conciliabitis & accelerabitis. Augete Auguſtiſſimi Magnates ditionem veſtram hominibus, Eccleſiam Chriſtianis & mittite colonias Chriſtianas in remotas gentiles terras. Sic fiet voluntas Dei ſicut in cœlo ita & in terris, Nomen Dei maximopere ubique celebrabitur, regnum Dei gratiæ propius & ſuavius accedet, Regnum gratiæ & gloriæ amplificabitur, regnum iræ & inferni decreſcet. Panis quotidianus nunquam veſtris ſubditis deerit. Aperite etiam oculos *Ephori Eccleſiarum Summi*, *Curatores animarum vigilantiſſimi*, & hanc ſcientiam Magiſtratibus, juvenibus virginibus inſtillate, quo in poſterum eorum conſcientia ſit purior, pacatior, caſtior. Qui non habet ſcientiam, non habebit conſcientiam, unde enim ſcient, ſi non audiunt nec prædicatur. Veſtrum ergo eſt hunc *errorem de Polygamiæ impietate* auditorum animis eximere & ſcandalis omnibus, peccatisque quæ ex improbatione & prohibitione Polygamiæ oriuntur, viam occludere, alias graviſſimum, & horrendum judicium in die pantocritico ſuſtinebitis, cum de omnibus veſtrorum auditorum factis ipſis non indicatis vobis reſpondendum erit. Vos *à teneris innutriti eſtis*, 2 Timoth. III. cum Timotheo *literis ſacris* ut in *ſuccum & ſanguinem convertatis* & cum Chriſto ſecundum interiorem renovatum hominem indies *creſcatis gratia & ſapientia*, Luc. II. & cum Stephano, Davide, Samuele, Daniele, Salomone repleamini fide Spiritus, ſcientia & virtute Dei, & illorum veſtigiis, qui nuſpiam & nunquam Polygamiam improbarunt, inſiſtatis. Vos eſtis à Deo ſegregati, ſpiritu ipſius uncti, ut *idonei* ſitis *ad miniſterium N. T. in Spiritu cum omni lætitiâ* gerendum, 2. Corinth. 3. uti in vobis & per vos dona Spiritus in commune bonum ſe exhibeant. 1 Cor. XII. Veſtrum eſt nil aliud quærere quam honorem Dei, Eccleſiæ ædificationem & auditorum veſtrorum ſalutem, & omnia quæ Chriſti ſunt, ita ut vos ipſos abnegetis, propriam gloriam, delicias, commoda poſtponatis imò etiam vitam pro veſtris auditoribus deponere non dubitetis, 2 Cor. XII. Vos eſtis inſtrumenta Dei, per quæ

Deus

Deus loquitur, vivit, operatur, uti per Chriſti manus & ora miracula patrabat. Ora ergo veſtra aperiatis, ut Deus illa repleat, Pſalm. 81. & ſua verba in veſtra ora reponat, & mediante veſtra lingua ceu penna loquatur & ſcribat, Pſal. 45. & 59, ut ita ex Deo pro Deo in Chriſto verba Dei cum Paulo & Apoſtolis non *tanquam verba hominum, ſed tanquam verba Dei proferatis*, 1 Pet. IV.

Non alia vobis ſunt prædicanda, quam quæ Spiritus Dei vobis injunxit, & Chriſtus ſuo exemplo docuit, ut ita ceu cooperarii & coadjutores ea faciatis, ædificetis, plantetis, quæ Deus ædificari & plantari deſiderat, & contra deſtruatis, & eradicetis eo modo illa omnia quo Deus deſtructa & eradicata diſcupit. Er hæc omnia vobis peragenda ſunt Spiritu heroïco, linguis igneis, virtute diviná, ſimplicitate puriſſimâ, convictione Spiritus & virtutis, 1 Cor. 11. ſimplicibus verbis, quæ Spiritus S. dictitat, veris affectibus divinis Zelo ardentiſſimo, & mente illuminatiſſima, à Deo 2 Cor. IV. per fidem caritate conſpicuam illuſtrata. Omnem vero moveatis lapidem, ut nil intermittatis eorum, quæ ad eradicanda vitia & implantandas virtutes ullo modo facere videbuntur. Neque enim ſufficiet vobis, ut articulos fidei pure ſincereque auditoribus veſtris inſtilletis; ſed omnes animi nervos ut intendatis neceſſe eſt, ut ſcaturiginem peccatorum removeatis neque ullo modo concedatis quantum in vobis eſt, ut aliquid ſcandali ex veſtris doctrinis oriatur. Cum itaque hactenus infinita ſcandala propullularint ex illa communiſſima de Polygamiæ iniquitate opinione, veſtris conſcientiis in ſolidum ad deliberandum relinquo, an non vi ſcientiæ & conſcientiæ veſtræ teneamini veſtris auditoribus omnia de Polygamiæ illegalitate inveterata dubia eximere. Et ſi hoc vobis veſtra conſcientia, uti non poteſt non, dictitet, veſtri officii eſſe cenſeo, ut primo parentum animas bene inſtruatis, ne velut ille tenaciſſimus Euclio Laban, non libenter videant, ſi filiæ aliis fœminis in conſortium adjungantur. Deinde etiam bene informandæ ſunt virgines, viduæ & uxores, ut tori ſocias benevolentiſſimis oculis aſpiciant, æquiſſimis animis ferant, abſque Zelotypia ulla cohabitent, & æqualem amorem maternum erga omnes mariti ſui infantes exhibeant. Quia nunc hæc noſtis beati eſtis, ſi facitis. Maledicti vero, quod Deus à vobis prohibeat, eritis, ſi hoc omiſeritis. Deum & conſcientiam teſtor me nil aliud quærere in hoc diſcurſu quam gloriam Dei & decrementa vitiorum & peccatorum. In quo ipſo Salus Eccleſiæ & multarum animarum verſatur. Convictus vero ſum in conſcientiâ meâ, infinita ſcelera, infanticidia, abortus, adulteria, ſcortationes, Peccata Onanitica, & id generis alia peccata muta, uti vocantur. Sodomias intermiſſa iri, ſi Polygamiæ legali-

tas

tas omnibus conſtaret. Penes vos vero qui eſtis curatores animarum, ſtat, hæc omnia maximam partem abolere. Vos poteſtis Magiſtratum optime docere ut ſi quando in vinculis aliquando detineat ſecundum vulgarem conſuetudinem Polygamiæ reos, ne juxta rigorem humanæ juſtitiæ in illos animadvertat, ſed potius honoribus, beneficiis & officiis recompenſet.

Non enim ſatis poteſt deplorari vitium ſeculi ubi ſcortatores adulteri nullis ferè pœnis ſunt obnoxii, Polygami vero acerrimè puniuntur. Quod ſanè non aliunde oriri arbitror, quam ab inſcitiâ inveterata. Quam niſi vos Paſtores veſtrorum auditorum cordibus eximatis, inevitabilem maledictionem Dei incurretis. Neque enim vos ipſos hoc ignorare arbitror, cum bene noveritis, quid S. Leo dicat: *Si in laicis vix tolerabilis videtur inſcitia, quanto magis in eis qui præſunt, nec excuſatione digna eſt nec venia, quomodo enim* (inquit Bernh.) *excuſari poſſit in eo, qui ſe magiſtrum infantium & doctorem inſipientium profitetur? ignorans atque ignorabitur, imo & multos faciet ignorare & ignorari.* Unde in Concil. Tolet. IV. dicitur, quod *in ſacerdotibus ignorantia mater omnium errorum*, addi poteſt, cunctorum pene vitiorum, ſcandalorum & reliquorum malorum, quæ in Eccleſia Chriſti oboriuntur. Et hoc eſt, quod olim Deus per Prophetam, Eſ. 56. conqueſtus eſt: *Speculatores ejus cœci omnes, neſcierunt univerſi, canes muti non valentes latrare, dormientes & amantes ſomnia, ipſi patres ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam ſuam, &c. Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodiè & cras & multo amplius.* Qui itaque in hac ignorantia hactenus fuiſti verſatus, potes hoc perlecto diſcurſu melius informari, *aut ſi quid noviſti rectius iſtis Candidus imperti, ſi non his utere mecum.* Interim ingenué fateor, me infallibili ſcientiâ & hinc orta conſcientiâ tam eſſe confirmatum, ut Polygamiæ æquitatem & juſtitiam internam uſque ad vitæ finem defendam. Quod vobis omnibus ſane incumbit, qui *ad excubias animarum* eſtis poſiti.

Noſtis quid Chriſtus dicat: væ mundo, propter ſcandala, væ illi, qui ſcandala dat, væ illi qui accipit, væ illi qui non impedit. Maledictus qui opus Domini facit negligenter. Qui ſcit bona facere & non facit, ille peccat. Servus qui ſcit voluntatem Domini ſui & non facit, duplicia tormenta experietur. Vos eſtis ſervi Dei, Oeconomi myſteriorum divinorum, eſtote fideles, ſanctificate nomen Dei, regnum Dei promovete, voluntatem Dei perficite & omnem benedictionem hoc pacto à Deo impetrate, ſic peccata minuetis, Diaboli tentationibus reſiſtetis & ab omnibus malis cum veſtris auditoribus eritis immunes Amen. Jehova te increpet Satan, Jehova te increpet Aſmodi, qui Iſraëlem liberavit Amen. Dominus Diabolum conculcet ſub pedibus noſtris, Amen.

1. *Conſenſu omnium gentium ſane non fruſtraneo.* Conſuetudo illa Polygamica poſt naturalem legem mentibus noſtris inſcriptam ſumſit exordium, ex quo homines in unum convenientes cœperunt ſimul habitare; quod ex eo tempore factum videtur, quo Cain civitatem ædificaſſe legitur, ſicuti poſtea in familia *Lamechi* publice promulgata, poſt diluvium in *Sabæis* aliisque gentibus pleriſque omnibus continuata, in Eccleſiâ Dei Patriarchali, *Abrahamitica, Jacobitica*, radicata, in *Moſaica, Ducali, Regali, Davidica, Salomonæâ* & cœteris Poſterioriſticis corroborata & confirmata fuit. Eſt autem hæc conſuetudo Polygamica jus quoddam moribus gentium & præcipuè veræ Eccleſiæ Judaicæ inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur. In iis enim rebus, in quibus nil certi ſtatuit ſcriptura, mos populi Dei immemorialis, & inſtituta majorum millenaria pro lege tenenda ſunt, & ſicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores diuturnarum Eccleſiaſticarum conſuetudinum ſunt coërcendi. Male ergo novi legislatores, Anti-Polygami ſcil. conſuetudinem per aliquot mille annos in Eccleſia Dei obſervatam, itaque comparatam, ut aliquid divini juris naturalis & moralis admixtum habeat, ineptis ſuis argumentis, cenſuris, fulminibus evertere, & orthodoxæ Eccleſiæ Judaicæ leges naturales & morales deſuetudine ab Antichriſto orta abrogari contendunt, quibus etiam convenit, quod in re ſimili Ludov. Mæntalt. dicit in lib. prov. ep. & in notis ad eam Wilh. Wendrochius.

2. *Nulla Lex humana poteſt prohibere.* Quid Lex humana contra divinam valeat, vid. Meinſ. & Calixt. de LL. Certe nulla Conſtitutio humana, qualis illa eſt de Polygamia Excluſiva, poteſt abolere mandatum & conſtitutionem divinam de matrimonio cum pluribus contrahendo uxoribus, neque lex inferioris præſertim ejus rei quæ in noſtra poteſtate non eſt, jus ſuperioris intervertere poteſt. Jus autem ſuperioris Dei ſc. omnipotentis hoc requirit, ut qui non tantum extra conjugium, ſed & in conjugio, cum uxor eſt prægnans, vetula, aut lactans, uruntur, nubant. Ex quo conſequitur, quod Conſtitutiones humanæ, qualia ſunt vota Monogamica excluſiva, non poſſint, nec debeant impedire ordinationem divinam, qualis eſt matrimonium cum pluribus. Quin potius Lex hæc poſitiva humana de conjunctione cum una tantum uxore, quia conſcientiæ eſt onerosa jure merito abrogari poteſt. Neque etiam Eccleſiæ competit aliqua poteſtas in jus Naturale & Divinum, quod quidem ſubſtantiam negotii, non adjaphora concernit. Multo minus miniſtris Eccleſiæ competit aliquod regimen, niſi directivum in docendo, arguendo & exhortando conſpicuum; nullatenus vero poteſtas Legislatoria, aut jus Majeſtatis, ſi vel maxime ſit ſupremus Eccleſiæ Epiſcopus aut Pontifex Maximus. *Marſil. Patav. Defenſ. Pac. p. 2. c. 27.* Nil quidem novi eſt, quod ſe Vicarius Chriſti, uti audire vult, ſupra omnia Jura civilia, Eccleſiaſtica, & divina extollat, diſpenſet, ut ſupra audivimus, contra Evangelia, contra Paulum, & dominium ſpirituale & temporale uſurpet in omnes Reges, Principes & in ipſorum regna & ditiones, leges pro lubitu præſcribat, pœnas ad placitum imponat. de quo conqueritur *Jo. Petr. de Ferrariis*, cujus in praxi lib. 30. n. 2. 3. hæc ſunt verba: *Vides quod ipſe Papa (qui deberet tanquam verus vicarius C. ſequi ejus veſtigia) poſſidere & manu armata nititur detinere juriſdictionem in terris, civitatibus, villis atque locis, quæ ſunt naturaliter & à mundi creatione & ordinatione imperii Romani. &c. imo ipſe Papa in ipſum Imperatorem nititur ſuperioritatem habere, quod ridiculum eſt dicere, atque abominabile audire. Nam naturaliter à principio mundi omnes clerici, nedum laici erant ſub poteſtate & jurisdictione Imperii, ſed ipſorum dulcedine & benignitate fuerunt clerici dimiſſi ſub poteſtate Papæ, & beneficium hoc tanquam ingrati ſciunt male eognoſcere. Benè ergo & ſanctè faceret ipſe Papa, ſi totam temporalem juriſdictionem in manibus Imperatoris remitteret, nec aliter unquam Reſp. (& maxime Italia) quieſcet. Nec ulterius de Papatu tale ſchiſma, quale fuit & eſt à 36. præteritis ullo tempore amplius accideret; Et ex hoc ſtatus univerſus clericorum magis redderetur Deo & populo devotus, & ipſe Papa cum Cardinalibus viveret quietius & devo-*

tius

tius ac Deo & populo magis gratus & acceptus. &c. Hæc Petr. de Ferrariis A. 1413. ſatis confidenter ſcripſit de vitiis ſuorum temporum.

3. *Regalia Jura.* Quæ Magiſtratui Politico competunt circa temporalia, quale eſt matrimonium, contractus ſcilicet pure Politicus ad Politiam ſpectans & à Politicis judicandus & examinandus. Eccleſia igitur qualiſcunque illa ſit, non poteſt præcipere quicquam circa temporalia, niſi Princeps ſecularis id concedat, vel confirmet. *Marc. Anton. de Dom. l.* 5. *&* 6. *de Rep. Hebr.* Quin ipſe Pontifex Romanus non diſponit circa negotia merè temporalia, niſi quatenus neceſſarium ſit & valde oportunum, pro ſalute ſcil. animarum ut notat *Bellarm. l.* 5. *de Pont. R. Fr. Suarez. l.* 3. *de Leg.* §. 6. *Jo. de Salas. d.* 7. *ſ.* 4. Quod uti in Patrimonio Petri, ceu ipſius, territorio ipſi non invidemus, ita extra illud in alieno foro & territorio nonniſi cum injuria Domini tali poteſtate utitur. Eccleſia ſiquidem nunquam præjudicare, aut vim facere debet Politiæ, quia forum civile prorſus eſt ſeparatum à foro Eccleſiaſtico. Olim quidem Imperatores utrumque habuere gladium, temporalem ſc. & ſpiritualem, & tunc contulerunt omnia beneficia per totum terrarum orbem, elegerunt etiam Papam uti *Petr. de Ferrar.* obſervat in *Pract. tit.* 50. *gloſſ.* 9. *n.* 4. Unde etiam exemplo Conſtantini M. provincias pro lubitu dividebant, metropoles conſtituebant, & Epiſcopatus inſtituebant. Unde Eccleſiaſticarum Provinciarum ſtatus ad civilium formam eſt conſtitutus plerumque, & dignitas Urbium dignitatem contulit Epiſcopis. Apoſtoli enim non diviſerunt orbem, ſed Conſtantinus M. ut notum ex Zoſimo Imperium adminiſtrandum dedit quatuor Præfectis Prætorio: Orientis, Illyrici, Italiæ & Galliarum, & aliquot provincias ſimul ſumtas Diœceſes appellari voluit. Ita ſub diſpoſitione Præfecti per Orientem diœceſes erant iſtæ: Oriens, Ægyptus, Aſiatica, Pontica, Thracica. Ita *Notitia Imperii.* Jam in Ægypto ſeu Ægyptiacâ diœceſi unus erat, qui ſummam poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis obtinebat, Epiſcopus ſc. Alexandrinus. Pro lubitu enim civitates præſertim Principales Epiſcopatu vel per Imperatorem vel per Præfectum Prætorio ornabantur. Principibus quippe ſecularibus aut illis, qui κύριον habent, propter ſummam, quam tenent poteſtatem, etiam cura Eccleſiæ & ipſa etiam poteſtas Eccleſiaſtica externa tamen competit, poſſunt inſtituere & deſtituere miniſtros Eccleſiæ, poſſunt committere curam locorum priorum cuicunque libuerit, adeoque habent liberam in ſuis provinciis & ſacra & profana ordinandi poteſtatem, uti hanc magno Reip. commodo dudum ſibi aſſeruerunt Proteſtantium Principes. Neque enim in res & perſonas Eccleſiaſticas, quam habent Principes Laici, poteſtatem ex beneficio Pontificis habere dici debent, ſiquidem injuriâ ab hâc poteſtate excluduntur Principes Exemerunt quidem jam olim clericos judicio ſeculari ipſimet Imperatores, ſed exemerunt à juriſdictione judicum inferiorum, & ita quidem, ut ſuam ſibi in illos retinuerint integram poteſtatem uti ſupra *ad th. XLI. n.* 3. *& LXIV n.* 2. deduximus. Falſiſſimum itaque eſt principium poteſtatem ſecularem non poſſe de rebus aut perſonis Eccleſiaſticis valide quidquam ſtatuere, & laicam poteſtatem eminenter & virtualiter contineri in Eccleſiaſtica. Falſiſſima etiam eſt aſſertio Canoniſtarum, Imperatori competere nonniſi poteſtatem dependentem, Pontificii vero ſummam, abſolutam, illimitatam, non quoad ſpiritualia tantum ſed & temporalia adeoque in univerſum mundum, non quatenus Eccleſiam ſed & quatenus regna complectitur, quam primo & directe ipſi tribuunt ejus Gnathones. Certum enim eſt, quod Poteſtas Imperatorum, & Principum qui κύριον obtinet, νομοθετικὴ ad Eccleſiaſtica æque ac ad civilia ſe extendat, & quicquid poteſtatis hac in parte Pontifex poſſidet, habeat ex indultu & conniventia Imperatorum & Principum, adeo ut de jure extra ſuum territorium Papæ nulla ſtatuendi competat poteſtas, ſive de fide aliquid ſtatuere velit, ſive circa diſciplinam Eccleſiaſticam, aut mores.

Veſtrum eſt hunc errorem animis auditorum. Eſt communis opinio & error popularis

contractum matrimonialem eſſe æqualem, Polygamiam ex utraque parte & virilem & muliebrem eſſe adulterium & peccatum contra Deum, marem obligatum eſſe ſatis facere uxori, & quæ ſunt alia ex his in maximum Oeconomiæ, Eccleſiæ & Reipubl. detrimentum propullulantia. Quæ omnino ut dedoceantur auditores, Eccleſiaſticis miniſtris competit. Sæpe enim ejusmodi vulgares opiniones vim veritatis obtinent. uti ICTorum filii in ſuis negotiis etiam annotarunt, uti geſta à ſervo Prætore per errorem deſignato, firmitatem obtinent. l. Barbarius, 3. ff. de off. Prætor. Ita ſuſtinetur etiam teſtamentum cui teſtis adhibitus eſt ſervus ab omnibus pro libero habitus *l.* 1. *C. de Teſtam.* Sic & filio familias mutuo dato, qui publice & omnibus Pater familias viſus eſt, ceſſat ſenatus conſultum Macedonianum. *l.* 3. *ff. ad ICT conſultum Maced.* Uti vero hi errores Politici & vulgares opiniones, ſi pro veris habeantur, maxima damna afferunt, ita multo magis opiniones vulgares circa divina & Eccleſiaſtica, ſiquidem animarum ſalutem concernunt.

5. *Excubias animarum.* Paſtor, qui ad perpetuam gregis cuſtodiam vigilans non excubat, non minus graviter puniri debet, quam *Evenius* Apolloniata, cui cum ſacrarum ſolis ovium cuſtodia commiſſa eſſet, & ille noctu obdormiviſſet, lupique antrum ingreſſi oves ſacras jugulaſſent, Apolloniatæ puniri Evenium, ὡς τὴν φυλακὴν κατακοιμήσαντα, eumque viſu privari juſſerunt. *Herod. l.* 9. Huc ſpectat etiam quod *Damaſus Papa in Ep* 4. habet: *Illi Epiſcopi* inquiens, *qui talia præſumunt, qui dormiunt & propter ſuam quietem ſæpè aliis greges ſuas committunt, videntur mihi eſſe meretricibus ſimiles, quæ ſtatim ut pariunt, infantes ſuos aliis meretricibus aut nutricibus committunt, educandos, ut ſuam citius libidinem explere valeant.* Sic & iſti infantes ſuos, i. e. populos commiſſos aliis educandos, & nutriendos tradunt, ut ſuas libidines expleant, i. e. pro ſuo libitu ſecularibus inhient curis, & quod unicuique viſum fuerit, liberius agant. Ita animæ negliguntur, opes pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchismata prodeunt, Eccleſiæ deſtruuntur, ſacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt. Nil amplius addam impræſentiarum, quàm orationum ſeriam atque devotam ad Deum & Servatorem noſtrum directam, ut Deus in omnem veritatem nos ducere, ab errore præſervare, in veritate confirmare ac corroborare, omneſque alios illuminare, & ab obſeſſione Spiritus mendacis ſpirituali gratioſiſſime liberare velit; Potentiſſime Domine Exercituum, juſtiſſime atque ſanctiſſime Deus, qui ſcrutator cordium atque renum ſemper fuiſti, ac eris. Gratias ago ſanctiſſimæ Tuæ Majeſtati, quod me indigniſſimum tuum ſervum illuminare, veritatem hanc docere & ad propagandam veritatem idoneum virtute Spiritus ſancti effeceris. Domine Deus, qui es ſcrutator cordium, tu bene noſti, quod hoc ipſo nil aliud quæram, quàm ut ſanctiſſimum tuum nomen non amplius tàm perdite profanetur, peccata minuantur, vera vita Chriſtiana introducatur, & tu, o ſanctiſſime Jeſu, non denuo delictis noſtris crucifigaris, miſeraque plebs ſceleratiſſime ſeducatur & in delictis relinquatur. Te tanquam teſtem & ſcrutatorem conſcientiæ meæ appello, atque produco, quod nil aliud intendam, quàm gloriam nominis tui æternam & ſalutem Eccleſiæ atque animarum. Deplora vero meam acediam atque negligentiam, quam in defodiendo hoc talento à me commiſſam optime noſti, dum mediis illis, ad veritatem hanc ſtabiliendum à te divinitus monſtratis, non rite atque tempore ſuo uſus fuerim. Condona mihi hæc mea peccata, quæ omittendo præter voluntatem meam commiſi, & corrobora me in tua veritate, atque dirige actiones meas omnes, ut non amplius occaſiones tibi, ceu Deo veritatis, obſequendi, & de tua Eccleſia & Rep. bene merendi negligam. Defende me etiam ab omnibus, qui tuam veritatem ſcienter & inſcienter, directe & indirecte, ſub & obreptitie evertere, & mihi moleſtias creare ſatagunt; Fac etiam, ut in poſterum admirandam & inenarrabilem tuam in me protegendo, & ad invidiam uſque hoſtium veritatis conſervando providentiam ſingulariſſimam ulterius experiar. Pro qua uti immortales tibi Potentiſſimo atque miſericordiſſimo, Deo defero gratias, ita

eam

eam gratiſſimo ſemper exoſculabor animo, & dum ſpiritus hos reget artus indeſinenter omnibus deprædicabo. Inſtrue me porro Spiritus tui ſancti donis, & talentum, quod mihi concrediſti, & quo me non ſemper ritè juxta voluntatem tuam, uti ſumus in propriis cœci, uſum eſſe, ingenuè profiteor, cœlitus benigniſſime auge, atque concede mihi ulterius ſpiritum rectitudinis, ſpiritum roboris, ſpiritum ſapientiæ & prudentiæ, ſpiritum conſilii & timoris, ut in viis tuis ambulem, gloriam nominis tui quæram, voluntatem tuam faciam, atque ſalutare ſemper ſim & magnum inſtrumentum veritatis propagandæ, mendacii eradicandi, & peccatorum minuendorum; Et hoc facias per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Amen.

Soli Deo Gloria.

Addenda quæ, promiſſa th. 83. n. 3. ex Lutheri Tom. 1. Witeb. de Digamia Epiſcoporum

M. Lutherus Lectori pio ſalutem.

SParſit quiſpiam nuper ſine nomine concluſiones aliquot contra digamiam Epiſcoporum, ſatis virulentas, eaſque pene ſeditioſas, dum popularem actionem vulgo adverſus Digamos tribuit. Cum igitur iſta invidiâ me quoque peti intelligerem, ut qui cum primus conjugium Epiſcoporum adverſus cœlibatum probaverim, viſum eſt, contrariis concluſionibus veneno ejus occurrere, ne videlicet infirmas forte conſcientias perturbaret, & è favillâ illâ novum incendium flagraret, ſi contemneretur.

Satanæ commentum eſt, ibi peccatum fingere, ubi nullum eſt, & juſtitiam negare ubi vera eſt. Cui ſe præbuit inſtrumentum clancularius iſte *diſputator*, ita ut & Magiſtratus in diſcrimen & conſcientiæ & adminiſtrationis conjicere nitatur. Eruditus ſatis eſt, ſed mirum, quid delectet, Dominum ſerpentinis i. e. occultis morſibus, ac non aperte potius Marte puggare. Sed invidia eſt, quæ quieſcere non poteſt, & tamen præ conſcientiâ prodire non audet. Legemi Lector utraſque, & judica libere.

Dominus tecum. Amen.

Concluſiones hæ Dei auxilio publicè defendentur.

Sunt ſcilicet theſes clancularii adverſarii Lutheri.

I. Quicunque contra clarum & apertum Dei verbum agit plane ad gehennam ædificat.

II. At Bigamia manifeſte per verbum eſt prohibita in ſacerdote.

III. Contra apertum igitur Dei verbum agit, & ad Gehennam ædificat, Epiſcopus vel presbyter, qui ſecundam uxorem ducit.

II. Minor impliciter falſa eſt, ſive de ſimultaneâ ſive de ſucceſſiva.

III. Medium terminum immiſcet concluſioni.

IV. Qui-

IV. Quicunque plana ac dilucida ſcripturæ divinæ verba depravare nititur aut obtorquere, is audiendus non eſt, ſed reprobandus.

V. Apoſtoli verba ad Timotheum, quod Epiſcopum unius uxoris maritum eſſe oportet, plana ſunt & dilucida.

VI. Et magis per ſequentia explanantur. Quod viduæ alligari debet, quæ unius uxor fuerit.

VII. Quicunque igitur in ſacerdote bigamiam admittit ſeu defendit, is tanquam ſcripturæ divinæ depravator, reprobandus eſt, & pellendus.

VIII. Eadem verba in pari caſu prolata pariter ſunt & intelligenda.

IX. Quicunque igitur Apoſtoli verba ita intelligit, ut Epiſcopus vel ſacerdos ſimul & eodem tempore plures uxores habere non debeat;

X. Is & per eadem verba Apoſtoli fateri cogitur, quod & mulier plures viros ſimul & eodem tempore habere poſſit, ſi allegare non deberet. quod plane abſurdum eſſet.

XI. Nulla ſcripturâ authenticâ decori poteſt, quod Judæi Apoſtoli ætate (exceptis regibus) duas uxores eodem tempore habuerint.

XII. Multis teſtimoniis probari poteſt, quod Græci & Gentiles tempore Apoſtoli una tantum uxore fuerint contenti.

XIII. Intellectus ergo ille de duabus uno & eodem tempore ducendis confictus eſt, & falſus & prorſus veritati contrarius.

XIIII. Conciliis & ſtatutis generalibus Patrum præcipue antiquis adhærendum eſt, ubi non manifeſte verbo Dei repugnant, ſed conveniunt, & ad bonos mores faciunt.

XV. Autoritate Patrum ex Apoſtoli verbis ſtatutum quod nullus ut Epiſcopus aut ſacerdos poſt primæ uxoris mortem ſecundam ducere poſſit.

XVI. Si vero continere nequit, ſecundæ nuptiæ ei non ſunt prohibitæ ita tamen ut officio cedat Eccleſiaſtico. XVII. Cen-

V. Plana ſunt Apoſtoli verba, ſed non hoc ſenſu, quaſi Bigamia hic probibeatur.

VII. Major hæc non poteſt probari, alius enim hic ſcripturæ ſenſus ut Lutherus docet.

IX. Acutiſſimè ex parallelismo infert, hæc verba Polygamiæ ſimultaneæ, ut muſtei Anti-polygami putant, non opponi.

XI. Theodoretus. Hieron. Auguſtinus aliique à Chemn. & poſt à Theophilo citati docent Judæos uſque ad Theodoſii tempora, fuiſſe Polygamos & hodienum inter Turcas viventes eſſe.

XII. Theophilus in Diſcurſu ſatis docet Gentiles imperium abhorruiſſe à Polygamia nec hodie abhorrere.

XIII. Rectiſſime infert hoc dictum Polygamiæ ſimultaneæ opponi non poſſe.

XV. Patres plerique εἰς [illegible] delapſi ſecundis nuptiis fuere iniqui quia ſignum luxuriæ videbatur, ſed verum uſum ab abuſu abſtrahere debuiſſent.

XVI. Si iniquitas ineſt ſecundis nuptiis, nec laico concedendæ.

XVII. Cenſuerunt Patres maximum in Eccleſiâ Dei ſcandalum eſſe, ut Epiſcopus vel ſacerdos, qui carnem ſuam in plures diviſit, (cum Chriſtus unius Eccleſiæ ſit ſponſus) Eccleſiaſticis fungatur officiis.

XVII. Laicorum conjugium etiam eſt typus.

XVIII. Convenit igitur & decet, qui adeo ſalax eſt, ut ab obſcœnis libidinibus continere nequeat, & nuptias ſecundas eligat, officium ſacerdotii relinquat.

XVIII. Ipſum conjugium ab obſcænis libidinibus quæ per accideni concurrunt diſtinguen, dum.

XIX. Papiſtæ licet fuerint avariſſimi, & omnia habuerint venalia, nunquam tamen cum digamis ſecularibus (ut vocant) pro ullâ pecuniâ contra Apoſtoli doctrinam diſpenſare voluerunt.

XIX. Quomodo Papiſtæ potuerunt diſpenſare circa digamiam clericorum etiam ſecularium cum omnibus clericis conjugium prohibuerint.

XX. Mortaliter peccat, qui bigamos Eccleſiæ ſtipendio ſuſtentant.

XX. Falſiſſima eſt hæc propoſitio.

XXI. Si Epiſcopo aut presbytero & ad vitæ ejus tempus Eccleſiaſticum promiſſum eſt ſalarium, ceſſat tum promiſſio illa, cum ipſe culpâ ſuâ ſciens & volens in bigamiæ incidit crimen.

XXI. Digamia non eſt crimen, adeoque neque officio neque ſalario Eccleſiaſtico præjudicare poteſt.

XXII. Mortaliter peccant Principes ac Præſides, qui bigamo Eccleſiaſticam functionem contra Apoſtoli doctrinam & veterum Patrum decreta permittunt, & cum prohibere poſſunt non prohibent.

XXII. Mendacii, injuſtitiæ, & tyrannidis exercendæ pleniſſima eſt hæc propoſitio.

XXIII. Peccant, qui ſcientes ex bigami ore verbum Dei pollui audiunt.

XXIII. Hoc pacto etiam ipſum conjugium clericis ademptum, cum miſſæ conjugatorum populo exoſiſſimæ redderentur.

XXIV. Bigami ſacerdotes ex Apoſtoli verbis & Patrum autoritate omni Eccleſiaſtico privilegio ſunt privati, nec à quoquam defendi, ſed aliorum laicorum inſtar haberi debent & cenſeri.

XXIV. Mendaciſſima & ſeditionis pleniſſima eſt hæc Theſis.

XXV. Bigami in ſacerdotio perſeverantes inceſtum committunt, & filii eorum ſpurii ſunt cenſendi.

XXV. Nullo fundamento nititur hæc propoſitio ut enim nec laicorum ita neque ſacerdotum digamia inceſtus eſt.

XXVI. Actio contra bigamum popularis eſt, ita ut bigamus à quovis de populo accuſari & ut ab Eccleſiaſtico officio deponatur peti poſſit.

XXVI. Quod non eſt crimen, ſub accuſationem & pœnam non cadit. Hoc pacto gladius committitur manibus furioſi.

XXVII. Bigamus cenſendus eſt, non ſolum is qui duas ducit virgines, ſed & viduam aut aliter corruptam.

XXVII. Neuter eſt per ſe criminoſus licet de tertio aliquid monuerit Theophilus.

XXVIII. In ſummâ. Quicunque proprias voluptates & luxuriæ exactionem Apoſtoli verbis & Pa-

XXVIII. Digamia ſeu conjugium diſtinguendum à voluntate &

Cccc trum

luxuriâ. has damnat Spiritus S. non illam, adeoque digamia non eſt peſtilens exemplum, nec probari poteſt, Digami prohibitionem eſſe laudabilem, bonam & longævam conſuetudinem.

trum honeſtis proponit decretis, non tamen ſacerdotio aut Eccleſiaſtico ſtipendio cedere dignum putat. is non ſolum tolerandus non eſt, ſed ad corvos abigendus, quò non ovis morboſa totum corrumpat ovile, & tàm laudabilem, bonam & longævam conſuetudinem peſtilenti ſuo defœdet exemplo.

De Digamia Epiſcoporum
Propoſitiones D. Martini Lutheri.

I. Lutherus ex antecedentibus & conſequentibus verum ſcripturæ ſenſum elicit.

I. Sanctus Paulus in Eccleſia Dei ſcopum ſancit eum eſſe conſtituendum, qui ſit & vivat irreprehenſibilis.

II. Externe ut ſit inculpabilis. De internis non judicat Eccleſia.

II. Non quod abſque peccato poſſit ullus hominum vivere, ſed quod ſine crimine ſeu honeſte converſari debeat.

III. Sub accuſationem veniunt graviora; in oculos & aures incurrentia crimina. Minima enim non curat Prætor.

III. Ἀνέγκλητος enim Græce id ſonat, quod ſine crimine, quem non poſſit homo accuſare.

IV. Quid ipſemet non uno loco exponit, uti omnes fidelium ordines docet caute ambulare.

V. Hoc eſt, ut honeſte vivant, ne adverſariis criminandi, maledicendi, opprobrandi præbeant occaſionem.

VI. Sic Samuel & Moſes ſeſe irreprehenſibiles coram populo teſtantur, dum nemini bovem aut aſinum abſtuliſſe, aut calumniam feciſſe gloriantur.

VI. Non fuerunt ἀναμάρτητοι, coram Deo, inculpabiles tamen coram mundo.

VII. De externis & craſſis loquitur Paulus criminibus quæ & à mundo pro talibus habentur.

VII. Manifeſtum eſt igitur, Paulum de ejusmodi criminibus loqui, quæ ſint etiam mundo reprehenſibilia.

VIII. Qualia & ipſe exempli vice numerat, ſcilicet, ſi non præſit familiæ, non caſtiget liberos. Si vinolentus, ſuperbus, avarus, ſævus &c. fuerit.

IX. Inter Epiſcopi enim requiſita hic uno loco conjunguntur.

IX. Ut quale crimen eſt filios non caſtigare, familiæ non præeſſe. Tale aut par aut majus eſt neceſſe prohiberi unitate uxoris.

X. Omnis caſtitas cum matrimonialis tùm extramatrimonialis hic inſinuatur.

X. Quod eſſe aliud non poteſt, quàm ne limites honeſti conjugii, & tori immaculati transgrediatur.

XI.

XI. Sed ſit unâ & ſua contentus uxore ne aut virgines vitiet, aut alienas permolot uxores, aut cum quavis ſcortetur.

XI. Omnes ergó aſtus impudici cum alis extramatrimoniales ſcil. probibentur.

XII. Nam ut libidinem poſſit in aliis arguere oportet ipſum primo ab ea purum eſſe.

XII. Turpe eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum.

XIII. Et ut laudatam caſtitatem prædicet feliciter, ipſum imprimis caſtum eſſe decet.

XIV. Nec enim credi poteſt, cum tot in Epiſcopo dotes requirat, unam caſtitatem voluiſſe omittere,

XIV. Caſtitas enim præcipua virtus cui maximè inſidiatur Diabolus, & quæ ſi non accuratè ſervetur, maledicentiæ obnoxia.

XV. Ideo non eſt dubium, Apoſtolum unitate uxoris caſtitatem docere, non novum ceremoniæ periculoſæ laqueum & ſcandalum ponere voluiſſe.

XVI. Eam caſtitatem ſane, quæ tutiſſima ſit, & abſque ilio ſingulari dono præſtari queat, nempe conjugalem.

XVII. Cum enim reliquæ dotes ſint omnes ſpirituales, & nulla ceremonialis conſonum eſt & caſtitatem non ceremonialem i.e. monogamicam eſſe.

XVII. Caſtitas ceremonialis ſeu Monogamica maximus laqueus eſt conſcientiæ, & jugum intolerabile, inque mancipia convertit maſculos.

XVIII. Ut (unius uxoris vir) idem ſit, quod illud 1 Cor. 7. *Unuſquiſque uxorem ſuam habeat.*

XIX. Quod illic ſuam, hic unam vocat uxorem, volens ſcilicet, ne diverſas aut alienas polluat uxores.

XIX. Adulteria ac ſcortationes probibet.

XX. Sic & Diaconos præcipit unius uxoris viros eſſe, i.e. quemlibet cum ſua una uxore caſtum vivere.

XX. Eadem phraſi Diaconis caſtitatem commendat.

XXI. Alioqui quanta ſit abſurditas, quod multos diaconos unius uxoris velut communis ſcorti viros eſſe, videretur ſtatuere.

XXI. Polygamia enim muliebris ſeu multiviratus omnibus gentibus fuit inauditus.

XXII. Neque Paulus aliud iſtis duobus vocabulis (unius uxoris) intelligit, quàm quod Latine ſimpliciter uxorem dicimus.

XXII. Non ergo vox (unius) *deſignat numerum ſed certam uxorem.*

XXIII. Græcè enim γυνή non dicitur proprie uxor ſed etiam mulier in genere, quemadmodum Weib Germanice.

XXIII. γυνή enim latè de toto ſexu fœminino, ſive virgo, ſive uxor, aut vidua, uſurpatur.

XXIV. Ubi ſi dixiſſet, *Oportet mulieris eſſe virum* non potuiſſet de uxore intelligi, & adverſario dediſſet cavillandi occaſionem.

XXIV. Ad præcavendam igitur ambiguitatem vocis (γυνή) addidit μιᾶς, ut uxorem denotaret.

XXV. Ideo ut uxorem proprie ſignificaret, unius

mulieris virum, pene periphraſi quadam placuit diſcere.

XXVI. Nam & uſus ſcripturæ habet, adulteros & ſcortatores dici mulierum viros. Joh. 4. *Quem*, inquit, *jam habes, non eſt tuus vir.*

XXVII. Sic unitate uxoris ſimul Chriſtianam nubendi libertatem Epiſcopis confirmat; magis tamen vagam libidinis licentiam eo verbo prohibet.

XXVII. *Hâc phraſi igitur non prohibet Epiſcopo conjugium vel unius vel plurium, ſed impudicitiam & luxuriam.*

XXVIII. Studio enim prævenire voluit dæmoniacas doctrinas eorum, qui erant nuptias Epiſcopis prohibituri.

XXVIII. *Spiritus S. enim prævidit, forent aliquando prævalente Diabolica Theologia, ejuſque decalogo clericis conjugium interdicatur.*

XXIX. Ideo viſum eſt ſpiritui ſic dicere, Vir unius uxoris ſit, potius, quam ſic, ne ſit adulter, ſcortator aut immundus.

XXIX. *Ut non tantùm omnem impudicitiam removêret, ſed & conjugium clericis inculcaret.*

XXX. Nec defuiſſet Paulo, alioquin componendæ vocis ſtudioſo, etiam hoc loco vox Monogami, ſi digamos voluiſſet damnare.

XXX. *Nunquam venit in mentem Paulo, ut digamiam prohiberet.*

XXXI. Scilicet Philagathan, Philoxenon, & id genus multa uſurpat, monogamum tamen vitat, & unius uxoris virum mavult dicere.

XXXII. Ut non de ſingularitate conjugii aut nuptiarum, ſed de ſingularitate mulieris ſeu uxoris cogeret ſeſe intelligi.

XXXIII. Vox enim (unius) non tàm affirmative, quam negative neceſſario accipitur.

XXXIII. *Notanter Lutherus dicit* (non tàm) *ut inſinuet, præſtare ſi Epiſcopus ſemper poſſet vivere in conjugio & exemplo ſuo auditoribus monſtrare modum caſtè vivendi cum uxore, ſed quia per caſus inopinatos, mortem ſc. poteſt fieri, ut deveniat ἄγαμος, &c.*

XXXIV. Si enim affirmativum eſſet præceptum, non liceret unquam Epiſcopum cœlibem eſſe, ſed neceſſario unius ſemper uxoris virum.

XXXV. Mortua ſcil. una, ſine fine Polygamus duceret aliam, nequando Epiſcopus non eſſet unius uxoris vir, contra Paulum.

XXXVI. Sicut enim nunquam non debet eſſe ſobrius, vigil, ſuavis, &c.

Ita nunquam non cogeretur eodem virtutum catalogo eſſe vir unius uxoris.

XXXVII. Mortuâ unâ uxore Epiſcopus quidem eſſet, ſed non vir unius uxoris, quod tamen Paulus præcipere dicitur.

XXXVIII. Ridiculum verò eſt, Epiſcopum à defunctâ uxore, i. e. à non uxore virum unius uxoris dici, & ut talis ſit, præcipi.

XXXVIII. *Mortua uxor non amplius eſt illius viri uxor, adeoque non poteſt maritus vir illius uxoris dici.*

XXXIX. Ea-

XXXIX. Eadem facilitate, diceres Epiſcopum eſſe avarum, adulterum & impium, à defuncta adultera, rapina & impietate.

XL. Nec minus Judæum aut gentilem eſſe diceres, à mortua circumciſione aut idololatria.

XLI. De vivente igitur & cohabitante uxore loquitur, quando mortuo non magis eſt uxor, quàm lapis & lignum.

XLII. Et Paulo moris fuit defunctæ uxoris virum potius liberum & ſolutum ab uxore dicere. Rom. 7. 1 Cor. 7. Quod & res ipſa loquitur.

XLIII. Nec Paulus dicit: Oportet Epiſcopum fuiſſe unius uxoris virum, ſed eſſe oportet, unius inquit, uxoris virum.

XLIII, Conjugium & inter viventes & præſentes, non inter illos, qui fuerunt, & non amplius ſunt,

XLIV. Stat igitur Pauli verbum eſſe magis negativum, non de digamiâ, ſed de vaga libidine prohibenda.

XLV. Si aliud his verbis extorquetur, neceſſe eſt, violentum, dubium, inſidumque pro fulcienda conſcientia extorqueri.

XLV, Senſus ſcripturæ non eſt inſerendus ſed efferendus. Senſus illatus, qui in textu ſcilicet non habetur, ſemper eſt falſus,

XLVI. Imo falſum eſſe convincet vel una hæc vox, ἀνέγκλητος i. e. inaccuſabilis.

XLVII. Quo verbo neceſſe eſt crimen prohiberi, quod gentes offendat, & malæ ſit apud eos ſpeciei.

XLVII, Alias in hoc catalogo malè poneretur,

XLVIII. Nunquam vero factum vel auditum eſt, Digamos apud gentes criminoſos, ac non potius honoratos haberi.

XLVIII, Digamia ſemperſuit apud & ethnicos in uſu & honore,

XLIX. Simul conſtat, digamiam opus Dei eſſe à Paulo probatum & in benedictione Dei, Gen. 1. comprehenſum.

XLIX, Digamia enim eſt ſpecies conjugii,

L. Si vero ſcandalum eſt, apud impios Papiſtas ſcandalum eſt, quibus omnia verba & opera Dei nil niſi ſcandalum ſunt.

L, Pontificii ſunt hoſtes ἄσπονδοι ipſius ſimplicis conjugii, adeoque multo magis multiplicati,

LI. Huc valet ipſiusmet Pauli exemplum, qui ſeſe inter viduos numerat 1 Cor. 7. dicens, Eos velle omnes eſſe ſicut ſeipſum.

LII. Et tamen 1 Cor. 9. ſibi & Barnabæ copiam facit ſororculæ uxoris circumducendæ, exemplo aliorum Apoſtolorum.

LII, Apoſtolos fuiſſe uxoratos, etiam ipſum Paulum ex Phil. 4. & Chemnitius aliique docent.

 LIII. Quæ-

LIII. Quæ copia nihil eſſet, fruſtraque jactata, ſi digamia prohiberet Apoſtolum aut Epiſcopum eſſe.

LIV. Patres nuptiis ſecundis & Polygamiæ fuere quodammodo iniqui quia luxuriæ ſignum videbatur.

LIV. Et ipſe Hieronymus, alioquin nuptiarum ſecundarum pene hoſtis, tamen defendit Epiſcopum illum Hiſpanum, qui digamus fuerat.

LV. Prius ſecundum Canones fit, & inter Pontificios ſæpè conſpicitur.

LV. Et recte colligit: Si ſcortator multorum ſcortorum vir poteſt fieri Epiſcopus, non prohiberi meliorem unius ſecundæ uxorculæ maritum.

LVI. Theologia Allegorica & Symbolica non eſt argumentativa.

LVI. Nec S. Auguſtini contraria ſententia licet recepta, quicquam habet momenti. quà dicit: Epiſcopum debere Chriſtum unius Eccleſiæ ſponſum repræſentare.

LVII. Conjugium ſiquidem omne ſive laicorum ſive clericorum eſt repræſentativum conjugii, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam.

LVII. Eadem ratione quilibet conjunx cogetur monogamus eſſe, cum totum conjugium (Eph. 6.) Chriſtum & Eccleſiam repræſentat.

LVIII. Quin virginem cogeretur Epiſcopus ſervare ſuam uxorem, ut Chriſto virginis Eccleſiæ ſponſo reſponderet.

LIX. Simul & repudiare aliquam priorem teneretur, ſicut Chriſtus repudiavit Synagogam.

LX. Ex quibus abſurdis patet, fruſtrà aliquid ex allegoriâ illâ probari, niſi ſcriptura ipſa medium & modum probandi monſtret.

LX. Deinde mortua uxore, quâ forma erit Agamus Epiſcopus, Chriſto Eccleſiæ viro ſimilis.

LXI. Si igitur neceſſe eſſet ſymbolum Chriſti & Eccleſiæ præſtari, ſatis in ſingularitate uxoris etiam à Digamo & trigamo præſtaretur,

LXII. Theophilus ſatis probavit, Polygamiam gentibus fuiſſe ſine ſcandalo uſitatam.

LXII. Dato & nondum conceſſo, inter gentes pro crimine & ſcandalo cenſeri pluralitatem uxorum Moſaica lege ſtatutam.

LXIII. Si enim fieri poteſt, etiam ſcandalum acceptum eſt evitandum.

LXIII. Ut inter gentes liberas à lege Moſis, propter ſcandalum apud eas, Epiſcopus unius uxoris vir eſſe cogatur.

LXIV. Tamen inter Judæos, hoc inſtituto Epiſcopum ligari, non poteſt certò demonſtrari.

LXV. Leges illæ indeterminatè ſunt impoſitæ omnibus ſivè ſint uxorati, ſive cælibes.

LXV. Siquidem nota ſunt jura Moſaica, de fratris defuncti uxore, & de filia correpta invito Patre, quæ cogunt plurium eſſe uxorum virum.

LXVI. Jus Leviratus in N.T. non eſt abrogatus. E. nec Polygamia inde neceſſario reſultans.

LXVI. Quæ non magis ſunt abrogata, quam reliqua omnia, i. e. libera, nec prohibita, nec præcepta.

LXVII. Ni-

LXVII. Niſi permiſſam illam pluralitatem prohiberi dixeris, quæ ex repudio venit, etiàm à Chriſto revocatam atque damnatam.

LXVIII. Alioquin nullam pluralitatem uxorum prohiberi diceret talis Epiſcopus, niſi quæ non coacta per legem, aut vulgata per uſum, ſed quæ libidine peteretur.

LXIX. Quod autem in una uxore Patres Monogamiam intellexerunt, ſimile eſt illi, ubi quinque talenta quinque ſenſus & fructum centeſimum virginitatem intelligunt.

LXX. Cum fides non ferat, ut Gentes talentum Chriſti & fructum Euangelii habeant, quæ tamen quinque ſenſus & virginitatem habent.

LXXI. Digni ſcilicet venia, quod ſtudio caſtitatis in hanc partem exceſſerunt, dum in partem libidinis deficere timuerunt.

LXXII. Quia indignum videbatur, id inter fideles non excellentius inveniri, quod in aliquibus gentibus cernebant utcunque præſtari.

LXXIII. Quod autem de unius uxoris viro dictum eſt, idem de vidua unius viri uxore intelligendum eſt.

LXXIV. Ut vidua hæc ſit honeſta fœmina quæ ſuo & uno viro contenta adulteris & ſcortatoribus ſe non proſtituerit.

LXXV. Aut ſi de Judæis inter Gentes loqui libet, de repudiata & aliis, jure Moſaico, recipiendis uxoribus, ne gentes offenderentur intelligitur.

LXXVI. Turpe enim eſt, ut mulierem omnium, ut dicitur, alat Eccleſia, aut Epiſcopum omnium mulierum virum præficeret miniſterio.

LXXVII. Errant igitur, qui digamiam à Paulo damnari in Epiſcopis hoc loco ſentiunt.

LXXVIII. Rei quoque ſunt blaſphemiæ, & in opus Dei & in verbum Pauli, quod digamiam inter crimina cenſent.

LXXIX. Multo fœdius errant, qui honeſtam viduam Epiſcopo uxorem prohibere à Paulo docent.

LXXX. Quin ſi ſcortatorem Epiſcopum faciunt,

non

LXVII. Chriſtus Matt. 19. prohibuit, ne repudietur uxor & ne repudiata ducatur, ſive enim oriretur Polygamia mulibris, ſeu mulier haberet duos maritos vivos, repudiantem ſcilicet & alterum.

LXVIII. Propter luxuriam & libidinem ne quidem una eſt ducenda uxor, nedum plures.

LXIX. Patres mirum in modum indulſere allegoriis, ut vel ex unico Origene conſtat.

LXXVI. Patres ſæpe in fervore diſputationis εἰς τοὐναντίον ſunt delapſi, dum unum nimium extulerunt e. g. caſtitatem, ferè omnem conjugii uſum eliminarunt,

LXXII, Inter ethnicos etiam non rara ſanè caſtitatis ſuère exempla.

LXXIII. Neutrum Polygamiæ opponitur, ſed luxuriæ & libidini,

LXXV. Etiam omnis ſpecies mali juxta Apoſtolum pro virili eſt vitanda,

LXXVI, Utrumque non ſine ſummâ abſurditate diceretur,

LXXVII, Quid clarius, quàm quod in dicto Paulino Polygamia Epiſcopo non interdicatur,

LXVIII, Nec in tota ſcripturâ ſacrâ, cum nuſpiam inter peccata numeretur, Anti-Polygami igitur rectè hic Calumniæ & blaſphemiæ accuſantur,

LXIX, Majus παρόραμα, ex dicto Paulino Polygamia ſucceſſiva Rom. 7, & 1 Cor. 7, ſatis corroborata & ſtabilita interdici dicatur,

non video, cur ſcortum poſt pœnitentiam membrum Chriſti factum uxorem Epiſcopi fieri nolint.

LXXXI. Ego nec corruptam prohibere auſim Epiſcopo, ſi vi aut dolo corrupta, poſt honeſta vixerit.

LXXXII. Quanto iniquiores ſunt Papiſtæ omnium libidinum lernæ, & ſentinæ rejicientes eum, qui ignarus vitiatam virginem duxerit.

LXXXIII. Cum interim mille ſcortorum virum ſuſcipiant, & publicum ſcortatorem in officio etiam defendant.

LXXXIV. Evidens operatio Satanæ eſt, quod cum omnes dotes alias in Epiſcopis negligant, ſolum caſtitatis laqueum tyrannicè urgent.

LXXXV. Atque hæc eſt illa gloria, quam adverſarius jactat, quod Papiſtæ nunquam cum digamis diſpenſare voluerunt, pro pecunia, licet ſint avariſſimi.

LXXXVI. Ejusdem gloriæ & pudoris eſſet, ſi diceres: Papiſtæ cum ſuperent libidine Sodomam & Romam, nunquam tamen in caſtam ſaltem monogamiam Epiſcopi conſentiunt.

LXXXVII. Et Phalaris cum deteſtetur omnem virtutem & honeſtatem nunquam tamen flectitur, ut miſeris cruciatum remittat.

LXXXVIII. Quaſi non ſit impudentia turpiſſima, à turpiſſimis impiorum moribus dogmata pro Eccleſia Dei trahere.

LXXXIX. Eadem prudentia pro inſtituenda virgine à lupa & lena mores & exempla petere doceas.

XC. Aut adoleſcentem ad virtutem, & honeſtatem horteris, Abſalon & Neronis exemplo.

XCI. Hinc certum eſt, iſtarum propoſitionum artificem non veritatis ſtudiis moveri, ſed magno Euangelii odio ardere.

XCII. Sed & ipſimet Chriſto & Paulo impie pugnant, qui digamiam Epiſcopo prohiberi pertinaciter aſſerunt.

XCIII. Chriſto enim abſque perſonarum differentia etiam ad ipſos Apoſtolos loquitur: qui poteſt capere, capiat, Et non omnes capiunt hoc verbum.

XCIV. Ana-

LXXXI, Volenti enim non fit injuria, & honeſtate ſubſecutâ matrimoniali omnia priora quaſi obliterantur.

LXXXII, Alias docent Pontificii peccatum ignorantiæ non eſſe peccatum,

LXXXIII, Præſtat apud illos clericum ſcortari, quàm vivere in conjugio. O Deus in quæ tempora nos reſervaſti,

LXXXIV, Cætera non adeo rigoroſè requirunt quàm ſolum defectum conjugii & votum caſtitatis, jugum illud inſupportabile;

LXXXV Quomodo, Pontificii potuere diſpenſare circa digamiam Epiſcoporum cum ipſum conjugium clerius interdixerint in laicis vero orrea Polygamiam ſimultaneam diſpenſatum ſuiſſe exempla Comitis de Gleichen, Lotharii, aliorumque docent,

LXXXVIII, Nullus Theologus hoc pacto articulos fidei probabit,

LXXXIX, Nec ullus παρθενοδιδάσκαλος, aut Pædagogiarcha à proſtibulis aut Epicuri de grege porcis paradigmata caſtitatis aut temperantiæ arceſſet,

XCII, Amor veritatis quidem prædominari deberet ſed affectibus ratio ſæpenumero cedit

XCIII, Nec Chriſtus nec Paulus Poligamiam clericis interdicere di i poſſunt,

XCIV, Ubi Chriſtus nulla ſubjecta eximit à communi regulâ, ibi nec noſtrum eſt excipere.

XCV. Anathema vero ſit, verba Chriſti perſonatu adjecto depravare, quæ ipſemet ſine perſonatu dicta & intellecta voluit.

XCV. Sed quia Chriſtus non reſtringit ad certas perſonas, indeterminatè etiam & generaliter accipiendum.

XCVI. Et Paulus 1 Cor. 7. Unumquemque præcipit ſua uxore contentum eſſe, nec Epiſcopi, nec ullius perſonam excludens.

XCVI. Paulus conjugium commendat nullo excepto.

CVII. Et *melius eſſe nubere*, uti plane omnibus, qui Corinthi erant, (ut epigrapha monſtrat) conſuluit.

XCVII. Maxima enim ratio conſcientiarum habenda, ne citra neceſſitatem graventur.

XCVIII. Nec laqueum ulli vult injicere in periculum conſcientiæ, ſed quod honeſtum & utile ſit, indicare.

XCVIII. A Diabolo hominum provenit impedire conjugia & Polygamiam.

XCIX. Imo cum nuptiarum interdictores ad Timotheum palam aſſerat, Dæmoniacos Doctores eſſe, certum eſt liberam Digamiam Epiſcopo concedi.

C. Denique verbum illud *creſcite & multiplicamini* generaliter omnibus qui homines ſunt accreatum, & neceſſario impoſitum eſt.

C. Præceptum hoc divinum primum catholicum & naturaliſſimum omnibus ſummo ſtudio eſt obſervandum.

101. Contra quod nulli ſtatuere aut vivere licet, niſi alio certiore verbo, facto aut dono Dei excipiatur.

101, Nec verbis vel factis infringendum aut evertendum,

102. Sicuti enim nulli licet ſeipſum occidere, aut manu propria caſtrare, ita nulli licet ſexum ſuum, (niſi volente Deo) extinguere, aut ab officio ſuo cohibere.

102, Deus ad procreandum nos creavit, ideo hæc ſparta non negligenda,

103. Cum vero nulla ſtet promiſſio Dei, Epiſcopos fore ab illo generali verbo exceptos.

103, Epiſcopi nec mandatum nec promiſſionem precum hanc obrem exauditarum habent,

104. Patet non poſſe ullo ſtatuto Epiſcopos ad cœlibatum ullum cogi, niſi per Doctores Dæmoniacos & adverſarios Dei.

104, Sed à Diabolo oritur intermiſſio conjugii & cælibatus coactus,

105. Si Papiſtæ reprobant eos, qui ſeipſos caſtrant corporaliter, tanquam miniſterio & Epiſcopatu indignos.

105, Si caſtratio corporalis in vitio & peccaminoſa etiam omiſſio matrimonii erit,

106. Multò magis reprobare deberent eos, qui ſexu repugnante, (i. e. Deo notante) ſine uxore vivere præſumunt.

107. Hoc potius in Pauli catalogo ſpectandum erat ut inter dotes ipſas Epiſcoporum juſtus & pius delectus haberetur.

107, Major ratio habenda reliquorum requiſitorum quàm caſtitatis illius phantaſtica,

108. Ut quæ dotes plurimum commodarent Eccleſiæ, privatis & perſonatibus præferrent.

109. Summa enim iniquitas eſt & perverſitas, ſi privatum bonum publico præferatur & propter rem perſonalem pereat communis ſalus.

110, Dona adminiſtrantia in miniſtro præcipuè ſunt attendenda,

110. Ut fit, ſi Epiſcopus præ cœteris ſalutaris & verbo potens propter privatum conjugium à miniſterio rejiciatur.

111, Cœlibatus dignos facit indignos & indignos dignos,

111. Et alius verbo minus utilis propter privatum cœlibatum in illius loco ceu lapis ſtatuatur.

112. Ut ille propter rem privatam & innoxiam cogatur relicto verbo & animarum ſalute menſæ ſervire.

113, Maldictus vero qui opus Dei facit negligenter, & talentum defodit, quanquam in cogentem plurima redundet culpa,

113. Imò contra Dominum, in perniciem animarum acceptum talentum in terra defodere.

114. Iſte verò truncus propter ſolam caſtitatem in ludibrium Satanæ & ignominiam Eccleſiæ velut idolum in Eccleſiâ Dei ſedere.

115. Quanto rectius ille doctus & ſalutaris, licet digamus aut trigamus de mediâ plebe ad Epiſcopatum raperetur.

116. Cœlebs verò iſte cum ſuâ inutili caſtimoniâ in mediam plebem detruderetur.

117, Idonei ad ſacra non ſunt profanis adhibendi.

117. Et cavendum, ne qui ſit aptus regno cœlorum, per doctrinam promovendo, cogatur adverſùs Chriſtum retrò reſpicere & mortuos ſepelire.

118. Igitur longè major habenda eſt ratio talenti accepti, & verbi tractandi ut publici & neceſſarii boni,

119. Quam monogamiæ aut cœlibatus ut privati, & non neceſſarii boni.

120, Majus damnum oritur ex defectu eruditionis, quam ex præſentiâ uxoris.

120. Unde ſi ſcandalum Epiſcopos deponere debet apud Papiſtas, ignorantiæ & docibilitatis potius, quam conjugii deponere debebat.

121. Et ſi ferendum erat utrum ſcandalum, potius digamiæ, quam indocibilitatis ferendum erat.

122, Poſt lapſum ſcortationum remedium eſt conjugium,

122. Crudele quoque & impium eſt, ut Epiſcopus ſine culpâ conſilio & remedio Pauli fruſtretur, & vel cælebs vivere uxore mortuâ, vel miniſterio cedere cogatur.

123, Remedium & Conſilium Paulinum eſt Catholicum ad omnes homines pertinens,

123. Fruſtrari autem neceſſe eſt tum remedio tum conſilio Pauli cum Epiſcopum, qui metu libidinis uxorem duxit, quæ biduò vel triduò pòſt moritur.

124. Tùm

124. Tùm verò Paulus non conſilium, (cum ſit mors uxoris incerta) ſed ludibrium, nec remedium conjugii, ſed certum periculum & laqueum poſuiſſe videtur.

124. Quæ abſurda de Paulo non cogitari debent.

125. Tutius enim eſſet, prorſus non fieri Epiſcopum, aut non uti conſilio Pauli, quàm tanto periculo vel libidinis vel miniſterii fluctuari relinquendum.

126. Sicut in primitivâ Eccleſiâ laudabile fuit virginitatem & cœlibatum extollere contra licentiam Judaici conjugii & gentilis ſcortationis.

126. Sæpè Patres cum adverſariis agentes εἰς τȣναντίον ſunt delapſi.

127. Ita nunc laudabile eſt conjugium extollere contra cœlibatum Eccleſiæ derivativæ ei. contra proſtibulum Papiſticæ abominationis.

128. Cum enim cœlibatus hodiè ſit ferè vocabulum ſine re, perniciofiſſimo ſcilicet exemplo.

129. Rectè facient etiam ii, qui non valdè uruntur, ſi exemplo ſuo conjugii cauſam juvent, ad illius condemnationem.

129. Qui continere etiam ſe poſſunt, conjugium tamen ſpernere non debent.

130. Nam cum Daniel & Paulus Antichriſtum prædicent, fore hoſtem conjugii, autoremque libidinis & omnis peccati.

131. Conſultum & ſalutare eſt ſub hoc impuriſſimo libidinis regno quocunque conjugio liberari.

131. Sive illud conjugium ſit duplicatum aut triplicatum, aut ut Salomonæum milleplicatum præſtat omni cœlibatu.

132. Sanctius ſcilicet eſt vel trigamia vel hexagamiâ vivere, quam in publico iſto & impunito omnium libidinum chao perire.

133. Atque ſi digamus etiam verè eſſet criminoſus, tamen deponi nullo jure poſſet, niſi primo criminoſiores Papiſtæ cum ſuo impuriſſimo cœlibatu funditus eradicati eſſent.

134. Alioqui ſeditionis periculo punirentur digami tolerabiles, & liberi permitterentur miſerabiles Papatus ſcortatores.

134. Dato ſcilicet uno abſurdo ſequuntur innumera.

135. Proinde Adverſarius noſter trabem apud ſuos conſiderare debuit, antequam feſtucam apud nos fingeret inveniri.

135 Poligamia videtur non eſſe peccatum, impuriſſimus cœlibatus eſt peccatum incomparabile.

136. Ne dum ficto crimine in ſontes incuſet, patronum & participem ſeſe potius abominationis Papiſtarum faciat.

136. Abuſivè, & improprie Poligamia dicitur de ſucceſſivâ Poligamiâ.

137. Quid multis? nullius gentis aut linguæ uſu

137. Hi Polygamiâ Luthero, ut â modernis ſciolis quidem, non taxantur ſed approbantur.

digamus dicitur, qui plures ſucceſſivè uxores ſeu viduam duxerit.

138. Sed naturâ vocabuli Digamus tantùm dicitur, qui ſimul plures uxores habuerit.

139. Qualis fuit Lamech ille Gen. 4. Abraham quoque & Jacob non tantùm ſacerdotes, ſed & Chriſti & Prophetæ Dei appellati.

140. Logomachia igitur & profana Papiſtarum cenophonia eſt, digamum depravato vocabulo dici, qui unius ſecundæ aut viduæ aut corruptæ maritus eſt.

Index

Index Dictorum Scripturæ.

Geneſis.

Caput.	verſus.	Theſis.	Nota.
I.	2.	lxj.	2.
	20. 21, 22.	lxiij.	1.
	28, 20.	lxiij.	1.
II.	8.	xlij.	3.
	17.	xlij.	2. 3.
	18.	xx.	1.
	21.	xvij.	1. 2.
	22.	xxx.	4.
	24, 25.	xxvij. xxviij. xxxix.	
	25.	xix.	4.
III.	3.	xlij.	2. 3.
	7.	xix.	4.
	12.	xxx.	12.
	16.	xxxj.	
		xix.	12.
		xxiv.	2.
		I.	4.
		xxxviij.	2.
		lxxxvij.	10.
	22.	xlij.	2. 3.
IV.	8.	xxvj.	2.
	19, 20, 21.	xxxij. xxxiij. xxxiv.	
V.	3.	xx. I. xxvj.	
	4.	xxxvij.	3.
		lxij.	2.
	21.	xxxvj.	1.
	28.	V.	2.
		xxxvj.	1.
		liv.	2.
VI.	2.	xxxviij.	3.
	9.	xxxvj.	1. 2.
VII.	7.	xxxvj.	2.
VIII.	8.	xliij.	1.
	17.	xxxvj.	tot.
		xxxvij.	1. 2.

Cap.	verſ.	Th.	Not.
IX.	1.	*xx. xxj.*	
		xxxvj.	1. 2. 3. 4
	3.	*xxxvij.*	1. 2. &c.
	3. 5. 6.	*xliv.*	1.
	21. 22.	*lxi.*	2.
		xix.	14.
		iv.	3.
X.	25.	*xxxv.*	2.
		L.	3.
XI.	7.	*LI.*	2.
	25.	*V.*	1.
	14.	*xxxvij.*	1.
	24.	*xxxviij.*	1.
	27.	*Liij.*	1.
XII.	1.	*xxxviij.*	1.
		xxxviij.	2. 3.
	11.	*xxxviij.*	2.
	19.	*xxxviij.*	2.
		xxxix.	1. 2. 3.
XIII.	16.	*Liij.*	4.
		Lij.	
XV.	3.	*xxxv.*	5.
	5.	*Lj.*	2.
		xxxv.	5.
XVI.	6.	*Lij.*	
	1. 2.	*xli.*	2.
		vij.	1.
	5.	*Lx.*	1. 2. 3.
XVII	18.	*xlij.*	1. 2. &c.
	23.	*xliij.*	1. 2.
XVIII	12.	*xliij.*	1.
	17.	*xliv.*	
		xlv.	
XIX.	31. 32. 33.	*xxxv.*	2.
XX.	2. 12.	*Liij.*	4.
		xxxviij.	2.

Cap.	verſ.	Th.	Not.
xxj.	13.	*Lj.*	
	17.	*Lij.*	
xxij.	24.	*Liij.*	1.2.
xxiij.	3.4.	*I.*	4.5.6.
xxiv.	62,63.	*XLII.*	1.
	64.	*I.*	6.7.
	65.	*Lxiv.*	1.
xxv.	5.	*L.*	3.
	12.	*Lj.*	2.
xxvj.	7.	*LIII.*	4.
		xxxviij.	2.
	34.	*Liv.*	2.
xxvij.	4.	*LI.*	
	19.	*LI.*	
	27.	*LI.*	
	34.	*LI.*	
xxviij.	9.	*LIV.*	
	14.	*xxxv.*	5.
		LIV.	
xxix.	27.	*LV.*	
		LVI.	
xxx.	2,3.	*LVII.*	
		Lxiv.	3.
	15.16.	*LVII.*	3.
	20.	*LVII.*	
xxxj.	7.42.	*Lviij.*	
xxxij.	14.15.16.	*Lix.*	
		Lx.	
		Lxi.	
xxxiij.	5.	*Lxij.*	2.
		xxxv.	5.
xxxiv.	17.	*xliij.*	1.
	25,30.	*Lxiv.*	
xxxv.	22.	*Lxiij.*	1.
		Lxiv.	1.

Cap.	verſ.	Th.	Not.
xxxvj.	2.	Liv.	
xxxvij.	4.5.6.	Lv.	
xxxviij.	9.	Lxv.	1.2.3.
	14.15	Lxiv.	1.
xxxix.	7.8.	Lxvj.	1.
xlviij.	16.	xliij.	3.
xlix.	5.	Lxxviij.	4.

Exodus.

Cap.	verſ.	Th.	Not.
vj.	20.	Liv.	4.
xij.	13.	L.	3.
	36.	Lj.	2.
xvj.	8.	vj.	1.
xx.	14.	xxv.	1.
xxj.	9.	Lxvj.	2.
	28.	Lix.	4.
	32.	Lix.	4.
xxij.	5.	Lv.	2.
	28.	Lxvj.	4.
	31.	Lix.	3.
	8.9.	Lix.	7.
	16.	Lxvj.	3.
xxiij.	4.	Lix.	4.
	32.	Liv.	2.
xxxiv.	15.	Liv.	2.
	16.	Liv.	2.

Leviticus.

Cap.	verſ.	Th.	Not.
iv.	tot.	xlix.	1.
v.	2.	lxxxij.	4.
vj.	1,2,3.	vij.	23.
		lv.	2.
		lix.	3.

Cap. VII.

Cap.	verſ.	Th.	Not.
VII.	23.	LIX.	3.
	26.	XLIV.	1.
	27.	XLIV.	1.
X.	9.	LX.	3.
XI.	2.3.4.	LIX.	2. α.
	9.10.	LIX.	2. β.
	13.14.	LIX.	2. γ.
	20.	LIX.	2. δ.
	29.	LIX.	2. ε.
	39.	LIX.	2. β.
	43,44.	LIX.	2. ζ.
XV.	2,3,13.	LXV.	1.
	16,17.	LXV.	1.
	22.	LXXXII.	4.
XVII.	10,11,12.	XLIV.	1.
XVIII.	2,9.	XXXVIII.	2.
	6.	V.	2.
		LXXXII.	4.
	8.	LXIX.	2.
	15,16.	LX.	2.
	16.	LXVII.	1.2.
	18.	II.	2.
		LXXX.	1.
	19.	LXV.	1.
XIX.	16.	V.	5.
	19.	LX.	2.
		XLI.	1.
	29.	LV.	4.
		LXVI.	3.
XX.	10.	LXXIV.	2.
	17.	XXXVIII.	3.
	18.	LXV.	1.
	33.	LVIII.	1.
	15.16.	LX.	2.

Cap.	verſ.	Th.	Not.
XXI.	9.	Lxvj.	3
	13.	IV.	4
	18.	LVII.	1
		Lxxviij	2
	23.	LV.	6
XXII.	22.	LV.	6
	24.	Lxxv.	5
		Numerorum	
V.	7.	LV.	2
	11.	Lxix.	1
XII.	1.	Lxxiv.	7
XXIII.	28.	LVII.	3
XXIV.	2.	LI.	2
		Deuteron.	
VII.	2.	lxxviij.	6
XII.	3.	LIV.	2
	16.23.24.	Xliv.	1
XIV.	30.	Lviij.	1
	21.	xliv.	1
xxvij.	17.	lxxj.	1
xxI.	12,13.	lxxij.	1
	15,16.	lxxiij.	1
	17.	L.	3
xxII.	18,19.	lxxij.	1
	22,23.	lxxiv.	2
xxIII.	28,29.	lxvj.	3,4
	1,2.	lvij.	1
		lxxv.	6
	2.	lvj	3
	3.	lxxviij.	6
xxIV.	17.	LV.	4
	1.	lxvj.	3
		viij.	1,2
xxV.	5.	Lxxxij.	4
		iij.	2
xxxIII.	17.	viij.	1,2,3
		ix.	1
		lxvij.	1
		lxxviij.	4

Joſua.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
vij.	25	lxxiv.	2
xiv.	15	xxviij.	2
xvij.	14	xxxv.	5

Judicum.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I.	8	lvj.	1
viij.	30	lxij.	2
ix.	2	lxxvij.	1
		lxij.	2
x.	3	lxij.	2
xij.	8. 13	lxij.	2
xiv.	2. 3	liv.	2
	18.	lxxvij.	1

Ruth.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I.	4	liv.	2
iv.	6	lxvij.	1

1 Samuelis.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I.	2, 1, 3	lxxvij.	2
xiv.	32, 33	xliv.	1
xvij.	18	lxxij.	1

2 Samuelis.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
iij.	1	lxxvij.	4
	7	vj.	1
v.	13	lxxj.	1
xij.	7	lxxvij.	4
xiij.	12, 13	liij.	4
xxj.	8	vj.	1
xxij.	11	xliij.	3

1 Reg.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I.	4	lxxvij,	4
iij.	4, 10,12	lxxviij,	2
iv.	30	lxxviij,	2
	29	lxxviij,	3
	33	lxxviij,	2
vj.	7	lxxviij,	1
ix.	15	lxxviij,	4
x.	14	lxxviij,	4
	24, 25	lxxviij,	4
xi.	1	liv,	2
		lxxviij,	6
	3	lxxviij,	1
xv.	43	lxxix,	8

2 Regum.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
ix,	30,	xxxiv,	1
x,	1,	lxij,	2
		lxxviij,	7

1 Paralipomenon.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
iij,	1	lxvij,	4
xv,	19	lxxviij,	2

2 Paralipomenon.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
viij,	7, 8, 9	lxxviij,	4
ix,	2	lxxviij,	5
xj,	17	lxxviij,	1
	21	lxxij,	2
		lxxix,	1
xiij,	21	lxij,	2
	23	lxxviij,	8
xxiv,	2	iv,	4
		lxxviij,	9

Eſra.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
ij,	62	lv,	7

Nehemia.

Nehemia.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
VII.	64	lv,	7
XIII.	28	lv,	7

Eſther.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I.	10	LxxV.	5
II.	3,14,21	LxxV.	5
IV.	3	LxxV.	5
VII.	9	LxxV.	5

Jobus.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
XXXI.	1	LXXXII.	1
XXXIx.	7	XLII.	4

Pſalmi.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
LXXXIX.	3	XXxviij.	3
	33	XXVI.	2
Ciij.	9	XLII.	4
Cv.	22	Lxxviij.	2

Proverbiorum

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
V.	18,19	III.	2
X.	9	lxxviij.	5
XI.	22	III.	2
		XIX.	6
		XXiv.	31
XVI.	6	LXxviij.	1
XVij.	3	lXXxvij	6
	23	XXVII.	2
XiX.	19	LXX.	6
XXj.	15	lxxxvij.	9
XXvij.	16	lxxxij.	4
xxx	13	lxxxij.	4
	23	III.	3
XXXj.	30	lxxxvij.	9
XXXvij.	25	xix.	6
		xviij.	1

Coheleth.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I.	1	LXXviij.	1
vij.	27	LXXXij.	4

Canticum.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
VI.	8	LXXviij.	6
VII.	13	LVII.	3

Eſaias.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
iij.	7	XLij.	4
	8	lXXxij.	4
	16	XXXiv.	1
iv.	1	lXXix.	2
vij.	15	xxxij,	4
Xvj.	38,40	Lxxiv,	2
Xliv.	13	Lxxxij,	4
L.	2	lxxxij,	4
Liv.	4	xxxiv,	1
Lvij.	3	xlij,	4

Jeremias.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
iij,	7	xlij,	4
	8	lxxxij,	4
xv,	7	xxxiv,	1
xxxvj,	2	lxxxiv,	4
xxxviij,	7	lxxv	5
xlviij,	10	II,	15,16

Ezechiel.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
xviij,	6	lxv,	1
xxij,	10	lxv,	1

Daniel.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I,	3,8	lxxv,	5
	4	lxxviij,	2

Zacharias.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
V.	9.	xliij.	3.
VIII.	4, 5.	xxxv.	5.

Malachias.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
II.	14.	lxxx.	1.
		lxxxiij.	1.
	16.	lxxxij.	4.

Juditha.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
XII.	10.	lxxv.	5.

Sapientia.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
III.	16.	lxv.	1.
IV.	1.	lxv.	

Tobias.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
II.	21.	lv.	2.
X.	12.	xviij.	2.

2 Maccab.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
III.	19.	lxxv.	

Matthæus.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
V.	28.	V.	2
		lxxxij.	1,3
	29	lxxxij.	4
	31	lxxvij.	4
	32	lxxxij.	3
XII.	36	xxxiv.	1
	42	lxxviij.	5
XIV.	4	lxxiij.	6
XIX.	3	lxxxij.	4
	9	lxxxij.	3
XXII.	24	Lxvij.	1

Marcus.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
VI.	18	Lxxiij.	6
X.	10,11	Lxxxij.	3
	12	Lxxiij.	4
XII.	19	LXvij.	1
XIV.	21	LXV.	1

Lucas.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
III.	23	lxxxvij.	2
XVI.	18	Lxxxij.	3
xx.	28	Lxvij.	1
XXIII.	29	Lxv.	1

Johannes.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
VIII.	5	lxxiv.	2
	32,44	xlij.	4
XXI.	25	xxix.	3

Acta.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
VII.	6	LI.	2
	22	LxxVIII.	2
VIII.	27	LXXV.	5
	28.	LxIII.	1
XV.	28 29	XLIV.	1

Romanorum Epiſtola.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
I.	28, 29	LxxIV.	1
V.	12	xLII.	2
VI.	23	xLII.	2
VII.	2	xxVIII.	2
	22	LxxVIII.	2

1 Corinthiorum.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
V.	1	LXIV.	1
VI.	9	LXV.	1
VII.	1	LXXV.	13
	2	II.	12
		III.	2
		LxxxVI.	1,2,3,4.
		LXXxIV.	2
	3	LxxxIV.	2
	4	LxxxVI.	2
	5	LxxxVI.	2
	7	LxxV.	13
	8	LxxxVI.	2
	7, 8, 12	LxxxIV.	4
	11, 15	LxxxII.	3
	12, 13.	Lxxviij.	6
	38	Lxxv.	13
XI.	6,7	xxiv.	2
		I.	6
		xxxj.	4
		xxxiv.	1

Galatas.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
III.	17.	LI.	2.

Philipp.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
IV.	3	*xx.*	2. fin.
		Lxxv.	13
		Lxxxvj.	2

1 Timoth.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
II.	14	*xlij.*	2
		V.	3
		xix.	11
III.	2	*lxxv.*	14
	4. 5.	*lxxv.*	14
	10	*lxxv.*	14
	12	*lxxv.*	14
V.	9	*lxxxvij.*	2

Titum.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
II.	5.	XVIII.	2

1 Petr.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
III.	6.	LXXXVII.	10

Apoc.

Cap.	Verſ.	Th.	Not.
XXII.	2	XLij.	2

A.

ABa ctio partus. lxv.
Abia Rex Jud. Polygamus. lxxviij. 8
Abimelech an adulter. xxxviij.
raptor. xxxix.
Ablutiones menſtruatæ & profluvio laborantium quid notent. xlvi. 5. lxv. i.
Abortus procuratio, pœna. lxv.
procurator imprudens & præter intentionem non punitur. lxv. 23.
poculum num poſſit eſſe licitum lxv. 3.
Abrahami æſtimium apud exteros. xciii. 4.
apud Deum. xlv. li.
amicitia quaſi cum Deo. xl.
bigamia non eſt peccatum xxxviii. xxxix. xliii. 2. uſque ad liv.
non facta ob ſpem Meſſiæ. liii.
cauſâ puniti Reges. xxxviii.
concubina & uxor Hagor. vii. i.
non ſcortum. lii.
conjugium ſterile. xl.
concubina & uxor Kethura. liii.
diſpenſatio nulla circa peccatum. l,
hæredes inæquales. liii. 3.
hiſtoria pervenit ad gentes ſed adulterata. xliii. 4.
ignorantia an fuerit aliqua circa bigamiam. xlix.
injectio fabuloſa in ignem. xliii. 4.
inobedientia inaudita. liv. 1.
continuatio in bigamiâ. liii.
nomen ap. Gentes Saturnus. xliii.
ſemen multiplicandum. lii.
ſpurii nulli fuerunt. li.
timiditas circa uxorem. xxxix.
zelus pro Deo. xliii.
Abuſus rerum nat. & ſpirit. iv. 3.
non tollit uſum, ibid.
Abyſſini lxxxix. 12. xiv. 3.
Acceptio ll. neceſſaria. xlvi. 4.
Accuſatio mariti mulieri an concedatur. lxx. 2. & an in genere poſſit.
clericorum difficilis. lxiv. Papæ nulla ob adult. etſi adultera poſſit accuſari, lxxv. 14.
Adami ſtatura an Gigantæa. xxviii. 2.
ſexus an uterque ſeu Androgynos. xxviii. 2.
Polygamia an vera de hilith. xxxix. 1.
Peccatum an ſcortatio. xlii. 2.
Creatio extra Parad. xlii. 3.
Lacrymæ, xxvi. 2.
mors poſt lapſum neceſſaria. ib. n. 3.
divortium quoad torum juxta Rab. xxvi. 2.
Liberi. xxxviij. 3. lxij. 2.
eſus carnium xliv. 1.
libri. xx. 1.
Amor in Davidem de ſuis vitæ annis quadraginta donans. lxxvii. 3.
Adeps an edendus? lix. 3.
Adelhelmus cum virginibus concumbit illæſus & illæſis, xix. 15.
Adhærere quid? xxvii. 1.
Adjutorium quid? xx. 1.
Admonitiones divinæ medium ἀναπαρεγ θυσιάς Pontificiæ. xlvij. 2.
Adulteram retinere non licet, lxx. 6.
Adulterium magnum crimen, xlij. xxxviij. lxxiv. 3. 6.
pœna capit. S. div. non canonico. lxxiv. 3. xxvi. 1. lxxxiii. 6.
uxores amant quædam Gentes. lxxiv. i.
uxoris celans mariti nomine indignus. xxxvi. 4.
Ægæus Rex Ath. Polyg. xij.
Ægyptii Polygami. xi.
Æſopus eſt Luckmannus Arabum & Aſſaph. Hebr. lxxviii. 2.
Æthiopes unde nigri dicti. xiv. 4.
Polygami ibid.
Affirmanti incumbit probatio. xx. 3.
Ahab R. Polygamus. lxxviii. 7.
Ahasvevus Polyg. xi.
Aliaſar R. Ind. Orient. Polyg. xiv. 6.
Alexander M. Polygamus. xii.
δικέρατος cur, xij. 3, liv, 1,
Judex in tribus cauſis Judæorum. l. 3. li. 2.
Amadis. xxxiv. i.
Amlethus R. Juriæ Polygamus. xiv.
Amortiſationis jus ad ſolum R. Galliæ pertinet in Gall. xlvi. 5.
non eximit tamen bona ſupremâ jurisdictione R. ibid.
Amſtelodamenſis civis Polyg. lxxxix. 8.
Anaxandrides Polyg, xii.
Angeli an aſſumant corpora vera, ſolida & unde xlii. 4.
an appareant ſub anim. irrat. ſub formâ fœmin, xliii. 3.
cuſtodes caſtitatis, xlviii. 2.
Ancilla vendita quomodo tractanda, lxvi. 2.
an pariat hæredes mariti, lv. 8.

Anima

Anima mundi, lxi. 2.
Animalia munda quæ? ſigna, lix. 2.
an juſtitiam caſtit. fortitud. habeant, lxi. 5. & jus.
gravidæ non deſiderant concubitum, III. 3,
Antidiluviani Polygami, XXXII. 1. V. 1. xxxvi. 2,
Anti-Polygami inter ſe differunt, lxxxiii. 9.
ipſius Dei Confeſſarii ſigillum confeſſionis non obſervant, xxvi. 3.
Appellationes ab abuſu excommunicationum in Galliâ, xlvj. 5.
Arbor ſcientiæ boni & mali, xlij. 23.
non eſt Pecc. Orig. ibid.
vitæ ibid.
Aqua frigida & calida modus probandi, lxix. 4
Aquæ aſperſio vel immerſio medium caſtitatis Pontif. xix. 3.
benedictæ uſus medium caſtitatis, xlviii. 2.
Arioviſtus Polygamus, xiv.
Ariſton Polygamus, xij
Articuli fidei, xxix. 3. lxxxiv. 1.
Aſſaſſinium unde? pœna, xlv. 2.
Aſininum caput non adorant Judæi, x. 1.
Atheiſmus, xix. 22.
Aves mundæ, quæ? lix. 2.
Auguſtinus 2. concubinas, lxxv. ij.

B.

Babylonii Polygami, xj.
Baculus Bernhardi Diabolum abigit, xlviij. 1.
Baldus cucullo ſepultus, 4. 3 fin.
Baptiſare an quis ſeipſum poſſit, xliij. 1,
Bella gerere non eſt clericorum, lxxxvij. 2.
Belſazer Polygamus, xij.
Bene vivendi 3 regulæ, εὐσεβῶς δικαίως καὶ σωφρόνως, xxxviij. 6,
Benedictiones Patriarchales, lj.
Benedicta aqua medium caſtitatis Pontificium xlviii. 1.
Benedictus vepribus & ſpinis caſtitatem conſervavit, xi. 13.
Benedictio ſacerdotalis in matrimonio non eſt de eſſentia, xliv. 2.
omiſſa non facit irritum, ib.
antiqua ibid.
an à ſponſo adhiberi in propria perſonâ poſſit, xliij. 1.
Bernhardus baculo abegit Satan, xlviij. 1.
aquæ immerſus caſtitatem conſervavit, xix. 13.
Brachmanes Polygami, xiv. 5.
Britanni Polygami, xiv.
Bruta & homines conveniunt & differunt, xvi. 2.
an rationis capacia? lxi. 6.
an juſta, caſta & morata, lxi. 5.
an affectibus dedita, lxi. 6.
an noſtri magiſtri ibid.
Salomon an intellexerit, lxxviij. 2.
gravida an concubitum deſiderent, iij. 3. lxi. 5.
longæva, xix. 3.

C.

Cablai R. Tartarorum Polyg, xvv. 7.
Cainitici fratricidii cauſa, xxvi. 2.
Calumnia, v. 5.
Cananæi Polygami, xj.
Cantilenæ laſcivæ à Chriſtianis non audiendæ, xxxiv. 1.
Cannibalum fœminæ pellices maritis ſuppeditant, ij. 13.
Canonicum Jus Polygamiam approbat, lxxxviiij. 9.
Carolus M. Polygamus, lxxxix. 3.
Carnium eſus an Adami tempore fuerit, xliv. 1.
Caſariæ fœminæ quæ nam? j. 7.
Caſtitas tanta ut cubantes cum virgine non peccent, lxxvij. 1. nec allatam per ventum deſiderent. ib.
Cecrops Polygamiam inſtauravit, ij. Ix. xij. 2. lxxxix. 11.
Character indelebilis, lxxxvij. 3.
Charibertus Polygamus, lxxxix. 5.
Chilpericus Polygamus, lxxxix. 5.
Chinenſes Polygami, xiv. 7.
Chlotarius R. Francorum Polyg. lxxxix. 5.
Chriſtus non eſt novus legiſlator, xv. 3. lxxvj. 1.
non tranſiit per omnes ordines, lxxv. 2.
ex ordine Mendicantium non fuit, nec oſtiatim panem collegit. ibid.
Ciambæ Rex Polygamus &

Cilicium medium caſtitatis Pontificium, lxxv. 4.
Circumciſio non eſt homicidium, non pertinet ad legem Naturæ, in nomine columbæ factum ap. quoſdam. etiam ap. Gentes in uſu. cauſa non eſt ſcortatio Adami. olim neceſſaria, in N. T. adjaphora, jam noxia, xliij. 1. ad fœminas etiam pertinuit,

quæ in fœdere non in ſigno fœderis erant. ib. an quis ſeipſum circumcidere poſſit. ib.
Claves 4 ipſius Dei, lvij.
Clericorum electio. ætas 30. annorum & quinam, lXXXvij. 1.
officium, Xc. 5.
ſalaria olim cruces. lXXXvij. 1.
malitia, XiX. 21.
exemptio, Xlj. 3. lXiv. 2. Xc. 3.
accuſatio difficilis ob defectum teſtium & condemnationis, lXiv. 2.
concubinæ licitæ, lXXv. 9.
uxores non niſi per diſp. ib.
Cœlibatus iX. 2. conjugio prælatus, X. 3. difficulter introductus, Xlvj. 6. inſupportabilis, lXXv. 23. in antiquitate, ignoratus, lXXv. 8. Canonibus tribus improbatus, lXXv. 8. 17. 18. Gentilibus exoſus, Lacedæmonibus ſufflaminatus. Reip. noxius, lvij. punitus, iX. 2. XiX. 7. coactus clericorum, lXXv. 9. non interruptus à concubinis. ib. conditionatus. quantum humana conditio permittit ibid.
Cœlum adorare Judæos falſum, X. 1.
Cœlicolæ, X. 1.
Cœleſtinus Papa reſignavit, abuſus & errores vidit, X. 1.
Cogitationes malæ in 4 plici differentia, XXiv. 1. Remedium. pœnæ. ib. non erumpant, lXXvij. 1.
Cognitionis boni & mali arbor, Xlij. 2.
Cognoſcere quid? Xlij. 2.
Commodus Imp. Polygamus, lXXXiX. 2.
Comprivigna poteſt duci, XXXviij. 2.
Communis opinio quam vim habeat, XC. 4.
Concluſio eſt diverſum quid à medio concludendi, lXXXiij. 1.
Concubinatus Romanorum differt à Jud. liij. 2. Xiij. 4.
clericorum lXXv. 9. melior conjugio XiX. 12.
Conditionatus vir mulier, XXX. 2.
Confeſſionis ſigillum à Papâ indiſpenſabile, XXvj. 3.
Conjugium vid. matrim.
Connivens ad adulterium uxoris indignus nomine mariti, XXXvj. 4.
Conſtantius Chlorus & Conſtantius alter Polygami, lXXXiX. 1.
Conſenſus Gentium, XC. 1.
Conſuetudo, XC. 1.
Cornuti, XiX. 9. XXXv. 4 5.
Corona clericalis, X, 3.
Corporis vitia in ſacerdote, lv. 6.
Cruces adorare non eſt medium ſanctitatis & caſtitatis, Xlviij. 1.
Crucis lignum à R. Saba indicatum, lXXviij. 5.
Cuculli ſanctitas, X. 3.

D.

DAgobertus R. Gall. Polyg. lXXXiX. 5.
Darius Polygamus, Xj.
David Polygamus, lXXvij. 4.
adulter & homicida an peccarit, lXXvij. 3.
ſocios in laudando Deo habuit montes, aves, feras juxta Rabb, lXXvij. 3.
Debitum conjug. quid juxta R. Xj. 1.
ſi uxor à marito petat clarâ voce, ut vicinæ audire poſſint loquentem, poterat repudiari apud Judæos, iX. 1.
Degeneres filii, XiX. 5.
Dei præſentia Alexipharmacon peccatorum, lxj
Delicta juventutis non præjudicant virginitati æternæ, lXXv. ij.
Demetrius Polygamus, Xij.
Deſpenſatio monialium cum Chriſto, & monachorum cum Maria, XiX. 1x.
Deturpatio corporis medium virginitatis æternæ, lXXv. 2.
Detractio, quantum crimen, v. 5.
Deus an cauſa, an moveat inſtrumenta ad peccandum, an ſucceſſum det, XXXv. 2.
an volatus ipſi proprius, xliij. 5.
Diaboli maxima virtus in caſtitate monachorum evertendâ, lxvj. 1.
an corpora aſſumant. vid. angeli.
Diaconi accenſentur ſacerdotibus, lxxv. 20.
Dic duc; fac fer ſunt regula, conjugum, xix. 9.
Diffarreatio, lxxxiij. 4.
Digitorum combuſtio medium caſtitatis, lxxv. 3.
Dionyſius uno die duas duxit uxores, xij. 4.
Diſcerpta an comedenda, lix. 3.
Diſpenſatio Dei circa Monogamiam fictitia, l. 2.
Papæ, xxiij. 1.
miſericordia, circa concubinas Clericorum, lxxv. 9.
circa ſigillum Confeſſionis nulla, xxvj. 3.
Divortiorum Origo, viij. 1. formulæ, viij. 2.
Cauſæ Jud. & Pontificiæ, ix. 1. lxxxiij. 3.
juxta Theod. & Juſtin. xiij. 1. lxxxij. 4.
Divortia an mandata, lxxxiij. 2.
non poſſunt inſtitui à muliere, xiij. 1. xxviij. 2. lxxiij. 3, in duo

in duo mulierum genera non poterant inſtitui, lxxiij. 5.
in principio urbis R. rara, poſt crebra à mulieribus etiam exercita xiij. 1. etiam apud Judæos, lxxiij. 4.
triplicia, lxxxiij. 4.
licita, lxxxij. 4.
Divertentium inſolenter pœnæ, xiij. 1.
Dominus bonorum & fructuum non fit, qui beneficius habet, xxxj. 1.
nec Epiſcopus, xxx. I.
Dominio i. e. Catalogo rerum, quæ in dominio eſſe poſſunt, excluſit ſacra, ſancta & religioſa, Pontifex reponit. ib.
Domini Eccleſiarum non ſunt Patroni ſed vice domini nec beneficiorum ſunt prælati ſed procuratores, ib.
Dominium mariti in uxorem, xxiv. 2 xxxj. 1. 2.
Dos, j. 5, nulla per Salonem & Hetrus, ib.
Dudaim, lvij. 3.
Duellum, lxix. 5.

E.

Eberus Propheta Dei & Zelotes contra idolol, xxxviij. I.
Ebrietas, magnum crimen, iv. 3.
maximè in ſacerdote, lx. 3.
Eccleſiæ ſtatus miſer, xix. 20.
Eccleſiaſtica crimina, xlvj. 5.
Edomæi Polygami, xj.
Elimelechi filii duxerunt gentiles uxores liv. 2.
Elkana Polygamus, lxxvij. 2.
Enochi libri, xx. j. xxxvj. j
Ephoria ſingulariſſima in clericos antidotum peccatorum, xl. j.
Epiſcopus. v. Presbyter.
ejus electio, lxxxvij. j. ætas. 30. cura & officium, lxxxvij. j. honeſtus veſtitus, lxxxvij. 2. irreprehenſibilitas, quoad mores, vitia corporis & animi in doctrina & mor. ib. ſobrietas, pacis ſtudium non gerant bella, aut cogant hæreticos. ib. male ſæpè, lxxxvij. j.
quidam in Angliâ ante 40. annos habuit duas uxores, lxxxvij. 3.
Eſavus Polygamus, ljv. I. 2.
Eva an extra paradiſum creata, xlij. 3.
Evanus R. Scotorum Polygamus, xiv 2. lxxxix. 5. Euripides, xij.
Eunuchi, qui? an in congregatione venire, & ducere Iſrael potuerint lxij. 1. vir non vir, lxxv. 2. homicida an clericus fieri poſſit. ib. Inventor, lxxv. 6. Exempla Biblica & Ethnica, lxxv. 5. magni viri. ib. etiam fœminæ, lxxv. 6.
Exemptio clericorum non toleranda, xli. 3.
Ex communicari non poſſunt officiales in Gall, xlvj. 5.
Expropriatio, lxxv. 22.

F.

Famæ reſtitutio, lv. 2.
Feræ unde, lxxxiij. 5.
mundæ, lix. 2.
Ferrea zona medium virginitatis, xix. 14.
circulus.
thorax.
induſium.
Ferrum ignitum proba virginitatis, lxix. 3.
Fornicatio non eſt peccadillum, xix. 17.
Fornicatio πορνεία quid? lxxxiij. 4.
Fœcunditas non eſt in hominis poteſtate, lvij.
Donum Dei, xxxv. 5. lxij. 2.
multi, lxij. 4. vid. Liberorum multitudo.
Franciſcus nive volutatus virginitatem conſervavit, xix. 13.
Fratris filiam ducere non eſt contra jus Naturæ, xxxviij. 3.
Furti reſtitutio, lv, 2.

G.

Gallia aſtrictos habet Legatos Pontificios & pragmaticam ſanctionem contra Papam fecit. nec ullam Papæ circa unionem Eccleſiarũ prærogativam concedit, aſyla ſuſtulit. clericos delinquenquentes ſeculari judici capiendos & conveniri poſſe perſonaliter in judicio ſeculari, ſi ſecularem rem concernat, ordinavit. ſeculari etiam judicium de habitu clericali & de decimis conceſſit. us amortiandi ſoli Regi tribuit. exc ommunicationem officialium Regis ſuſtulit. judicium ſeculari de excommun, conceſſit. appellationes ab abuſu excommunicationum introduxit, xlv. 5.
Galliæ Epiſcopi pallium Romæ petere hæſitarunt, ſed decepti fuerunt, lxxxvij. 2.
Generandi cura ad hibenda, xxxij. 4.
libido non eſt Peccatum Originale, lij. 2.
differentia inter bruta & homines, lxxxiij. 5.
Genitalia cur texerint Protoplaſti, xlij. 3.
Gentilem ducere Iſraelitidem nefas, liv. 2.
Germani Polygami, ij. 7. 14. xiv. 1.

Gill

Gillo R. Ind. Orient. 600. uxores, xiv. 6.
Glacies medium virginitatis, xix. 13.
Comes à Gleichen Polygamus, lxxxix. 7.
Gnaca Polygamus R. Peruan, xiv. 6.
Gideon Polygamus, lxxvij.
Gyges primus eunuchizat fœminas, lxxv. 6.

H.

HÆreſis non eſt cauſa ſufficiens divort. matrim, lxxviij. 6.
Hagar quomodo concubina & uxor, vij. 1.
Helenæ proci, 19, xxxiv 1.
Hercules Polygamus, xij. 3.
Herodis adulterium, xj. 6. lxxiij. 6.
Herodiades adultera, lxxiij. 6.
Heroicum factum Polygamia, xxxiij. 1.
Heroum filii noxæ, xix. 5.
Heterogeneorum commixtio, e. g. lini & lanæ in veſte. Seminum diverſi generis in eadem agri parte, animalium diverſi generis ad coitum ad miſſio, arborum diverſi generis inſitio, quatenus & cui illicita, xliv. 1.
Hieronymi delicta juventutis, lxxv. 11.
Hierotimus Rex Arabum 600 filiorum pater, lxij. 2.
Hominis præſtantia, xvj. 3.
Hominum & brutorum differentia & convenientia. xvj. 2.
Homines miſeriores brutis. ib.
Homicidia vel doloſa, vel culpoſa vel caſualia: xlv. 2.
Horæ canonicæ quando ortæ, lv. 3.
Hugo R. Italiæ Polygamus, xiv.
Hypopiaſmus Paulinus non eſt medium caſtitatis votariæ, lxxv. 2.

I.

JAcobus quadrigamus, liv.
2 ſorores ducens an inceſtuoſus, liv, 4. an ſit contra jus Naturæ, divinum vel Papæ, 16.
Jaſon Polygamus, xij.
Jejunia medium caſtitatis, lxxv. 2.
Jeſuitarum privilegium non peccandi ad 100 annos impetratum ab Ignatio, & ad 200 auctum à Xaverio, xix. 15.
Ignorantia invincibilis excuſat, xlvj. 2.
non excuſat ſi quis ſcire debuit, xlix. 1.
Ignorantiæ ſacrificium, xlix. 1.
Ignorantia & ruditas ſacrificulorum Epiſcoporum Pontificum ib.
Imaginum cultus medium caſtitatis. xlviij. 1.
Inceſtus lex nota etſi non ſcripta, liv. 4.
Indi Polygami, cœlibatûs hoſtes, xiv. 6.
Indulgentiæ Papales quantarum virium, xl. 2.
Injuria, uxori, ſponſæ illata ad maritum, ſponſum ſpectat, xxxviij. 1.
Innocentia manifeſtata per infantes lxx. 2.
Joas Polygamus, lxxviij. 9.
Johannes Baptiſta cum Elia confuſus, ab Arabibus x. 6. martyr. ib.
Iſmaelitarum lis cum Iſraelitis, l. 3. lj. 2.
Iſraël unde, liv. 3.
Judæorum divortia, viij. 1. 2. 3. ix. 1.
privilegia, Immunitates, ſcholæ Soriana, Pombeditana, Nehardajenſis. Synedria. v. 4. adempta ipſis, ib.
ejectio ex Anglia, v. 4. Polygamia tempore cv. & poſt. lxxxvij. 3.
Judicum favor ob communia ſtudia, xl. 2.
Julii læſi decretum Polygamiæ, xiij.
Juramentum purgatorium, lxix. 6.
Jus naturæ immutabile, xv. 1. xxiij. 1.
Gentium quale xv. 2. divinum l. morale vel poſitivum, xv. 3. morale notum etſi non ſcriptum, liv. 2.

K.

KAræi marem & fœminam unam perſonam eſſe voluerunt, xxviij. 2.
Kethura quomodo uxor & concubina, vij. 1. liij. 1.
Kethuræ poſteri litem movent Iſraelitis de hæreditate l. 3. lj. 2.
Kethuræ concubinæ filii an ſuccedant, an hæredes, lv. 8.

L.

LAbor medium caſtitatis, lv. 4.
Lamechus Cainita, xxxiij. xxxiv. not. Sethiades, xxxvj. 1.
Lectus durior ſtramineus, non eſt medium ſufficiens virginitatis, nec in arbore quidem ſtratus, xix. 16.
Legati Pontificii, liij. 4.
Levitæ concubina an vera uxor, liij. 2.
Legitimum quid? xliv. 2.
Legum ignorantia invincibilis excuſat, xlvj. Promulgatio neceſſaria, xlvj. 3. Acceptio. ib. 4. obligatio. ib. 5.
Lex Moſaica non obligat Chriſtianos, niſi aliquid morale in ſe habeat, l. 4.
Moralis nota Judæis etſi nondum ſcripta. liv. 4. uti & lex leviratus, liv. 4.
Humana non poteſt præjudicare divinæ, nec

nec abrogare, xc. 2.
Poſitiva, ſi onerofa conſcientiæ rectè abrogatur, xc. 2.
Liberorum quærendorum cauſa. quid, & qualis formula matrim, lxxxvij. 6.
Liberorum multitudo ſignum Gratiæ, xxxv. 5. lxij. 2. trium jus. ib. Adam 33. fil. & 27. fil. Lamech. 77. Jair 30. Ebzan. 60. Abdon 40. Abab. 70. Artaxerxes 1.18. Rehabeam 28. fil. & 60 filias. Abia, 38. Proculus 100. Hierotimus 600. Rex Ciambæ 326. Endymion 50. Ægyptus 50. Daneus 50. Theſpis 50. Hercules 50. aut 62. Priamus ex Hecuba 19. & ex pellicibus 31. Scilurus 80. Atyla 60. Maſiniſſa 40. Carolus M. 23. Babo 40. Barrabas 39. Conradus 50. liberos habuerunt
Lilith Adami uxor. xxix. 1.
Libidinis leges σωφυλακτικαι à Judæis poſitæ, v. 2. à Chriſtianis, lxxxiij. 4.
Literæ amatoriæ quid probent. lxix. 1.
Locuſtæ mundæ lix. 2. ſpecies. ſigna.
Lotharius Polygamus lxxxix. 5.
Luchmannus eſt Græcorum Æſopus & Hebr. Aſſaph. lxxviij. 2.
Lutheri literæ de dominio mariti xxiv. 1.
Sententia de matrimonio, quod ſit res Politica. l. 3. lxxx. lxxxviij. 2. lxxxix. 6.
Approbatio Polygamiæ xliij. 2. lxxxvij. 3. lxxxviij. 2. 3.
Vindiciæ contra Anti-Polygamos xliij. 2.
Lycurgus Promotor conjugii. ix. 2. leges egregias tulit de matrimonio, III. 3.
Indotatas virgines eſſe voluit xviij. 2. xix, 3.

M.

Maabath R. Indi Polygamus, xiv, 6.
Magiſtratus Politicus habuit olim utrumque gladium, contulit beneficia, elegi Papam. Habuit curam Eccleſiæ & poteſtatem Eccleſ. externam inſtituendi & deſtituendi, curam locorum piorum, poteſtatem omnia ſacra & profana ordinandi, liberam habet poteſtatem in res & perſ. Eccl. non ex privilegio & beneficio Papæ non dependenter, xc, 3,
Manzeres quinam, Lvj, 3,
Maria vicaria cuſtodis monialis, ſ. proſtibuli per 15, annos, xlvij, 2.
Abbatiſſæ ibid.
Devirginatas revirginat, Lix, 3:
Intercedens medium caſtitatis xlviij, 2:
Maſtupratio, lxv, 2,
Mariti Domini xix, 12. xxiv, 2,
Dominium in uxorem defenſivum & ſuſtentativum, 1, 4, xix, 12. xxxviij, 2.
Prærogativa præ muliere, 1, 4, 5.
Conniventes ad uxoris adulterium mariti nomine indigni, xxxvj, 4.
Matres dimidiatæ non lactantes, xxxij, 4,
Matrem non habeat ſecum Epiſcopus vel crericus, Lxxvij, 4,
Matrimonium inſtitutum Gen, l, primum, xv, 1. xvj, 1. contractus purè Politicus, l, 1, 24.
Excellens, l, 1,
innominatus, l, 1, 2.
inæqualis, l, 4. Lxxxiv, . Lxxxv, 3. xix, 11, 12.
μονόπλευρος, xl, 7,
Ad Morganaticam, Liij.
Matrimonium à Deo, lxxxvij, 8:
mandatum lxxxvj, 2,
neceſſarium, xx, 1. xxvij, 3, xxxvij, 3.
non differendum, l, 4. xix, 7, lvij, 2,
non contemnendum aut an nihilandum, x, 4.
bonum, Lxv, 7.
Utile, xvij, 3. lxxiij, 2. l iv, 5, 6. Lxxxvj, 4.
pedicæ juventutis lxxxiv, 1.
ſit moderatum III, 3, iv, 2, 5,
ſit concors lXXXij, 9.
pro fine habet liberos, lxxxvij, 6
habet quædam incommoda. xxxiij, 1.
Ineuntes tria ſpectant, xx 1.
non eſt articulus fidei. xix. 22.
non eſt ſacramentum. xxxvij. 2.
an inter ſervos, & cum ſervis, xl. 3. Liv. 2.
an ſervorum Dominus poſſit impedire aut reſcindere contractum ibid.
ſi diſputetur, qui tutiſſimi judices. l. 2.
Maurufii Polygami. xiv. 5. nigri unde ib.
Mediocritas aurea III. 5. in Venere.
Mendacium omne eſt peccatum. xxxix. 1, 3.
Meretrix non eſt ducenda. Lxx. 5.
ducta an operetur gratiam ibid.
Phil. Melanchthon Polyg. favet. lxxxix. 10.
Mendicantium ordo. 4. ſpecies, , an à Chriſto oſtiatim inceptus. lxxv. 22.
Metamorphoſis fœminarum in mares. lv. 4.
Metus mortis non excuſat in peccat. naturali
Ffff negativo.

negativo, liii. 4.
Militum Ordinum ſacrorum pietas lXxii. 4.
Milites ducant captas, non dure tractent. lX xij. 4.
libellum repudii conditionatum dedere uxoribus, lX xii. 4. lX xvii. 3.
Millenarius numerus eſt divinus lXXviii. 6.
Miſſarum multitudo, lX X Xvii. 4.
Mollities, lxv. 2.
Monachus unde dicatur. X. 4. ſem Iſactus cogitur manere in monaſterio. ib. olim non fuerunt ita alligati, ut non potuerint Eccleſiaſticam functionem aut aliam profeſſionem obire, hujus captivitatis autor eſt Benedictus. ib. per decretum Papale intra clauſtrum ſuum cohibentur & operibus pietatis & charitatis interdicuntur, ib.
Monachi graphice deſcribuntur ad Eraſino ib.
Polygragmones, luxurioſi, hypocritæ ibid.
Extramundani, ἀνθ᾽ὼ πεχθῶν, xix, 15.
non ſunt in ſtatu perfectionis, x. 3.
nec conſiſtunt in habitu, x. 8.
poſſunt ex uno tranſire in aliud, xix. 15.
olim bono fine inſtituti hodiè interverſi x, 5. multi hodie lXxv. 22.
officium & opera lv, 3.
Polygami in Tartariâ, xiv, 7.
non præferendi conjugatis, x, 3.
Monogamiæ Excluſivæ Epitaphium, xix, 1.
Morticinii eſus prohibitus Judæis & Mahumedanis, Xliv, 1.
Moſis Nomina, matrimonium, an bigamus, an divortiarius. lxxiv. 7.
Motus terræ primus tempore Nahoris. liij. 1.
Mulier quaſi mollier, l. 7.
an homo, xix. 9.
cuſtoditu difficilis, xix, 4.
libidinoſa, xix. 10.
imperioſa. xix. 9. à nullis tamen populis jus regnandi perpetuum accepit. lxxviij. 5.
erudita, xix. 8.
loquax, xix. 9. hypocrit, xix. 10.
caſta xvij. 2. quod in homine, &c.
vir occaſionatus, xxxiv. 2.
domi maneat, l. 8. xviij. 2. xxx. 2.
velata exeat, lxiv. 1.
revereatur maritum. xxxviij. 3.
Polygamiæ faveat, & pellices mariti ſubminiſtret. Il. 13. xix. 8.
Bona quantum bonum, lxxxiv, 5, 6. lxxxvj. 4.
non contemnenda, xxxiij. 2.
quibusdam eſt antipathia, lxvj.
non poteſt eſſe procuratrix, ab omnibus virilibus arcetur officiis, non poteſt accuſare quenquam, nec maritum, xviij. 2. xix. 9. lxxiij. 5.
non obligatur præceptis obnubus: lxxiv, 3. & quibus, præcepto multiplicandi obligatur, xxxvi. 3.
ex nudâ imaginatione non poteſt parere. lxxxiij. 5.
Munda animalia quæ? lix. 2.
feræ, aves. piſces, ib.
Mundi anima, lxj. 2.

N.

NAhor Polygamus, liii. 1.
Nahoris tempore primus motus terræ ib.
Namphania boni pedis homo, lviij.
Naſi amputatio, remedium virginitatis, xix. 13. lxxv. 2.
Naturæ jus immutabile, II. 1, 2. xv. 1, xxiij. 1.
lex negativa prohibens rem intrinſecè malam non eſt violanda ne quidem ob metum mortis, liij. 4.
Neſeſogli partus virgineus apud Saracenos, lxxxiij. 5.
Nix caſtitatis remedium, xix. 13.
Noachus. xxxvj. 1. uxor, ib. 2.
Novercam nemo ducat, lxiv. 1. lxix. 2. lxxvij, 4.
Nudum ſe aſpicere aut tangere libidinem provocat, xix. 14.
Numerus ſingularis non ſemper excludit pluralem, xxvij. 2.
Numeralia unum, duo, tria non ſemper excludunt majorem pluralitatem, xxviij. 1.
Nurum an quis ducere poſſit, lxiv. 1.
Nuptiæ poſt mortem Tartaris uſitatæ, lxxiv. 1.
binæ uno die non poterant celebrari, uti quidem ſponſalia, xij. 4.
ſecundæ Tertulliano exoſæ, iv. 4. lxxxvij, 3.
Patribus antiquis inviſæ, ſed ſine effectu, x. 2.
infames, honeſta ſcortatio, animum mariti contriſtari frivole iv. 4. lxxxvij. 3. dicuntur,

O.

OBligatio vel naturalis vel civilis, Xlvj. 7.
μονόπλευρος in conjugio quod pol. xl. 7.
Oc-

Occaſionis præſtantia non negligenda xxxiv. 1
Oculos continere, eruere eſt medium caſtitatis, lxxv. 2.
Oldendorpius Polygamus. lxxxix. 6.
Omophagia, Xliv. 1.
Onaniticum Peccatum, lXv. 2.
Opera noſtra etiam divinitus præcepta, nedum ea, quæ mandato divino deſtituuntur, eſſe meritoria juſtificationis & vitæ æternæ, & ſatisfacere pro peccatis blaſphemia & injuria in perfectiſſ. C. meritum, X. 5. fin.
Ordalium quid? lXIX. 3.
Ordines multi, lXXV. 22. an Chriſtus omnes tranſierit. ib.
Origenes virilia & utrumque oculum eruit ob virginitatem. lXXV. 2.
Oſculum cauſa Zelotypias. lXIX. 1.
Marii; multis Monachis dedit XIX. 14.
Oves ſolis. XC, 5.

P.

PÆones Polygami. XIV.
*P*apa an judicari poſſit. Xl. 2. XXXI. 2. an accuſari poſſit, lXXV. 14.
Pallium Epiſcopale, lXXXvij. 2.
Paradiſus, quid, quando, ubi creatus, Xlij. 3.
*P*atres Eccleſiæ qui? numerus, genuinitas, doctrina, ſenſus, conſenſus quanti valeat. lXXXVIII. 1.
Parthi *P*olygami XI.
*P*eccatum Orig. non eſt ſcortatio nec generandi libido, lij. 2, lvij. 3.
inSpiritūS. an ſit accuſare clericum, Xl. 2
cum loco puniebatur, Xlij.
nulla ſatisfactione purgatur, ſed hic effectus ſolius Chriſti merito aſcribendus, X, 5.
auget vel minuit circumſtantia locorum, perſonarum, intentionis, Xlv. 2.
ut inquiratur & non occultè puniatur, intereſt Rejp. Xlj. 3.
Eccleſiaſticum vel ſeculare, Xlvj. 5,
*P*eccata æqualia æquales pœnæ, XXXV.
Peccatores omnes obliquo collo trahantur ad judicia criminalia, omniaque iiſdem legibus judicentur nullo attento habitu, tonſurâ & ordine, Xli. 3.
*P*ecuniæ copia, ubi? XVIII.
penuria unde?
Pellex unde? liij. 2,
Pennæ medium caſtitatis. lXXv. 4.
Peor. quid? lvij. 3.
Permiſſio in materiâ *P*olygamica locum non habet, L.
Perjuri an ſint, votum non ſervantes, l, 4.
Perſuaderi plus eſt quam cogi, lv, 2.
Perſæ Polygami, XI.
Petrus non præfertur *P*aulo, lXXV. 16.
quomodo fundamentum Eccleſiæ lXXv. 16.
fuit Apoſtolus non poteſtate ſed ordine & vocatione, ib. nulli ſingulari Eccleſiæ præfuit. Univerſalis Epiſcopus ut reliqui Apoſtoli. Romanus ergo etiam Epiſcopus uti & R. fuit, claves accepit. ſed non ſolus, nec ſolus à C. conſecratus & ab illo cœteri.
Philippus R. Maced. Polyg. Xij.
Haſſiæ Landg. Polyg. lXXXIX.
*P*iſces mundi, lIX. 2.
Pollutiones nocturnæ, lXXV. 2.
voluntariæ, ib.
Polygamia eſt heroicum factum. XXXiij. 1.
non eſt ſcortatio, adult. aut pejus adulterio, XXviij. 2. XXXiij. 1.
uno die incepta & conſummata rara ſecus ac ſponſalia. V. 3.
habet ſua commoda, XIX. 1, 2, 3.
incommoda, ſed nugatoria, XIX.
non eſt contra jus Nat. Hug. Grot. Selden, Puſendorf. Hahnius, Struv, Meiſn. Phil. Melanchth. Molinæus, Gallutius. Guil. Grot. Caj, & Bellarm. Durand. Alph Becan. Thom. Dion. Carthuſ. II. 3.
Polygami fuere Syri, V. Ægyptii, XI. Perſæ XI. Parthi XI. Sabæi V. 4. Pæones XIV. Edomæi, Cananæi, Babylonii, Aſſyrii, XI. Judæi, V. Græci, II. 14. XII. Romani. II. 14. Xiij. Germani XIV. 4. II. 44. Britanni, Scoti, Saxones, Mauruſii, Abyſſini, Indi, Chinenſes, XIV. Brachmanes XIV. Lamechus, Abraham, Nahor, Jacob, Eſau, Simeon, Moſes, Gidconſair, Abdon, Ebzan, Elkana, Saul, David, Salomon, Rehabeam, Abia, Joas, Ahab, Ahaſverus, Darius, Philippus, Alexander, Ægæus, Theſeus, Socrates, Euripides, Hercules, Ariſton, Anaxandrides, Jaſon, Dionyſius, Demetrius, *P*yrrhus, XV. Antonius, Arioviſtus, Hugo. xiv. Ambethus, Pretejannes, Valentinianus, Commodus, Conſtantius uterque, Carolus M. Chilpericus, Childericus, Dagobertus, Evenus, Aleaſar, Gnaca, Gillorius, Chlotarius, Philipp. *C*omes à Gleichen. Oldendorelles.

Pon-

Pontifex an dominus Univerſi, lXXXV. 2. an in alienis terris aliquam poteſtatem, lXXiij. 6. lXXXv. an poſſit accuſari, adult. an verò adultera tantum, lXXV. 14. vid. Paja.
Populi multitudo ſignum bened. div. XXXv 5.
Poſſeſſio Propriorum, lvj. 3. lXXv. 22.
Porcinum caput Judæi non adorant, x. 1.
Poteſtas Ordinis & Juriſdiction. lxxv. 20.
Presbyteri. vid Epiſc. Qui? Lxxv. 20.
& Epiſcopi non differunt juxta Chriſtum & ſcripturas. Sunt ſacerdotes inferiores in eſſentialibus omnia habentes communia cum Epiſcopis ratione ætatis ita dicti, uti Epiſcopi ratione dignitatis, & apud Judæos ſeniores. ibid.
Pretejannes Polygamus, xiv. 3.
Præadamitæ. xxix. 1.
Præcepta affirmat. & negat. lxxiv. 3.
Primogenitorum jus. LV. 8.
Privilegia vel motu proprio, eoque vero vel ſimulato conceduntur. L. 3. non debent eſſe cum læſione proximi conjuncta. ib.
Proci 19. Helenæ. xxxiv. 1.
Proculus 100. virgines 15, diebus fecundavit. Lxxxv. 3. Promulgatio LL. xlvj 3.
Πρ σωπολ ψία an Deo conpetat. xl. 2.
Profana mulier quæ? Lv. 7.
Pudor Protoptaſtorum unde? xlij. 3.
Pulchritudo corporis magnetica. xix. 2.
Pyrrhus Polygamus. xij.

R.

Raptor & adjutor eſt puniendus, xiij. 2. XXXIX. 2.
ſi concubitus non fuerit ſecutus mitius, ibid.
ſponſæ propriæ an verus raptor, ib.
an cum rapta matrimonium contrahere poſſit 16.
Monialis eſt ſacrilegus adulter, ib.
Reformationem ſedis Apoſtolicæ neceſſariam eſſe vidit Cœleſtinus, x. 1. Æneas Sylvius. ib.
Rex uxores 18. tantum ducat juxta Rab. Lxxviij 1.
viduam anteceſſoris an ducat. Lxxvij. 5.
nomen ſæpe commune cum anteceſſore. XXXIX.
Rehabiam Polygamus, lxxix. 1.
Revelationes divinæ medium virgin. xlvij. 2.
Reptilia terreſtria, aquatica ex putredine nata an comedenda? Liv. 2.
Reſervati caſus Papales. L. 2.
Reſtitutio furti, venerei, famæ, Lv. 2.
Romani Polygami. II. 14 xiij.
Romana Eccleſia an caput, mater. lxxv. 16.

S.

Sabæi Polygami. V. 1.
Reges exeuntes Regiâ lapidabantur. xj. 7.
Saba Arabum Regina, lxxviij. 5.
literas ſcripſit ad Salom. â quo fœcundata Habuit magnum comitatum, ib.
Sabbati ſanctificatio non juris naturalis, non moralis divini, ſed poſitivi. etiam ethnicis nota. xv 3.
Sacerdotis electioni quæ vitia corporis obſtent, LV. 9. Lxxxvij. 2.
Sacarum conſuetudo peſſima de imp. I. 6.
Sacella privata. xlij. 1.
Sacrificia V. T. an expiatoria. xliv. 1.
Salomon ſapiens. lxxviij. 2. 3. 5. dives lxxviij 4. cum brutis an locutus ib. n. 2. potens. ib. n. 3. Magnificus in throno. ib. n. 4. Polygamus, ib. Regem Sabæorum convertat, & exteras ductas fœminas. lxxviij. 6. 5. liv. 2. mors. ſalus, ib. n. 1.
Sanguinis eſus an vetitus. xliv. 1.
Satan ædificator templi Jud. lxxviij, 1.
Saxones Polygami, adhuc rempore Gregorii. II. xiv.
Sebaptiſtæ in Britanniâ. xliij. 1.
Scriptura qualis liber. l. 2. unico dicto non ſemper explicat naturam rite, xxj. 1.
Secularia crimina ad ſeculares de jure ſpectant. xlvj. 5.
Scortum, an peccatillum, LV. 4. 7. LVI. 3.
Sehamir vermiculus in ædificando templo uſurpatus. lxxviij.
Scoti Polygami. xiv. 2.
Servos inter an matrimonium & cum ſervis, xl. 3 an Dominus poſſit impedire, ex errore contractum an reſcindendum, & cujus ſint liberi ib.
Sethi libri. xx. 1.
Simſon an gentilem fecerit Proſelyta, liv. 4.
Singularis numerus non ſemper excludit pluralem. xxvij. 2. xliv. 2.
Socia deambulatio & cœlibatus. xxx. 12.
Socrates Polygamus. xiij.
Sodomia duplex, ſola inter delicta carnis contra naturam humanam xlv. 2.
Ratio hujus rei. Encomiaſtæ, & quomodo circa hoc crimen ludant Canoniſtæ. ib.
Solennitates inter nuptiales refertur ιερολογία.

I. 4. 5. 6. non tamen ſimpl. neceſſaria & denuntiationes in facie Eccleſiæ. I. 4.
Solon nullam dotem admiſit. xix. 12.
Soror non eſt ducenda. xxxviij. 2. Liij, 4. Lxviij. 1. an contra jus Naturæ. xxxviij. 2. uſitatum Ægyptiis, Perſis, Græcis,
Uxoris an duci poſſit, an inceſtus an verò tantùm contra Papam. liv. 4. lxviij. 3.
Spartani nullam dotem admiſerunt. xix. 2.
Spurii unde? LV. 5. quotuplices, ib. lvi. 3.
ſæpè optimi xxxij. 4. exempla. LI. 1.
ad dignitatem erecti Regiam. LV. 5.
non poterant ducere neque duci. Lvj. 3.
Sterilitatem procurans ad explendam libidinem ipſum naturæ ordinem perturbat, lxij. 3. puniendus ib. an fœminæ liceat ob periculum. ib.
Probroſa in V. T. & ſemper, lxiv. 3.
Stupratam nemo retineat. xix. 12. lxx. 4. lxxvij. 4.
Stupri reſtitutio, LV. 2.
Superbia 1. vivens, maximum peccatum an angelorum, xlij. 4.
Superinducere, lxxxiij. 6.
Συνείσακτος quæ? lxxvij. 4.
Syri Polygami, x. j.

T.

TΕκνοποιία dicitur de hominibus & brutis, non παιδοποιΐα lxxxiij. 5.
Terræ motus 1 tempore Naboris. Liij. 1.
Tertullianus nuptiarum 2. oſor, IV. 4.
Teſtimonium ab exteris. lxxxvij. 3.
Tharah, xxxviij. 1.
Theophili diſcurſûs ſcopus. I. 1.
Theſeus Polygamus. xij.
Tolerantia in materiâ Polygamicâ non habet locum. L. 4.
Tria, quæ ſpectantur in conjugio & vitantur, xx. 1.
Turcarum Polygamia. xiv. 8.

V.

VAlentinianus Polygamus & Polygamiæ legem tulit. xiij. 5.
Veneti parvam dotem aſſignant. xix. 12.
Veremundus Rex Aſturiarum Polygamus. lxxxix. 5.
Veſtitûs mutatio monachis permiſſa lxvj. 1.
Veroniana methodus, xx. 3.
Vitia corporis in ſacerd. LV. 6.
an hodie etiam obſervanda, ib.
Vidua non facilè ducebatur ap. vett, Germanos, I. 14, xix. 11. LV. 3.
Regis ap. Jud. an Regi ducenda, lxxvij. 5.
quo die deducebatur ap. Jud. xii. 4.
vivit in ſtatu miſero, xix. 11.
Virgæ erectio poſt mortem pœna ſcortationis cum monialibus, LVI. 3.
Virgo an poſſit parere, Lxxxiij, 5.
Virgo in magno pretio & olim & hodie xix. 12, xviij. 2, LV. 3, Lxix. Lxx. 3.
ducenda, xix, 11, LV. 3.
pubes poterat ſeipſam deſponſare, lxx, 1.
cujus ſit virginitas, LV. 1. ſignum, Lxx 7.
defloranda dabatur à gentibus, Lxx. 1.
ſi ſtuprata ſit vel vi, vel volenter, ad quid teneatur autor jure naturæ Divino, civili, Pontificio, LV. 1. non eſt enim peccatillum, xix. 17.
indotata nubit ap. Spart, xviii. 2.
dotata parumper. xix. 12.
annoſa contemptibilis, xvii, 3. xix, 12.
morbis obnoxia, xix. 13.
habet ſuos annos, terminos, xix. 12.
quo die deducabatur ap. Jud. xii. 14.
cuſtoditur apud nonnullas gentes ſuturâ virginei clauſtri. xix. 12.
caſta rara, xix. 13.
ſi ſit ægrota curatur parva menta, xix. 13.
ſuperba ſucata, nuda cantatrix, procos comtemnens xxxiv, 1.
Viripla ea Dea in matrimoniis, lxxxiii. 4.
Viſiones medium ἀ ϛπαρθενεοτιάς. xlvij. 2.
Vitiza Rex Toletanus Polygamus. lxxxix. 5.
Una caro xxviii. 2.
Univira quæ? lxxxvij. 4.
Unius incluſio eſt excluſio alterius, lxii. 3.
Vocatio generalis & ſpecialis, Naturalis & electitia, lxxxvii. 7.
Vociferatio medium caſtitatis conſervandæ, Lxvi. 1.
Votum ſimplex & ſolenne Pontificiorum, Lxxv. 9.
Uxor. vide mulier,
ſubjectiſſimè obediat. I. 6. honoret maritum, I. 7. revereatur, I. 7. xxxviii. 3. alatur, I. 7.
an verberanda. I. 6. xxxi. 4.
an repudianda. uxores 2. generum nonpoterant repudiari VIII. 3 LxXiii. 5.

Ffff 3

Mala

in communione non tenenda XXV. 8.
honeſta & pia poſt imprægnationem non deſiderat concubitum, III. 3.
Patris non ducenda, LXix. 2.
Bona quantum bonum, LXXXiv. 5. 6. LXXXvi. 4.
Mala. LXXxvij. 9.
Una Pontificis, IV. 4.
Eccleſia impropriè dicitur, lXX xvii. 3.
multiplicabatur olim. Lamechus, Abrahamus, Joas Rex, Elkana, Valentinianus, Carolus M. & Comes de Gleichen. Philippus Haſſiæ Landgr. Oldendorpius. Epiſcopus nuper in Angliâ, civis Amſtelodamenſis, &c. binas habuerunt. Jacobus quatuor, Abia quatuordecim, David octodecim. Rehabeam 18. & 30. concubinas, Evenus 100. Dagobertus 3. & multas concubinas, Aleaſar R. Ind. 400, Gnaca R. Peruan. 500, Cablai R. Tartarorum, 40. Rex 250, Gillo 600, Maabath Cancigu 300. Mahumet. 17. Proculus 100, &c.

Z.

Zelotypia in Chamul nulla, lXXiv.
præpoſtera mulierum, XiX. 9.
fruſtranea, XiX. 4.
magna, II. 13. lxix. 1.

127P.